

BIBLIOTECA NAZ.
8
F
13
NAPOLI

THEOPHILI RAYNAVDI SOCIETATIS IESV THEOLOGI, MARIALIA.

VIDELICET

I. Diptycha Mariana.
II. Scapulare Marianum illustratum, & defensum.
III. De retinendo Titulo Immaculatæ Conceptionis.
IV. Nomenclator Marianus è Titulis B. Virginis contextus, cum Glossario.
V. O Parasceuasticum septiduanis Antiphonis præfixum.

TOMVS SEPTIMVS.

EDITIO NOVA, ASSIDVO AVTHORIS LABORE, altero tantò ferè auctior.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.



LVGDVNI,
Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXV.

Cum Approbatione, & Permissu Superiorum.





ILLVSTRISSIMIS CLARISSIMISQVE VIRIS DOMINIS

DD. PRÆFECTO, ASSISTENTIBVS,

Reliquiſque Maioris Sodalitij B. Virginis Aſſumptæ Sodalibus

IN COLLEGIO LVGDVNENSI SOCIETATIS IESV.

HORATIVS BOISSAT, & GEORGIVS REMEVS Bibliopolæ *S. P. D.*

ERIT, opinor, cuicunque in promptu, VIRI CLARISSIMI, iudicare, quamobrem vobis conſecratum Volumen iſtud emittatur in vulgus; Pronum, inquam, erit ſingulis, meus niſi fallit animus, vbi mentis ſimul & oculorum aciem, in Titulum eius admouerint, pronunciare ſelectos vos fuiſſe iure, & quidem quàm optimo, quorum inſcriptus Nomini poſthumus hic Liber lucem aſpiciat. Scilicet traditur ipſa in fronte operis, cumulatè in eo de MARIÆ laudibus agi; Auctórque ipſius, prædicatur eſſe THEOPHILVS RAYNAVDVS, Vir ille, de vobis, dum ſpirauit hanc auram, meritus perquàm optimè, vobíſque inuicem, ſexcentis neque iis leuibus amoris argumentis, & vinculis beneuolentiæ penitùs obligatus; qui modò fato functus, apud probos omnes, eóſque in primis qui ſeſe Deiparæ cultui omninò mancipârunt, non ſuauiſſimæ minùs memoriæ eſt, quàm florentiſſimi nominis apud quoſcumque homines literaturæ præclaræ ſtudioſos. Geminas mihi videor attuliſſe cauſas, cur illud veſtro conſeſſui debitum fuiſſe ſignificem, quas ego ſanè crediderim, nulli facilè non comprobatum iri: etenim per vniuerſam Galliam cui peregrino tam eſſe liceat, vt ſibi prorsùs vel ignota eſſe, vel inaudita veſtra in Virginem ſtudia auſit aſſerere, quis vnus potiùs non vicinæ modò circùm incola regionis, ſed plagæ cultor etiam vel remotiſſimæ, conſtanti rumoris famâ; quàm ſitis impensè obſequio MARIÆ Dediti, ſæpè non intellexerit; at-

que adeò quidquid sacrum illi dedicatúmque fuerit, ad vos perinde atque ad Optimæ Maximæque Parentis amantissimos filios iure proprio pertinere. Certè hoc vel vno nomine, quòd hîc, scriptor ille nobilis, pro qua semper, donec superauit, pugnauit fortiter, primo vitæ suæ momento, ne leuissimâ quidem labeculâ aspersam fuisse Dei Genitricem, contendit ac conuincit, addictum vestro cœtui totum hoc opus esse, nemo nisi rudis & historiæ vestræ ignarus ambigat. Occepisse enim Maiores olim vestros sine macula conceptæ Virgini & honores primos deferre, & vota noua id temporis ac insolita nuncupare, res vulgara satis superque est; quorum memoriæ maxima profectò accedet gloria, dum supremus Pontifex rem totam Spiritu sancto afflatus definiuerit, (quod breui futurum esse boni quique confidunt) ita scilicet & quidem tantò antè Vicarij Christi præuertisse iudicium: cui Patrum religioni non respondistis modò, VIRI CLARISSIMI, verum eam etiam abundè cumulastis; quippe non contenti, vosmetipsos peculiari Sacramento adstringere, ad credendum tuendúmque continenter, non minori puritate nouam Euam fulsisse, primo quo cæpit viuere puncto temporis, quàm veterem illam, quæ vaferrimi serpentis illius succubuit victa insidiis, cuius duras ceruices victrix hæc vltima contudit ac contriuit: ad eiusdem Pietatis officium Sodales per Franciam, Literarum operâ, reliquos inuitastis. Ita vt nostris hisce temporibus, exsuscitatum licuerit intueri zelum, quo post triumphalem Irenæi magni interitum, fusúmque ita generosè ciuium cruorem; cultoribus veræ Fidei singulis, qui degebant in Asia, Parentes olim vestri, animos, per epistolas, non mediocres addidêre ad obeundam pro Christo gloriosam necem; Viríque tanti exemplo tam illustri, vt auderent pariter animam fortiter ponere (si quando Stygia Tyrannorum rabies ita postularet) mirum quantùm incendêre. Et quoniam hîc, Irenæi incidit mentio, mihi nefas esse putem omittere quo affectu animi, & mentis ardore, voti pij admodùm vósmetipsi damnati, more, quot annis, solemni sacram illi ædem inuisitis; ad ibi recitandas Indigetum Ciuitatis vestræ quas vocant, Litanias, in quibus recensentur multorum nomina ignorata priùs, eruta mox è tenebris, vindicata à blattis, & reuocata propè ab ipsomet interitu, indefesso labore Theophili, dum Sodalitij vestri moderatorem (quem per annos multos gessit) tunc temporis ageret, eáque in opera Pietati vestræ obsecundaret. Quid? quod à vobis in reliquos accolas emanauit hic cultus; vnde deserta priùs ad collis fastigium Diui ædicula maximo omnium ordinum

ordinum cœpit frequentari concursu, illudque Pietatis exemplum non ciues tantùm ad imitationem exciuit, sed prælusit etiam, vt sic loquar, edicto illi, quo sanciuit summus ille summi Irenæi successor CAMILLVS NEO-VILLAREGIVS (quem, Numen nobis, & Regno, & Reipublicæ Christianæ diutissimè velit incolumem) vt dies in posterum Iunij septimus vigesimus, quo anniuersaria sancti illius Præsulis memoria recurrit, vacuus ageretur ab omni opere. Quamquam non spectat ad Cælites vnos vestra Religio, ad egenos quoscunque illa etiam pertinet; Docti nimirùm estis quòd Cœlo laborare sit, sic curare terrena: Diceremus, huius loci id nos si esse crederemus, quantâ curâ pauperum subleuetis inopiam, quâ charitate captiuorum inuigiletis commodis, & incommodis occurratis, dum Pij, conamini vel eorum doloribus consolationem afferre, vel æs illud, quod contraxêre, dum benigni dissoluitis; Diceremus iterùm, vestro vt Nomini comparetis gloriam sempiternam, dum magna cum industria, quæ nomina scripserunt, obstricti benè multi alienâ pecuniâ, munifici inducitis: sed rem quam sciam esse in ore omnium, quid singillatiùs attineat euoluere. At enim vt ipsa voluminis materia, ipsummet vobis vt proprium vnicè vindicet; illud profectò vobis, Authoris ipso consilio, assertum non minùs esse putem; Opus enim hoc aliis inscripsisse quàm vobis, quid, rogo, fuisset aliud, quàm & desiderio suo Theophilum (quod indicauit paucis diebus antè vitâ quàm cederet) & fraudare vos re illâ, quam vester in eum amor & obseruantia iuris pridem vestri fecêre; exequi sanctè, quæ moriturus vir primarius quispiam facienda mandauerit religio peruetus est; incurrere verò in vitium ingrati animi, indignum nefas; Præcipuè sanè cùm præter ea quæ constabant apud omnes, maxima à vobis dum hîc viuus degeret in eum merita; tot postquam viuere desiit, eáque insignia Vestræ beneuolentiæ extiterint in ipsum argumenta. Quippequi pompâ funebri perinde atque magnificâ, ritu nec viso hactenùs nec audito, vultúque apprimè composito ad prodendum mœrorem animi, vestrum in sacellum cadauer extuleritis, vt vel indè licuerit assequi coniecturâ, quàm magno desiderio vobis Raynaudus fuerit singulis. Vicem ille, spero, rependet aliquando, & eum se exhibebit in cœlo (vbi modò illum beatum agere non leuiter crediderim) quem se continenter in terris præstitit, virum scilicet facilè hominum, quos ego nouerim,

gratum

gratum maximè omnium: imminentia procul precibus suis à vestris ceruicibus deprecabitur infortunia, & quâ solicitudine singulorum olim incolumitati prospexit, longè iam maiori, quandocunque res postulabunt, saluti vestræ inuigilans, vt vobis postmodùm omnia è sententia fluant, flagitabit à Numine, atque etiam impetrabit. Hæc spes vna, votúmque vnum est.



DIPTYCHA MARIANA.

QVIBVS JNANES

BEATISSIMÆ VIRGINIS PRÆROGATIVÆ,

Plerisque novis scriptionibus vulgatæ, à probatis & veris apud Patres, Theologósque receptis, solidè & accuratè secernuntur.

Honor Reginæ, iudicium diligit. Virgo Regia, falso non gaudet honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum.
S. Bernardus Epistola 174.

INDICVLVS



INDICVLVS OPERIS.

DIPTYCHA



DIPTYCHA MARIANA, SCOPVS, ET FORMA SCRIPTIONIS.

NON EST BONVM, HOMINEM ESSE solum; Faciamus ei adiutorium simile sibi.

POST absolutam de Christo Domino eiusque attributis tractationem, illigari me ad aliam accipiendam ientio, hoc diuini consistorij decreto, quod in orbis molition. prima, post efformatum, & abundè exornatum primum hominem, in prædicta verba conceptum, scribit Moses *Genes.* 2. Quæ ad primæ mulieris fabricationem spectato literæ cortice pertinentia, graues Patres ad Deiparæ formationem cum promisso Christi ortu diuinitùs destinatam, accommodarunt; Bernardus serm de verbis Apocal. *Signum magnum*, Rupertus, Richardus à S Laurentio, l. 2. de Deip. particula 1 causa 34. & particula 2. *sub initium*. Nec dissentiunt imo apertè suffragantur, quotquot hominem illum quem esse solum non debere; pronunciat Deus, Christum accipiunt verè antonomasticè *hominem*, ac *virum vnum*, iuxta B. Gregorij Glossam, ad vestibulum illud primi Regum *Fuit vir vnus*. Huius viri venturi futuri, formam præcessisse in parente primo Apostolus docuit. Igitur vt Adamo anteriori, sic posteriori, adiutorium simile sibi curandum fuit; non aliud profectò quam B Maria, cui secundæ Euæ & mulieris Antistrophæ, reparatricis damnorū à prima omnium matre irrogatorum, decora passim tribuunt Patres; & egregiè præter cæteros. Iren.l. 5.c. 33. Tertull.l.de carne Christi c.17. Epiph. orat. de Deip. & hæres. 78. quæ est Antidicomarianitarum. Bern. oper. hom.2. super *missus est*, exscriptus à Richardo à S. Laur.l. 1. c.1. & multi quos in eam rem præterea aceruant Canis l.4 de Deip.c.16. & Salaz. l. de concept.c.19.à n.4. & c.20 à num.4. Bene quoque per analogiam prosequitur Cathar.l.3.de cō.epi.persuasione.5. Quare sicut Deo ipso iud.cā, bonum non fuit hominem esse solum, sed faciendum ei fuit adiutorium simile sibi; Adamo Eua, Christo Maria: Ita bonum non videtur, vt tractatio de Christo sit sola, & abiuncta à tractatione de Matre. Nam ob tantum nexum filij cum parente, vnius consideratio absque alterius consideratione, hiare videri meritò posset & qui Christum prosequitur, matrem dimittere non potest, vt Philipp. Abb. piè disserit lib. 6. in Cant.c. 33.

Scopus noster in Tractatione de Deipara, furfurum & farina probata secretio.

2. VErùm ne in argumento innumerorum propè scriptorum diligentia protrito, inutiliter, vel cum Lectorum nausea verser, nouam mihi ineundam, rationem scribendi, video: nec aliunde ferè petitam, quàm ex tanta illa numerositate scriptionum. Vt enim, multitudo copiosa, cum accuratione ægrè cohæret; inter tam multos qui de Deipara moles voluminum ediderunt, his præsertim proximis annis, non pauci dum voluminis spissitudinem, vel laudem à nouitate captant; quasi non suppeteret vnde Deiparam solide celebrarent, inde laudum argumenta duntaxat duxerunt, vnde minimè petenda fuerant: à sententiis inquam, nec solidis, nec satis subnixis, quas cum vnus aliquis, vel gustui suo priuatim seruiens, vel inter concionandum ad plebem in illo dictionis æstu fuderit, tanquam verisimiles, & ad concionis imperitæ captum accomodatas; cæteri deinceps, non velut vtcunque probabiles, sed vt certas, ac quibus non subscribere ad impietatem accedat; summo studio amplexātur, & qua verbo, quà calamo diffundunt, non sine superpodiis & auctariis. Quæ mihi visa semper est, Deiparæ contumelia potiùs ac dehonestatio, quàm gloria. Nam sicut de Christo, iuxta Cassianum l.1. de Incar.c.2. quicquam non verè dicitur, quantumuis in speciem honorificum, reuera dedecus infert non gloriam; ita quicquid de S. Christi parente, secus quam res habet splendidè ac magnificè dicitur tantæ matris decus per se maximū inficit potiùs & imminuit, quàm auget vel illustrat. An id innuebat S Methodius orat.de hypap. cū Virginem alloquens, ait, [Ad te verò quid dicam, ô mater virgo, & virgo mater? Cum enim opus non humanum est, eius nempe laus quoque hominem excedit. Quamobrem paupertatis hîc meæ obscuritatem, donis muneribusque, quæ in te Spiritus contulit, illustrabo: quæque tua sunt tibi offeremus, ex immortalibus pratis sacrum tuum & à Deo coronatum caput dilaudabo: téque, ô Dauid filia, & Domini ac Dei Dauid mater, patriis ac peculiaribus tibi hymnis prædicabo. Turpe enim fuerit, atque adeò inauspicatum, alienis te ornamentis exornari propria gloria præcellentem.] Eo *aliena* ornamenta & extranea, dedecentia Virginem.

3. Operæ pretium itaque me facturum censui, nec tenuiter Deiparæ honori seruiturum me existimaui, si separarem pretiosum à vili; & doctrinæ furfurem probatæ farinæ inspersum, adhibito diligentis examinis cribro seponerem. Audentius dicam; sed ad veritatem: Dignum iustumque sum arbitratus, si illa (vt vetus author rectè apellauit) mortuaria glossaria, cadauera planè sententiarum, vita quæ veritàs est destituta, inani autem specie verborum obducta & prætensæ pietatis tectorio vtcunque adoperta, detegerem, & à viuis animatisque placitis sequestrarem. Quod quia hac lucubratione factum venlo, placuit illi titulum facere, DIPTYCHA MARIANA; quod sicut veteres Christianæ tabulæ, viuorum & mortuorum continebant nomina seorsim disposita; vnde *Dypticorum* vox de qua plene Rocha ad librum sacram. S. Gregorij fere initio; & Lælius Viscida. t. 2. subs. l. 9. c. 15. ita circa quodlibet punctum rerum Deiparæ; hinc solidam doctrinam, Patrum, ac Theologorum iudiciis, rationibusque firmatam, tanquam viuam veritatem; subinde verò nugas nouitias, & pietatis heteroclitæ præstigias veluti emortuá religiosi studij apparentiam, sim propositurus.

Quàm multi de Virgine scripserint, nec pauci ineptè, ac inconsultè.

4 VTrumque breuiter. Nam in tanta vbertate Scriptionum de Deipara, nihil necesse est, extra secretioris propositę fines excurrere, & in diffundêdis iis quæ vbiuis prostant, verba prodigere. Scriptores antiquos, in Deipara exornanda cum laude versatos, recenset Tritemius Epistola ad Bernardum Dominicanum; (est 51. familiarium;) S. Bonitum Aruernensem Episcopum S. Anselmum, Cantuariensem, Bernardum, Rupertum, Albertum Magnum (cuius de hoc argumento labores circumscribis homilijs super *Missus est*) Conradum Rinchaugiensem libro de vinea domini Sabaot; Anonymos duos, Episcopum vnum qui ordine Alphabetico progrediens, ad singulas ferè dictiones, speciale encomium pangit Deiparæ; alterum qui operi suo spisso admodùm & amœno, titulum fecit, Corona B. Mariæ. Tantum Trithemius, qui succubens oneri, fatetur imparem se recensendis innumeris eiusdem argumenti tractatoribus; nec iis tantùm, qui vnam, aut alteram homiliam vel orationem Sectam in laudem Deiparæ generatim ediderunt, cuiusmodi sunt Epiphanius, Hesychius, Chrysippus, Arnoldus, Goffridus, S. Ephrem, apud quem Vossius circa orationem 23. multos collegit: & qui de speciali aliquo eius festo contexuere panegyricum; signat benè multos seriatim Richardus Gibbonus, ad calcem Richardi à S. Laurentino: Sed iis præterea, qui iusta volumina conscripserunt; cuiusmodi extant nunc longè plures; nominatim è veteribus S. Ildefonsus; Rich. à S. Laurentino (qui author verus Marialis Alberto adscripti Amedeus Lausanensis, Augustinus de Ancona, tractatu super *missus est*, Dyonisius Richelius in opere de Deiparæ laudibus, Pelbartus in Stellario, Bernardinus de Bustis; Inter recentiores agmen temporis & accurationis ordine, facilè ducit Petrus Canisius, insigni opere de Deipara; Eruditè quoque Christophorus Castrius in Deiparæ historia ex Patrum ferè dictis contexta. Vberrimè & cum non inamæna varietate, Spinellus Tractatione de Trono Dei. Benè Martinus Delrio in opere Mariano, Benzonius in psalmum 86. & aliis lucubrationibus atterati si scholasticum minutiloquium quærimus, sapientissimè ac planè solide Franciscus Suarez Tomo 2. ad tertiam S. Thomæ partem.

5. Hos subsecuta est turba magna superstitum, ideóque de numine non exprimendorum Scriptorum an Rapsodorum, aut etiam interpolatorum atque mangonum Scriptorum sanè nomine, dignos nonnullos agnosco. Multo plures Rapsodorum, hinc inde sine examine, ac iudicio consuentium, lingua præsertim vernacula scriptiunculas. Interpolatores ac interuersores, qui adscriptis nouis titulis, in alienos labores inuadant, sibique ex aliorum laureis coronas texant, deprehendet in hoc argumento non paucos, quisquis vel perfunctoriè varios de hoc genere scriptionum fungos hodiernos, cum nuperis & anterioribus scriptionibus contulerit. Quos cum contulerit, agnoscet verè dixisse Philippum Abbatem l. 6. in cant. c. 9. [Non solùm Apostoli, sed & Doctores alij, loco & tempore successores, facti sunt in Ecclesia huius tantæ Virginis laudatores: quorum alij fructuoso casti desiderij merito sunt reginæ, alij non, amantes sed amorem simulantes, dicuntur rectius concubinæ. In his quippè diebus quibus in vniuerso mundo fructificans fides crescit, apud nonnullos verò abundante malitia charitas refrigescit, & multi laudant Virginem amore deuotissimo prouocati, & multi virtutem abnegantes, pietatis specie colorati. Honor enim Virginis, vsque ad id temporis sic excreuit, mundúmq; vniuersum eius fama vel notitia sic impleuit, vt non solùm veri, sed & falsi fideles, videantur eius laudibus exultare. & quos non deuotio eos vel occasio faciat collaudare. [Non agit de hæreticis, quibus Virginis laudandæ nulla cura, sed de virtuté abnegantibus, falsis catenùs fidelibus qui non ex vera & solida virtute colunt Virginem, & in argumêto auide à piis omnibus expetito, ponunt operam per occasioné sui commodi: vt vnde eò pertingant quo collimant noua, & inaudita obtrudunt de B. Virgine, non eius gloriam capiantes, sed suam.

His scriptionum quisquiliis, fruantur sanè quibus placuerint, & in tanta earum copia breuitatem nostram ne incusent. Docti verò & emunctæ naris lectores, quibus gerræ illæ librorum, sunt quod esse debent; hoc est nullius pretii, æquè breuitatem nostram boni consulent, si ad illos solidè & cum iudicio conscriptos quos signaui, & alios ejusdem farinæ, quibus abundat Dei Ecclesia, appellant animum. Nobis enim illud duntaxat quod dixi, furfuris à probata farina secernendi studium, necessarium visum est: & in eo ipso exequendo parciores esse poterimus, ob permissam à plerisque anterioribus diligentiam, cui attestabimur; indicatis locisque auidus copiosioris tractationis lector, opportunè adeat:

Vota in hoc aditu.

6. VErùm in hoc limine induendum mihi Basilij Seleuciæ animum video. [Me verò (inquit orat. 39. sub initium) Dei matri laudem afferre volentem, quantus timor, vti par est, circumstare debeat, ne à veritate aberrem, néve per imprudentiam, dum eam dictis ornare me autumo, quidquam quod dedeceat effutiam? Neque enim mihi propositum est, in montem sensilem, aut fusam supra terram nebulam penetrare; neque pulcherrima ætheris luce circumfulgeret sed qua fas, eorum pulchritudinem superuadere, & cœlestibus orbibus propriùs admoueri.] &c. [Quando igitur Deum incarnatum enixa, *Deipara* dicitur, ad Deum precationis ope dirigar, vt verba mihi præbeat; Domine omnipotés, totius vniuersi Rex, qui inexplicabili quadam ratione, mentes corporales spirituali luce perfundis, mentem meam illumina, quo proposita res absque errore cognoscatur, cognita piè dicatur

dicatur, dicta fine periculo, animo capiatur.] Simile est votum Authoris tractatus de Assumpt. c. t. apud Augustinum tomo 9. [Te Deus (inquit) omnipotens Pater voto supplice exoro, vt qui mandas nubibus, & pluunt, imbres qui tangis montes & fumigant, qui aperis terram & germinat, quid dicam iubeas, profectam præbeas, ad quid sermonem dirigam, apertas Venerabile est enim mihi Domine, & præcordiis meis reuerendissimum, de matre Filij tui loqui, & de sanctissimo corpore eius linguam sermonibus occupare quæ sola meruit Deum & hominem patitura suscipere, facta, thronus Dei & aula Regis æterni, &c. Per quem te quæso Domine quis per illum bona cuncta tribuis, quæ vt tribuas eligis, vt me inoffensè de tanta sanctitate loqui tribuas. Et si non totum vt est (quod impossibile omni linguæ humanæ est) tamen ipsum ex parte quod est, dicatur vt est. Sonet ergo pretiosissimum sui pretiositate, sanctissimum certa sanctitate, inæstimabilissimum fidelissima veritate. Quæ quia humanam rationem excedunt, spiritus tuus adsit, qui suo sacro spiramine inducat nos in omnem veritatem. Et quia de eius corpore & anima loquendum est, quæ ipse præter naturalem vsum sanctificauit, & gratiam contulit, non aliena nos dicere patiatur, sed propria, ad laudem & gloriam tuam Deus omnipotens.]

Non ausim & illud cum Petro Damiani proloqui in adim ad laudes Deiparæ homil. de assumpt. [Hic totum decurrat ingenium, & aureus sermo tota teloceat maiestate.] Qualecumque tamen erit, quod tenuis ingenij vena, & inculti sermonis paupenes promere poterit, dicam quod idem Damiani continenter addit. [Voluntaria oris nostri, beneplacita faciat sibi, Genitrix Dei, Domina mundi, cœli Regina. Ipsa sensum acuat, dirigat stylum, & linguam pauperis venustiori respergat eloquio. Illustret lucem hanc lumine clariori, & suo conuentui suam præsentiam donare dignetur.] Vsurpabo item quod author sermonis quarti super *Salue Regina*, apud Bernardum piè dixit, præfatus egregios & eruditos plerosque Scriptores ad laudes Virginis aggressos, non esse assecutos dignitatem Deiparæ. [Quis enim (inquit) loquetur potentias has Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Etsi dignè nullus, quisque tamen pro viribus. Pro se quisque virum, summa certabat opum vi. Denique currebant omnes in odorem vnguentorum tuorum. Trahe & nos post te ô sancta sanctorum, & ostende lumen miserationum tuarum: Sub vmbra alarum tuarum nos protege.] Nec illud Damasceni omittam ea orat. 1. de Assumpt. [Aperi ô Dei Verbum, tardum istud os nostrum. Da in apertione labiorum nostrorum suauissimam & lepidissimam orationem. Spiritus gratiam nobis affla, per quam piscatores facundia pollent, & litterarum experteis, sapientiam hominis conditione præstantiorem loquuntur: vt nos etiam, qui linguæ hæsitantia laboramus, charissimæ tuæ matris amplitudinem, exiguè saltem & obscurè prædicare possimus.

Quæ necessaria acturo de Deipara.

7. NEcessarium esse sic proloquere dicturo de Virgine, monstrat egregio discursu, Dionysius Richelius l. 1. de laud. B. Mariæ art. 2. quem auspicatur ab illis verbis huc aptatis, *si bestia tetigerit montem lapidabitur.* Sic declinantur scopuli in quos impegere plerique, vt obseruat Richardus à S. Laurentio l. 2. de Deip. partic. 5. [Circa Mariam, (inquit) defecerunt multi scrutantes indiscreto scrutinio: quia cum tenebrosi essent per præsumptionem, & infideli-

tatem, in matrem luminis cum suis tenebris impingerunt, & ideò per Mariam obstructum est os loquentium iniqua. Nimius enim perscrutator maiestatis eius, opprimetur à gloria. *Prouerb.* 15. Ideo dicitur *Eccles.* 43. *Exaltantes illam replemini virtute, ne laboretis, non enim comprehendetis.* Ideo etiam dicitur Prouerb. 25. *Mel inuenisti, comede quod sufficit. Et, qui nimis emungit elicit sanguinem.* Prouerb. 30. ideò etiam de hac inuestigatione dicitur Eccl. 14. *Vade post illam quasi inuestigator, & in viis illius consistens*; id est totaliter sistens: Tali enim inuestigatio, quasi quidam pastus est animæ: vnde ipsa dicit. *Qui edunt me adhuc esurient.* Quasi in ore cordis habet hæc, qui firmiter ea credit; quasi masticat, qui piè inuestigat; quasi traijcit in corporis nutrimentum qui benè operando imitatur, & qui tectè afficitur erga ipsam.]

Cautio 1. B. Virgo maior omni laude.

Specialiter autem requiri ad hanc tractationem, decus puritatis eximium, tradit insigniter Andreas Cretensis oratione prima de Assumpt. [Non aliquem (inquit) arbitror, nonnullos ex iis qui hic sunt præmonere, ne fortè illotis (vt dicitur) aut immundis pedibus, sancta adeant. Non enim ea æquo ab omnibus ingrediendus Sanctorum locus, sed ab iis qui propter mentis puritatem transcenderunt omnia materialia, & transilierunt omnia quæ cadunt sub sensum, quibus maximè Sanctissimum Dei Verbum tabernaculum parans, ingressum concedit liberaliter. Si enim iis qui ad Sina montem audacter progredi contendebant, imminebant fulgora & tonitrua, & terrores, & sonitùs tubarum, & minæ horribiles; Si autem templi quoque parietes non erat tutum vulgo tangere, & ideò secundùt opus erat extrinsecùs parietibus, magnàque res erat adire sanctorum contactum priùs expiari, & ante sacra quæ peragebantur, præparari, idque cum adhuc Deum colebant in vmbra & à velis dependebant typicis: Quanto magis oportet eos qui veritatis locum habent rescuantem studium adhibere, vt ad hoc magnificum & longè maximum Dei gratiarum tabernaculum, accedant diligenter!] Puritatem adhibere, idipsum est accedere diligenter. Et quamuis necessaria nominatim est puritas corporis, quod domum Dei, & accedentes ad eam, doceat sanctitudo; tameo adhæsio ad quiuis generis peccatorum maculas, arcet huius sanctuarii aditu. Vnde ille Sanctorum horror cum actum de Deipara cogitant peccata sua. Tali se horrore correptum professus est S. Epiphanius in vestibulo orationis de Deipara, & Basilius Seleociæ orat. de Annunc. *sub initium* necnon S. Anselmus l. de excell. virg. cap. 1. Quare valet hic quoque illud, *Sancta Sanctis.*



CAVTIO I.

Deiparam omnibus nostris encomiis longè superiorem esse, de sanctorum Patrum sententia, & subiuncto ei sensu nostro.



QVia inuidiosum falsas Deiparæ laudes deterendi opus capesso, periculum est, ne in multorum iudicia incurram, perinde ac si minùs congruenter de fundamento encomiorum Deiparæ sententiam feram, cuius laudes, supra iustum ab aliis cumulatas & exageratas expostulem. Mihi verò mens; ac sententia ledit omnino alia; qui & à prima ætate addictum me sanctissimæ Matris cultui omni ime profitear, eiúsque innumeris titulis beneficiarium, ac astrictissimum clientem agnosc-

cam;& à multis eius nominatim fauore, ac tutela, in eam societatem adscriptus sim, quæ se tantæ matris beneuolentissimam sobolem, eiusdem, Deiparæ honori promouendo addictissimam, contestetur quibuscunque licet modis, scriptis, sermonibus, factis, quod eleganti opere executus est noster Ioannes Bourghesi. Titulus illi est, *Societas IESV, MARIÆ Deip. Virgini sacra.* Quare vt hæc labes detritarum Deiparæ laudum (quæ quidem laudes sint & ad eius decus verè pertineant) nullomodo mihi contra ius fasque affricetur, nonnulla duxi præcauenda, & præmittenda.

Cauendum ergo inprimis, & solemniter contestandum duxi, quod verba illa Petri Cellensis l. 6. epist. 23. ferunt. [Cataractas cœli, & fontes abyssi, libentiùs in obsequium Virginis soluerem, quàm clauderem. Et si filius eius Iesus aliquid omisisset in prærogatiua exultationis suæ matris, ego seruus, ego mancipium, non quidem effectu, sed saltem affectu supplere gestirem. Mallem certè non habere linguam quàm aliquid dicere contra Dominam nostram. Antè eligerem non habere animam, quàm vellem eius extenuare gloriam.] Contestor item subscribere me, lubentissimè iis Patrum oraculis, & Doctorum pronunciatis, quæ B. Virginem omni encomio nostro longè superiorem prædicant, & verè prædicant. Ex innumeris, qui id citra ambages, & expressissimè tradiderunt, paucos seligam, nec sine labore, quod inopé me hac in parte copia faciat; & in tam lectos, ac vernantes flores, simul incidenti, dubium necessariò sit, quem carpat, quem dimittat, vt in simili præclarè dixit Naz. orat. 16.

Dicta Patrum de nunquam satis laudanda B. Virgine.

1. SAnct. Gregor. Neocæsar. orat. 2. de Annunc. (quamquam inter adscriptos Chrys. sermones, legitur Tomo 6. Græcol.) [Quibus encomiorum verbis dignitatem virginalem describamus? Quibus laudum significationibus, atque præconiis, immaculatam eius formam celebremus (quibus spiritualibus canticis, atque elocutionibus gloriosissimam inter Angelos glorificemus?] Et ad finem orationis. [Tua sanè, O sanctissima virgo, laus omnem prorsus laudem, propter Deum ex te incarnatum, ac hominem natum, excedit. Tibi omnis creatura in cœlis, ac terris, & apud inferos, reuerentiam, ac cultum conuenientem offert.]

Sanctus Epiphanius. Oratione de laudibus Deip. *initio.* [Miser ego sum, qui effulgentes splendores Deiparæ radios, terribiles, & incomprehensas facultates, cœli, & terræ inhabitatæ mysterium, admirandúmque propitiatorium verbis consequi tentaui. Gestiebas quidem interioris animi cogitatio, ad exactiorem intelligentiam, quæ exprimere conabatur profundæ memoriæ, & altissimæ speculationis miraculum. Veruntamen, charissimi, & timor multus, & grauis, continuit me. Nam memoria contemplationis horrendæ, exagitans tremebundam animam meam, & cor exhorrescens non mediocriter afflixit, sed & grauiter vexauit. Concutit enim mentem meam, maximæ contemplationis, ac velut incomprehensi mysterij memoria; nempè quod illud eloqui minimè possit. Quis enim huiusmodi mysterio exprimendo queat sufficere? quale verò os pronunciabit, quæuè lingua proferet? Nequaquam potest dicere quod latet. Iam verò audebo; dicam de sola Deipara, quatenus assequor: denuò tamē vereor, vt potè qui lingua non sim præditus idonea ad ea dicenda, quæ sunt valdè magna: sum enim exili voce, tardáque lingua, & minimè disertus, vt sic verba facere possim de percelebri, sancta, innupta, & Deipara Maria matre Domini, de qua leuiter loqui non debet humana lingua. Pertenuem enim habet vocem, illius habita ratione, & imminuta est lingua, quę pro dignitate facultatem dicendi non habeat. Illa siquidem vel cœlorum virtutes in stuporem conuertit.] Et inferiùs. [Quid dicam? & quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existit. Natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico: cui prædicandæ, cœlestis, ac terrena lingua minimè sufficit, imo verò, nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem pronuntiarunt: non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt.] Rursus infra [Quid dicam aut quid loquar de præclara, & sancta Virgine? Desiderium me trahit, vt de Deipara verba faciam: & formido me retinet in silentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret: ille quidem trahit me, iste verò me abstrahit. Cùm ergo ab vtroque distinear, expedit mihi, vt sermonem habeam de percelebri, & sancta Virgine.]

2. S. Augustinus serm. 18. de sanctis [O beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ solo tuo commercio, recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares, gratiarum actiones: & cum susceperis vota, culpa nostra orando excusa.]

S. Cyrillus Alexandrinus in homilia Ephesi habita contra Nestorium. [Ecquis hominum laudabilissimam illam Mariam, pro dignitate celebrare queat? Ipsa, & Mater, & Virgo est. O rem admirandam! Miraculum hoc me in stuporem rapit.]

Sophron. serm. de Assumpt. [Quicquid humanis dici potest (de Virgine matre) verbis, minus est à laude cœli: quia diuinis est & angelicis excellentiùs prędicata, & laudata præconiis. A Prophetis quidem prę- nunciata, à Patriarchis figuris, & ænigmatibus præsignata, ab Euangelistis exhibita & monstrata, ab Angelo venerabiliter, atque officiosissimè salutata.]

Andreas Cretensis serm. 2. in dormitionem Deip. [Spiritus contrahens, ac timore honorem Sacramento habens, cum vocalissimo Prophetarum Isaia pronuncio, O miser ego, quia compunctus sum, quia homo cum sim, & immunda labia habens, de munda illa, & immaculata, ac totius sanctitatis plenissima, audeo aliquid loqui, eamque præsumo celebrare: cuius quidem contemplando ascensum, nubes in circuitu prohibent, quædam autem nebula spiritalis, rationalitos eius circumfusa gyris, handquaquam sinit, vt inuoluta Sacramenti comprehensio clarius explicetur. Potest solus Deus pro meritis laudare, qui iis quibus nouit ipse rationibus mira illa opera in ea effecit: tantum verò abest, vt id mihi humi deiecto, vix quę ea quæ sunt in pedibus, bonæ voluntatis defectu perspecta habenti, cōueniat. Nā ego quæ meritū superant erubuero dicere, qui neque ea possum dicere, quæ pro merito videntur? Enim verò cum neque sit respuendum quod fit ex facultate, Deo consecrans dissertationem, sermone silentium repellam.]

Basil. Seleuc. orat. 39. [Quæ lingua tam vocalis, quæ pro eius dignitate hymnos personet? Siquidem per eam bonis magnis affecti sumus. Quo laudum flore debitam illi plectemus coronam? Ex ipsa enim flos Iesse germinauit, genúsque nostrum gloria, & honore coronauit. Quæ digna satis in eam munera conferemus, cum infra eius dignitatem sint mundana omnia? Nam si de aliis sanctis Paulus adserit, *Quibus dignus*

non erat mundus; quid dicemus de Deipara, quæ tanto supra omnes martyres exsplenduit, quanto stellas præfulgurat sol.?] Et in fine orationis. [O Virgo sanctissima, de qua qui cum laude, grauitérq; dixerit non ille quidem à veritate aberrabit: sed pro merito haud fecerit satis; supernè nos respice, esto propitia.]

4 Damascenus Orat. 1. de Assump. *initio*. [Quid ad laudem, gloriámque illustrius, quam antiquum illud, ac vetum Dei consilium excepisse? Hanc non hominum lingua, non mundo sublimior Angelorum mens, sat dignis laudibus efferre potest: per quam Domini gloriam perspicuè intueri nobis datum est. Quid ergo? An quia eam pro dignitate laudare, minimè possumus, idcircò metu repressi, conticescemus? Minimè sanè. An rursus transultoriè, vt dici solet, incedemus; nostrósque limites ignorabimus, excussóque timoris freno, ea impudenter attingemus, quæ attingi nefas est? Ne id quidē certè. Quin potiùs temperata metu cupiditate, contextâque vna ex vtroque corolla, cum sacra reuerentia, tremente manu, ac stupido animo, vires ingenij nostri primitias regiæ matri de vniuersa natura benè meritæ, grato candidóque animo tanquam debitum quoddam persoluemus.]

Et orat. 2. *initio*. [Et si nemo est mortalium, qui sacrosanctum Dei genitricis discessum pro dignitate laudare queat, ne si sexcentas quidem linguas, totidémque ora habeat, imò nec si omnes toto orbe dispersæ linguæ in vnum coeant; eius tamen laudes oratione consequi possint (siquidem ipsa encomiorum omnium legem excedit,) tamen quoniam Deo gratum est quod pro viribus fit, atque ex amore ac zelo, probáque voluntate offertur, grataque Dei Matri sunt ea, quæ filio grata atque accepta sunt; vestris, optimi ac Deo charissimi pastores, imperijs obtemperantes, eam rursus laudare aggrediamur.] Alium eius locum ex alieno opere repræsento permistum cum aliis ibidem subinde propositis. Nimirum in Græcorum Menæis crebro repetitur hæc supergressio laudum omnium nostrarum per Deiparam. Libauit inde omnino multa Simon VVagnereck, in Mariana Græcorū pietate. Ego paucos flosculos carpsi. In primis ergo S. Ioannes Damascenus 1. Ianuar. sic refertur alloquens Deiparam [Ad te pro dignitate laudandum, omnis inops est lingua: Etiam animus excelsior mundo, in tua laude vertiginem sentit; ô Deipara.] Ioannes Euchaita 30. Ianuar. Oda 9. sic ibidem habet [Maximarum laudum tuarum potentissimus campus, me in angustias redigit Domina, & orationem meam, vbertate rerum dicendarum suffocat: sicque mihi præter omnem modum, & morem, ipsa paupertas ex abundantia nascitur. [S. Ioseph Confessor ibidem 15 Aug. Ode 3. sic loquitur] Mariam omnes hominum linguæ in vnum collectæ, Angelorum item omnium ora, prædicatione digna prosequi nequeunt. [Ibidem 12. Maij Oda 9. hæc leguntur.] omnes Rhetorum leges, ad ritè laudandum inuentæ, magnitudine gloriæ tuæ vincuntur, O genitrix Dei.]

Ferunt omnino eundem sensum quæ S. Theodorus nonus Confessor orat. de Virg. Natiu. habet, nomini *Mariæ* subiiciens notionem alibi inauditam. Hic enim eam vocem significare *Innumera* ob innumerabilem præconiorum copiam quam subministrat. [Innumera enim de te si quis dicat, nunquam te dignè collaudauerit.] sic ille nomen B. Virginis dicens esse *Maria* quasi *Myria*, quod putat sonare *innumera*.

5. Leo Sapiens orat de dormit. Deip. [Quæ linguæ facultas, quod orationis laudatissima illa, & bonis omnibus cumulatissima, hominum Angelorúmque Domina exhibet, sufficere posse videatur?]

Cautio 1. B. Virgo maior omni laude.

S. Germanus Constantinop. Orat. de Natiu. B. Virg. [Si palmo metiri terram possumus, ac funiculo mare circumscribere; si cubitis cœlum continetur, & stellarum numerari copia potest; si guttæ pluuiæ tellurisque glebæ, ventorúmque impetus, atque arenæ comprehenduntur, certè facile quod in manibus est argumentum comprehendi queat: Nimirum Genitricis Dei panegyris.] Et Orat. de dormit. [Quis te glorificans, non vsque te celebrabit: simul egregiè incipiat, ac non denuò ad laudum tuarum præstantiam celebrandam reuertatur? Pro dignitate enim deprædicare te nemo potest. Qui per omnia laudare te nequit, assiduè te prædicans, supra mentis debitum persoluere conatur. Cum enim multorum debitor, rependere, ac paria facere non potest, gratiarum actionem accumulat.] Et in orationis fine. [Quemadmodùm gutta aliqua infusa, mari nihil adjicit, neque pauperis crumena diuitis thesaurum euacuat, ita nemo tuarum celsitudinem laudum oratione satis extollere valet, cum laudem singularem habeas, quod Deiparam te esse constet.]

Fulbertus serm. de Assumpt. [Loquamur aliquid de laudibus sacratissimæ Virginis. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referemus, cùm etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior cœlo est, de qua loquimur: abysso profundior, cui laudes dicere conamur.] Et infra. [Sed quid dicam pauper ingenio; cùm de te quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si cœlum te vocem, altior es; si matrem gentium dicam, præcedis: si formam Dei appellem, digna existis: si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse probaris. Quid ergo de te dignè dicam, quid referam, cùm non sufficiat lingua carnis tuas extollere virtutes?] Idem serm. 3. de Natiu. Virg. [Ad cuius ergo magnificentiam collaudandam, & gloriam præferendam, tanta valeant exuberare præconia, quantum illi congruit, quæ cunctas super excellit in præeminendo creaturas, & Angelicam dignitatem?] Et serm. 1. eiusdem argumenti. [Si quis interroget, dicens; quid ergo putas, qualis olim in anima fuerit, vel nunc sit hæc persona, quæ sic omnibus sanctis spectanda ac imitanda proponitur; veraciter respondemus, quia longè perfectior, quàm nostra oratione demonstrari possit. Tamen ne ibi nihil dicere arguamur, vbi maior affluit copia dicendorum, reseruantes multa atque magna facundis, saltem pauca dicamus.]

5. Petrus Damiani serm. 3. de natiu. Vir. [Rogo, perpendite quibus laudibus digna sit Beata, & gloriosa Virgo Maria, quæ illum nobis de castissimis suis visceribus genuit, qui nos de tam profundo gutture auidissimi draconis eripuit. Ad eius namque dignè efferenda præconia non Rhetoricorum diserta facundia, non Dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima Philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirū, si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cum & ipsam generis humani naturam, excellentium meritorum dignitate transcendat;] Idem serm. 2. de Natiu. Virg. [Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis transitoriū verbum, quę illud de se protulit verbū quod manet in æternū? Quæ lingua in eius laude inuenitur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa; Nam dum cuiuslibet martyris fortia facta extollere cupimus, dum virtutum eius insignia ad Redemptoris nostri gloriam prædicamus; etiam si ad cogitandum

dum tardior sensus impediat, vel ad loquendum balbutiens lingua non suppetat: verborum tamen copiam, ipsius rei materia subministrat. Cum verò Beatissimæ Genitricis Dei laudes scribere volumus, quia noua, & inaudita sunt quæ tractanda suscipimus, nulla inuenimus verba, quibus ad hæc dignè exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis materia singularis.] Et infra. [Nullus ergo humanus sermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua mediator Dei, & hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus, cibum nobis protulit animarum.]

6. S. Anselmus de excellent. Virg. cap. 9. [Quas itaque laudes, qualésvè gratiarum actiones, non solùm humana natura, sed omnis creatura, huic sanctissimæ Virgini debet? Pura enim sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem siue sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit? vt reparatrix perditi orbis benignissimè fieret. Vnde quid laudis pro tam ineffabili bono ipse per eam reparatus orbis, ei iure debeat, æstimare nullatenus sufficit.]

Sanctus Bernardus sermone quarto super *missus est*, initio. [Quid ergo tenro in eius laudibus, quam laudabilem prædicant Prophetæ, perhibet Angelus, narrat Euangelista? Non ego laudo, quia non audeo, sed tantùm replico deuotus quod iam Explicauit per os Euangelistæ Spiritus sanctus.] Et serm. 4. de Assumpt. *initio*. [De eius gloria, nec silere deuotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. Hinc est quod & ipsi cœlestis curiæ Principes, in consideratione tantæ nouitatis, clamant non sine admiratione: *Quæ est ista? &c.*] Et infra. [Fateor imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quàm de gloria Virginis Mariæ, habere sermonem. Vt enim sileam interim ineffabile priuilegium meritorum, & prærogatiuam penitùs singularem; tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorant, suspiciunt (vt dignum est) vniuersi, vt licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minùs placet, minus acceptum. Quidni minùs sapiat quidquid de incomprehensibili gloria comprehendere potuerit mens humana.

Apud eundem Author sermonis secundi super *Salue Regina*, clarè idem confirmat. [Si linguæ centum (inquit) resonarent, oráque centum, Ferrea vox mihi Maria, nihil dignum tibi dicere possem, stella maris quæ Virgo Beata vocaris. O quàm te memorem Virgo, quibus laudibus efferam, Infantissima lingua mea quæ coinquinata est cum mortuis, incircumcisa labiis, nec purgata igne altaris, inquietum malum, habens in naribus spiritum, nimis effluens vndique, quid dignum laudibus tuis potero immolare? Eleuata est magnificentia tua super cœlos, & super omnem terram gloria tua, itavt nec in cœlo inueniatur creatura quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam, nec in terra sit quæ gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim, nec in cœlo, nec in terra, inuentus est dignus aperire librum prærogatiuarum tuarum, & dignè soluere septem signacula eius. Plenitudinem gratiæ, aduentum Spiritus sancti in te, virtutis altissimi obumbrationem, Verbi conceptionem, quod sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, Virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? Viri diuitiarum moliti de ciuitate Domini virtutum, miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinem diuitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia inuestigabiles viæ istæ, & inscrutabilia vniuersa. Conati sunt, & non datum est vltra. Dum adhuc ordirentur, succisi sunt. Quis enim loquetur potentias has Domini, auditas faciet omnes laudes eius?]

7. Amedeus Lausanensis S. Bernardi æqualis, in floculentis de Deipara homiliis, multa habet in rem præsentem. Nominatim verò homilia 2. *initio* sic loquitur de B. Virgine. [Intendamus gloriæ eius, & ingressi abyssum tanti luminis, splendorem rutilum semitarum illius dilatato corde; & inenarrabili percurramus lætitia, dicentes cum Salomone, *via eius, via pulchra, & omnes semita eius pacifica.* Quod si dicente eodem Propheta, *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*; quis lucem & splendorem semitarum eius, eloqui sufficiet?] Et hom. 4. [Sicut in Theorica, nullus similis extitit, sic in actiua vita similem non inuenit. Sed quò tendit oratio? Vincimur, & nos vinci gratulamur. Valde supra nos est quod attentauimus, longe inferius iacemus. Ergo redeamus ad nos, & culpas fletibus diluamus.]

Ekebertus Abbas ea longiuscula ad Virginem deprecatione quæ B. Bernardi sermoni de Verbis Apocalypsis *signum magnum*, subnecti solet, estque reuera Ekeberti Abbatis, vt testatur Richardus a S. Laurentio, sic Virginem affatur. [Gloriosa dicta sunt de te, Sancta Dei Genitrix, sed adhuc locus est tuæ laudi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutiit. Non enim sunt loquelæ, neque sermones, in omni natione quæ sub cœlo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari, ô pia, ô magna, o multum amabilis Maria.]

Arnoldus Carnot. in laud. Deip. [Si linguis hominum loquar & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè, de sanctæ, ac perpetuæ Virginis matris Christi Mariæ, gloria eloqui potero. Quia verè in laudibus eius modulandis, non inuenitur conueniens organum, & hebes est cuiuscunque subtilitatis ingenium. Cum enim debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cuius plenitudine rotatum est desuper, quod Maria prædicatur gratia plena, manifestum est indiuiduam esse matris & filij gloriam, & commune esse vtriusque præconium, cuius definitio omnem superat intellectum.]

8. Philippus Abbas lib. 4. in cant. cap. 1. inducit admirantes Angelos, séque impares Virgini laudandæ ingenuè profitentes. (Quanto magis homunciones è luto compactos,) [Hærent (inquit) stupent neque dignè sufficiunt admirari, nec inueniunt quibus eam laudibus possint congruè venerari. Illos quidem affectuosa deuotio commonet, vt quid dicant; consideratio mirandæ magnitudinis reuocat ne quid dicant: Parum enim sibi videtur, & insufficiens quidquid dicant, dignos tamen se putant argui, si penitùs nihil dicant. Mirum quidem; dicendi copia inopes illos facit, & nimirum inopia grandi nequaquam desiderio satisfacit. Dicunt tamen, vt in nobis affectum suscitent, nobísque auditoribus qualécomque fiduciam dent dicendi. Neque enim quisquam nostrum dicere tantæ laudes Virginis attentaret, si Angelorum excellentia velut sibi non satis conscia, penitùs refutaret. Sed eorum qui sunt administratorij spiritus forma, & sollicitudine commonemur, vt pro posse qualicumque, & nos Virginem laudibus veneremur. Nam & ipsi vt eis possibilitas suppetit, non vt dignitas Virginis expetit, hoc ipsum

agere

agere se ostendunt, qui necdum satis quanta sint Virginis merita deprehendunt: & ideò ad vnguem ea exprimere verbis siue laudibus non intendunt, sed mirantur.]

Petrus Blesensis serm. 58. [Solemnitas præsens de laude Beatæ Virginis, offert materiam nobis loquendi, cuius laudem indicibilem explicare non sufficiam, etiamsi linguis hominum loquar & Angelorum.]

Thomas Cantipratanus lib. 2. Apom. c. 29. num. 34. [Sed quid conor florentissima Virgo, pia mater & Domina, quid conor prosequi virtutes tuas? Si cuncta mei corporis membra, & omnes guttæ vitalis sanguinis mei, verterentur in linguas, potiùs tamen mihi laudis tuæ verba deficerent, quàm exempla.]

Petrus Comestor apud Vincentium in speculo hist. l. 30. c. 1.

Si fieri posset, quod arenæ, pulnis, & vnda
Vndarum guttæ, rosa, gemmæ, lilia, flumina,
Æthera, cælicolæ, nix, grando, sexus vterque,
Ventorum pennæ, & pecudum genus omne,
Syluarum rami, frondes, auium quoque pennæ,
Graminæ, ros, stellæ, pisces, angues, & arista,
Et lapides, montes, conualles, terra dracones,
Linguæ cunctæ forent; Minimè depromere possent,
Quæ sit, vel quanta Virgo Regina Maria,
Quæ tua sit pietas, nec littera, nec dabit ætas.

9. Richardus à S. Laurentio prologo 1. in libros de laudibus Deip. [Si cymbalis benè sonantibus præsumpseris addere sonitum tintinabuli fracti, statim collidetur suauitas harmoniæ, quæ per se dulciter antea resonabat. A simili si attentanero Mariæ laudibus impolitum quicquam addicere, quam laudant pariter astra matutina, & cui iubilant omnes filij Dei; pertimesco ne fortè laus mea, plus derogatio, quàm laudis cumulus videatur. Scio enim quod ineffabilis est laus eius, nec ad eam poterit homo viuens, etiamsi loqui detur Angelorum linguis, & hominum, vel si plenè cæleste nouerit idioma, quoniam maior est omni laude. Hanc enim gloriam sibi retinuit supernus artifex, cuius Virgo Mater opus est speciale, nec alteri daturus est eam. Quare de Maria per Prophetam dicit, *secretum meum mihi*; Isaiæ 24. Propter hoc etiam de eius specie toties replicat sponsus in canticis, *absque eo quod latet intrinsecùs* soli peruium creatori, sed nulli cognitum creaturæ. Nam quanta sit Mariæ species, qui dedit speciem solus nouit. Licet autem non ignorauerim, Beatam Virginem exaltari, accedente homine ad cor altum; complacuit tamen, de eius laudibus saltem modicum quid elucidare.]

S. Casimirus Polonus ea rythmica oratione ad B. Virginem, quæ anno 1609. super eius pectus in sepulchro reperta est; (obierat anno 1489.) hæc præter cætera habet.

Lingua mea dic trophæa
Virginis puerpera,
Quæ inflictum maledictum
Miro transfers genere
Sine fine dic Reginæ
Mundi laudum cantica,
Huius bona semper sona,
Semper illam prædica.
Omnes mei sensus, ei
Personate gloriam.
Frequentate tam beata
Virginis memoriam.
Nullus certè tam diserta
Extat eloquentia,
Qui condignos promat hymnos
Eius excellentiæ.
Omnes gaudent, vnde laudent
Matrem Dei Virginem;
Nullus fingat quod attingat.
Eius celsitudinem.
Nemo dicet quantum licet
Laudans eius merita,
Eius cunctæ sunt creata
Ditioni subdita.
Sed necesse (quod prodesse
Constat piis mentibus,)
Vt intendam quod impendam
Me ipsius laudibus.
Quamuis sciam quod Mariam
Nemo dignè prædicat,
Tamen vanus, & insanus
Est qui eam reticet.

Cautio I. B. Virgo maior omni laude.

9 Dyonisius Richelius l. 1. de laud. Virg. art. 3. multus omnino est in demonstranda veritate proposita; nec patitur vllum planè encomium, quantumcunque videatur plenum & integrum dici adæquatum B. Virgini, quod iudicium obsignat his verbis. [Totis itaque viribus laudemus, ac veneremur, diligamus, ac vereamur præstantissimam Dei matrem; cúmque hoc ipsum egerimus, recognoscamus nos nihil egisse condignum, nec beneficiis eius posse idoneam rependere vicem, cum S. Augustino dicentes, quid nos tantilli quid actione pusilli, in eius laudibus referimus, cum etiamsi omnium nostrum membra, verterentur in linguas; eam tamen laudare nullus sufficeret? [Hæc apud Augustinum nuspiam legere memini. Cæterùm descripsit eumdem Augustini locum Ludolphus de vita Christi parte 2. cap. 86.

Habet lector à Patrum sanctissimorum, & probatorum in Ecclesia Doctorum calamo, laudes Deiparæ omnia ingenia, nedum præconia creata supergredi; nec vllam à nobis proferri tam absolutam laudem posse, quæ subtus tantæ matris decus non iaceat. His ego vel sanguine meo lubentissimus si res ferret, adscripserim: Tantum abest, vt de tantæ Matris laudibus, deceptum quippiam, vel imminutum velim.

Hæretici in Deiparam iniurij.

10. Sit hæreticorum, eius laudes detrere pro virib. quæ caput serpentis contriuit, & cunctas hæreses interemit sola in vniuerso mundo. Et non plus illi quidem obscurant Deiparam, quàm nubecula, lunam vel solem priuet splendore. Produnt tamen malignitatem suam, & cuius spiritus sint administri, dum ea vomunt in tabernaculum Dei ab ipso Deo nimis honoratum, beatis verò spiritibus venerabilissimum, quæ vel referre pollutio sit. Vocant enim muliérculam pannosam, abiectam, incogitantem, absurdam, peccati grauis ream, Deo se præferentem, liberorum ex Iosepho procreandorum cupidam. Retraho calamum per has spurcitias ægerrimè decurrentem. Legi plura possunt apud Catharinum l. de certa sanctorum gloria & apud Canisium in præfatione ad suum opus de Deipara, breuiterque apud Feuardentium ad 3. Irenæi c. 33. [Aliquando eam importunitatis accusant qua præproperè cursum doctrinæ Christi abrumpere tentarit. Aliàs, ia-

ctant Dominum ne matrem quidem illam agnouisse, sed apud se intercedentem reiecisse. Quidam salutationem Angelicam quasi Magicum exorcismum æstimant, sanctámque Virginem, non minùs malignè restrinxisse Dei potentiam, quàm antea Zachariam. Votum quoque perpetuæ Virginitatis ab ea emissum, absurdum, ridiculum, imo perfidiam graui reprehensione dignam non verentur appellare. Alij maximam ei inferri iniuriam dicunt cum appellatur Regina cœli, & Domina mũdi. Quidam rursus, omni dignitate abdicatam, vilis, & abiectæ conditionis mulierculam, ingloriam, pannosam, pauperculam, & omnium ludibrio expositam appellant. Alij, naturali ratione, ipsam Dominum peperisse volunt. Quidam rursum, illam per incogitantiam eò delapsam garriunt, vt se Deo aliquando præferret. Alij grauiter eam peccasse in Filij triduana amissione fingentes, peccatum illud comparant cum delicto Euæ, quo salutem hominum initio euertit. Eandem denique impij Magdeburgenses, ita cum Iosepho fuisse affectam non erubuerunt scribere, vt statuto tempore, more aliorum coniugum, voluerit liberos procreare. Et has Vesanias, & Viteri virulenta in eam conuitia, quod adhuc impudentiora sint, consulto prætereo.] De his Sectariorum tanquam serpentis propaginum inimicitiis cum muliere, rursus inferiùs tangentur aliqua, tractando Virginis cultum, ab Hæreticis conculcatum. Et videri etiam potest Lucas Tudensis lib. 2. contra Albig. c. 9. qui in maiorem contemptum, monoculam ab eis depictam Deiparam, refert, & rursus infra dicam parte puncto 10. num. 30.

Breuiculus ornamentorum Deiparæ, vt de laudum nostrarum improportione liqueat.

11. NOs Catholici è contrario, omni elogiorum ac laudum exquisitiorum cumulo, tantã matrem extollere, ac celebrare ex animo connitamur: ad quod nos, & Dei voluntas obstringit, & tantæ Matris immensa decora. Eorum breuiculũ ex Authore Altercationis Synagogæ, & Ecclesiæ cap. 19. ad enubilandos hæreticos mephitis fœtores, & quia fundamentum continet illius inadæquabilis per laudes quascunque nostras eminentiæ, pro qua hæc cautio certatur, lubens adscribo. [Principium, & fundamentum totius humanæ salutis, matrem aduerte Saluatoris, quæ lethalibus serpentis, & Euæ obuia vestigiis, partu suo mortis iter interclusi, & ostium vitæ (quod est Christus) intrare contendentibus, aperuit, chirographum lethalis pacti deleuit, exhæredatum regni, consortem noui testatoris, sigillo summi Regis fecit hæredem, filiique sui cohæredem. Per Mariam, diuinæ misericordiæ sacramenta completa sunt, cœli propter hanc inclinati sunt, fontes aquarum apparuerunt, fundamenta orbis terrarum reuelata sunt; hoc est, ex ipsa Christo nascente, Apostoli electi sunt, per quos orbi, quasi fontibus inexhaustis, potaretur, & reuelata per Spiritum sanctum Prophetia, mundus ad fidem ducendus, fundamento quodammodò immobili stabiliretur. Hæc igitur viro desponsata, Regis æterni sponsa vnica, hæc Regum filia, mater, & Virgo benedicta, quia præcognita, antequam nata, hæc Angelorum gloria, mortalium vita certissima, quia inter summa, vel ima ipsa mediatrix pacifica hæc Aurora, Sol, hæc Luna, hæc Stella. Aurora quidem præcedens in ortu Solem iustitiæ, Sol verò, & ipsa, in quo tabernaculum corporis sui conditor ipse probatur posuisse, & tanquam sponsus de thalamo suo processisse. Est etiã in Luna radians quidem ex splendore conditoris, sed mutabilis, lege naturæ conditionis, Stella verò Maris, quia via, portus, & vita nauigantis Ecclesiæ per hoc mare magnum & spatiosum in mundanis tenebris. Hæc præcipua Virginum princeps, sanctæ virginitatis speculum, æterni decoris ornamentum, in qua geminæ virtutis insigne, idest, humilitas, & virginitas, illum concipere meruit, quem cœlum, & terra non capit, vtero sui claudens sacrato, Verbum sine initio à Patre progenitum, & ad salutem omnium egressum. Hæc igitur mater, & virgo, mater matrum, virgo virginum, sicut damnum pudoris non incurrit generando, sic post partum mansit in integritate perseuerando; ipsa radix æterni floris, flos & fructus æternæ benedictionis. Sed quo vsque in laude Virginis progredimur? Omnis scripturarum benedictio, in Maria inuenta est, maledictio deleta est; completa sunt in ea ora Prophetarum omnium, respiciunt Mariam omnia creata, vel redempta per filium.]

12. Affine illud quoque ex Carbemerino Græcorum, quod Ioannes Syluius latinum dedit. [Incontaminata, impolluta, incorrupta, immaculata, sanctissima, illibatissima, venerandissima, Dei beneficio gratiosa: Deiparens, Dei fauore beatissima, desposata Deo Domina, supra modum benedicta, celeberrima, atque gloriosissima, mater Dei nostri, Deipara ac semper Virgo Maria, honoratior Cherubim, & gloriosior incomparabiliter Seraphim, quæ in cœlis benedicta es, & in terra gloriosè celebraris quæ Deum Verbum hominibus inusitato, atque mirabili partu coadunasti, electamque naturam generis nostri, cœlestibus coniunxisti: Quæ desperatorum spes firma extitisti eorum qui impugnãtur potens auxilium oppressorum inexpugnabile præsidium, periclitantium portus tutissimus, parata defensio eorum qui ad te recurrunt, omnium denique Christianorum asylum, patrocinium, tutela, atque exultatio.]

Hæc quis nostris laudibus æquare se posse confidat? Demus manus, & Deiparam tanta diuinorum munerum vbertate, & propè immensitate ornatissimam, nostris quibusuis encomiis superiorem, haud inuiti fateamur, illud contestantes recentioris sed eximij Poëtæ lib. 5.

Induperatricem, magnique Monarchida mundi
Proxima tergemino quæ sedet vna Deo.
Qui non miratur, qui non pius amplexatur
Nil stupet hic magni, nil habet ille boni.
Nil illa melius, nihil est à numine maius
Summum cæligenum terrigenúmque caput.
Debuit hoc Maria virtutum scandere currus,
Debitus illius dotibus ille locus.
Quas omnes numeris possim subducere nullis,
Non si sexcentas dixero myriadas.
Tentandum tamen est. Numerum vis lector haberet
Tu prius, in digitos sydera cuncta refer.
Hyberna numera fluctus in littore, quátque
Nerea per liquidum flabra Borea volens.
Quot pennas aer, pinnas mare, syluáque frondes,
Mellilegas habeat flauus Hymettus apes.
Quótque puer flores annus, iuuenis quot aristas,
Poma vir Autumnus, dátque senecta niues.
Hæc numera, dotes Mariæ numeraueris. Omnis
Hic numerus, dotum Virginis vnus erit.

Atque adeò nullis illæ encomiis aut præconiis nostris, siue æquabiles, siue vtcunque delineabiles sunt habendæ. Sed hoc ipsum pro eximia laude habendum est, quod fateamur tanto nos laudis argumento obrui,

obrui, nec posse eius dignitati pares esse; vt Isidorus Pelusi. lib. 3. Epist. 256. rectè pronunciauit in alio argumento.



CAVTIO II.

NON SI OMNES LAVDES Nostræ, Deiparæ dignitati impares; onerandaest falsis elogiis, & grauanda vanis, absque titulo, titulis.



Ixum igitur esto, nullas laudes nostras, laudabilitati Virginis Matris pares esse posse. Neque tamen committendum est, vt quod vera laudatione assequi non possumus, per ementita decora, & falsos honores suppleamus. Habet hoc nonnullorum imprudens, ac caeca dilectio, vt fines debitos sæpè transcendat, etiam erga sanctos. Notauit id optimè Origenes hom. 25. in Lucam prolatis exemplis Baptistæ, & Apostoli. Nam illum permulti, tanquam perpetuum vitæ miraculum suspiciebant. [Et diligebant quidem cùm iustissimè (inquit Origenes), sed non seruabant in charitate modum. Cogitabant enim ne fortè ipse esset Christus.] Concludit inde Origenes, postquàm aliquos præ odio, aliquos præ dilectione, mentiri de sanctis dixit. [Oportet charitati fræna imponere, & tantùm ei vagandi permittere libertatem, quantum in prærupta non corruat. Scriptum est in Ecclesiaste. *Ne sis iustum multum, neque ampliora cogites, ne fortè obstupescas.* Quod exemplum sequens, possum simile quid dicere. Ne deligas hominem ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: ne ames Angelum de toto corde, de tota anima, de tota virtute, sed præceptum iuxta eloquium Saluatoris, soli seruo Deo.] Atque adeò cuicunque Sancto, siue Angelo, siue homini, non plus tribue præ similitudinaria charitate, quàm sit tribuendum: ne dum eum amare & honore prosequi putes, sanctum quidem probro afficias te verò ludificeris.

Aliquis Deiparæ amor, intemperatus, & minimè probandus.

2. HAnc erga sanctos intemperantiam amoris & honoris, vigere maximè erga Deiparam, in iis qui illum non secundum scientiam dilignnt & colunt, mirari desinet, quiquis ad sanctitatem eius supra omnium sanctorum sanctitudinem longissimè prouectam, animum admouerit. Nam quandoquidem ratio, & causa diligibilitatis, amoris ad ineptias vsque exundantis, sanctimonia est, & fauor diuinus nemo non videt, quantopere sanctissima Dei mater, quæ abyssus est gratiarum, obnoxia esse possit his ingeniorum excerationibus, & falsi nominis cultibus. Idque, & experimur ipsi in dies, & experti sunt anterioribus sæculis maiores nostri. Quo spectat illud Petri Cellensis l. 9. epist. 10. [Reginæ dominæ nostræ, beatissimæ Virginis Mariæ obsequia, venerationem postulant non adulationem.] Et ad epistolam calcem, retundens quæ scripta erant à Nicolao S. Albani in Anglia Monacho, qui ingens bonorandæ Deiparæ studium præferebat, respondet Petrus Cellensis, quod (quicquid sit de materia, de qua cum Nicolao certabat,) infixum cuique, & accuratissimè notatum velim. [Suum in laude Virginis expendere ingenium & studium nec improbabile est, nec immunerabile. Vngulam tamen, & in hoc, & in omni actione, nostra, & intentione findere auctoritas iubet, & ratio suadet. Discernere autem quid & quomodò debeas laudare, vngulam est findere. Qui aliterum postponit, officium laudationis, aut peruertit, aut prorsus amittit. In modo erras, si supra vel infra, aut extra metas veritatis quemlibet laudas. In persona, si laudare velis. Vt ad rem veniam, tu effers nostræ Virginis laudes ego verò effero. Tu in aere euolas, ego interim dum in terra sum, pedibus curro. Tu præcipitas verba, ego dispono sermones meos in iudicio & in statera appendo. Tu aceruas, & immaturam vindemiam, & ego in imbre matutino, & serotino iam matura poma noua, & vetera, ad mensam comporto. Virginem laudas, & ego laudo. Prædicas sanctam, & ego. Extollis super choros Angelorum, & ego. Dicis immunem ab omni peccato, & ego. Asseris Dei genitricem, adstruis nostram ad Deum mediatricem, & ego. Versa & reuersa in quolibet statu venerationis, & glorificationis, tecum vado, tecum sentio. Si verò cana communis monetæ formam, vis fabricare aliam quam non approbauerit sedes Petri, cuius est approbare, vel improbare ordinem vniuersalis Ecclesiæ, pedem sisto, & terminos constitutos non transgredior. Credo & confiteor, plura esse apud nos ignota de Virgine sacrosancta quam nota, quia confortata est & gratia, & gloria, & non possumus ad eam. Euangelio, non somniis, de illa credo, & si aliter sapio, & hoc ipsum reuelabit Deus, quando voluerit, & quomodò voluerit. Interim autem dum fit vox super firmamentum, nec descendit ad nostrum fundamentum pennas submitto, & meæ ignorantiæ caliginem non à te sed à Patre luminum illustrandum imploro.]

Cautio 2. breta Virginis decora absterganda.

3 Notissima & illa à S. Bernardo epist. 174. pronunciata, contra nouitates in cultu Deiparæ. Cum enim obiecisset sibi ex studio æmulationis cuiuspiam [At valdè honoranda est (inquis) mater domini?] Respondet, [Benè admones, sed honor Reginæ iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sanè integritatem carnis, vitæ sanctitatem. Mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare diuinam. Extolle, nescientem, vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reuerendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inuetricé, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum. Exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, securus & teneo & trado, quod non scrupulosiùs fateor admiserim.] Hæc à D. Bernardo circa immaculatam Deiparæ conceptionem pronunciata, ad excludendum cultum eius festiuum & publicum, donec per Ecclesiam Romanam liceret (cum enim fuisse S. Bernardi scopum, liquet ex calce epistolæ) æque prudenter, ac verè, non modò circa illud punctum, sed etiam quoad omnia recens circa Deiparæ prærogatiuas excogitata, à S. Bernardo constituta videri debent. Prudenter quippè deposcebat S. Bernardus, vt immaculatæ conceptionis Deiparæ noua festiuitas, absque sedis Apostolicæ consensu non induceretur. Quod si eam sobrietatem vir sanctua iure deposcebat circa festiuum nitorem conceptionis, tam variis usque luculentis in verbo tradito, apud omnes tetro Patres argumentis consignatum

quanto

quanto iustius, circa nouitates nullo fundamento subnixas; tantùm quia speciem honoris Deiparæ præferunt, ab vno vel altero recens propositas, idem exigimus, non modò quoad cultum festiuum, ac honores publicos, sed etiam quoad quamcunque enulgationem inter fideles?

4 Verum ne rationes S.Bernardi, ac Petri Cellensis, quantumuis vniuersaliter validæ, minus quempiam moueant, quia adductæ ab eis sunt occasione festi Conceptionis, quod hi Patres donec Ecclesia sensum de eo suum enunciaret, volebant dimissum: Age producamus è conceptionis immaculatæ publicis honoribus celebrandæ vindicibus, vel primum, vel ex primis vnum S. Anselm. Is libro de excell. Virg. c. 2. *ad finem*, prolato l. de Ortu Virg. multa ad honorem Virg. (vt videbatur) sed non solida continente, quem D. Hieron. iunior admisisset, subdit; nequaquam S. Ecclesiam, librum illum authoritate sua munitum, legendum fidelibus proposuisse, quod Christi sponsa, huiusmodi incentiua pietatis, solidæ veritati non innixa, semper reiecerit, & nominatim circa Deiparam. [Videlicet indecens esse reputans, de Beata Matre Dei, quid dubitabile in laudem eius recitari, cùm ea quæ incunctanter de illa vera existunt, tanta laudis materia sint referta, vt quicumque in laudando eam morari desiderat, necesse sit. vt facultas eius, magnitudine rei & veritati succumbat. Sicut enim sola præ cunctis, meriti singularis enituit, ita quidquid eam attinet, speciali quadam veritatis firmitate, dignum est enitere.]

Quid si vero hoc ipsum significauit Basilius Seleuciæ orat. 39. laudans, quæ de Deipara cum laude & grauiter fuerint proposita; hoc est quantum video, solidè non per omnem ventum doctrinæ & nouitatis, circumferentis vanas mentes specie pietatis. Nec aberrarit qui eodem modo acceperit S. Epiphanium in Virginis laudatione, cum negat, humanam linguam debere leuiter de Deipara aliquid effari. Nam quis leuiter de sanctissima Dei matre loqui dicendus iustiùs est, quàm is qui fungos mentis suæ, & inaudita SS. Patribus Deiparæ amantissimis decora, (quasi quæ certa & explorata sunt, non sufficerent ad plenam exornationem,) super senes intelligens, audet obtrudere: Planè vt est apud S. Anselmum l. de excel. Virg cap. 2. hoc solùm de sancta virgine prædicari quod Dei mater est, excedit omnem altitudinem quæ post Deum dici, vel cogitari potest. Vt quid ergo adsciscamus ei vana decora, à quocunque excogitata pro arbitrio? Hoc sanè est citò credere, & leuem corde esse, iuxta Siracidem c. 19. Nam de adeò sublimi maiestate non ex pruritu ingenij, vel ex leuiculis prouehendæ pietatis prætextibus festinatò pronunciandum fuerat, sed magna cum maturitate, nec absque Doctorum suffragio, vbi Ecclesiæ scita & fidei oracula non suppetunt. Quod enim pulchrè de Virgineis prærogatiuis disserens dixit Petrus Cellensis l. 6. epist. 23. *sub initium*. [Leue est omne verbum, quod neque testimonio solidum, neque authoritate verum est. Nec est alicuius momenti quicquid humani sensus ingeniosa fornax commentata fuerit, si examine careat veritatis. Pondus siquidem sanctuarij, quo tam merita quàm præmia Angelorum, & hominum appenduntur, clausura dispensabili, penes veritatem in arca iustitiæ perpetua reconditur custodia. Vagatur itaque vanis euolationibus per aëra, qui nullius auctoritatis fundamento affixus, arundinea volubilitate, & mobilitate circumagitur, & hospes testamentorum Dei, nullis detinetur certis mansionibus.

Quæ nouitates circa Virginem probandæ, quæ secùs.

5. Videntur porrò qui huiusmodi prurigine nouandi in hoc genere occupantur, non satis perspicere, quàm latum sit discrimen inter res subiectas humanis disciplinis, quas ingenij humani labor vestigat, & res cœlestes, ac diuinas, iisque adiunctas. Circa priores namque, dummodò nouatio circa eas, in res sacras ne indirectè quidem incurrat, indulgeri aliquid potest, ac etiam debet ingeniorum libertati, ita vt cum idonea ratio facit pro sententia quapiam, nondum trita anteriorum vestigiis, fas esse, possit nouum illud iter absque alieno suffragio inire: Quod prolatis & eruditorum iudiciis, & rationibus, euinco in opere de iusta confixione librorum partit. 1. erotem. 20. Qui autem contrarium contendunt, compedes ingenijs iniiciunt, & turpi seruitute mulctant liberas mentes, vertuntque in serua pecora. At rerum sacrarum, omnino alia est ratio. Nam lux quam circa eas nancisci possumus, non manat ex principiis vestigatione nostra penetratis, nec aliundè quàm à Deo ipso affulget. Deus autem non diuidit vnicuique pro nauitate sua, ac ingenij exercitatione, mensuram fidei, sed volens nos omnes supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ædificari, quæ, iidem religionis secundùm Christum fundatores tradiderunt; vel conuelli, vel adiunctis nouitatibus, ne virtute quidem inibi praiacentibus immutari, ægrè fert. Itaque omnis nouitas de obiectis fidei nostræ, & iis quæ cum illis sunt connexa est procul ablegânda, nisi quatenus per diligentem, verbi Dei scripti, ac traditi vestigationem, & eorum quæ inde erui possunt non inanem sed firmam illationem, aliquid educitur quod priùs non appareret, tametsi præiacebat. Quòd si nouationes circa Deiparam eiusmodi essent; hoc est si verbo scripto aut tradito, noua scrutatione diligentiùs quàm ante hac expenso, vel deductis inde per firmam ratiocinationem consecutionibus niterentur; næ is improuidè faceret, qui illas non exoscularetur. Et ita sapientissimè pronunciatum est, de sententia quæ nitorem omnimodum conceptionis Deiparæ astruit, cum sagaci nare. Ioannis Dunsij Scoti, & aliorum qui pro ea primi in scholastica acie certarunt, notari visa est nouitatis. Et hanc ob causam prudenter notauit Pelbartus lib. 7. stellarij p. 1 art. 1. Deum velificantem studiis piorum erga Deiparam, pauciora de iis quæ ad eam attinebant, vt de conceptu, ortu, ac similibus consignari scriptis authenticis voluisse, quàm de Baptista: vt esset vnde suum erga Deiparam affectum proderent, ac exercerent, nonnulla noua circa eam rationabiliter excogitando, aut admittendo. At nouationes circa Deiparam, quas ablegandas contendimus, longè alterius sunt farinæ, cum neque verbo tradito aut scrito, neque erutis inde conclusionibus, aut sapientum antiquorum iudiciis, vel idoneo rationis firmamento nitantur, sed sola maioris honoris in Deiparam conferendi specie, & verè prætextu.

Vana præconia, Virginem dedecent, veris abundantem.

6. Non eget autem (vt dicebam,) Deipara hisce decorum fucis, cum natiua pulchritudine abundet. [Non conuenit sanctos colere aut laudare vltra decorum,] vt Epiphanius hær. 78. *sub finem* egregiè dixit, agens nominatim de. B. Virgine, & studiis eorum, qui prætento maiore tantæ matris

matris honore, dum eam nimiùm honorarũt, à recto & à synceritate Catholicorum dogmatũ exerrauerunt. Et hæresi 79. prolata vulgari parœmia, quod extremitates sint æqualitates, æquale detrimentum à nimia B. Virginis laude exiturum denunciat, atque à contumelia in vas illud eximium. Petrus quoque Cluniac. lib. 3. epist. 7. propositione 2. prudenter admonet, cauendum, ne quis officiosus & deuotus erga B. Virginem sic appareat, vt fidei regulam excedat. In summa, vsurpabo illud Petri Cellensis lib. 9. epist. 10. [Vt gustus cibum discernit, & alius plus salis & alius minus exigit; sic sensus humanus quandoque austeriora quandoque dulciora appetit auidiùs. Profert alius absque pondere rationis, seu auctoritatis quod ei placuerit: recusat alius quicquid sale Euangelico, aut prophetico conditum non est. Est alius vtilior, dulcior alius. Ego vtilem, dulci præpono. Solas fauces magis demolcet dulcius omnibus membris vtilis, plus confert. Tu verba dulcia, ego vtilia quæro. Tu lenocinantia, ego salubria & confortantia. Serius itaque intendamus.] Idem lib. 6. epist. 23. præfatus æternam veritatem, & collectaneam eius misericordiam, circa Christi & Deiparæ iura sategisse, subdit. [Neutra tamen sororum istarum adulationum lenocinia admittit: quin potiùs tanquam fila aranearum vehementissimo turbine corrumpit, & tunicam inconsutilem, tam illi quàm matri eius, fideli textura componit. Bone attolce, quid facit stupa, vbi de auro, hiacyntho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta sacerdotalis contexitus vestis, & cœlo, Sole ac Luna pretiosior & purior summo sacerdoti aptatur cidaris? Prorsus nihil ad nos, nihil ad Angelos, dignius & melius de omnibus thesauris suis protulit æterna Trinitas, quàm templum virginale, & holocaustum, quod ad immolandum ex eo traxit & extraxit, Verbum Deo Patri coæternum, & consubstantiale. Sic corde credo, sic ore confiteor.] Nihil ergo ei affingendum est non solidum, ac rationabiliter subnixum. Id quod æquè circa sanctos omnes, & circa ipsummet Deum præstari oportere, rectè statuit Petrus Damiani, initio vitæ S. Mauri Cæsenatis, addens tales esse falsos testes Dei, qui indiscretè eum cupientes laudare, mentiuntur: & aduersus Deum procul dubio perhibent testimoniũ, dum in eius laude peruersa moliuntur arte commentum. Hos confert cum illis cauponibus, aut pincernis, qui vt vini copiam iactent, fœces cum vino propinant.



CAVTIO III.

PERFECTIONES DEIPARÆ, Cui metro admetiendæ.

1.  VSA ex rectè iacto fundamento legitimo perfectionum Deiparæ, ferè pendet diiudicatio omnium, quæ circa eam controuerti possunt, nec aliunde tam multa in hoc argumento per ingeniorum lasciuiam sunt nouata, quàm ex malè constituto fundamento perfectionum ei debitarum; operæ pretium est priusquàm vlterius prouehamur, de eo fundamento, nonnulla certa statuere, quædam verò quæ ambigua sunt explanare.

Mensura perfectionum B. Virginis, maternitas Dei.

Cautio III. Metrum perfectionum B. Virginis.

Imprimis ergo ratum apud omnes est, perfectiones Beatissimæ Virginis ad maternitatem Dei esse admetiendas. Hæc enim est radix prima supernaturalium ex donorum: quia cum quisquis prudenter operatur, muneribus quæ committit adaptet perfectiones & dotes illis muneribus conuenientes, dubitare non licet, quin Deus qui summam sapientiam vbique prodit, tam sublime munus, & tam proximè ipsum contingens; munus inquam & dignitatem maternitatis diuinæ, Virgini beatissimæ decernens, consentaneis quoque tanto muneri prærogatiuis eam voluerit exornatam. Et ita seruatum videmus in minoribus muneribus, & Præcursoris, & Apostoli. Quia enim Ioannes Baptista assũptus est ad munus Præcursoris præeuntis ante faciem Domini parare vias eius conueniens fuit eum sortiri dona cœlestia ei muneri proportionata; & ita planè est factum. Apostoli quoque, primitias spiritus acceperunt, & supernaturalibus opibus ditati eximiè sunt, quia delecti erant ad munus arietum gregis Christi. Similiter ergo quia Deipara delecta erat ad munus sublimissimũ maternitatis; conueniens ac necessarium fuit, idem multo magis circa eam seruari. Ea inquam dona illi à Deo conferri, quæ haberent cum fundamentario illo munere proportionem, & tantam matrem decerent, nec filium dedecerent. Hoc perspicientes Patres, quoties de aliqua Dei erga B. Virginem largitate incidit sermo, ad maternitatem Dei tanquam ad radicem diuinæ erga illam beneficentiæ, rem totam referunt, vt videre est apud Augustinum l. de natura & gratia c. 36. cum de excludendo à B. Virgine quocunque peccato disserit Consentiúntque S. Ildefon. l. de perpet. B. Mar. Virg. c. 2 S. Ansel. l. de Concept. Virg c. 18. & passim alij.

Inde perfectionum eius plenitudo, ac præcellentia intensiua, & extensiua.

2. EX eodem principio, ratum præterea apud omnes est, Beatæ Virginis perfectiones, esse perfectionum plenitudinem. Id est, esse & in se, ac absolutè longè maximas, & comparatiuè maiores perfectionibus aliorum sanctorum, ac nulla ex parte deficientes. Hæc omnia ex iacto fundamento perspicuè sequuntur. Nam cum nullum sit diuinum munus puræ creaturæ concessum, quod maternitatem æquet; quippe quæ fines diuinitatis attingit, vt loquitur D. Thomas 1. 2. q. 103. art. 4 ad 2, dubitare non licet, quin muneri sublimissimo, perfectiones lõgè maximæ sint adiunctæ, spectando eas absolutè. Et hoc supponunt Patres, quoties de B. Virginis perfectionibus agunt. Sic Sophronius serm. de assumpt. descripta eximia Dei in B Virginem largitate. [Talibus (inquit) decebat Virginem, oppignerari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum.] Perfectiones enim longè maximas complexa est, per illam gratiæ plenitudinem quam Gabriel Virgini gratulatus, vt sentit etiam S. Thomas 3. p. q. 7. art. 10. & attigerat S. Hier. epist. 104. quæ est ad Principiam, ac copiosè Rich. à S. Laurentio l. 1. de laud. B. Virg. cap. 4. Eodem pertinet, quod Virgo *gratiarum mare* appellatur. In quam item Petrus Chrysologus serm. 146. accommodat illud. *Congregationes aquarum, appellauit Maria.* S. item Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 4. §. nec non Bonau. in spec. Virg. lect. 3. & 7. aptant Virgini illud Siracidæ, *om-*

nia

ita flumina intrant in mare. Ad idem perfectionum Deiparæ principium, spectans D. Thomas opusc. de charitate, dixit de B. Virgine. [Hanc fecit Dominus, infinitam imaginem bonitatis suæ.]

3. Insuper non licet in dubium reuocare, quin agendo de perfectionibus ad sanctitatem animæ pertinentibus, hæ perfectiones Deiparæ, ita dicendæ sint longè maximæ, vt infra Christũ sint maiores quàm vspiam alibi, quod ex terminis notum esse, pronunciat Albertus in Mariali à c. 69. Nemo enim qui matris Dei dignitatem perspexerit, de ea Virgines quoad tales gratias supra quoscunque sanctos inferiores præcellentia, ambigere poterit. Hoc sensu iuxta S. Gregorium in lib. 1. Reg. *ferè initio*, Deipara est mons supra verticem montium. Nec refert, si de gloria id accipias: Est enim commensa gratiæ, & donis spectantibus ad sanctitatem, hìc in via comparatis. Alij ad Virginem accomodant illud Psalmi 86. *fundamenta eius in montibus sanctis.* Sic Hugo Cardinalis, & Ayguanus ad eum Psalmum. Subscribitque late Benzonius in eum Psalmum c. 6. Prænunciat verò S. Germanus orat. de adorat. Zonæ Deiparæ, *initio.* Nec plus voluit S. Anselmus lib. de Conc. Virg cap. 18. cum dixit, decuisse tantam esse Virginis puritatem, vt maior sub Deo non possit intelligi. Nempe in puris creaturis, & de potentia ordinaria, dimissis quæ multi circa illud S. Anselmi dictum proponunt apud Carthusianum l. 1. de Deip. art. 1.

Denique indidem liquet de perfectis extensiuè decorum Virginis vbertate, quam item ratam esse apud omnes concessimus: alioqui enim decederet aliquid de illa gratiæ plenitudine, quam in B. Virgine celebrant Patres. [Quod per partes datum est aliis, tota simul venit in Mariam gratiæ Plenitudo:] ait S. Hieron. serm. de assumpt. Eiusdem habet S. Ildefonsus serm. 3. eiusdem argumenti. Consonant his verbis Petrus Chrysologus serm. 143. [Singulis gratia se est largita per partes Mariæ verò simul se totam dedit gratiæ plenitudo.] Author item serm 4. super *Salue Regina* apud Bernardum in calce sermonis, tractans illud, *mille clypei pendent ex ea* quod ad Decalogum à Virgine seruatum refert, sic habet alloquens Virginem. [Non est dubium te benedictam intellectu, & affectu, & actu, hunc super omnes mortales Decalogum habuisse & obseruasse, vnde prorsus meritò mille clypei ex te dicuntur pendere: Et non solùm clypei, sed & omnis armatura fortium. Nihil est enim virtutis quod ex te non resplendeat, & quicquid habuere sancti, tu sola possedisti.]

Egregiè deceris variis gratiæ plenitudinibus quas omnes in Virgine notare liceat, id illustrat S. Bonauent. in speculo Virg. c. 7. Toletus in c. 1. Lucæ annot. 67. & Benzonius in explicatione salutationis Angel. c. 13.

Dubium duplex circa prædicta.

4. HÆc cum apud omnes sint rata, superest tamen circa ea, nonnulla ambiguitas. Nempè circa id quod primo diximus, perfectiones Deiparæ esse admetiendas maternitati diuinæ, dubium est, an hoc ita accipiendum sit, vt omnis perfectio commensa ei titulo, id est non excedens tantam dignitatem, sit Virgini tribuenda; An verò aduertendum sit, esse certos denique fines perfectionum titulo maternitatis consentaneos, quorumuis maternitatem non excessuros quos Deiparæ decora non transgrediantur, & quis eorum limes sit statuendus. Deinde circa id quod prætereà certum esse diximus, de perfectionibus Deiparæ intensiuè & extensiuè, plenis, ambigi meritò potest, quantoperè prouehenda sit cum intensiuè tum extensiuè ea plenitudo perfectionum Deiparæ, quam generatim loquendo omnes agnoscunt. V. G. an intensiuè consideratæ dotes Virginis, tam perfectæ sint, vt nequeant communicari maiores puræ vlli creaturæ; Extensiuè autem tam multæ sint, vt nulla omnino vlli creaturæ sit concessa perfectio, quam B. Virgo non sit consecuta.

Primum, quomodò penes maternitatem definienda perfectiones B. Virginis, expeditur.

5. PRior dubitatio sic expedienda est, vt negemus quæcunque non excedunt dignitatem matris Dei, esse illi communicata de facto. Hoc videtur esse contra Catharinum l. 4. contra Caietanum, §. *reuicit*, pag. 577. vbi ponit vt principium certum quod nemo ausit reprehendere, quod quicquid gratiæ potest excogitari sub Christo, B. Virgini sit de facto concessum. Quod principium recidit in istud, omnia quæ matris Dei dignitatem non excedunt, eique infra Christum conferri possunt, collata esse censenda sunt. Id tamen puto falsum. Nam dignitas matris Dei, tanta támque eminens est, vt nullum possit esse donum depressius vnione hypostatica, quod illam excedat Quare si hac rubrica dirigeremur, vt omnem perfectionem, fundamentarium illud decus non excedentem, vellemus concessam Deiparæ, exhaurienda aliquatenus circa eam esset Dei potentia, quatenus extra ordinem vnionis substantialis cum Deo, omnes planè perfectiones sine meta & termino essent in illam congerendæ; quod neque factum est, neque fieri potuit, cum productis quantiscunque talibus perfectionibus, aliæ semper & aliæ quæ reipsa productæ non sunt, producendæ supersint, & illæ ipsæ quæ productæ sunt, infinitis accessionibus perfici semper accumulari possint. Nihil porrò producibile excessiuum esse dignitatem matris Dei, perspicuè habetur ex tanta sublimitate diuinæ maternitatis, qualem Patres describunt, & nominatim S Bern. hom. 2. super *missus est*, & S. Anselmus, l. de excell. Virg. à c. 9. Idem habetur ex ea D. Thomæ doctrina, quam tradit 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. nempe quod sit infinitas quædam dignitatis in maternitate Dei, eo quod sit suprema quædam coniunctio cum persona essentialiter infinita. Idem S. D 2. 2 q. 103. art 4. ad 2. hanc coniunctionem, ait esse affinitatem cum Deo, quæ post vnionem personalem, puræ creaturæ incommunicabilem, supremum verticem ordinis gratiæ occupat, nec potest adæquari vllo inferiori ornamento, quia improportionabiliter excedit omnia.

Fateor quod si hæc perfectio spectaretur nuda, & absque connaturalibus suis consectariis, dignius & optabilius foret, esse sanctum, & potiri gratia Dei inferioris ordinis, quàm esse matrem Dei, iuxta doctrinam D. Augustini epistola 38. & lib. de sancta Virginit. c. 3. ac Authoris quæstionis 136. ad orthod. & Authoris sermonis de Pass. Dom. apud Cypr. insinuatam Lucæ 10. vbi Christus, auditores verbi præfert matri suæ præcisè qua matri. Et eatenus subscribo iis, qui Virgini optabilius & dignius fuisse tradunt, esse matrem Christi Spiritu, faciendo Dei voluntatem, quàm esse matrem, ventre gignendo Christum, quod tradunt Barradius t. 2. l. 8 c. 11. & Morales l. 3. in Matth. tract. 7. n. 20. Non igitur sic spectabam maternitatem Dei, cum aiebam, hoc decus esse inadæquabile quocunque creato ornamento infra vnionem hypostaticam: sed spectabam maternitatem,

tem, quatenus fundamentaliter ei debetur accessio perfectionum tantæ dignitati consentanearum. Nullus quippè est alius titulus purè creatus, cui connaturalis sit talis perfectionum insignium accessio: idque est, maternitatem Dei improportionabiliter excedere alios quoscunque creatarum dignitatum supernaturalium apices. Quare nullum donum, non modò productum, sed ne producibile quidem excedere Deiparæ dignitatem. Atque adeò si metrum perfectionum Deiparæ, esset commensuratio negatiua, (vt sic dicam) cum maternitate, id est non excessus maternitatis, fatendum esset, ne Deum quidem adæquare posse quod Virgini debetur: nec posse condignè perficere, & ornare B. Virginem, quod nemo dixerit. Confirmatur quia metrum quoque perfectionum creaturarum Christo debitarum, non potest statui penes non excessum illum dignitatis Christi. Quæ enim quantumcumque exaggerata perfectio creata, æquaret, tantum abest, vt excederet, Christi maiestatem? Neque tamen communiter sententia tribuit Christo gratiam creatam infinitam, aut notitiam creatam omnium planè possibilium, quia quamuis ista non excederent dignitatem Christi, tamen sunt præter modum agendi diuinæ sapientiæ, quæ omnia in numero, pondere, & mensura disponit; imò impossibile est, vt executioni mandentur: cum quantalibet gratia, possit magis semper ac magis intendi absque vllo termino; & intellectus post quācunque notitiam, possit maiore semper ac maiore claritate, nouo actu clariore illi suffecto, collustrari, nouáque item extensione per interpositum nouum modum extendentem in eodem indiuiduo actu perfici. Itaque vt Christi, sic & Deiparæ perfectionum mensura, aliter definienda est, quàm per illum non excessum dignitatis.

7 Quod si vrgeas, qua ergo ratione admetiendæ sint ad maternitatem Dei perfectiones tribuendæ B. Virgini; respondebo consentaneè ad ea quæ in simili de Christi perfectionibus dignitati eius admetiendis dicuntur; ex natura rei, nullum statui posse certum terminum: Deum autem secundùm consilium voluntatis suæ, ex regulis æternæ sapientiæ definiuisse, quousque protendi expediret, ac deceret, perfectiones Christo assignandas. Ex quo principio l. 4. de Christo s. 2. c. 1. tractando obiectum scientiæ Christi infusæ, monstrauimus etiamsi scientia beata omnium possibilium non repugnaret, inferri non debere eam esse Christo dandam, eam ob causam quod Christi dignitatem non excederet, quæ erat Suaris argumentatio, ad eam notitiam, si non implicat, tribuendam Christo, vt videre apud eum est t. 1. 3. p. disp. 26. s. 3. parum cohærenter ad ea quæ disp. 27. s. 4. tradit de scientia infusa omnium possibilium, quam tametsi supponeretur possibilis, negat Christo, quamuis non excessuram eius dignitatem. Proportione ergo seruata, eodem modo philosophor de perfectionibus B. Virginis, cum Gersone t. 1. tract. de susceptione humanitatis Christi, veritate 12. & 16. easque perfectiones à Deo taxatas pro arbitrio dico; ita vt tametsi potuisset & maiores & plures addere, nec ea additio excessura fuisset dignitatem matris Dei; voluerit tamen eas intra talem modulum contineri, nec vlteriùs protendi. Domini enim sunt cardines terræ, & eius est, gratiæ terminos constituere qui præteriri non poterunt, vt S. Gregor. exposuit.

Hinc apparet, quàm absurda sit eorum philosophandi ratio, qui quotiescunque de assignanda B. Virgini aliqua perfectione incidit sermo, feruntur in partem affirmantem, cæco impetu, dummodò non implicet contrad. perfectionem de qua agitur communicari puræ creaturæ. Huiusmodi ratiocinatio est planè fallax, nec debemus tali rubrica dirigi in tribuendis Deiparæ aliquibus perfectionibus aut priuilegiis, sed quamuis sint decora possibilia, nec dissentanea statui puræ creaturæ, videndum est an voluntas Dei tulerit ea communicari: de quo ex verbo tradito, vel scripto, diligenter perpensis pronunciandum est: vel ex principiis generalibus quæ inde colliguntur, nominatimque ex eo quod mox subiiciemus circa dona ad sanctitatem animæ spectantia alicui sanctorum communicata, atque adeò etiam communicanda Deiparæ. *Cautio III. Metrum perfectionum B. Virginis.*

Sapienter hoc principium ponit Gerso tract. 9. super magnificat parte eius 1. dogmatica; vbi quærens an B. Virgo nocte cœnæ supremæ communicauerit, ait esse probabile, quamuis non certum, & subdit [Probabilia insuper sunt plurima, de & super hac Beatarum; quæ sunt potiùs accipienda de pietate deuotionis, quàm de fidei necessitate, vel tamen assertionis, vbi non suppetit authoritas Scripturæ cogens, aut ratio conuincens. Alioqui via nimis prona præberetur ad errorem. Neque placet ratiocinatio nonnullorum generalis, dum arguunt; Deus potuit conferre hanc gratiam matri suæ, ergo contulit. Potuit itaque dare fruitionem patriæ ab instanti conceptionis; cum aliis multis quæ certum est non dedisse] Percontātē autem ipso discipulum cum quo ibi Gerso agit, [Quid si addatur ad posse Dei, quod hæc decuit ipsum dare matri suæ?] Subditur hęc eius responsio ex alio ipsius Gersonis opere, quæ hic quoque rata ab illo habetur. [In rebus ad extra; non ideo Deus dicendus est facere aliqua, quia decentia sunt & bona; sed è contra potiùs, ideò aliqua dicuntur & sunt bona, quia Deus talia vult esse illa. Consonat illud Philosophiæ apud Boëtium de Deo; *Quæ non externæ pepulerunt fingere causæ, Materiæ fluctantis opus.* Sic est tollendum argumentum tale ad intelligentiam veritatis, nisi præsupposita rectitudine fidei aliqui non ædificatio, sed vnisio sæpè venit.] Denique quia præmiserat Gerso, quædam probabilia admitti tāquam pertinentia ad fidei siuè deuotionis pietatem percontanti discipulo quid sit ea pietas ex qua dicimur nonnulla piè credere, respondet, [Pietas fidei est probabilis, seu verisimilis opinio sub aliquibus quæ deuotionem ædificare possunt, quæ ex Scripturis authenticis, nec clarè sequuntur nec repugnant. [Huiusmodi multa esse quæ de rebus Deiparæ proferuntur, & nominatim quæ ex eo nunc retulimus, rectè assumit Gerso ac proinde in huiuscemodi pronunciatis supponit temperatè & cautè esse procedendum quod lubens admitto.

Expeditur Alterum dubium, quomodo perfectionei Virginis summa intensiuè.

8 POsterior dubitatio superiùs proposita, sic expedienda est, vt quod attinet ad perfectiones spectantes ad animæ sanctitatem ad puritatem, perfectioremque cum Deo coniunctionem, B. Virgini, & alicui, vel multis sanctis communes, nulla de facto communicata sit alicui sanctorum in auctiore gradu quàm B. Virgini, tametsi nihil sit quod vetaret, quominus si Deo visum fuisset, auctior ac cumulatior perfectio alicui alij sancto posset communicari. Hoc genus perfectionum, non esse de facto communicatum in altiore gradu vlli alteri sancto præ Deipara, constitutum est superiùs, tractando secundum, quod tamen esse apud omnes diximus. Potuisse autem si Deo

Deo visum fuisset, spectata sola potentia absoluta, communicari aliis sanctis tales perfectiones in gradu maiori quàm Deiparæ, debet esse extra dubium. Quis enim limites ponit diuinæ potentiæ & arbitrio hac in parte? Aut cur gradus perfectionis ex se possibilis, nec habens repugnantiam vllam cum pura creatura; non potuisset ei communicari diuinitùs, etiamsi non esset communicatus B. Virgini, eius, quidem capaci, nihil tamen habenti quod eum à Deo velut extorqueret, ita vt negare illi non potuerit, si alteri concessum vellet? Manifestum est, ista cum pleno Dei in dona gratiæ dominio, non cohærere.

9 Itaque cum grano salis accipiendum est, quod ait Richardus à S. Laurentio lib. 1. de laud. B. Virg. c. 4. *pag.* 38. existimans ex eo quod B. Virgo sit plena gratia, inferri nullum ei deesse gradum gratiæ. Nam plenitudo excludit vacuitatem, vt liquet ex vase corporeo, quod tandiu aliquid vacuitatis habet, quamdiu plus aliquid potest capere. Ex quo colligit, omnem quidem aliam puram creaturam, aliquid vacuitatis habere, quia maiorem gratiam recipere potuit: Deiparam autem, cum fuerit gratia plena ex cœlesti oraculo, non potuisse maiore gratia donari, quæ cum paritate creaturæ ad diuini alicuius suppositi consortium minimè euectæ, cohæreret. Hoc dico condiendum esse, ne desipiat. Nam plenitudo gratiæ & perfectionis, quæ Deiparæ certa est ex sacris oraculis, & doctrina Patrum, non est censenda esse huiusmodi, vt excludat incrementum possibile; ac proinde vt extra Deiparam similis gratia non possit esse intensiuè maior, atque perfectior. Monstratum quippè est, absurdè tales frœnos diuinæ largitati erga alias puras creaturas fortè iniiciendos. Sed ita accipienda est plenitudo gratiæ prædicta, quantum attinet ad intentionem, in qua nunc versamur, vt nulli alteri puræ creaturæ, auctior de facto communicata sit gratia, ac perfectio, ex iis quæ ad animæ sanctitatem & puritatem, ac maiorem cum Deo coniunctionem spectare queunt. Id quod secundo loco ratum ac fixum apud omnes esse præmisimus. Aliqui tamen DD. aiunt gratiam esse concessam B. Virgini, qua nulli puræ creaturæ maior concedi potuit; quia agunt de dignitate maternitatis, quæ tanta est, vt nulla pura creatura possit dignitate & sublimitate tituli, altiùs efferri. Ita se exponit Pelbartus, cuius præter cæteros erat assertum prædictum lib. 1. Stellarij parte 2. c. 8. eóque refert quod habet S. Thomas in 1. d. 12. art. 2. q... & 1. p. quæst. 27. art. 6. quod Deus non potuerit facere meliorem Verbi sui matrem quàm fecerit quoad perfectionem essentialem, id est quoad dignitatem matris, quamuis potuerit perfectionem condere quoad perfectionem accidentalem, siue quoad quæcunque dona gratiæ; quæ & in B. Virgine, & alibi esse potuissent auctiora, & intensiuè perfectiora, si ita visum Deo fuisset.

Quomodò perfectiones Virginis, sint extensiuè summa, declaratur.

10 IAm si spectetur maior perfectio extensiua donorum de quibus agimus, hoc est spectantium ad maiorem animæ puritatem & sanctitatem, coniunctionemque cum Deo; si inquam quæratur, an B. Virgo spectando multitudinem, ac numerum huiusmodi donorum, vlli sanctorum concedat, atque adeò sitnè aliquod tale donum alicui puræ creaturæ concessum, quod B. Virgini sit negatum; statuendum est vt certum, ex doctrina SS. & congruentissima ratione, B. Virginem, hac quoque ex parte, sortitam esse plenitudinem gratiæ & nullo destitui dono aut priuilegio, ex iis de quibus agimus, quod alicui alteri sanctorum concessum sit diuino munere. Hæc est aperta mens S. Bernardi epist. 174. negantis, fas esse vel suspicionem cogitare, quod tantæ matri non sit concessum quicquid vel paucis mortalium constiterit esse collatum. Idem habet S. Damasc. orat. 2. de assump. & Idiota l. de contempl. B. Mariæ c. 2. ac vt videtur Richardus victorinus initio libri de differentia sacrificij Abrahæ & Mariæ. Ait enim, indubitanter attribuendum esse B. Virgini quod est optimum; quia nemo censuerit, aliquem sanctorum ei præferri vel etiam æquari posse. Idem fuerunt illa apud Patres frequentia, cæteris per partes, Mariæ autem gratiæ plenitudinem fuisse debitam ac concessam. Ita author libri de oper. Christi Card. apud Cyprianum serm. de natiuit. Christi, Sophr. serm. de Assumpt. Pet. Chrysol. serm. 143. Petrus Dam. & Laur. Iustin. serm. Assump. Subscribũt eidẽ principio passim Scolast. vt Suar. 2. 2. 3. p. d. 1. s. 2. Vasq. 3. p. d. 114. c. 3. *initio* & d. 119. c. 3. item *sub initium* Valentia 3. p. d. 2. q. 1. p. 5. & passim cæteri, astipulaturque manifestè ratio: quia quoad dona & priuilegia spectantia sanctitatem maiorem, certum est, Deum nullam puram creaturam æquè amasse, ac matrem suam. Quomodò ergo ei negauerit donum aliquod ex prædictis, quod alteri puræ creaturæ communicatum voluerit? Habet hic locum argumentatio, Origenis hom. 11. in Lucam. Inde enim probat, Ioannem Baptistam familiariter cum Deo egisse, quod Mosi id concessum legamus; constet autem Baptistam, & Mose & omnibus natis mulierum, fuisse maiorem.

Non quæcunque Sanctorum priuilegia, Virgini concessa.

11 SEd aduertenda diligenter est limitatio quam adhibuimus principio proposito: Nimirum nulli Sanctorum communicatum esse donum quodpiam aut priuilegium ex iis quæ ad sanctitatem ac puritatem animæ, maioremque cum Deo coniunctionem pertineant, quod non sit communicatum Deiparæ. Nam cætera charismata, quæ Apostolus non annumerauit melioribus, id dona gratiarum gratis datarum & priuilegia quæ animam beneficiarij artiùs, & meliùs Deo non nectunt, nihil est necesse, Deiparæ assignare, si alicui sanctorum concessa fuerint. Qua de re inferius occurrent exempla, tractando sigillatim varia priuilegia à nonnullis tributa B. Virgini. Qui verò diffiteatur, donum & priuilegium aliquod Dei esse sacerdotium, siue potestatem conficiendi corpus & sanguinem Domini, absoluendique à peccatis? Item Pontificatum summum, & administrationem clauium cœli? Est tamen extra controuersiam, huiusmodi priuilegia aliis plerisque sanctorum communicata, ad B. Virginem non pertinuisse.

Quare laxiùs quàm par fuit, axioma propositum vsurpauit Christophorus Castro cap. 5. Histor. Deip. n. 15. cum existimauit, ex eo quod Patres asserant dona aliis sanctis collata, B. item Virgini collata fuisse, inferri legitimè, omnia planè charismata & priuilegia, siue Angelis siue hominibus concessa, Deiparæ quoque esse collata. Profertque præter cætera, exemplum cibationis per Angelos, quod putat certò inferri esse concessum B. Virgini quia certum est tale priuilegium aliquibus sanctis diuino munere obtigisse.

Nec

Nec diſſimiliter Mendoçal. 5. florum ſacrorum problem. 5. n. 36. ea eo principio ſimiliter intellecto, infert B. Virginem aliquos ab inferis ad agendam pœnitentiam eripuiſſe, quia hoc priuilegium legitur conceſſum aliquibus ſanctis.

Hæc nego inferri ea prædicto principio, ſiue verum ſit, itaque quandoque accidiſſe, ſiue non ſit verum de quo ex probatis hiſtoriis pronunciãdum eſt, aut aliunde quàm ex propoſito principio. Iuxta quod fatendum eſſet, omnia prodigia quæ circa aliquos ſanctos acciderunt, locum multo magis habuiſſe in Deipara. V.G. dicendum eſſet, Deiparam priuſquàm matris vtero funderetur, edidiſſe clamorẽ in Dei laudem, quia ita contigit S. Geraldo Comiti teſte S. Odone in eius vita: vel latraſſe intra matris vterum, vt accidit S. Vincentio Ferrerio, quod habent eius acta apud Surium 5. April. certo præſagio quod allatraturus eſſet vitia. Naſcente S. Heriberto lux magna, nec minor Solari meridiana noctis tenebras diſcuſſit, vt ſcribit in eius vita Rupertus c. 1. Id ipſum naſcente B. Virgine contigiſſe fingendum erit, ſi verum ſit propoſitum principium. S. Cunegundes; filia Belæ Regis Virginæ, coniux Boleſlai Poloni & in coniugio virgo, naſcens non vagiit, aut fleuit, ſed articulato & claro ſerm. Hungarico, protulit hæc verba, *Aue Regina cælorum, mater Regis Angelorum*, vt ſcribit Vvadingbus tom. 3. annal. 1321. De Philippo, Flandrorum piiſſimo Comite, proditur quod tertio à natiuit. die contentiſſimè clamauerit, *euacuate mihi domum*, & ita habet *eius Epitaphium apud Claram Vallem*. Dicendum ergo erit, Deiparam naſcentem ſalutaſſe Deum, aut Angelos, vel Chriſtum venturum aut inclamaſſe euacuandum Satanæ domum. Cunæ S. Epiphanij Ticinenſis, typica luce fulgere ſæpè ſunt viſæ; vt ſcribit in eius vita Ennodius, vt futuram (inquit) eius claritatem, luſtrans eum, & præcedens fulgor oſtenderet. Idem ergo de B. Virgine aſſerendum erit; nec omittendæ erunt apes quæ S. Ambroſij infantis labiis inſederunt, Sexcenta huiuſmodi proferri poſſent, quæ nemo nõ videt falſa eſſe, ac ablegãda; ac proinde principiũ ex quo inferrentur, repudiandũ eſt.

PARS PRIMA.

Homo exterior Virginis foris conſpicuus.

1 VT ordinata ſit tractatio, agam primo loco de iis quæ ſpectant ad B. Virginem, conſideratã quoad ea, quę ex ſe hominibus apparent, pertinentque ad exteriorẽ hominem, vt Apoſtolus loquitur, cuiuſmodi ſunt quę ad naturalem originem, & conſtitutionem, ac conſequentes eam naturales perfectiones; item quæ ad Virginalem integritatem, coniugium, maternitatem, ac obitum ſpectant. Deinde ſecundo loco tractabo interiorem hominem, id eſt perfectiones gratiæ auguſtiſſimo Dei ſacrario collatas, & quoad animæ ſubſtantiam, cui gratia ſanctificatis inſidet, & quoad facultates, concludamque per ſtatum gloriæ, cuius gratia eſt ſemen. Vtrobique ea duntaxat complectar quæ potiora videbuntur, & maioris vtilitatis, nec prorſus vacua difficultatum: Præmiſſa autem ſolida veritate ſemper ſubnectam & euertam gerras quæ occurrent, & furfures doctrinæ, quos vel inconſulta pietas vel errorum improuidentia admiſcuerit.

2 Nolo tamen in fundamentario illo errore quo Collyridiani B. Virginem rebus creatis exemerunt, & Deitate inſaniſſimè donarunt, moram vllatenus facere quod ea blaſphemia tantæ fatuitati ſit coniuncta, vt ne confutationem quidem depoſcat. Tametſi neque eam prætermiſit S. Epiphanius hær. 78. *in fine*, & hæreſi 79. *per totam*. Inſaniſſimè quoque Albanenſes B. Virginem, Angelum fuiſſe cenſuerunt, vera ſunt quod de eis recitat Guido Carmelita tract. de eorum erroribus cap. 5. Catharos poſteriores ſiuè Valdenſes, idem ſomniaſſe refert qui eos vidit & audiuit Reynerus l. contra Valdenſes c. 6. Vt tamen S. Athanaſ. optimè dixit epiſt. ad Epictetum, idem S. Epipha. hær. 77. quæ ita palam vitioſa oſtenduntur, ampliùs exercere & curioſius inueſtigare non oportet, vt ne contentioſis velut ambigua putentur. Hoc verò ſolùm ad talia reſpondere, ac dicere ſatis eſt, quod non ſunt hæc Catholicæ Eccleſiæ, neque patres hoc docuerunt, aut ſenſerunt.]

PVNCTVM I.

Pars 1. punctum 1. Virginis conceptio.

Virginis Conceptio.

1 POſt diuturnum certamen ſæculorum, quæ vt Damaſc. orat. 1. de Natiu. Virg. ſcitè ait, de gloria excipiendæ & orbi inferẽdæ matris Dei depugnabant quando venit plenitudo temporis, & decreta in diuino conſiſtorio, ante tempora ſęcularia, Iuuandi & erigendi collapſum hominem beata & pridem expectata opportunitas apperiit, miſerante tandem Deo, & viſcera ſua ſuper humanum genus non claudente, facta eſt conceptio [ſanctiſſimæ, & præ omnibus ſanctis colendæ, caſtiſſimæ & immaculatæ, perbenedictæque, glorioſiſſimæ, & excellentiſſimæ omniũ creaturarũ, gratia pleniſſimæ, gaudiũ faciẽtis & tribuentis, dominæ noſtræ, propriè, natura, & veritate, ſolius Dei Genitricis ſemper Virg. Mariæ.] Elogiolum eſt Sanctiſſimæ Virginis, quod ei pangitur ad calcem narrationis de S. Martini Papæ exilio, inter Anaſtaſij collectanea.

Parentes Virginis ſanctiſsimi, Ioachim, & Anna.

2 COncepta porrò eſt, ex parentibus ſanctiſſimis, & Regiæ ſtirpis, quorum coniugio nullum vnquam ſimile fuit in omni diuina charitate & honeſtate; vt loquitur S. Brigitta in ſerm. Angelico c. 10. Ioachimo inquam & Anna. Nam ſic dictos eſſe B. Mariæ parentes, rectè contra Centuriatores id inficiantes confirmat Caniſius lib. 1. Marial. c. 4. Hoc itaque ratum eſto. Nec video, cur Petrus Damiani ſerm. 3. de Natiuit. Virg. nolit de Virginis parentibus quæri. [Nonnulli (inquit) dum plus ſapere, quàm oportet ſapere geſtiunt, quis pater, vel quæ mater B. Mariæ fuerit, ſtudio ſuperfluæ curioſitas inquirunt. Sed aliquis lector nimia inutiliter quærit, quod Euangeliſta narrare ſuperfluum duxit. Si enim huic notitiæ, vtilitatem ineſſe cognoſcere, nequaquam nobilis Hiſtoricus rem neceſſariam ſilentio præteriret. Sciendum verò eſt, hunc eſſe morem Scriptoribus ſacri eloquij, vt ſicut ſtudent ſemper ſilere, quod obeſt; ſic etiam referre deſpiciant, quod ſcire non prodeſt. Aliquando autem in Sacra Scriptura certi cauſa myſterij aliquid prætermittitur, vt ipſo quaſi clamante ſilentio, magnum aliquid ſentiatur.] Et mox. [Matthæus igitur qui viri propoſuerat genus deſcribere, illius ſcilicet, de quo per Prophetam dicitur: *Ecce vir Oriens nomen eius*, erudite

per Ioseph descendere voluit: Mariæ verò parentes ponere, superfluum iudicauit.] Quid quod S. Augustinus 23. contra Faustum c. 9. *ad finem*, quod patri Deiparæ, nomen esset Ioachimo, petitum ait ex apocrypha scriptura? quo ipso significat id esse fabulosum & respuendum. Et respuit sanè Bambaliozille qui historiam Christi Persicè à Hieronymo Xauerio conscriptam, quisquiliis notarum Suarum contaminauit.

Verùm S. Augustinus duntaxat improbat, quod ibi refert de quodam Ioachimo è tribu Leui oriundo, patre Deiparæ. Id enim meritò repudiatur, cum Ioachim Deiparæ pater fuerit è tribu Iuda. Itaque D. Augustinus, non agnoscat, Ioachimum illum Leuiticum fuisse Deiparæ patrem, non pugnat cum veritate proposita. Silentium autem de his SS. parentibus à Petro Damiani memoratum, facilè reiicitur. Non sanè tacuerunt de his beatis parentibus, permulti Patres, qui etiam eorum sanctitudinem eximiam fuisse, vt exploratum statuunt, nominatimque Epiphanius orat. de laud. Virg. & Damasc. orat. 1. & 3. de Natiuit. Virg. Videris quos præterea adducunt, qui *hoc beatum par*, (vt Damasc. orat. illa loquitur) cumulatè exornant; Castro in Histor. Deip. c. 5. Spinellus in Throno Dei c. 18. Baptista Poza l. 2. Elucid. tract. 8. c. 3. Canisius l. 1. de Deip. c. 4. qui ferè argumentantur ex fructu, siue ex prole. Nam si ex fructibus arbor cognoscitur, & quod apud Aristotelem 2. phys. tex. 59. dixit Protarchus, [Fortunati sunt lapides, ex quibus altaria fabricantur,] profectò cum fructus immediatus horum beatorum coniugum, fuerit sancta Dei mater, mediatus verò fuerit Dominus perspicuum esse debet, maximam fuisse horum beatorum coniugum sanctitudinem. Sapienter Georgius Nicomediensis orat. 1. de Conceptione Virginis, eam alloquens.] Oportebat præsignari talibus Symbolis, fructumque ac genituram, ex eiusmodi prodire parentibus. Oportebat è tali radice, nasci germen tale. Oportebat ex Regalibus plantis, succrescere Virgam regalé. Oportebat ex locuplete virtute, copiosas bonorum diuitias superaffluere. Decebat, vt ipsa quidem; talium parentum filia audires, neque ipsi talis filiæ parentes efficerentur. Sicut enim ipsa singulari præ omnibus prærogatiua in Dei matrem præoptari meruisti, ita & illi, singulari præ omnibus honore, consecuti sunt, vt futuri parentes tui prædestinarentur.]

Idem orat. 3. eiusdem argumenti multa præfatur de horum Sanctorum coniugum virtutibus; addit. [Talia sunt iustorum priuilegia, ac narrata gesta. Læti hi virtutum eorum characteres, nobilem hanc animi, ac iis illustriorem qui omni retrò sæculo claruissent, speciem effulserunt. Quippè decebat, vt donum omni in creatis maius comparatione, ex excellenti electione prodiret. Decebat vt ex effluenti virtutum pena, præsanctæ illæ scaturirent diuitiæ. Decebat, vt labores eiusmodi, talem reportarent fructum; vt ex ingenua radice, summè ingenuum pullularet germen: Ex bonis lumbis, optimus palmes surgeret, sēper virens, vigensque; illa generis gloriatio pulcherrimum illud naturæ gemen; altigena ille Sacramenti ramus, ex quo ascendens immortalitatis flos æternam odoris suauitatem prospirauit cuius fructus efficitur vita & incorruptio, ac perseuerantia, iis qui illo participant.]

Sed & Iacobus Monachus orat. in Deip. Natiu. post latè descriptam parentum Deip. pietatem in conciliādo numine ad prolis exorationem, sic exclamat. [O partum, maiora cogitatu bona, edentibus conciliantem. Nam in omnibus quidem si quos humano more contigit parentes effici, vt vel secularium dignitatum splendoribus auctos vident libros, aut virtutum luce illustres redditos, aut strenuum quid, ac magnum designasse quo fortitudinis laudem habeant, non modicum inde decus comparant ex communione naturæ, vna gloriæ, ac celebritatis comparticipes effecti; In his autem, ac argumento subiectis, quænam gloriæ excellētia excogitari queat, cuius illi prærogatiuā non sint consecuti? Quid verò opus, productiori sermone, Auditori molestiam facere! Quemadmodum enim nata puella, vt authorem excipias, quod est supremum recepit, ita hi quoque incomparabilem decoris præstantiam sortiti. parentes vniuersos superant.]

Iuuat hoc sanctæ illius Synoridis encomium ex fructu quem orbi dedit, verbis Fulberti Carnotensis serm. 5. de Natiu. Virg. adscribere. [Felix (inquit) sancta coniugalis Societas, quæ tale ac tantum, specialeque vel singulare decus profudit in orbe, de concesso nuptiali contubernio, &c. Meritò siquidem huius sanctæ Virg. multùm adeò laudandi sunt, & extollendi sanctissimi procreatores, qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se præstiterunt, vt immeritò de eorum stirpe prodiret talis successio, quæ fieret & priscis ætatibus & subsequentibus, exemplum totius bonitatis. Felix & præ cœteris patribus felicior, qui tantæ prolis meruit vocitari patrator. Felix etiā, qui non plures, sed vnam promouerit suscipere natam; quæ vnicum conciperet & proferret Dei Filium. Nec enim decebat, vt huius singularis Virg. sanctissimi progenitores, fœdarentur plurimorum propagatione filiorū, qui erant futuri vnicæ matris Domini, prouisores, & educatores egregij. Verè beata, & in omni veneratione habenda, & quodam priuilegio sacro prædicanda mater huius sanctæ, quæ omnium antecessit matres, in concipiendo & generando eam, quæ suum & omniū generaret Creatorem. Gaude & lætare ô felix pro tali filia, quoniam tali dote donata es, qua nulla ante te, vel postea meruit antecelli.] Vides vnde Fulbertus, beatos Deip. parentes celebret, nempè ex prole, vnde etiam argumentatos in eam rem cœteros, affirmabā. Inde item factum, vt in Græcorum Liturgia', beati hi coniuges antonomasticè iusti dicātur, affirmat Isid. Thessalo. hom. de Natiu. Deip. quamuis alias quoque excogitat illius denominationis causas

Erant stirpis Regiæ.

3 ET indidem probatur, eos fuisse Regiæ stirpis, hoc est Dauidicæ, nam Christum Dominum fuisse ex semine Dauid, innumeræ Scripturæ contestantur: atque adeò Deip. & vlteriores Christi progenitores, saltem Ioachim, (de Anna eius coniuge haud ita liquet) ex Dauide ortum duxerunt; siue per Salomonem, quod latè contendit Pineda l. 7. de Salom. c. 26. siue per Nathanum, alium Dauidis filium vt aliis videtur. Vtrumlibet verò statuamus, nostra parum refert. Nam etiamsi gloriosius esset Ioachimo, per Salom. è Dauide prodiisse; quod sic non modo ratione trunci, siue Dauidis, sed etiam ratione multorum progenitorum immediatorum, esset ex regio semine: tamen vel ex vno parente Dauide, & nobilitas cana, & regia stirps Ioachimi, abundè firmatur. At fuisse Ioach. ex familia Dauidis, perspicuum est cum ex traditione certa, tum ex B. Virginis desponsatione cum viro ex tribu Iuda, & de familia Dauid, vt disertè habēt S. Matth. c. 1. & S. Luc. c. 3. Nam cum B. Virg. esset parentibus vnica, atque adeò hæres, non poterat alteri viro quàm de familia sua nubere, & quidem propinquissimo, vt colligitur ex cap. vltimo

mo Numer. & ea coniugiis Tobiæ iunioris, ac Ruthæ. In hac re immensi sunt interpretes Matthæi 1. & Lucæ 3. vbi nominatim Tol. ab annot. 56. Latè item ex Scholasticis Suarez t.2.q. p.d.1.s.3 Vasq.d. 117. Optimè inter Patres Damasc. orat.2. & 3. de Nativ. Virg. Quid quod verisimillimum est, quod sentit Castro in histor. Deip. c.1.n.7. nempè Ioachimum esse illum ipsum Heli, cuius Christus Lucæ 3. dicitur filius, verbis illis; *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, qui* (videlicet Christus, ita enim relationem illud *qui* aptat Author. qq. vet. & noui Testam. 1. p.q. 56.) *fuit Heli*. Sanè vt benè perspeait Sanctius in c. 1. Ieremiæ, num. 10. *Heli* portio est nominis *Hiliacim* siue *Heli Ioacim*, quarum altera duntaxat, ex vsu Hebræo, appellati quandoque reperiuntur, quibus nomen è duabus illis partibus nexum erat, ita vt quandoque *Heli*, quandoque *Ioachim* dicerentur. Annuit quoad sic binomium Ioachimum, Galatinus lib. 7.c.12. & Manuel Sa, Lucæ 3. Cum ergo series procreationis Heli ex Dauide, tam clara sit apud Lucam: manifestum manet quod de eius auita & gentilitia nobilitate, & claritudine diximus. Eundem exortum ex Dauide, ad B. Annam extendit S. Ambrosius lib. 3. in Lucam. An verò dicendum sit eam fuisse filiam Heli illius à S. Luca memorati, atque adeò S. Lucam genus Christi per maternam lineam ad Dauidem per Nathanem reduxisse, sicut S. Matthæus monstrarat eum ratione matris esse filium Dauidis, ex Salomone, per paternam Ioachimi lineã. hoc inquam an sit dicendum, versat eruditè de more Franc. Lucas ad c. 3. Lucæ vers. 23. Andreas Cretensis in Canone de Natali B. Virginis, quomodò B. Virgo ex parte matris Annæ, à Dauide sit exorta, sic describit, & quidem (vt profitetur) accuratè. [Occurrit vigesimus tertius Mathan à Dauide & Salmone. Is Mariam coniugem duxit è tribu Iuda, genuitque Iacob fabri patrem, ac filias tres, nempè Mariam, Sobem, & Annam. Atque maria quidem generat Salomen obstetricem. Sobè autem Elisabeth. At Anna, Dei Genitricem, Ita vt Deipara, neptis esset Mathan, ac Mariæ eius coniugis: Elizabeth autem ac Salome, nepotes essent Annæ ex Sorore, Dei verò Genitricis, consobrinæ.

Census illis mediocris, & oxorata tandem fœcunditas.

4 VT tamen humana omnia caducitati sunt obnoxia, nec sors splendida & secundùm sæculum apprimè clara, cuiusmodi est prolis Regiæ, stabilior est æstuarijs, vt perelegantet disserit Philo ad finè libri quod Deus sit immut.nec humanæ qualibet celsitudines, si vel diu perstant, sed potiùs non secus ac somnium breuissimo spatio euanescunt, vt idem Philo l. de Ioseph, *sub medium*, ac libro de somnijs, egregiè prosequitur; homo de Regia Dauidis familia, mediocri censu & ad tenuitatem potiùs accedente, vitam exigit cum vxore fœmina lectissima; cui æquè ac vi... vnum votum erat, nec diuitias, nec paupertatem ambire, sed necessariorum vsu contentos, incedere in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela; de agenda autem re familiari, sollicitudinem abijcere; quinetiam de facultatibus qualescunque possidebant, partem Deo & sacris ministris, partem egenis studiosè decidere in more habeant; in eum nominatim finem, vt si ita Deo videretur, prolem qua carebant, susciperent. Quam petitionem, Spiritus ipse sanctus afflabat, & vegetabat, alioqui enim fatua fuisset prolis per eos suscipiendæ

petitio, vel expectatio, Tum qui erant ambo senes, vt docent Epiph. in Virg encomio. Germ. Constantin. orat. de Præsent Andreas Cretensis orat. 1 de Assumpt. & passim alij. Tum etiam quia ambo steriles erant, vt liber de ortu B. Mariæ Hieron. adscriptus prodidit, & adductus proximè Andreas, nec non Simon de de Cassia l. 2. in Euang. c. 1. aliique permulti tradunt. Scitè Damasc. orat. de dormit. Deip. Annæ vocabulum interpretatus *Gratiam*, sterilitatem B. Annæ refert ad gratiæ tunc temporis sterilitatem, quæ in hominum animis fructum edere minimè posset. Quare pij coniugès incentore & impulsore Spiritu sancto, in spem contra spem ferebantur; & qua ieiunijs (vt Germanus supra obseruat) qua eleemosynis, (vt habet historia adscripta Hieron.) maximè verò ingi oratione, (de qua testantur Damasc. 4 fidei c. 15. Epiph. in Virg. laudat. Antiochus hom. 107. (interposito item voto consecrandi Deo quam suscepissent prolem, (teste Nysseno orat. de Natiu. Dom. & Damasc. 4. fid. c. 15. & idem ex Alcorano refert. Dionis. Cartus. l. 1. de laud. Deip. art. 5.) exorarunt numen, vt per hoc miraculũ sterilium, ac senum sobolem suscipientium, via sterneretur ad miraculum omnium maximum, quo Dei Filius ex Virgine incorrupta non ita multo post, procreandus erat, vt Damasc. scitè dixit orat. 1. de Natiu. Virg. & S. Germ. orat. de eodem argumento. Ac Leo Imperator sub initium orationis de Natiu. Deip. Similiterque S. Chrysost. hom. 49. Genes. conceptus variorum Antiquorum ex sterilibus parentibus. refert ad consilium Dei, mollientis viam ad fidem mysterij Natiuit. Christi ex Virgine: quod egregiè quoque tradit Basilius Seleuciæ, orat. 2. de Iona. *Part I. festum I. Virg. conceptio.*

5 Ad eum ergo modum gratia naturam correxit, & beatissima hæc infans concepta est, formatumque corpus vitale, ceu vitæ initiatmum (ait Andr. Cretens. orat. 1. de dormit. Deip.) quod ipsam totam Deitatis, vitalem vitæque initiatiuam plenitudinem in se suscepit. Corpus inquam pretiosum Virginis, monile præcellens cœlum Deo cuita terra; de libano massæ humanæ ex Adam generis, in Christo Deitate donatæ simillima principis speciei, atque decoris repræsentatio, arcanorum Dei iudiciorum à Deo obligatus thesaurus, domicilium virtutum, spiritalis mirabilium dinmæ in nos dispensationis serm. lib. inexplicabilis profunditas inexhaustæ plenitudinis eius qui omnia implet in omnibus, turris firmissima absconditæ spei, incorruptionis intellectum superantis thesaurus, Regia Verbi principium omne superantis sola, terrenum cœlestis Regis palatium, celebris diuinorum cum hominibus contractuũ officina congruentissima diuinæ emanationis materia, diuinæ perfectũ eius quæ omnia efficit, optimique artificis lutum] Facta porrò est hæc Virginei corporis conceptio, si præuiam Dei largitatem in senum, ac steriliũ fœcundatione excipias, planè cæterorum infantiũm more. Nam Deus quidè, auxilio indebito roborauit iam marcentem vtriusque coniugis naturam; & Ioach. quidem vim contulit vt posset fructuosè vti coniugio; emortuam verò vuluã Annæ, ad idem ex parte sua præstandũ roborauit, idq; ad miraculũ pertinuisse, negare non licet: Sicque verũ mõstratur, quod dixit Damasc. orat. 1. de B. Virg. Nat. [Illud excelsi brachium, obtusum naturæ ligonè Spiritu sancto tanquã digito suo exacuens, viuam scalam sibi ipsi condidit.] Impegit hic insignis cæteroqui Interpres Iacobus Billius, referens hæc ad Dei hominis conceptũ, & non erat ibi Damasc. serm. de Verbo per partũ edito, sed de Maria, Verbi matre. Itaq; correpti Codex Billianus legebat σημερον τῷ τεκοντι νῷ; cum legendum esset, vt habent emaculati Codice, σημερον ὁ τῷ τικτοντι ὁ φαντασμαν λόγον. Quæ verba

hunc sensum faciunt, Mariæ non eius proli accommodatum. *Hodie ille fabri filius, illud rerum omnium fabricandarum opifex Verbum, illud unquam forte brachium altissimi Dei obtusum &c.* Hoc patet Emanu latus locus ille, Damasceni (æquè ac geminus isti locus Germani Constantinopolitani ex oratione de Præsentatione Deiparæ) ex mente Damasceni, fert apertè quod dixi. Et eodem pertinet quod collaudatn B. Annæ ventre, (qui viuum cœlum, cælis ipsis latius peperit, & tanquam beata area, viuifici frumenti segetem tulit,) subiungit exclamans, (ô miraculorum miracula, & rerum admirandarum, res maximæ admirandæ!) Verè enim ad miraculum pertinuit, illa anus robratio ad concipiendum, nec minus valet de hac Anna quod de Samuelis matre dixit Chrysostomus hom. a. de Anna, *initio*, eam fuisse fœtus sui, patrem simul & matrem, quatenus precibus extorsit à Deo vim quam natura nec ipsi nec patri dabat: Cætera autem omnia quæ ad huoc conceptum interuenerunt, naturalia fuerunt, & qualia in cæteris siue coniugibus concipientibus, siue liberis naturaliter conceptis, vt disertissimè docet S. Epiphan. hær. 79. & S. Ansel. serm. de concept. Itaque & consuetum coniugum commercium est adhibitum, & ea delecta per commercium conceptus materia tacitis incrementis (quod expresse habet Damasc. orat. 1. de Virg. natiu.) formatus & ad incrementum debitum perductus est fœtus, inde, ac cœlo aliisque vniuersalibus & particularibus humanorum conceptuum fouendorum & promouendorum causis, influxum suum contribuentibus, per integrum nonimestre, quo abditus materna aluo solitis secundinarum inuolucris obuolutus, vinculisque alligatus fœtus, maturitatem ad partum necessarium expectauit.

Furfur doctrinæ, ac primùm quod virgo non esset Adamica

6 HÆc sunt, quæ solidè, circa Deiparæ conceptionem passiuam, ex Patribus, & probatis authoribus proferenda habui. Nunc subtexenda sunt quæ alij improbabiliter circa hunc B Virginis conceptum proposuerunt. Et imprimis te ad aures quidem admittenda est Mahumeti bestialitas, qui B. Virginem, Christi matrem, dixit fuisse filiam Abrahæ, & Sororem Moysi, ac Aaronis. Hoc secundum habetur in fragmentis Marianis Leonis Imperatoris. At Ioannes Galensis Anglus, qui Parisiis anno 1275. summa cum laude docebat, nuncupatus *arbor vitæ*, in tractatu quem de origine & progressu Mahumeti edidit c. 5. refert, insulsitatem propositam quoad vtramque partem extare apud Mahumetem, in Alcorani Tractatu cui titulus *Cabaram*, tertio Tractatu misericordiæ. Nec verò filiam Abrahæ appellauit Mahumetes B. Virginem, eo quod esset ea progenie Abrahæ: qua ratione Christus ipse, mulierem a tot annis alligatam per Satanam, vocauit *filiam Abrahæ*; idcirco hic locutus est Mahumetes. Quod putaret B. Virginem esse immediatè procreatam ex parente Abrahamo: cum tamen eo ipso quod statuebat eam esse sororem Aaronis, immensum chaos inter ipsam & Abrahamum interiaceret. Sed apud Mahumetem, non est quærenda rerum vel temporum connexio, cum omnia brutum in morem, ac bestialiter obeat. Itaque in re adeò explorata, missam faciamus, tam crassam tamque peculiarem execrationem. Secundum Mahumetem cum omni detestatione repellendus est Paracelsus, qui vt non tantùm circa rem medicam quam tractabā, ineptiret transmutans eam in Alchymiam, sed etiam vt circa res sacras audaciam panderet, qua valebat; Deiparam Abrahami quidem filiam secundum promissionem fuisse admisit non tamen Adami & Euæ, ex quibus, & eorum semine produxisse illam negauit lib. 2. Chym. c. 5. Blasphemum hoc stultiloquiū, fusiùs tedaī sunt Canisius lib. 1. de Deip. c. 3. *initio*, Valent. 3. p. d. 5. q. 1. p. 2. & Delrio polemica 4. *initio* Sed est longa confutatione opus. Nam S. Lucas c. 3. Christi genealogiam ab Adamo repetit; non alia sanè ex causa, quam quia Deipara ex qua Christus carnem accepit, orta est ex Adamo. Idque conuenientissimum fuisse, vt quod primi parentes perdiderant, soboles eorum recuperaret, sicque malus candalium creaturæ diabolo, docent sæpè SS. Patres Bern. pulcherrimè serm. 2. de Pentec. & homil. 2. super *missus est*. (Deus (inquit) qui non solùm potenter, sed etiam sapienter quæcumque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem seruare consueuit: ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit. Et quamquam illud aliter quomodò vellet perficere potuisset, placuit ei tamen eo potiùs & modo & ordine hominē sibi reconciliare, quo nouerat cecidisse: vt sicut Diabolus priùs seduxit fœminam, & postmodùm virum per fœminam vicit: ita priùs à fœmina Virgine seduceretur, & post à viro Christo apertè debellaretur; quatenus malitiæ fraudi, dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret & fortior.) Alias praefero agens de causa Christi effectrice l. 3. f. 1. c. 3. Et ita etiam fuerunt illa Genes. 3. *ipsa conteret caput tuum*, quod de semine mulieris primæ, caput serpentis conteritum, pronunciatum esse, palam est. Vbi verò illud, *fecit ex vno, omne genus hominum*, si Deipara non est ex Adami semine? Tandem quomodò potuit Virgo esse ex semine Abrahami, & non esse ex semine Adæ, qui Abrahamum procreauit? Quare valeat Delrius Canisius, nec ad hanc sectam fornacem in qua est quartus similis filio Dei, (vt Anastasius l. 4. Hexameri Deiparam nominauit) spurcum halitum attollat nequam statuarius, ne absumatur, atque deflagret. Erit fortassis cui videatur huic fortuitari astipulatus Isidorus Thessalonic. orat. 3. quæ est de Annunc. vbi sic affatur B. Virginem (Tu quomodò id dicam nescio, nou homo es, non Angelus; sed alia quædam natura altior, & cui post diuinam naturam nihil comparari possit vel etiā vt exemplo.) Hoc expende Græcanica non est accipienda ecede vt sonat cum certum sit B. Virginem fuisse creaturam humanam & Adamicam significare itaque tantum voluit aut debuit Isidorus excellentiam B. Virginis supra omnem planè creaturam siue Angelicam, siue humanam.

Item quod parentes Virginis fuerint ab vtero, sancti.

7 IAm conditionem parentum, ex quibus proximus quàm e Adamo concepta est Deipara, aliqui ita magnificant, vt ens quoad animæ quidem dotes, non modò pios & exquisitè sanctos fuisse dicāt, quod iam præmissimus (absque tamen ea minimè admittenda auaeli & odiosa comparatione pro qua enpiosè laborat Aoendanius serm. de S. Ioachimo, discursu 4. quod scilicet S. Ioachim sit omnium totius Ecclesiæ sanctorum, infra Virginem, supremus; quod ipsum rationes eius, de S. Anna probarent, si essent solidæ,) sed etiam à matrum vtero iustificatos asserant: Quoad

Quoad fortunæ verò decora, splendidissimos & inter ciues suos facilè Principes. Ita quoad vtrumque, Recentior eruditus & ingeniosus. Nam sanctificationem in vtero tam S. Ioachimi, quàm S. Annæ, affirmat lib. 2. tract. 8. cap. 3. Splendorem verò familiæ eorumdem, exhibet lib. 2. tract. 9. cap. 1. & 2. Et subscribunt Spinellus lib. de Throno Dei cap. 18. ac Morales lib. 1. in Matth. tract. 6. num. 3. & tract. 21. num. 25. adducens plerosque alios: Præiuerat Iacobus ille, è quo narrationem de exorato Virginis conceptu, descripsit S. Eustathius in comment. ad Hexaem. *pag.* 54. quam cum Proeuangelio Iacobi in Orthodoxographia edito, malè confundit Allatius in notis *pag.* 285. Hæc sunt, quæ circa parentum B. Virginis conditiones, ab aliquibus sunt prodita.

Sed non sunt his prærogatiuarum fucis, ornandi Deiparæ parentes. Nam eorum quidem iustificationem in vtero, gratis & falsò inueh, monstraui agens de præpropera iustificatione sanctorum. Nec sunt sanè adeò facilè conuellendi generales fidei canones, quibus statuitur, omnes nasci & fundi ex vtero, filios iræ, nisi desit speciale priuilegium, cuius hîc inuehendi nullum suppetit fundamentum, præter proportionem maioris inæqualitatis quam sanctitati parentum Deiparæ, ad sanctitatem Ioannis in matris vtero sanctificati, assignant, qui pro hoc B. B. Ioachimi & Annæ priuilegio certant. Verùm ea proportio nec explorata est, potestque meritò videri falsa: nec vt verè admitteretur, fas esset inde colligere, priuilegium de quo agimus: quia occasio accursus Christi, & infantis Baptistæ, digna Deo visa est, ob quam ad Christi illustrationem sanctificaretur, & Spiritu Sancto repleretur, iam ea matris vtero, vt Angelus pronunciarat. Nihil autem tale contigit circa Ioachimum & Annam, cum adhuc in matrum suarum vteris delitescerent. Quare non sunt adepti gratiam sanctificantem, nisi post ortum ex vtero.

Nec non quod fuerint ditissimi.

8. SPlendorem verò familiæ & amplissimas facultates, reponant inter horum Sanctorum coniugum decora, qui beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Nos ista fortunæ ludibria, numeramus in bonis quæ affluunt plerisque qui sancti non sunt, plerosque autem sanctos, deficiunt. Tantúsque est Deiparæ fulgor ex generatione Regis Regum, vt præ eo omnis ex auorum titulis claritas, tenebrescat, omnis ex parentum opibus gloria, non secus ac fumus euanescat. Nec is profectò fuit sensus sanctorum, quòd parentes Virginis, adeò copiosi, & locupletes, ac splendidi fuerint quàm comminiscuntur Recentiores. Et vt taceam, quod Damascenus orat. 2. de Assumpt. Deip. & Eusebius Cæsar. in epistola quam ex eo refert Franciscus Ximen. lib. 2. cap. 143. disertè agnoscunt, Ioachimum oues pauisse; (id enim largum patrimonium non excluderet, vt ex Iacobo liquet, & ex iis quæ de pastoritij muneris magnificentia, disputat Philo lib. de sacrif. Abelis & Caini, ac initio libri de Ioseph.) vt inquam hoc tenuium Ioachimi facultatum argumentum non vrgeam, quia verè non est efficax; quis non videat, vnicam filiam horum coniugum, quam dilapidatæ parentum substantiæ, nemo vel per suspicionem ream egerit, eo non fuisse deuenturam, si parentibus tam copiosis, támque splendidis procreata fuisset, vt fabro manuum suarum labore se sustentanti, nuberet? Idem argumentum vrgeri potest ex variis euentibus, in quibus Deipara se prodidit minùs benè constitutam ab humanis facultatibus. Vt cum prægnans non inuenit locum in diuersorio; item cum ad redimendum filium, non agnum anniculum, quod diuites faciebant, sed teoruium proprium munus, intulit templo. Sunt alia huiusmodi, quæ expendunt Pelbartus lib. 7. Stellarij. p. 2 art. 3. cap. 10. & Rich. à S. Laur. lib. 4. de laud. Deip. agens de Virginis paupertate, *pag.* 279. Quare ad populum phalerat.

Pars 1. punctum 1. Virginis conceptio.

9. Deiparæ ergo parentes, non fuerunt copiosissimi & splendidissimi, vt recentiores, inde Beatissimæ eorum infanti lenocinantes, pronunciant & præiuerat Isidor. Thessal. homil. de Natiu. B. V. de copiosis eorum oblationibus agens. [Libet nunc (ait Petrus Damiani serm. 2. de Nat. Virg. *in fine*) pro ædificatione nostra in regulam diuinæ iustitiæ parumper radios mentis infigere; & qualiter omnipotens Deus, electos suos deprimi temporaliter sinat, quos extollere in æternum decreuerit, indagare: vt enim nunc de cæteris sileam, hæc eadem beatissima Virgo, cuius hodiernam Natiuitatem debitis veneramur obsequiis, ante constitutionem mundi in consilio æternæ sapientiæ electa, & prælecta, licet de regali fuerit stirpe progenita, nulla tamen humanæ dignitatis altitudine floruit, nullis rerum temporalium diuitiis abundauit.] Esto verò, daremus parentes Virginis, iure hæreditario fuisse dominos regni Iudæorum, vt volunt qui Christo illud dominium titulo generationis ex B. Virgine arrogant, quod habet disertè Petrus Blesensis sub initium tractatus de peregrinat. Ierosolymit. (quamquam satis video quàm hoc ius; dubium vel etiam nullum, fuerit tempore Christi & B. Virginis): aliud tamen est iure, ac titulo locupletissimum, ac vel Regem maximum esse, aliud possessione & facto, vt quotidiana exempla demonstrant. Non est igitur B. Virgo orta parentibus teipsa copiosissimis. Neque tamen quod nugiuendi quidam sectarij è contrario asseruerunt, tantùm vt Virginem depreciarent; censendum est, parentes Virginis (quos Damascenus orat. de dormit. Deip. inter Pastores, facultatibus instructos describit) fuisse adeò egenos, vt inter vrbis suæ quisquilias, & prorsus infimæ sortis homunciones numerandi essent. Refert hoc, & meritò reiicit Canisius lib. 1. de Deip. cap. 4.

Et quod genuerint absque vsu coniugij.

10. EX his parentibus conceptam esse Deiparam absque coniugali commercio, aliqui honestati (vt putabant), seruientes asseruerunt, nudum osculum interuenisse fabulantes. Ita iam olim sensere quidam Græci. Nam in Menologio iusse Basilij primogeniti Imperatoris conscripto, quinto Idus decembris hæc leguntur. [Concepit igitur Anna Mariam, & peperit, non vt quidam dicunt, septimestrem, aut sine viri opera: sed Angelica quidem productione; exactis tamen nouem mensibus, atque adeo ex viri coniunctione.] Septimestris Annæ partus cum sit contra traditionem perpetuam, meritò explosus est. Conceptus vero absque viri opera est planè commentitius: tametsi (vt vides) iam tempore Basilij qui anno 1026. excessit è vita apud aliquos iactaretur. Hunc fuisse suo tempore sensum vulgi, scribit Pelbartus lib. 4. stellarij parte 1. art. 1. Refert etiam Molanus lib. 3. de imag. cap. 55. Robertum de Licio acriter conclamantem in imaginem abs se visam, qua exhibebantur Ioachim & Anna, osculum sibi palam figentes ad auream portam, cum hac epigraphe subiecta imagini, *taliter concepta est B. Maria*: quod deprompt-

tum esse ex vitiata lectione protevangelij Apostolo. Iacobo in Orthodoxographia adscripti, suspicatur Molanus; eo quod ibi refeceratur Annam, post Angeli reuelationem, occurrentem Ioachimo in porta, eiúsque collo circumfusam, esse sibi gratulatam diuinum munus, atque dixisse, *quæ eram sterilis, in vtero habebo.* Quod postremum verbum, corruptè in præsenti legerunt ij quos aiebam fabulari. Nempè quasi dixisset Anna, *quæ eram sterilis, in vtero habeo.* Vt vt sit, mera fabula est, quod B. Virgo sit ad eum modum concepta. More enim cæterorum fœtuum humanorum, ea permistione coniugum conceptam fuisse, disertè tradit Iacobus ille à sancto Eustathio adductus, & Petrus Damiani serm. 3. de Natiu. Virg. verbis illis. [Per coitum quidem est genita, sed non per efficaciam coitus enixa.] Idest, aliter concepit ipsa Christum, quippe absque coitu; aliter concepta est, per parentem scilicet commistionem. Perpulchrè Theophanes in Symphonia veteris, ac noui Testamenti, adductus à Turriano lib. 2. de Eccles. contra Sadeëlem cap. 5. id ait ab Isaia pronunciatum, cum Virginem virgæ de radice egredienti, Christum flori comparauit. Nam radix non est quid simplex & vnius formæ, sed ex diuersis partibus constat, quibus qualitatem terræ attrahit, & in vnum corpus coalescens, arborem super terram producit. Sic Virgo iuxta hunc authorem ex maris & fœminæ coniunctione, prodiit. Christus autem est flori collatus quia ex sola Virgine absque alterius coniunctione est eggressa, vt flos & virga. Idem habet S. Fulbertus serm. de Natiuit. B. Virginis, nec non S. Epiph. hær. 79. admonens quod circumferturex historia de ortu Deiparæ, nempe Angelum Ioachimo apparuisse in deserto, ac dixisse, *vxor tua concepit*; ita accipiendum esse, vt non pugnet cum conceptione ex vsu coniugij: ac proinde sensum esse, *vxor tua concepit, secundùm Dei præscientiam*, in qua quæ facienda sunt, censentur iam facta, iuxta illud *qui fecit quæ futura sunt.* Quare S. Epiph. illud *concepit*, interpretatur *concipiet*; vtique (vt disertè admonet) non absque coniugij vsu, qui etiam præcessisse poterat, quamuis conceptæ prolis annunciatio postea sit facta. In Canone (vt Græci vocant), edito ab Andrea Cretensi de conceptione B. Mariæ ex Ioachimo & Anna, quod hic tradidimus, egregie, & perspicuè his verbis traditur. [Dominus noster, Deusque, animatum sibi templum, domúmque sanctam in qua habitaret parare volens, misso suo Angelo ad iustos Ioachim & Annam, ex quibus suam carne matrem prodire voluit, infœcundæ sterilisque conceptionem prænunciauit, quo Virginis generationem astrueret. Quamobrem concepta est S. Virgo Maria, nataque, non vt quidam dicunt, septimo mense, vel sine viro; sed est nata nouem completis mensibus; atque vt ex promissione, ex viri tamen coniunctione & semine.] Videatur insuper Isidorus Thessalon. orat. de Virg. præsentat. sub initium.

Saltémque adiuncto ei vsui, raptu.

11. ALij ita admiserunt adhibitum esse ad hanc conceptionem coniugale commercium, vt tamen prorsus abfuerint à coniugibus ei operam dantibus, motus concupiscentiæ. Ita significatum putant ex reuelatione à B. Virgine facta S. Brigittæ quam Carthusianus lib. 1. de laud. Virg. art. 6. recitat, & habetur apud ipsam sanctam Brigittam lib. 1. cap. 19. verbis illis. [Coniugium patris mei, & matris, tanta castitate coniunxit, vt tunc non inuenirent castius coniugium, & nunquam conuenire vellent, nisi iuxta legem, solummodò causa suscitandi prolem. Et cum sibi nunciatum esset ab Angelo, quod Virginem parerent, vnde salus mundi procederet, magis voluissent mori, quàm carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat. Tamen pro certo dico tibi, quod ex charitate diuina, & ex verbo Angeli nunciantis, conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluptatem suam, ex diuina dilectione; & sic ex semine eorum, per diuinam charitatem, caro mea compaginata est.]

Videtur idem velle S. Hildefonsus serm. de Natiu. Virg. cuius initium est. *Audite fratres.* Sic enim loquitur de S. Virginis conceptione. [Maria virgo, non sic est nata, sicut solent pueri vel puellæ nasci. Sed Anna sterili, & patre iam sene, extra consuetudinem mulierum, post refrigescentem calorem, & sanguinem iam tepidum in pectore refrigescentem, & omnem amotum libidinis discessum, mundo corpore ab omni pollutione carnali orta est. Sic enim Dominus voluit, vt de tali vasculo mater sua nasceretur.] Nec obscurè idem tradit Fulbertus serm. 3. de Natiu. B. Virginis, cum ait, haud esse dubium quin in huius prolis conceptione. [Vtrumque parentem, viuificus & ardens Spiritus singulari munere repleuerit, quódque ab eis sanctorum Angelorum custodia seu visitatio nunquam abfuerit.]

12. Audi etiam S. Germanum orat. de Natiuit. Deip. *sub finem.* [Precibus horum (Ioachimi & Annæ) dedit sterili sobolem, quam ad Deum fusa proseminauit oratio, & coniugij fructum quem spes progerminauit, flósque perpetuò florens effloruit æstu expertis prolis. Facta mater quæ antea sine sobole; & surculum progerminans, quæ germen nunquam produxerat. Et quid hac quæso sobolis germinatione venerabilius? Quid magis inopinatum, quàm Dei matrem cernere? apertum quidem sed non corruptum vterum, non seminati ventris fructum castitatis proferentem, ac Virginem è sterili & orba germinantem?] Dei matrem, *æstus expertem prolem*, dixisse videtur S. Germanus, eamque è sterili effloruisse precibus proseminatam, vt significaret, eum procreationis modum ex parte parentum, quem innuebi ab aliquibus diximus. Nimirum à Galatino lib. 3. de arcanis cap. 8. cui præiuerat Robertus Guaguinus in in Tractatu Metrico de Conceptione B. Virginis contra Vincentium de castro Nouo, vbi illum conceptionis modum fusè stabilit, nominatim ex eo quod omnibus consentientibus, possit dæmon hominis dormientis semen sine voluptate eius deducere, & inde formare prolem in vtero fœminæ. Concludit post multa.

Sacro igitur compluta caro diuinitùs imbri,
Dans operam gnatis, non cupit, & generat.
Non dederim cunctis hoc munus, sed quibus alget
Mens vitio, & totam spiritus intus alit.

Itaque iuxta Guaguinum, non fuerit id peculiare decus parentum Deiparæ, sed aliis quoque sanctis & maximè spiritualibus coniugibus idem contigerit, quod in solis Deiparæ parentibus agnouisse diximus Galatinum. Et subscripserunt Fernand. in cap. 59. Genes. sect. 14. num. 4. & sectione 9. num. 15. Ioannes Maris Zomarus lib. 2. de Eminentiss. Deiparæ perfect. cap. 17. num. 9 Spinellus libro de Throno Dei cap. 18. num. 8. ac Nouarinus in vmbra Virg. cap. 35. num. 1220. quicum Galatino, existimat id esse commodum ad auertendum à Deipara peccatum originis. Nam quemadmodùm iuxta

D. Auguſtinum l. 2. Ciuit. cap. 26. in ſtatu innocentiæ coniuges ad procreandam prolem conueniſſent [ſine libidinis morbo, & ſine ardore ac illecebroſo ſtimulo, cum animi & corporis tranquillitate;] ita hi ſanctiſſimi coniuges, Ioachimus & Anna, priuilegium ſtatus innocentiæ, ob innocentiſſimam prolem ex eis concipiendam nacti, caruerunt inter concipiendum œſtro illo quod vulgares coniuges in illo opere occupat, & impotentiſſimè abripit, abſorpta ratione, & infoſſa intra illum delectationis ſenſibilis gurgitem, ea fomitis effrœnatione exiſtentem, iuxta illud S. Auguſtini 14. ciuit. cap. 16. [Cum *libido* dicitur, nec cuius rei ſit *libido*, additur, non ferè aſſolet animo occurrere niſi illa, qua obſcœnæ partes corporis excitantur. Hæc autem ſibi non ſolùm totum corpus, nec ſolùm extrinſecùs, verum etiam intrinſecùs vendicat, totúmque commouet hominem animi ſimul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto; vt ea voluptas ſequatur, qua maior in corporis voluptatibus nulla eſt: ita vt momento ipſo temporis, quo ad eius peruenitur extremum, penè omnis acies & quaſi vigilia cogitationis obruatur.]

53. Caruerunt igitur ſancti hi coniuges eo furore, iuxta hos Doctores: habuerunt autem è contrariò, defœcatiſſimum actum contemplationis, & ardentiſſimæ deuotionis voluntatem ſumma ſpirituali dulcedine perfundentis: nec aliter eos ſpiritualiter inebriantis, (quamquam ſaluo rationis vſu) quàm corporaliter inebriatus ſit Loth, cum filias ſuas faceret matres. Et verò quis motus concupiſcentiæ, & ardorem libidinis excitaſſet in his ſanctis coniugibus? Corpus certè eorum frigebat, & vt de Zacharia & Elizabetha Ioannem concipientibus, ait Petrus Chryſol. ſerm. 91. [Tranſierat tempus carnis, voluptatis cauſa, cupiditatis ſenſus.] Deum ignibuli illius emortuus ardores, & extinctos ignes reaccendere, par non fuit. Igitur carneæ fuligines è libidinis vaporario, & motus verè pudendi inde exiſtentes, prorſus abfuerunt à commercio parentum, quo B. Virgo concepta eſt, iuxta authores prædictos. Nec tantùm SS. hi coniuges Virginem abſque vllo prorſus peccato ſuo genuerunt, (quod probabile eſſe ait S. Bonau. in 3. d. 3. part. 1. art. 1. quæſt. 2. ad 4. meritóque S. Vincentius ſerm. 2. de Natiu. Virg. ſtatuit vt planè verum;) ſed etiam abſque carnis motibus, & ſenſu voluptatis conceperunt.

Subſcriberem, ſi priuilegij quod inuehunt, diuinas tabulas, ex ſcripturis & traditione proferrent. Sed cum nihil tale adducatur, ſtandum eſt iuri communi, vt factum diſertè eſt à S. Bernardo epiſt. 174. *ſub finem*, agnoſcente, non defuiſſe libidinem inter maritales complexus Ioachimi & Annæ, quibus Deipara concepta eſt. Et quamquam fateor, defuiſſe prorſus peccatum coniugum, ſic conuenientium, quod S. Bernardus videtur negare; tamen libidinem, id eſt concupiſcentiæ motus, quibus obſcœnæ partes corporis excitantur, iuxta S. Auguſtini doctrinam 14. ciuit. cap. 16. perperam hic negari, concedo. Nec motus illos concupiſcentiæ Deus excitauit, (tametſi cum peccata non ſint, nihil vetuiſſet, Deum ipſum, vel eius iuſſu SS. Angelos id præſtitiſſe;) ſed naturaliter conſequebantur, ex reddito diuinitùs membris generationi deſeruientibus vigore & calore ad huiuſmodi functionem neceſſario. Idque niſi fateamur quoad hos SS. coniuges, æquè admittendum erit, Abrahamum & Zachariam, ac ſi qui fuere alij, prolem diuino beneficio adepti poſt tranſactum tempus carnis, eodem priuilegio fuiſſe honeſtatos, quod nemo hactenus finxit præter fortè Guaguinum ſupra adductum ſed hac in parte explodendum, æquè ac cum de Baptiſta ibidem canit, *Pars 1. punctum 1. Virginis conceptio.*

Conuerſa eſt natura, parit longæua virago,
Non ſatus incluſus ventre ſalutat herum.

An Baptiſta non ſatus? Sed ad rem. Igitur Virginis parentes, aliter filiam genuiſſe, quàm cæteros parentes liberos ſuos gignant, nihil perſuadet. Hinc verò officij nitori huius conceptus, haud aptè dicitur. Non enim proles inquinatur peccato originali ob parentum inordinationem in commiſtione, tametſi ita ſenſit Fauſtus Rheg. lib. 1. de gratia & lib. arb. cap. 2. & vt videtur S. Ildephonſus ſerm. 1. de Purif. ſed non rectè. Nam licet parentes, abſque vllo ſenſu libidinis, & ordinatiſſimè ac nitentiſſimè congrederentur; proles tamen macularetur peccato originis, quod præciſè adiungitur propagationi ex Adamo, vt præter cæteros benè in hanc rem proſequitur libro primo de natura & gratia capite 9. *ſub finem.*

Item quod genuerint ex materia Adami innocentis.

54. MAteriam ex qua corpus Virginis in conceptione coaluit, ſunt qui aſſignant valdè illuſtrem; quippè quæ in Adamo adhuc innocente, formaliter & actu præfuerit, & ab eo fuerit diuinitùs ſeparata, ad compingendum ſuo tempore corpus Virginis, priuſquàm Adam innocentia & fœlici illo ſtatu excideret. Hoc video duobus modis accipi poſſe. Primò, vt ſenſus ſit, partem ſeminis è lumbis Adami innocentis diuinitùs deciſam, per omnes ab Adamo generationes deſcendiſſe ad Ioachimum. Sic cenſuit Petrus Comeſtor l. de laudibus S. Mariæ quem memorat Trithemius V. *Petrus Trecenſis* & in octauo excuſum ab ſe viſum ſcribit Molanus in ſua M. S. Bibliotheca ſacra referente Auberto Miræo in ſcholiis ad cap. 32. libij de Scriptoribus ab Henrico Gandauenſi, concinnati. Idque aſſeruiſſe Petrum vt immaculatam B. Virginis conceptionem commodiùs poſſet tueri notat Molanus. Secundò poteſt accipi quod referebam, de particula carnis Adæ adhuc innocentis exempta diuinitus, & conſeruata vt pro tempore formaretur ex ea B. Virgo. Et fortaſſis hi duo modi dicendi eodem recidunt, niſi quod qui hunc ſecundum dicendi modum vſurparunt, vt honeſtiùs ac caſtiùs loquerentur, pro voce *ſeminis* adhibita à Petro Manducatore, vſurpamur vocem *carnis*. Vnde quod contra vnum dicendi modum proferetur, æque alterum oppugnabit. Excutiamus ergo ſecundum propoſitum dicendi modum. Habet hanc doctrinam Chriſtoph. Auendanius in Mariali agens de natiu. Virg. diſcurſu 1. Et probat ex eo quod S. Lucas genealogiam Chriſti ex Adamo per Deiparam, obſignat verbis illis, *qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Quod eſt dicere, Adamum fuiſſe quidem mediatum Virginis patrem, non tamen in qualicunque ſtatu ſpectatum, ſed cum adhuc eſſet Dei, nec peccato oblitus, tranſiſſet in mancipium ſatanæ. Tunc enim, (inquit Author prædictus,) [reſeruauit Deus de carne Adæ, vt inde formaret corpus quod futurum erat totius puritatis & munditiæ receptaculum.] Eóque refert, quod habetur in 6. Sinodo actione 11. & 12. [A diuinitate, aſſumpta eſt noſtra natura, illa quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt præuaricationem vitiata.] Confirmat idipſum ex S. Ambroſio,

cuius

cuius hæc verba refert. [Expiata est Spiritu sancto caro Domini, vt in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.]

15. Hæc doctrina, non potest excusari eo quod à Concionatore prolata sit. Nam & scriptis est commissa, quibus æstus oratorius non potest obtendi: & quod maximè aduertendum est, idcirco debuit accuratiùs expendi, quia in concione proponebatur. Non dico debere concionatores, siue de B. Virgine, siue de aliis argumentis disputent, subtilitates scholasticas, & quæstionum difficilium implexitates in populum spargere, quod aliqui parum cordatè faciunt. Tantum itaque dico, quæ ad populum proponuntur, eo ipso quod simplici plebeculæ proponuntur, debere esse vndecunque solida, & ab omni doctrinæ fermento aliena: Cuiusmodi certè non est, quod hîc asseritur de materia è qua formatum est corpus Deip. Si enim Deus reseruauit carnē ab Adamo innocente decisam, è quo Adami membro truncato eam carnē abstulit? Quid verò pro ea suppleuit, vt pro costa in Euæ substructionem ablata? Vbi porrò eam carnem reseruauit? Reseruatio enim illa fert, vt caro aliqua in hunc vsum seposita, sit decisa ex carne Adami, priusquàm is inficeretur peccato. Vbi ergo carnem sic sepositam, & per tot sæcula asseruandam, reposuit Deus? Aut quomodò inde compactum suo tempore est corpus Deiparæ, quod constat non ea carne Adami immediatè, sed ea semine coaluisse? Nisi si fingamus, ea carne ex Adamo decisa, diuinitùs suppeditata, cibatos esse Virginis parentes, & ea eo cibo in materiam accommodatam fœtui ritè conuerso, efformatum esse corpus Virginis; quod quantis diuinationibus sit refertum, me tacente res loquitur. Tale quid autem somniasse, vel sextam Synodum, vel S. Ambrosium, est apertè falsum. Tantum quippè significarunt, nitorem, & innocentiam humanitatis à Verbo assumptæ. Multo minus sic inepiuit S. Lucas, cum dixit, Adamum cum factus est, fuisse Dei? vt voluerit figmento proposito astipulari, qui apertè tantùm voluit, Adamum non à creato parente genitum esse, vel cæteros quos recensuerat, eodem modo quo ipse ortos fuisse. Duplicis verò illius ordinis, à Luca & Matthæo in Christi genealogia texenda seruati, pulchram rationem dabit Paulinus lib. 2. contra Felicem *in fine*.

Verùm iam fastidio abuti lectoris otio in his insulsitatibus refellendis, quæ tametsi aliquid habere videantur affine sententiæ Galatini lib. 7. de arcanis cap. 4. quæ priùs fuit Magistri sententiarum in 2. d. 30. *in fine* de portiuncula substantiæ Adami, ad quemcunque nostrum illibatè, & irresolubiliter deriuata; fortéque ad illius fabellæ similitudinem, ista quoque sit concinnata; plurimum tamen inter se differunt: éstque ista multo absurdior, cum carnem iam carnem, sepositam & reseruatam in vsum fabricandæ Virginis comminiscatur, quod non dicitur in illo Magistri commento ab omnibus exploso, & latè à Suare t. 2. 3. p. d. 44. sect. 2. Itaque peruelim ego sanè, eos qui vel dicunt ad populum, vel quæ dixerint scribunt, & diffundunt per orbem, abstinere tam crudis ineptiis, quæ cum ad hæreticos, & erga fidem malè animatos permanant, mirum quantum rebus nostris incommodent; & quibus sannis impiorum, obiiciant quæ essent omni veneratione prosequenda. Sed tanti plerisque est ineptire, & audire propolas inauditorum ante hac mysteriorum.

Insuper quod in momento, atque adeò exclusa astrorum cooperatione, genuerint.

16. SVnt qui præterea, ad augenda decora & prærogatiuas conceptæ Virginis, negent cooperatum Solem & astra generationi Deiparæ, ex coniugali parentum commercio conceptæ, vt in cæteris conceptionibus coperantur, iuxta illud *Sol & homo, generant hominem*. Inde hoc negat Poza lib. 2. tract. 16. cap. 1. quod caro Deiparæ in momento sit formata, & figurata, vnde non potuerunt cœli, vel astra ad eam conceptionem concurrere, cum lentè duntaxat & successiuè operentur. Vel si quod fuerunt reuelationes B. Amedei Minoritæ cuius laus est in Chronico Minorum p. 3. lib. 6. cap. 30. anima infusa est corpori Deiparæ, sex horis ab vsu matrimonij parentum, carne præter morem breui illo tempore, formata atque configurata; tam exiguus fuit cœlorum in hunc conceptum influxus, vt pro nullo haberi possit.

Fundamentum illud de formatione, & figuratione momentanea corporis Deiparæ, statim atque coniugale parentum commercium antecessit, multipliciter stabilit Poza lib. 3. tract. 2. cap. 4. allegatis pro eadem opinione Philippo Malla qui Parisiis claruit sub finem sæculi penultimi, & Iacobo Granado lib. de concept. B. Virginis. Rationes quoque proferuntur, sed illa duntaxat est alicuius momenti quod eadem die, 8. scilicet Decembris, conuenerint parentes Deiparæ, & animata sit proles. Nam historica narratio de ortu Deiparæ, apud Hieronymum, disertè prodit, Ioachimum Hierosolimis repulsam passum à summo sacerdote, ob sterilitatem in festo encœniorum quod exeunte Nouembri celebrabatur, regressum esse Nazarethan, seu potiùs in montem vicinum, vbi mœrore contabescens, diuino viso de futura vxoris grauidatione certior est factus. In quo regressu & mœrore, clarum videtur insumptos esse paucos illos dies qui procurrunt à finito sub extremum Nouembrem festo Encœniorum, ad octauum vsque Decembris quo Ioachimus diuino monitu domum repetiit, & rei vxoriæ operam dedit. Et quamuis non omne illud tempus esset insumptum, priusquàm Ioachimus domum & vxorem reuiseret, perinde esset ad rem præsentem. Nam certum est, Deiparam natam esse 8. Septembris, vt habet certa Ecclesiæ traditio, consignata in omnibus antiquis Ecclesiasticis tabulis, & firmata consensu omnium Doctorum. Cum ergo à die 8. Sept. ad 8. Dec. regrediendo, non nisi nouimestre solidum decurrat, quod ab animatione fœtus ad extremam vsque confirmationem & plenam maturitatem debet intercedere; concluditur necessariò, octoginta illos aut paulo pauciores dies, qui à commixtione parentum ad inde conceptæ fœmellæ animationem de Medicorum ac Philosophorum sententia interueniunt, cum fœtus naturali more conformatur, non præcurrisse animationi B. Virginis, ea quo materia ad eam concipiendam maternæ aluo iniecta est. Ac proinde necessariò sequitur, moras ordinarias animando humano conceptui necessarias, non esse circa Deiparam seruatas.

Quandoquidem ergo fateri cogimur, animationem corpusculi virginei, præter naturæ vsum, ac leges breuiorem solito fuisse; ita vt cum alij fœminei fœtus octoginta circiter dies ab ingesta materia ad eius animationem deposcant, hîc tamen manifestum sit,

sit, vix nisi de octiduo certari posse, an sit animationi materiæ collectæ præmissum, quidni vltrò demus, quod statim apparet esse verisimillimum, ne illam quidem paucorum dierum remoram pro qua tricari liceret, interuenisse, Deo ad hoc singulare opus suum præcidente tarda molimina? Argumentum in speciem validum.

17. Mihi tamen ea momentanea materiæ aptatio ad animationem, & subita post commixtionem coniugum prolis animatio, nullo modo probatur, cum sit contra Patres vt monstraui, contineátque ingens miraculum, quod pro solo Christo agnoscit Ecclesia. Itaque tametsi admitto, Deiparam fuisse conceptam 8. Decembris, vt necesse est fateri, si verum est, eam post solita nonimestris in vtero commorationis spatia, natam esse octaua Septembris quod debet esse extra dubium, tamen nego, tempus aptandæ materiæ necessarium, non præcessisse. Nec enim 8. Decembris dicitur concepta Virgo, quia eo die est anima corpori immissa: sed quia interposito ea die congressu, à quo computatur nonimestre prolis in vtero; facta tunc est seminum permistio, & materiæ fœtus collectio, quæ est conceptio prima. Qua ratione non quæritur authoritas libri de ortu Deiparæ apud S. Hieronymum. Quamquam si quæreretur, non multum referret. Nam tametsi eius libri fidem propugnat Castro in histor. Deip. ad calcem, contexens authorum Catalogum, *in Hieronymo*, itémque Spinellus in Throno Dei cap. 18. num. 3. Pinea lib. 2. tract. 15. cap. 1. & Canisius lib. 1. Mar. cap. 12. tamen infirmam admodùm esse eius authoritatem, euincunt Canus 11. de locis cap. 6. Baro. in appar. num. 33. Sixtus Sen. lib. 2. Bibl. *in Matthæo*, & Molanus lib. 2. de imag. cap. 29. ac ante hos omnes S. Ansel. lib. de excell. Virg. cap. 2. & Fulbertus serm. 2. & 3. de Natiu. B. Virginis. Repudiauit quoque iam olim eum librum Monachus quidam Corbeiensis, contra quem scripsisse Hincmarum prodit Flodoardus lib. 3. Histor. Rom. cap. 23. sed ita tamen scripsisse ait, vt fateretur, [præfatam historiam nos habere ad lectionem, non ad proferendam authoritatem.] Non obscurè igitur, Hincmarus quoque, tametsi eum librum magnificè describi, & auro, ac ebore conuestiri curaret, (id quod ibidem cap. 5. narrat Flodoardus) censuit illius libri authoritatem esse admodùm firmam. Itaque Deiparam, tacitis incrementis, & more cæterorum fœtuum humanorum, vt supra cum Epiphanio & Damasceno loquebamur, conceptam & animatam esse, nullus dubitat. Quo constituto, ruit fundamentum negandi cælos ac solem in hanc generationem æquè ac cæteras influxisse; nimirum quia non potuerunt agere nisi successiuè, quam cooperandi tarditatem, subita corporis efformatio & animatio exclusisset.

Et quod fœtum ediderint absque ordinariis vasis, & tegumentis.

18. QVia verò in lenta materiæ ad animationem aptatione, & corporis iam fabricati, dum planè perficitur, consummata elaboratione, vsui sunt secundinæ, variæ inquam membranæ quibus corpusculum fœtus fouetur, & excrementa secernuntur; admittendum omnino est, huiusmodi inuolucra corpori Deiparæ intra maternum vterum non defuisse: quidquid sit, an defuerint Christo, de quo nonnulla est ambiguitas, præsertim ob canonem Trullanum, vt inferiùs prosequemur. At quoad B. Virginem, nulla occurrit vel apparens ratio dubitandi, tametsi recentiorum nonnulli, rem exploratam in dubium reuocarunt. Similitérque statuendum est de vena vmbilicari, qua fœtus matri connectitur, & de omnibus quæ ad alios fœtus humanos interueniunt. Nihil enim in hoc puncto singulare habuit conceptus passiuus B. Mariæ, quoad ipsam prolem, ac ferè etiam quoad matrem eius B. Annam; cui nonnulli recentiores, longa decem mensium fastidia de quibus Plinius lib. 7. cap. 6. prorsus adimunt; eo duntaxat nixi fundamento, quod scribat S. Brigitta 1. reuel. cap. 9. B. Annam aluo gerentem, omnibus incessisse lætitiis. Hoc tametsi est magna ex parte verissimum, tam quoad initia deprehensæ conceptionis, & abstersi opprobrij sterilitatis, quod pij parentes pro illius gentis vsu ad eam diem sorduerant, quàm pro reliquo tempore grauiditatis, cui orbis vniuersi gaudium ex diuina reuelatione agnoscebant esse consertum. Tamen fingatur cogitatione, Regina quæ diuinissimè mœrens quod nullos è matrimonij pacto flores, per multa annorum curricula legerit, quamuis ad totius regni bonum prolem cupidissimè expetiisset; tandem prægnans facta, in summa deprehensæ conceptionis lætitia adiunctorum prægnantium fastidiorum bonam partem gaudij sui vbertate obruat, nonnullam etiam partem experiatur. Videtis, num de B. Anna, philosophari ad eum modum congruat, vel etiam oporteat.

Pars 1. punctum 1. Virginis conceptio.

Clausula Rithmica de B. Anna Christi auia, sanctóque eius auo Ioachimo, & Virginis Matris per eos conceptione.

PLacet insulsitates hactenus propositas, condire apposito pio rythmo Iambico, de B. Anna, & Deiparæ ex ea Beatóque Ioachimo conceptione: sed presso scriptoris nomine, exemplo Lacedæmoniorum, quos author est Philo lib. quod deterius potiori insidietur, & Isido. Pelus. lib. 3. epist. 252. rectam sententiam, tacito authore improbo referri voluisse. Sic habet rythmus.

Salue parens sanctissima.
Sacro beata coniuge.
Sacratiore Filia,
Nepote sacratissimo.
Domo quid hac illustrius,
Ornatiusve? Quæ altera,
Tam multiplex habuit decus?
Tantum vna monstrorum tulit.
Hic maritum annis grauem,
Effœta annus facit patrem:
Est Virgo fœta, filia,
Nepos, Dei Verbum, ac Deus.
Gener pudicus se negat
Partus parentum vxorij
At integram iurat, neque
Riuale palles suspicax.
Ergo Anna mater optima
Cumulatiùs multo tuas
Lachrymas Deus solatus est
Quàm vel Rebecca, vel Sara.
Vel illius quæ te refert.
Et rebus & vocabulo
Qua dum silenter anxij
Proferret æstus pectoris;
Visa est Heli multo mero
Amens, parúmque sobria.

At

At te pio cum coniuge,
Amore prolis annua
Templis ferentem munera
Procax sacerdos repulit.
Heus inquit, hinc mihi ocyùs
Profana vota tollite.
Ipsi simul procul, procul
Aris sacris absistite
Vestra Deo denaria
Futura grata creditis?
Quorum pudenda nuptiæ
Præter libidinem nihil,
Luxum & senilem scilicet,
Tanto tulere tempore.
Quò se locorum verterent
Vultus pudentum coniugum,
Repulsa quos tam fœda, tam
Insignis exanimauerat?
Ioachim pudorem non ferens,
Gregum ad suorum pascua
Se proripit; Tristis suam
Recepit Anna se Domum.
Largis vterque fletibus
Votisque pertinacibus,
Orare non cessat Deum,
Vt probè probrum tolleret.
Cælum penetrarunt preces
Adest ab astris Angelus
Qui prole promissa graues
Luctus iuberet ponere.
Surgunt alacres, inuicem
Narrare visa gestiunt;
Porta maritus aurea
Se quæritantem coniugem
Offendit; hic latus stupor
Dulces vtrique lachrymas
Excussit; hinc modicos lares,
Iunctis reuisunt gressibus.
Haud vana vox oraculi,
Lusit piam seruum fidem,
Bis luna nata quinquies
Annam videt puerperam.
Tanto quidem feliciùs,
Fœcunda quanto seriùs,
Fit Anna filiæ parens,
Nec filiæ cuiuslibet;
Sed filiæ quæ fertilis
Eademque Virgo gigneret.
At quem beata gigneret
Summi parentis filium.
Qui sceptra terræ & ætheris,
Cum Patre habet communia,
Qui Deus & idem homo, necis
Authore victo per necem;
Vitam reduxit mortuis,
Aperuit in cælos iter.
O tèrque quatérque, & ampliùs
Parens beata, nam potes,
Iuua preces mortalium
Tuo vacantum cultui,
Nam te patrona quilibet
Speramus assequi; modò
Voles, volétque & Filia.
Nec huic petenti pusio,
Negare quicquam nouerit.
Amat parentem filius.
Neque Filio negat Pater
Amans & ipse Filium.

Elegans carmen Elegiacum de B. Anna, à Rudolpho Agricola voti reo ob exoratam eius precibus à morbo grauissimo sanitatem, legere licet inter sermones Lanspergij, post sermonem de S. Anna.



PVNCTVM II.

Natiuitas Virginis, & eius adiuncta.

1. XACTA à conceptu nonimestri periodo, beatissima infantula edita in lucem est, Angelis (Quod habet B. Brigitta in serm. Angel. cap. 7.) festiuè plaudentibus, gloriámque in excelsis Deo, & in terra pacem hominibus, pro tam bona Dei optimi maximi voluntate concinentibus. [Nascitur ergo (vt dicam cum Isidoro Thessalonicensi orat. de præsent. B. Virginis) sacratissima hæc pulchritudo expressissimè Deum referens, & summè Deiforme speculum, diuinitùs micans splendor, Deum oblectans iubar, Deum condecens formositas, & sponsa, & filia Deo reseruata Maria; è sterili quidem, & infœcundo vtero sed anima fœcundissima, fructuúmque Deo placentium feracissima.] Iuuat in omnia huius Natiuitatis adiuncta studiosè inquirere.

Tempus & locus, Natiuitatis Deiparæ.

ANnum editæ in lucem Virginis, de quo disputant, Canisius lib. 1. de Deip. cap. 11. & Castro cap. 2. histor. num. 8. signare necesse est penes annum editi ab ea Christi, indéque de anno Augusti & Herodis Idumæi pronunciandum. Infinitam diligentiam probauit hac in parte Poza lib. 1. Elucid. Mensem ac diem, compertum habemus ex Ecclesiastica traditione, quæ fert, editam Deiparam 8. Septembris. Ac vt mysterio responderet temporis circumstantia, beatam infantem, quæ solis Iustitiæ aurora in Canticis dicitur, Ruperto teste lib. 6. comment. in Cant. itémque Innocentio serm. 2. de assump. Virg. Philippo Abbate, Hugone Victorino serm. 34. S. Baunau. in specu. cap. 9. Petri Damiani insigniter serm. 40. Richardo à S. Laur. lib. 7. de laud. Deip. *pag.* 463. ferunt illucescente aurora esse natam; quod ex reuelatione quadam prodidit Azor t. 2. lib. 1. cap. 19. quæst. 8. & Poza lib. 1. tract. 3. cap. 5. Sed Gulıel. Durandus quem allegant lib. 7. ration. cap. 28. num. 2. non refert reuelatum esse, Deiparam natam esse in aurora, sed in nocte; & quod ibi addit tres celebrari sanctas natiuitates; Ioannis, vt luciferi, Mariæ vt auroræ, Christi vt solis; non plus probat B. Mariam esse natam in aurora, quàm probet Christum esse natum de die; quem constat natum media nocte. Est igitur duntaxat mystica, & symbolica expressio Virginis per auroram. Nec tamen sollicito vel conuello persuasionem illam de Deiparæ sub auroram nata, vel in aurora. Nam id quoque tempus, noctis nomine venire potest, cum non sit dies adulta. Vnde quod ait Durandus, reuelatum esse, Deiparam noctu natam, potest de tempore illucescentis auroræ verum esse.

2. Locus Natiuitatis Deiparæ, fuit Bethlêem, iuxta Christianum Druthmarum in cap. 1. Matth. ac Theophilactum in cap. 2. Lucæ, ac veterem Rabbinum adductum à Galatino lib. 7. cap. 12. Alij natam dicunt Deiparam, Sephori Galileæ ciuitate, quam S. Hieron. lib. de locis Hebr. vocat Diocæsaream. Ita sub disiunctione Abul. in c. 1. Matth. quæst. 91. At

natam

natam Hierosolimis Deiparam, affirmat Adricomius in descriptione Ierusalem num. 37. Nec Barrard. t. 1. lib. 6. cap. 5. *in fine*, dissentit. latè autem consentit Poza lib. 1. tract. 8. cap. 3. adducens S. Brigittam l. 5. reuel. c. 13. & antiquum Hodœporicum Gulielmi Bandenseli nec non Cotouicum l. 2. Itinerarij, & alios pleros que oculatos testes, qui referunt demonstrari Hierosolimis domum, iuxta probaticam piscinam, vbi Deipara affirmetur nata. Addunt aliqui, non aliunde tunc primùm ioditam esse, nec inde multo post ablatam probaticæ illi piscinæ, virtutem curandi ægros in illam demissos, quàm ex vicinia domus, in qua Deipara lucem primùm vidit: quæ idcirco à Damasceno orat. 1. de Natiu. Virg dicta est *sancta probatica*. Hoc idem Poza fusè prosequitur libro 1. tract. 7. capite 2. Ad extremum alij quos magno numero appendit & sequitur Benxonius, in Psal. 86 cap. 21. ac nominatim Hippolitus apud Nicephorum lib. 3. cap. 3. & liber de ortu Deiparæ apud S. Hieronimum, ex recentioribus autem Castro in histor. capite Secundo contendunt B. Virginem ortam esse in Nazareth Galilææ, quam fuisse sedem habitationis Ioachimi, receptissimum est apud veteres. Postremæ huic sententiæ, haud Inuitus subscribo, quod non videam, cur S. Anna, quæ potiùs, (vt de Elizabetha legimus) quod ex vetere senectutis, ac sterili fusura esset infantem, abscondisse se non modico tempore videri potest; ad partum, capitarit solem amplissimæ metropolis, mutata adeò serò antiquæ commorationis sede Nazareno.

Angelo in Natiuitate concreditam, qui negarint.

3. PRædicto igitur loco ac tempore, nata est Deipara, haud absque præuiis miraculis, vt coniectat S. Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 2. An autem eidem, statim ac nata est, pro cæterorum infantium more, Angelus custos fit datus, variant sententiæ. Negant Mayro, & eum secutus Pelbartus Rosario 2. V. *Angeli* 10. §. 1. 12. & lib. 5. Stellarij p. 2. art. 1. *sub finem*, qui contendunt Deum seipso suppleuisse munus Angeli Deiparam custodientis, ideóque non fuisse Angelum illi ad custodiam necessarium, siue vt auerterentur pericula, siue vt conferrentur lumina, aut gustus bonorum curarentur. Admittunt tamen datum esse Deiparæ à natiuitate, Angelum ad famulatum, imo quod (quod nulli fidelium dubium esse ait Fulbertus sermone 3. de Natiu. B. Virginis) Angelos multos stipatores, quibus vnus aliquis nobilissimus præesset, quem fuisse Gabrielem, ex communi existimatione tradit Pelbartus. Aut non multum, aut nihil ab hac sententia abest Poza libro secundo tract. 16. capite tertio nam tametsi agnoscit, assignatum Deiparæ Angelum custodem; negat tamen aliquid ad custodiam pertineos executum voquam esse, vel ad id fuisse assignatum. Itaque non aliter habuisse se putat, quàm habitum pœnitentiæ, qui Deiparæ collatus est ad merum ornatum, etiamsi semper futurus esset otiosus. Admittit tamen concedenda esse Angelo illi custodi nonnulla ad obsequium pertinentia, vt manifestationes diuinorum mandatorum peculiarium, exhibitionem precum à Deipara fusarum pro aliis, vel pro seipsa Angelo interpellante ad repræsentandas Deo huiusmodi preces, & si quæ sunt alia ad custodiam non attinentia, sed ab obsequium duntaxat. Quæ tamen circa nos ab Angelis prout custodibus benignè præstantur, puta dæmones coërcere, immissas ab eis prauas cogitationes auertere, vel deinceps immittendas præcauere, plenè illustrare mentem, & propensionem in bonum promouere; hæc

Angelo B. Mariæ custodi; quem c. 5. censet fuisse Michaëlem, quippe Angelicorum spirituum supremum; negat author prædictus; quem proinde aiebam, parum aut nihil abesse à sententia Pelbarti ac Mayronij, negantium Angelum Deiparæ custodem, nec agnoscentium assignatum esse et Angelum, nisi famulum multis aliis beatis spiritibus ad idem obsequium à Deo destinatis præfectum. Idem significat Becanus opusc. 14. cap. 9. *Pars 1. Pars tium 2. Natiuitas Virginis.*

Contrarium verius.

4. MIhi tamen magis arridet sententia quæ simpliciter admittit, Deiparam Angelo custode non caruisse. Tradit eam Abulensis in cap. 8. Matth. quæst. 60. Suarez lib. 6. de Angel. cap. 17. Mendoça lib. 2. florum sacrorum problem. 8. Albertinus lib. de Ang. custode cap. 4. Ex Patribus idem disertè tradunt S. Ildeph. serm. 5. de assumpt. Sophro. serm. de assump. S. Bernardus epist. 77. Ratio est, quia tametsi Angelus non potuit erga B. Virginem præstare omnia illa quæ Angelus custos exhibet passim hominibus tutelæ suæ concreditis, potuit tamen pleraque præstare; vt auertere externa mala, edocere de variis rebus hîc & nunc faciendis, illustrare quoad varia pro diuinæ sapientiæ arbitrio. At hæc satis supérque sunt ad statuendum, Deiparam non caruisse Angelo custode. Sicut tametsi paruoli recens educti ex vteris matrum, non sint alterius Angelicæ custodiæ capaces quàm liberationis ab externis periculis, tameo admittimus, eos statim ab ortu, accipere à Deo Angelum custodem. Hunc Angelum respectu Deiparæ fuisse Gabrielem, communissima persuasio est hausta ex variis Patribus, quos in banc tem profert Feüard. in Append. ad Castrum V. *Angelus* bæt. 3. & Christophorus Castro l. 1. histor. n. 9. Nec videtur probandum quod Abul. q. illa 60. commentus est, de multiplici pro variis temporibus Angelo custode Deiparæ; quasi ab orto ad Incarnationem Verbi, vnum aliquem è minoribus Angelis habuerit custodem; quia tunc non habebatur nisi vt priuata persona: postea verò cum concepit Christum, quia spectabatur vt persona publica, mater Dei, acceperit sublimiorem Angelum; qui se subduxerit & priori locum cesserit, post Christi mortem, iam consummata humanæ salutis negotiatione. Hoc negrò videri admittendum. Nam Deipara in conspectu Dei semper fuit persona publica & dignitatis præcellentissimæ, quæ non excidit post expletam humanæ salutis procurationem: vt proinde independenter ab ea procuratione, ratione solius suæ personæ, eundem semper de Angelorum primoribus vnum, hoc est Gabrielem, sortita sit diuina designatione custodem.

Temperamentum Virginis, præcellentissimum.

5. EDita per singulare miraculum ex annosis & sterilibus parentibus puella, ac in ipso ortu, Angelo præcellentissimo concreditæ, naturalem corporis perfectionem, facile est ex eo deprehendere, quod Dei perfecta sint opera. Quis verò dubitare possit, quin Deus qui ex hac puella Christo suo carnem quandoque decerpturus erat, ita vt eius aliqua portio futura aliquando esset caro ipsiusmet Dei, vt piè admodùm considerat Petrus Damiani l. 1. de Natiu. Virg. non specialiter prouiderit, vt corpus illud in suo genere maximè perfectum & optimè constitutum euaderet? Non dico Temperamentum B. Virg. fuisse *ad pondus*, vt vocant; quasi scilicet in ea omnes primæ qualitates, saltem ratione totius corporis, habuerint

habuerint æqualitatem: quod contendit Ioannes Maria Zamorus lib. 2. de Eminentiſſ. Deipa. perfect. cap. 29. refellendus per ea quæ de talis Temperamenti ad humanam vitam ineptitudine, diſputata ſunt cum de mixto. Non igitur tale Temperamentum Virgini arrogo; ſed illud in quo eſt æqualitas Iuſtitiæ; ita vt & omnes partes ſingillatim, & corpus vniuerſum in B. Virgine exquiſitè fuerit temperatum. Multipliciter id à poſteriori probat Dionyſ. Cartuſ. l. 1. de laud. Deip. art. 35. ſed optimè confirmatur ex Chriſti conſtitutione corporea, præcellentiſſima & optima. Nam proles, parentibus conſtitutione & habitu corporis reſpondere ſolet, præſertim matri, quia ab ea plus accipit proles. Vnde illud Fabri inſtit. de nuptiis in rubr. num. 8. [Vt plurimum pueri matrizant in corpore. Quæ etiam eſt ratio, ob quam cum de ſeruitute agitur, partus iuxta vulgare effatum, ſequitur ventrem, quia ſeruitus tenet ſe ea parte corporis, quod matre eſt præcipuè. Habétque eo magis locum hæc ratio inter Chriſtum & Deiparam, quàm inter alias matres & fœtus earum; quod cæteræ matres non conferunt planè totam materiam è qua fœtus compingitur, & & è qua habitus corporis in fœtum deriuatur. At B. Virgo, totam materiam ex qua Chriſti corpus coaluit, ſola ſuppeditauit. Itaque neceſſe eſt, eam temperamento, & habitu corporis, quàm ſimillimam fuiſſe Chriſto; de quo nemo ambigit, quin fuerint corporis temperamento intra humanam ſpeciem perfectiſſimo, & optimo.

Non æquo Chriſti & Deiparæ temperamenta, tum Spiritus ſanctus corporis Chriſti opifex, facilè quiuerit, materiam quam aſſumebat in Chriſti corpus & Verbi Dei tabernaculum; diſponere accidentariò, atque perficere, iuxta exigentiam finis in quem deſtinabatur, ſupra perfectionem accidentariam & bonitatem temperiei qua pollebat in corpore Deiparæ. Tantùm igitur dico, bonitatis illius, ac perfectionis, qua benedicta illa materia in ſolo ſuo exornabatur, coniecturam non leuem peti poſſe, ex perfectione, quam in Chriſto eſt nacta. Neque enim Spiritus ſanctus, niſi lectiſſimam materiam, iámque ex ſe probè affectam, adhibuiſſet ad tantum opus, vt in ſimili de materia corporis Adæ, philoſophatur Philo in Coſmopoeia. Neque tamen tuam præcellentem illius materiæ perfectionem vendito, vt iuxta aliquorum opinationem, miraculum fuerit procreari ex ea fœminam, non marem. Nam præcellentia illius, prouiſa diuinitùs eſt talis, quæ ſexui fœmineo, non virili conſentanea eſſet quod facile eſt intelligere etiam ſiſtendo intra prouidentiam naturalem, & ſecluſo ſpeciali miraculo.

Sanitas inde, ac pulchritudo, omnino eximia.

6 QVia verò temperamenti præcellentiam ſequitur ſanitas corporis, & venuſtas ſiue pulchritudo, meritò DD. paſſim agnoſcunt verumque illud decus humani corporis, eximium in B. Virgine fuiſſe. De perfecta ſanitate verum quemcunque morbum excludente, ita Galat. l. 7. c. 10. Caiet. opuſ. de ſpaſmo Virginis, ſiue t. 2 opuſc. 13. § *quod ſecundum* Molanus l. 3. de imag. c. 38. Suar. t. 2. 3. p. d. 1. ſ. 2. Poza l. 3. Elucid. tract. 10. c. 5. Nec refragatur Abul. in c. 15. Leuit. q. 53. tametſi contrarium ei tribuit Suar. Neque enim Abulenſis, morbum ſimpliciter dictum Virgini tribuendum contendit, pro quo ſolo excludendo per vniuerſam Deiparæ vitam ſatagimus. Quin etiam Molanus loco allegato, poſt Echium & Clyctouæum quos adducit, negat Deiparam in extrema vita ægrotaſſe, vel infirmitate eſſe vexatam, aut debilitate proſtratam, qua de re inferiùs.

7. Perfectam pulchritudinem Virg. reuocat aliquotiet in dubium Abulenſis parado. 1. c. 88. ſed non poteſt vlla ratione, vel negari vel ambigi quin B. Virgo fuerit corpore pulcherrima. Quod mihi ſatis perſuadet illa Philippi Abbatis ratiocinatio l. 2. in cant. c. 1. Quod illa Virgo quam ſibi ab æterno in Matrem, Dei Filius prælegit, in qua tempore congruo ſumens carnem membris contractioribus ſe coëgit: de qua naſci voluit, ſepe carnia, nouo genere non abruptâ; cuius factus eſt filius ante partum & poſt partum caſtitate penitus incorruptâ: quod illa inquam, Virgo inter cæteras, hoc eſt, præ cæteris mulieribus fuerit ſpecioſa, æſtimo dignum credi, nec eſt fides huiuſmodi vitioſa. Neque enim eſt credibile, vt Deus Dei filius Matrem elegerit fuſcâ luſcam, ſtrumâ notabilem vel gibboſam: & non magis vultu niueo, colore roſeo, gratis oculis, pleno corpore ſpecioſam, vt quæ ad officium dignius præ cæteris mulieribus eſt electa: eſſet non ſolùm quauis turpitudine non infecta, ſed & ſpecie corporali cunctis pulchrior & perfecta.]

Idem multipliciter confirmat Cartuſ. lib. 1. de laud. Deip. art. 34. paſsimque tradunt Patres. Andr. Cret. orat. de aſſumptione vocat, Virginem, [à Deo ſculptam ſtatuam, rectè deſcriptam viui archetypi imaginem.] Rich. Victor. ſuo cap. 26. in cant. vultum ei tribuit Angelicum, S. Bern. ſermone ſecondo ſuper *Miſſus eſt*, vocat [corporis decore præfulgidam.] Epiph. in encomio, [totam ſpecioſitate plenam] Placet iudicium Richardi à S. Laurentio libro 5. de Deip. tit. de corporali pulchritudine Deiparæ, vbi de ea minutiſſimè acturus, præfatur [ſi quis quærat de pulchritudine corporali diuæ Virginis, congruentiſſimè mihi videtur poſſe dici & credi, eam præ filiabus hominum ſpecioſam, quæ ſpecioſum forma non ſolùm præ filiis hominum, ſed etiam præ milibus Angelorum, ſuæ carnis ſubſtantia veſtiuit, vnigenitum Dei. non enim conuenienter tota pulchra & ſine macula appellaretur, niſi ſecundùm diſpoſitionem & figuram corporis, & colorem faciei, pulcherrima & ſine macula appareret.] Subſcribunt vna voce Scholaſtici, ac interpretes, S. Thomas in 3. d. 3. quæſt. 1. articulo 2. quæſtinc. 1. S. Antonius 4. part. ſummæ tit. 15 cap. 10. § 2. Malon. ad cap. 11. Palæoti de Syndone Chriſt i n. 11. & cap. 14. n. 16. Marut in cap. 1. Lucæ. Poza libro 3. tract. 11. cap. 1. & ſeqq. Viegas in cap. 12. Apocal. comment. 2. ſ. 3. & ſeqq. Boniſac. l. 1. hiſtor. Virg. c. 7. Moral. l. 8. in Matth. c. 10. Fuſiſſimus in hoc puncto eſt Magnus Albertus l. de laud. B. Virg. à c. 42 ad 47.

8. Ago porrò (& agunt etiam hi omnes) de natiua & connaturali Virginis pulchritudine. Nam ſupernaturalem ſplendorem quem Dominus multo magis matri ſuæ quàm Iudithæ contulerit, etiam in corpore, nunc non attendo: quamuis liber de Infantia Saluatoris, ita prodat de Virgine, vt ſcribit ſupra Richardus à S. Laurentio: adducens inſuper ex Euangelio Nazaræorum, Ioſephum poſt Chriſti conceptionem non potuiſſe in eam oculus defigere, præ micantibus inde radiis. Id quod Hugo de S. Caro. Matth. 1. refert ex Chryſoſtomo, apud quem nihil inuenio. Idem refert Celada in Iudith figurata num. 57. ex S. Hilario Matth. 1. ſed ibi quoque fidem allegantis deſidero. Confirmat eum ſplendorem vultus Virginei, & micantes ab eo cœleſtes radios, Cartuſ. lib. 1. de laud. Virg. art. 36. exemplo Moſis, cuius vultus ex diuino alloquio cornutus ideſt radioſus apparuit. Additque Molanus ad capite 11. Palæoti de ſacra Syndone num. 11. idem conſtare debere, ex eo qood viri plerique ſancti, radiante vultu ſint viſi, vt monſtrat ex vita S. Philippi Nerij. Quid quod Dyoniſius, vt ex Vbertino lib. 4. arboris vitæ capite 58.

aliíſque

aliisque recentioribus lactatur, cum ad Deiparam accessisset, ex tanto fulgore vultus eius prorupit in tantam admirationem, vt professus postea sit, se eam pro Dea fuisse habiturum, præ tanta luce & pulchritudine, nisi fides obstitisset? Ego visam interdum Deiparam sic collucentem, nolim ire inficias. Non est tamen hæc pulchritudo de qua agimus: quia illi radij extra corpus beatum, & Christi transfigurationem, non videntur fuisse qui internum subiecto, sed tantùm in iudicio vel oculis conspicientium, quantum necesse erat, vt inde coniicerent sanctitatem animæ: ac etiamsi quid internum fuissent, erant tamen supra naturam subiecti. Nos verò hîc agimus, de pulchritudine natiua, & temperamentum ac structuram corporis consequente, quam in B. Virgine dicimus fuisse eximiam.

9. Quod autem longè admirabilissimum est, nec sine diuino speciali beneficio toti naturæ indebito contingere potuit, non erat ea pulchritudo illectamentum libidinis, qui est næuus pulchritudinis corporeæ exquisitioris, vt monstro in Morali distinct. 1. num. 76. sed contuentes ad sanctum amorem pudicitiæ inflammabat, impuris autem ignibus æstuantes, non secus ac ventus roris refrigerabat, vt affirmant passim DD. nominatimque Alens. 3. part. quæst. 49. memb. 3. art. 1. S. Thom. art. illo 2. quæstiuncula 1. ad 4. S. Bonau. in 3. disp. 3. 1. part. distinct. art. 2. Gabr. ibid. quæst. 2. art. 4 dub. 1. Simon de Cassia. lib. 2. in Euang cap. 22. Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 29 num. 5. Cartul. ex Henrico de Hassia. lib. 2. de laud. B. Virg. articulo 2. Gerso sermone de concept. B. Virg. & sermone de Natiu. consid. 3. Maior in cap. 1 Lucæ. Malonius ad cap. 11. Palæoti de sacra Sindone num. 11. Matthias Naueus orat. 2. de S. Ioseph, Benzonius l. 3. in Cant. Deip. c. 34. dub. 10. Nicolaus Susius disseriat. de pulchritudine B Virginis. Fauet S. Ambros. lib. de instit. Virg. c. 7. & S. Bern. serm. de 2. feria hebd. pœnosæ. Hoc habeo persuasissimum. Nam cum imago Deiparæ obiecta conspectui, restinguat libidinem, & castitatis amorem immittat, vt est testatissimum, quidni conspectus prototypi, idem præstiterit?

Virgo, deliciæ, & vnigenita parentum.

10. INfantulam ea pulchritudine & elegantia corporis conspicuam, & in senectute procreatam post longæ sterilitatis mœrorem, adamatam à parentibus si dixero, abutar lectoris otio. Quis enim in tot flagrantissimi amoris capitibus, friguisse censuerit optimorum parentum pectora, erga filiolam tot prærogatiuis iam tunc nitentem, nec primogenitam modò, sed etiam vnigenitam? Fabulantur enim qui Annæ anteriores aliquos liberos agnoscunt, (vt refert Molanus libro tertio de imag. capite 28.) eámque tertiò nuptam fingunt, & singulas ea singulis viris genuisse filias, quarum filij dicti sint in Euangelio *fratres Domini*, id est consobrini, sicut ipsæ leguntur dictæ *sorores* B. Virginis. Verùm hæc mera est inscitia Hebraici idiomatis, iuxta quod cognati & propinqui, tametsi non germani, dicuntur fratres & sorores. Idque nisi agnoscamus, fatendum erit, Christum Dominum cuius fratres & sorores memorantur Matth. 13. & Marci 6. habuisse germanos, quod blasphemum esset, & contra Deiparæ integritatem. Maria itaque Salome, & Maria Cleophæ, dictæ sunt sorores B. Virginis, non quia ex eodem B. Annæ vtero fusæ, sed quia filiæ duarum germanarum B. Annæ, atque adeò quia cognatæ B. Virginis, vt habetur ex fragmento Hippolyti Martyris, quod recitat Nicepho. libro Secundo capite tertio & plenè confirmant Canisius lib. 1. Mar. c. 4. Iansenius c. 143. Concordiæ Canus 11. de locis c. 5 Castro in histor. Deiparæ c. 3. num. 16. nec in horum syllabum aggregandus, homo impius & damnatæ memoriæ, Henricus Cornelius Agrippa l. de B. Annæ Monogamia, & vnico puerperio; pro quo malim adducere, concinnè omnino de eo disserentem Fulbertum sermone 3. de Natiu. Deiparæ & Laurentium Cupperum Carmelitam, in opere de vita & genealogia B. Annæ.

Pars 1. punctum 11. Natiuitas Virginis.

Itaque non admitto quod in breuiatis B. Coletæ Actis à Stephano Iuliaco conscriptis cap. 29. legitur, tanquam sanctæ illi Virgini ab ipsa S. Anna dictum. Quod enim ea virgo, erga sanctas Virginitatem professas maximè afficeretur ad Beatam tamen Annam minùs propenderet affectu eo quod trigamam fuisse legisset: obiecit se illi videndam B. Anna cum tota sobole sua, tribus videlicet suis filiabus B. Virgine Maria, & Maria, Iacobi ac Maria Salome, & harum matrem cuique comitabatur sua soboles, Deiparæ quidem vnigenitus Dei, quem manu tenebat; Mariæ verò Iacobi quatuor filij, Iacobus Minor, Simon, Iudas, & Ioseph iustus: Denique Mariæ Salome, duo filij splendoris, Iacobus Maior, & Ioannes Euangelista. Hoc comitatu sepia B. Anna sic Coletam affata refertur. [Etsi ego tribus nupsi viris, attamen & triumphus & militans Ecclesia, ex mea progenie maximis est aucta ornamentis.] Hanc reuelationem non admitto Neque verò nouum est vt aliàs dicere memini, vt qui assueuere reuelationibus sensa sua accipiant pro diuinis oraculis, vt in Nacham fuit manifestum. Itaque si B. Coleta verè hanc fuisse diuinam reuelationem hallucinata est cum veritas ferat contrarium sitque sensus ferè communis Catholicorum B. Annam fuisse vniuiram, & Deiparam ea ea iam satis annosa primogenitam filiam & vnigenitam fuisse vt videre est apud Canisium c. illo 4. *ad finem*.

Consequenter neque etiam admitto quod est apud B. Brigittam, nimirum quod B. Ioannes Euangelista sit natus ex sorore matris Christi, sumendo præ se vocem *sororis*, pro ea quæ ex eadem matre sit procreata. Ita habetur lib. 1. reuel. c. 10. colligique volunt ex eo quod S. Ignatius Epistola ad ipsum Ioannem quam adducit Echius serm. 2 de S. Anna, Mariam Salome, quæ fuit mater Ioannis, ait fuisse S. Annæ filiam. Adscribuntur, creditus Bernardus in Lament. Virg. Magnus Albertus in c. 19 Ioan. D. Thomas quod l. 4. art. 15. Abul. in c. 20. Matth. quæst. 54. & in c. 22. quæst. 115. Maldonatus in cap. 12. Matth. 46. & multi quos adducit Consaluus Durandus in glossa ad illud c. 10. S. Brigittæ, sed præsertim Echius serm. illo 2. de S. Anna, qui ait, eos qui negant Ioannem fuisse Christi sobrinum, sororium, repugnare Patribus, & Ecclesiæ, ipsique Scripturæ, quod facilè dant aliqui si agatur de sobrino sororio non immediato; qui scilicet editus sit ea filia alia S. Annæ, germana B. Mariæ; sed tantùm de sobrino sororio mediato. Idque vnum sufficit, vt fiat satis sensui eorum qui S. Ioannem Christi cognatum statuunt, vel consanguineum: quod valere potest de cognatione & consanguinitate mediata atque remota, ob quam D. Ioannes in numerum eorum veniat, qui *fratres Christi* sunt appellati, quamuis non fuerit sobrinus sororius, vt primi ille quos retulimus, affirmabant. Quinimo ne eo quidem modo fuisse Ioannem Euangelistam Christi cognatum vel sobrinum, tradit Benedictus. Iustinianus in Prolegem. ad Canon. Epistolam Ioannis cap. 1. eo nixus argumento, quod nuspiam in Scriptura, Ioannes, & frater eius Iacobus maior dicantur Christi fratres. Video tamen vulgatiorem sententiam pro qua non paucos allegat Christophorus Castrius in B. Virginis hi-

ftot.c.4. agnoscere eam mediatam & nonnihil remotam Ioannis cum Christo propinquitatem, eo quod Maria Salome, vt apud Marcum cap. 15. vocatur, à Matthæo c. 27. dicatur mater filiorum Zebedæi. Ac Maria Salome fuit filia Mathanis & Mariæ sororis Sote ex qua produt Elizabeth mater Baptistæ, quam B. Virginis fuisse cognatam lucas testatur oempè quia Sote & S. Anna fuere sorores germanæ. Inde ergo liquet de Christo & filiorum Zebedæi cognitione in tertio gradu.

Nomen Virginis, Maria.

11. ADuenientibus Nominalibus, quæ octauo die, non minùs quàm circa mares celebrata videntur, adhibito vice circumcisionis, (quam ridiculè Strabo lib. 15. fœminis quoque administratam confinxit,) Sacramento legis naturæ, piè omnia, ac ritè ex vsu maiorum sunt vsurpata. Nomen dilectissimæ infantulæ, pij parentes dixere *Mariam*, non sine præuia reuelatione, vt habet liber de ortu Deiparæ apud Hieronymum & Fulbertus sermone primo de Natiu. Virg. idéque confirmat Benzo. in Psal. 86. capite 40. Quàm autem variæ sint nominis illius notationes, & quomodò singulæ ad Virginis maiestatem & sublimitatem insinuandam sint accommodatæ, fusè monstrat Rich à S. Laurent. libro primo cap. tertio Aug Anconit. lect. tertia super *Missus est*. Canisius libro primo Mar. capite primo Bonauentura lectione tertia speculi. Spinellus in Throno Dei capite quarto à numero vndecimo Casto capite secundo histor. *in fine*, Toletus in capite primo Lucæ annotat. 61 Delrio Polomica. s. qui rectè explodit Drusum Nouatorem lib. nomin. de nomi Testamenti à quo otiosi minutiloquij, & improbandæ diligentiæ damnatur disquisitio de Mariæ nomine. Nos sacros DD. potiùs audiamus, qui studiosè de hoc nomine, & eius significationibus ac notationibus egerunt.

Singularis est ethymologia quam S. Ambrosius proposuit lib. de instit. Virg cap. 5 tuetúrque pro virtibus Poza lib. 2. tract. 17. cap. 11. vt idem sonet MARIA. quod *Deus ex genere meo*. Nihil tamen in vocis cortice occurrit, in quo ea notatio fundari posse videatur. Nam quæ Castro supra nom. 11. excogitauit, videntur distorta. Frequentissimum est, vt credatur significari Mariæ nomine, *myrrham maris*. Itaque Epiph. in encomio & Hieron. lib. de nomin. Hebr. & latiss. Delrio polem 2. Iuxta alios Maria significat *stellam*, aut potius *stillā maris*. Significat stellam maris, iuxta S. Hildefonsum sermone primo de assumpt. & Fulbertum serm. 1. de Nat. Significat verò stillam maris, iuxta Alcasarium cap. 12. Apocal. annot. 2. Alij Mariam idem sonare dicunt, quod *illuminatricem*, vel *illuminatam & illustrem*. Sic S. Thomas opusc. 8. eudémque vide. ur recidere quod alij dixeruot, Mariam idem sonare quod *doctricem*, vel *magistram*. Nam magistri maximè proprium est, illustrare & illuminare. Et fortassis deflexum est ad hanc nominis notationem, ab illa alia latè declarata à Galfridoio allegoriis Tilmanni ad cap. 24. Numer. & à Petro Damiani, serm. de Epipb. & tacta à Goffrido serm. 4. de Natiu. Dom. qua Maria censetur significare *stellam maris*. Nam stellæ in horrore tenebrarum illucent nauigantibus. Multa ex proximè dictis, S. Epiph. orat. de laud. Virg his verbis complexus est. [*Mariam* interpretari solemus *dominam*, atque etiam *spem* Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempè Christum. Rursum nomen illud *Maria* interpretatur *Myrrha maris*. Myrrha verò aliquis dicet, (quod ego etiam aio) de immortalitate, in mari hoc est, in mundo. Mare autem dicet vniuersum mundum, cui virgo serenitatem & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum. Rursum itaque præclaræ puellæ Mariæ beatum nomen interpretatur *illustrata*; vt potè quæ illustrata sit à filio Dei, & cunctos, vsque ad terminos terræ credentes Trinitati, illuminauerit;] Vides quàm abfuerit ab Erasmi impietate S. Epiphanius. In Colloquio quippè de Naufragio, Erasmus ridet nautas, quod in discrimine, B. Virginem appellassent *stellam maris & portum salutis*, [Quæ nunquam oprnot nauigauit Olim Venus curam agebat Nautarum, quia nata credebatur ex mari Ea quoniam desiit curare, suff. cta est huic Matri non Virgini, Virgo Mater.] Proh scelus! Sed Erasmus est qui ista effutit.

12. Cæterum hæc omnia parum quadrare Hebraicæ nominis analogiæ monstrat Angelus Caninius lib de locis noui Testam. cap. 13. & Guido Fabricius Lucæ 1. ad vers. 27. obseruantes, Hebraicè nomen *Maria* bisyllabum esse, & scribi *miriam*; nec aliud sonare quàm *sublimem* vel *excelsam*, & *eminentem*, quod voluisse videntur, qui hoc nomine significari dixerunt *Dominam* pro qua notione exclusis aliis omnibus certat Cornel. in cap. 15. Exodi v 20 Est quippè Domina propria, eminētia, atque sublimitas. Franciscus tamen Lucas Matth. 1. vers. 16. hanc notionem *Domina maris*, ab illa alia per Caninium prolata, & Delrio improbata polem. illa 2. secernit, & vtrisque quadrare Syriaco & Hebraico idiomati, breuiter tradit. Omisi ridiculam nomiois *Maria* notationem, à Victorino Strigelio cussam, qua impius Lutheri combibo, nomeo *Mariam* deducit à Saxonico nomine *Iammer*, significante *miseram*. Digna chamo & fræno ethymologia. Scatent libri mitis affectibus huius sanctissimi nominis, quos proinde velle illustrare, perinde esse videatur, ac ipsi soli lumen affundere. Claudat agmen qui decora multa nominis *Maria*, egregiè paucis illis verbis complexus est Petrus Chrysologus serm. 146 [Nomen hoc, propheticè germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis. Meritò ergo matris Christi nomen est hoc, mater nom.]

Tantam augusti nominis dignitatem introspicientes & penitissimè penetrantes aliqui, etiam de numero magnorum qui sunt in terra, negarunt consentaneum esse, vt fœmina quæpiam mortalis, nomine *Maria* insigneretur quasi de honestaretur tam sanctum nomen, si indeteretur fœminæ cuipiam etiamsi Reginæ. De Alfonso VI. Castellæ ac legionis Rege proditum est cum coniugem ducturus esset è gente Maurica, cui baptismus conferendus esset, & nomen nouum imponendum, prohibuisse ne quod puella optabat Mariæ nomen acciperet, professum nolle se vxorem habere quæ tam sancto nomine appellaretur. Sic scripsit Petrus Anton. Beuter. in Historia Hipalensi p. 5 c. 34. Casimirus 1. Rex Poloniæ Mariam Ducis Russorum filiam accipiens coniugem, voluit pristinum nomen deponere, & pro *Maria* vocari *Dobrogneuam*. Vnde ortum habuisse putatur pia Polonorum consuetudo, ne mulieri cuipiam nomen Mariæ in tota Polonia fas sit imponere. Vide sic Ioannem Herburtum in Poloniæ chronico, & Hippolitum Maraucium in opere de Regibus Marianis c. 3. §. 8. Nupérque seruatum constat in serenissima Maria Aloysia Niuernensi, Vladislao Regi Poloniæ nupta Ex connubialibus enim pactis, quæ Maria Aloysia dicebatur, deinceps Aloysia duntaxat dicta est, dimisso

misso Mariæ nomine quod in Polonia religioni ducatur, donare eo nomine mulierem quampiam, adeo augustum ibi est Mariæ nomen. Teste Vvernero Rileuinck in fasciculo temporum quem exscripsit Celuenetius in Calend. Mariam 16. Iann. num. 13. Clemens IV. vigente S. Ludouico Nono Francorum Rege triennali Indulgentia muneratus est, omnes qui hæc verba protulerint. [Benedictum sit dulce nomen D. N. Iesu Christi, & gloriosissimæ Virginis Mariæ, matris eius, in æternum, & vltra. Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.] De festo nominis *Mariæ* apud Conchenses solemni ab anno 1513. per Breue Pontificium firmato, ad tempus per Pium V. sublato, sed per Sixtum V. restituto, vrgente Petro Cardinale Dezæ, videndi qui res Dezæ sunt prosecuti, in Tractatione de Cardinalibus à Gregorio XIII promotis.

Furfur doctrinæ, de B. Annæ puerperio, absque dolore.

13. QVæ circa natiuitatem Deiparæ, eiúsque adiuncta à nonnullis sunt iactata, hæc occurrerunt. Fuit qui sine matris dolore fusam ex vtero dixerit sanctissimam infantem, argumento ducto ex eo quod Iochabel Mosis mater, authore Iosepho lib. 2. antiq. adeò facilè enixa est, vt partus planè latuerit exploratores à Pharaone submisso, quod non contigisset si inconditis eiulatibus compleisset omnia. Igitur absque dolore peperit. Nec aliter fusam è matris vtero S. Liduuinam author est Thomas à Kempis p. 1. vitæ eius cap. 1. Hæc si conceptis in peccato fœtibus sunt concessa, quanto magis credendum est, concessa Deiparæ nascenti, vt quæ Euæ planctum ablatura veniebat, sub communi cæterarum matrum gemitu, non emitteretur ex vtero? Quid quod in statu innocentiæ fuisset partus absque matris dolore? vt probat S. Th. 2. 2. q. 164. art. 2. adducto S. August. 14. Ciuit. c. 26. Congruum ergo fuit, vt ea prærogatiua, ob prolis præstantiam, concederetur B. Annæ vt quemadmodùm absque voluptate concepit, ita absque dolore pareret: & proles quæ nascendo lætitiam inferebat orbi vniuerso, matrem non laceraret immanibus cruciatibus, quales solent esse parientium, iis simillimi quos patiuntur queis anima à corpore per violentiam auellitur, vt S. Basilius obseruauit in Psal. 114. ad illud *Circundederunt me dolores mortis*. Sic pro leni & cuiusuis doloris expertæ S. Annæ puerperio grauis & doctus recentior decorum Virginis studiosissimus.

Sed dissensit meritò Peramatus tract. de eo quod accidit miraculosum in concept. Mariæ. Nam tametsi verum est S. Annam, (vt circa fœtus gestationem dicebam) præ gaudio conceptæ prolis optatissimæ, & consecuturo inde orbis bono, plurimùm de partus doloribus remisisse; tamen vt prorsus abesset dolor in tanta diuulsione variarum partium, præsertim senio obduratarum, contigere citra miraculum non potuit. Huius autem miraculi reipsa positi, fundamentum idoneum non profertur. Nam quod adducitur de matribus Moysi & S. Liduuinæ, non viget; tum quia facilis & expeditus partus qualem puerperæ illæ dicuntur sortitæ, non est necessariò expers dolorum; (quamquam de matre Mosis etiamsi præ metu abfuerint clamores inconditi, nihil est quod tantam partus facilitatem suadeat) Tum quia non si quid ad sanctitatem non pertinens alicui fœminæ est concessum, inferre licet, æquè esse concessum Deiparæ, multo minus eius parenti. Similiter admitto, concessas esse Deiparæ illas prærogatiuas status innocentiæ, quæ ad sanctitatem pertinebant. At B. Annæ nihil tale debebatur, quippe conceptæ in peccatis. Præterquàm quod parere absque dolore, non pertinet ad vitæ sanctitatem, nec inde decedit aliquid veritati gaudij quod Deip. natiuitas orbi intulit. Non enim si partus Reginæ diu expectatus, regnum vniuersum gaudio complere dicitur, absque parentis dolore peragi affirmatur, vt proinde non oporteat nos esse sollicitos, de tam indebito priuilegio partui B. Annæ tribuendo sine fundamento.

Pars 1. punctum 2. Natiuitas Virginis.

Item de ortu infantulæ, absque vagitu, & fletu:

14. ÆQuè reiciendum est vt destitutum solida ratione, quod apud eundem recentiorem continenter additur, habétque etiam Christophorus Auendanio serm. de Natiu. Virg. discursu 3. de sanctæ huius infantulæ natiuitate absque vagitu & lachrymis. Probatio adducitur, ex perfecta sapientia Virgini à conceptu indita, & ex graui constantia, quia visa primùm huius mundi fabrica, non plorauit. Inde enim ab infantibus primam vocem emitti cum ploratu, tanquam prophetantibus in quantam malorum voraginem veniant, obseruauit S. Aug 21. ciuit. c. 14. Quanquam est etiam physica causa lachrymarum & vagituum infantium communi lege nascentium, mutatio videlicet pristini domicilij, mollis, calidi & obscuri, cum frigido, ac lucido, qui visum præstinguit. Item compressio in exitu, in tanta ostij ad hanc lucem patentis angustia, præsertim in primo partu. Sicut tamen in statu innocentiæ, specialiter prouidente Deo, puerperium absque vllo fœtus dolore & lachrymis peractum esse, vt ex S. Th. Bonau. atq; Richard. statuit Pelbart. Rosario 2. V. *homo* §. 57. ita infantulam prærogatiuis status innocent. potientem, absq; vagitu & lachrymis editam, censendũ est Ita Authores prædicti.

Huic sententiæ non subscribo. Nam sapientia Virg. quam posteà expendam, nunc autem suppono, tantùm abest vt mœrendi & lachrymandi causas illi eriperet, vt potiùs cumularet, cum distinctissimè perspiceret, quanta esset mundi in quem tunc primùm prodibat, calamitatum feracitas. Nec cum hoc tenero & molli animæ sensu, pugnat constantia, quæ quidem vera constantia sit, & in rigorem saxeum non degenerauit. Causas verò Physicas ploratuum & vagituum, æquè virginem nascentem occupantes, ac cæteros fœtus cum pariuntur, impeditas diuinitùs esse, quominus in effectus hos suos prorumperent; qua felicitate dicitur, eadem negatur. Imo maximo iure negatur. Quorsum enim Christi nascentis vagitus & lachrymas agnoscamus, (iuxta illud hymni sacri. *Vagit infans inter arcta conditus præsepia*; & iuxta PP. passim, nominatimque S. Anselm. l. de excell. Virg. c. 4. August. in serm. de Nat. Dom. non semel, S. Max. hom. 5. de iciun. Quadrages. Chrysost. hom. 2. in Luc. Leon. ser. 2. de Nat. c. 4.) matris autem nascentis aliam fuisse conditionem statuamus? Mirabilis sanè est ratiocinatio loco allegato. Christi enim lachrymas agnoscit, non modò in ortu ex vtero matris, sed etiam intra matris vterum, iuxta doctrinam Garsiæ d. locis affectis d. 51. c. 2. agnoscentis ploratum, & vagitum infantium, in maternis visceribus. Matrem tamen Christi, negat nascentem fleuisse, quia nullæ causæ morales fletuum nostrorum in natiuitate ei conueniebant: non peccatum à quo plane futura erat immunis, non peccandi pericula, non creaturarum rebellio cum esset sanctissima & ab omni malo immunis. Hæc si pro excludendis Deip. nascentis lachrymis valerent, multo magis excluderent Christi nascentis, aut in matris vtero latentis lachrimas, quas bonus hic Homerus admittit. Sed aliud est plebem concionando mulcere aliud veritatem Theologicè premere.

15. Concidit quoque ex eo Christi exẽplo argumentum ea analogia cum paruulis in statu innocentiæ

nascituris, à quibus beatus ille status, vagitum & lachrymas exclusisset. Christus enim cui multo magis quàm matri, prærogatiuæ status innocentiæ fuit debitæ; quoad pœnalitates nostras, easdem nobis cum aleam subire lubens voluit. Idem igitur de matre dicamus, quam Pelbartus lib. 5. stellarij p. 2. art. 2. cap. 4. *in fine*, benè admonet magis appropinquasse ad statum innocentiæ, & prærogatiuas quas in eo habuissent homines, quàm vlla vnquam prolis purè creata in statu naturæ lapsæ appropinquarit; tametsi non easdem reuera sit adepta conditiones, quas in illo statu habuissemus, quod attinet ad naturalem dispositionem.

Cæterùm si B. Virgo ob rationem ab aduersariis propositam, nata esset absque vagitu, & cæteris infantum motibus, dicendum similiter esset, nunquam vagiuisse in infima ætatula, nec alios infantum motus subiisse; sed admittendum esset, talem reipsa in tota infantia fuisse. B. Virginem, qualem Baptistam infantem licentia Poëtica depingit his versibus S. Paulinus carm.].

Labitur interea cunarum tempus, in ipsis
Extat diuini species manifesta vigoris,
Blanditia risusque silent, incertaque cessant
Murmura, seritas lasciui praua sensus
Iam tenera informat venturis moribus ora.

Verùm hæc de Ioanne poeticè dicta, non sunt, (vt sonant,) accommodanda Deiparæ.

Insuper de eiusdem corpore, in ortu, nitentissimo ac fulgidissimo.

16. PLanè nitentem corpore, nec sine, cruore sine sordibus vllis oblitam, exiisse è maternis penetralibus beatam hanc infantulam, significarunt aliqui: eséque mentem S. Hildefonsi inde confirmat Poza l. 3. tract. 9. c. 4 quod serm. de Natiu. cuius initium est, *audite fratres*, hæc verba habeat, [non sic est nata, sicut solent pueri & puellæ nasci, sed mondo corde & corpore ab omni pollutione carnali, orta est] Sanè B. Edmondum, nomen sortitum à summo nitore cum quo è materno vtero prodiit, ita vt pannis quibus natus illico est inuolutus, cum summa obstetricum admiratione nulla adhæserit labes aut macula, proditum est, in eius actis apud Surium 16. Nouemb. Quanto magis eadem munditiem nascentem Virginem decuit? Et ex eodem principio concludit Poza lib. 1. tract. 15. c. 1. verum esse quod Patriarcha Hierosol. ex antiquioribus monumentis retulit; vultum nascentis Virginis, radiasse sicut solem, & in toto Oriente Deiparæ corpore, insolitum fulgorem micuisse. Nam ita legimus accidisse in natiuitate S. Heriberti à Ruperto descripta, & in natiuitate SS. Auiti, & Surberti, nec non Gregorij septimi.

Hæc omnia carent solido fundamento, & cum non vacent insignibus miraculis, perperam iactantur vt vera, nullo prorsus vel rationis vel certæ authoritatis idoneo suffragio. Sanè principium illud quod non sit Virginis negandum priuilegium quod aliis concessum esse constiterit, diffecimus in superioribus, & eius inanitas extra priuilegia ad sanctitatem pertinentia, inde in re de qua agimus manifestissima est, quod alioqui cogeremur dicere, omnia quæ circa infantium natiuitatem contigerunt mirabilia, circa Deiparam nascentem, æquè contigisse. V. G. scribit S. Odol. 1. vitæ S. Geraldi Comitis c. 3. sanctum hunc infantem, antequàm matris vtero funderetur, ter ingentem clamorem edidiss. in Dei laudem. Dicemus ergo, æquè Deiparam sub tempus natiuitatis, clamasse in vtero, & gloriam, ac honorem Dei annunciasse iam tunc vniuerso mundo. Dagoberti Regis ex Ragnetrude filios, non plus quàm triginta dies natus, cum baptizaretur à S. Amando, nec visus esset ex innumeris qui aderant qui baptizanti responderet, ipsemet cunctis audientibus respondit, *Amen*, vt est apud Aimonium l. 4. c. 20. Dicamus sanctissimam hanc infantulam, in ea ætatula similiter eloquentem. Hæc quis non videt nugatoriè affirmanda? Igitur admittamus, Virginem eadem qua cæteros infantes corporis conditione prodiisse è materno vtero. Quod non negauit S. Ildefonsus, cuius sensus duntaxat fuit, Virginem longè alio modo quàm cæteros infantes natam esse, quippe miraculo, ex senibus & sterilibus conceptam absque peccato, quæ fuit valdè singularis & pura natiuitas, præ vulgaribus natiuitatibus. Sordes autem illas quæ apud Deum sordes non sunt, & ex naturali conditione ortus humani communi more procedendis, illinuntur fœtui exorienti, non video cur debeamus B. Virgini nascenti affusas diffiteri, & nitentissimum ac fulgentissimum corpus eius agnoscere.

Prætereà de eius pulchritudine semper constante, nunquam vieta.

17. EOdem loco habeo, quod de perenni, ac nunquam decursu temporum marcente Virginis pulchritudine, lego apud quendam ingeniosum recentiorem; ita vt B. Virg. iam septuag. eodem pulchritudinis flore vernantem statuat, quo in iuuentute & pueritia; argum. ducto ex Sara, quæ nonnagenaria, primæuam pulchritudinem seruauit Quo refert illud Hesichij hom. 2. de Deip. eam vocantis, *virgam semper viridem*. Quod si Zona Deip. vt scribit Euthym. Monachus orat. de Zona & fasciis Deip. apud Sur. 31. August. fere exacta seculorum decade apparebat recens, & colore prorsus immutata; quanto iustius videtur, eandem prærogatiuam intemeratæ, & nullis ætatum iniuriis detritæ speciositatis, corpori Virginis attribuere, vt nihil de eius summa amabilitate decederet, quantislibet labentibus annis?

Hæc, & nonnulla etiam leuiora in hanc rem, is quem retuli ingeniosus scriptor, quæ non persuadent intentum. Nam tametsi B. Virginem etiam ætate maturam, pristini decoris ac floruIentæ formæ partem aliquam retinuisse, non videtur dubium; (id quod æquè de Sara insinuanit Moses, & passim conceditur) tamen vt vel Sara, vel Deipara, in senio inaratam planè rugis faciem, & eadem qua in annis iuuenilibus venustate amœnam, retinuerint, accidere naturaliter non potuit. Vt autem per miraculum accideret, necessarium non fuit, præsertim ad eandem amabilitatem retinendam: cum sit cuique ætati sua conueniens pulchritudo, sanctam amabilitatem fundans, quæ in Virgine ad senium prouecta, innumeris amoris incentiuis cumulabatur Imo non expediuit, Virginem iam anum, cum formæ intemeratum florem qui pro ostento notatus fuisset, retinere, ne improuidi, aliquid in eius corpore supra humanam naturam suspicarentur. Itaque sicut mortem, ita hoc mortis præludium, salua valetudine, & exclusa morbositate naturaliter assectans annositatem, cadere in Deiparam nihil vetuit. Esto eius Zona, quia nihil inde timeri poterat erroris, vel periculosæ admirationis, imo decus Virginis iam beatæ inde augendum erat, fuerit diuinitùs donata ea perennitate coloris, & pulchritudinis immutabilitate nunquam decidua. Id quod circa regulas multorum aliorum cœlitum, qui viuentes temporis iniuriis obnoxii fuerant, deprehendimus. Quod denique Hesych. Deip. vocauit *virgam semper uirentem*,

uirentem, pertinet ad numquam temeratam eius virginitatem, atque adeò extra rem præsentem adducitur

De eiusdem item fragantia insigni, ab ortu primo.

18 LEgo insuper apud nonnullos, corpus Deiparæ iam à prima natiuitate, diuinum quendam spirasse odorem. Ita vt de Virgine longè veriùs quàm de illa fabulosa Æneæ parente, dici possit illud principis Poëtæ.

> *Dixit & auertens rosea ceruice refulsit.*
> *Ambrosiaque comæ diuinum vertice odorem*
> *Spirauere.*

Ita Fernandius in c. 49. Genes. s. 9. num. 18. & Carthag. l. 2. de B. Virgine homil. 5. præteráque Carthus. l. 1. de laud Virg. art. 36. cuius illa sunt verba. [Cur non putetur credibile, quod Virginea eius caro dulcem sit sortita odorem ;] Idem confirmant aliqui, ex eo quod Christus iuxta S. Bonauenturam in speculo c. 8. erat odore deliciosus, partimque ex hoc suauissimi odoris afflatu, vltra micantes ea eius vultu radios, deprehensam à Simone in templo B. Virg censet supra Fernandius.

Non subscribo ; quia tametsi corpus & Christi & Deiparæ, olida & graue olentia non fuisse constat, tamen spirasse diuinum odorem : indeque fuisse notabilia, alienum est ab ea simplicitate in dotibus exterioris hominis, quam Deus in his generis nostri exemplaribus, micare voluit. Deinde fragrantia corporia, qualem habuisse fertur Alexander, ea præferuida corporis temperie existit, quæ Christum & Virginem dedecebat, quippè minus facta ad virtutem. Quare spiritualem & mysticam fragrantiam, è Christi & Virginis corporibus, exiuisse, lubens concedo, non item sensibilem ; cuius artificio quæsitæ, multa probra leguntur passim, etiam apud Ethnicos, vt dico l. 6. de virtut. num. 181. sapit enim effœminationem & mollitiem, iuxta illud Arbitri à S. Hieronymo adductum, [non benè semper olet, qui benè semper olet.]

Lactis quod Beata infantula suxit, energia in prædictarum prærogatiuarum radicem.

19 VErùm quod hæ omnes corporeæ prærogatiuæ, beatissimæ infantulæ, accessiones sint perfectissimæ illius sanitatis quam ei omnes meritò tribuunt, vt vidimus, non est hic prætermittenda insignis circa eam corporearum perfectionum radicem anomalia doctrinæ, in quam nuper non sine admiratione incidi. Est igitur qui affirmet, lactis quo beatam infantulam aluit S. Anna, eam fuisse vim & efficacitatem, vt ab omnibus morbis Virginem per vniuersam vitam exemerit ; sic etiam absque alio nouo cibo per quantalibet temporum spatia, [etiam annorum sesquimillenarium) prorogare potuerit vitam eius, nullo morbo labefactatam, aut fame tentatam. Ita Christophorus Auendanus discursu 4. de B. Anna. Quid vt id probet, assumit, lactis ab infante hausti, magnam omnino esse vim ad proprietates morales, & firmam valetudinem. Primum monstrat ex S. Iustino, quem ait libro 34. lupinæ Romuli lactationi, adscripsisse, & ipsius Romuli, & populi Romani, lupinos mores. Alterum supponit vt clarum, ex lactis conuersione in alitum, & vi afficiendi corpus quod lacte cibatur, quæ vis eo potentior & auctior esse debet, quo lac prius & perfectius extiterit. Ex eo igitur quod B. Annæ vbera, lacte de cœlo repleta fuerint, supra lactificam in anu naturæ vim ; colligit prædictus Author, lac quo Deipara infans lactata est, fuisse perfectissimum. Imo statuit tanquam certum, insitam illi fuisse à Deo efficacitatem, perpetuandi vitam vegetam, & morbis quibusuis liberam, qua pollebat fructus ligni vitæ. Quis enim credat, Deum minùs liberalem videri voluisse erga lac quo pasta est Virgo infans, quàm erga fructum ligni vitæ ? Atqui fructum ligni vitæ ea efficacitate donatum esse constat, vt semel sumptus, vitam absque vlla cibatione, ad annos sesquimillenos posset fouere, nullis tentatam morbis, nulla pressam inualetudine. Igitur lac quod Virgo infans ex B. Anna suxit, tali efficacitate non caruit. Ex quo illa Deiparæ per annos vndecim quibus in templo delituit, perpetua inedia, nullo cibo sustentata, nisi imaginario. Ambrosia enim, quam ei per illud tempus S. Germanus Orat. de Præsent. & Andreas Cretensis Orat. de Assumpt. porrectam ab Angelis dicunt, cibus, fuit duntaxat imaginarius, atque fictitius. Quod si Virgo, ab anno vndecimo. Iosephi iam contubernalis, vsa est communi cibo ; non id fecit ex necessitate vitam fulciendi per cibum ; sed vt coniugatas mulieres commoneret officij, in communi cum viris mensa, & iisdem amborum dapibus. Insuper qui fructus ligni vitæ, æquè ac manna iuxta Abulensem in c. 17. Exodi q. 8.) comedentem à morbis omnibus præseruabat, & iuxta D. Thomam 1. p. q. 94. art. vltimo, senium ac vetustatem eliminabat, & prohibebat accessus ; Ita lac quod suxit Deipara, obstitit, ne vllis vnquam morbis, seniόve corriperetur ; ita vt ne per annos quidem quingentos, vel minimam floris faciei attritionem fuisset subitura. Tandem conceptio passiua Deiparæ, fuit absque peccato, quia Angeli in B. Annæ visceribus selegerunt materiam ad infantulæ formationem ; vnde & defectus voluptatis in parentibus generationi eius dantibus operam, & matris Annæ puerperium absque dolore, cuius prærogatiuæ in B. Anna, ea quoque fuit causa ; quod mortalis culpæ semper pura & exsors fuit. Tam mirabili itaque infantulæ conceptioni, & matris partui tam singulari, par fuit subiungi lac admirabile, iisdem potiens prærogatiuis quibus donatus olim fuerat fructus ligni vitæ, idoneus vnica comestione prorogare vitam ad annos sesquimillenos, & senium ac omnes morbos præcludere. Hæc omnia diffusiùs expassa, Auendanius. Mihi succum exprimere, sat fuit. Part. 1. punctum 2. Natiuitas Virginis

Hic multa dissimulanda video. Puta, quod Iustinus Trogi sector, Ethnicus Historicus, in S. Iustinum Martyrem transformatur : Quod vnica cibatio ex fructu ligni vitæ, statuitur fuisse vitam prorogatura, definitè ad annos mille quingentos : Quòd Deiparæ cibus per annos vndecim quibus in templo hæsit, quem aliqui Patres ei ab Angelo porrectum dicunt, non nisi fabulosus & imaginarius fuerit : Quod B. Virgo anno ætatis vndecimo, Iosepho nupserit : Quod per annos vitæ 70. eoque ampliùs, non senuerit vnquam, nec flos primigeniæ pulchritudinis eius marcuerit, vel per annos quingentos, fuisset atterendus : Quod manna, aduersus morbos omnes præsentissimum, ac certissimum alexipharmacum Hebræis fuerit, tempore quadragenariæ peregrinationis : Quod Angeli in B. Annæ vtero : materiam proli formandæ apparârint atque collegerint ; indeque factum sit, vt parentes Virginem absque volup-

tatis sensu genuerit; & mater eam ob rem, ac etiam quia expers semper fuerat lethalis culpæ actualis, absque dolore peperit; quasi nulla puerpera, Euæ hereditatis particeps, & in dolore pariens, immunis fuerit à culpa lethali. Hæc omnia dissimulata volo, vt tantùm attingam cardinem rei in qua versamur. Rogo quæ illa argumentatio? Fructus ligni vitæ, poterat omnes morbos ac senium, & cibi alterius necessitatem per annos mille quingentos auertere. Igitur id quoque poterat lac quod B. Virgo suxit & Anna matre. Hoc non est argumentari, sed verba in ventum fundere. Nam vis illius fructus è ligno vitæ decerpti, erat naturalis eius proprietas, vt rectè statuunt D. Thomas 1. p. q. 97. art. 4. Scotus Durandus, Gabriel, & alij in 2. disp. 19. Molina de opere sex dierum disput. 28. Suarez l. 3 Cosmop. c. 15. à num. 3. Vales. c 6. hierop. Delrio in c. 2. Genes. num. 40 & passim alij. Lac item quod B. Virgo ex matre suxit, quantumuis supra vires naturæ in B. Anna iam effœtæ suppeditatum diuinitùs, erat tamen lac eiusdem speciei cum vulgari lacte, quo infantes passim aluntur. Ergo dicere, lac B. Annæ habuisse proprietates fructus ligni vitæ, est confundere naturas rerum, per confusionem proprietatum. Quod si velimus aduersario dare, vim fructus ligni vitæ fuisse supernaturalem, ne sic quidem potest eius argumentatio subsistere. Nam effectus supernaturales, rerum naturalium, pendent à libera voluntate Dei, res naturales obedientialiter assumentis ad causandos eiusmodi, effectus. Talem ergo effectum vnius rei, æquè adscribere alteri rei absque suffragio diuinæ authoritatis, voluntarium plane est & explodendum. At par non fuit (inquit Aduersarius,) Deum minus esse liberalem erga lac B. Annæ, quàm fuisset erga fructum ligni vitæ. Aio? Hoc ipso argumentandi modo probare licebit, lac B. Annæ contulisse B. Virgini gratiam ex opere operato; ne Deus minùs liberaliter egisse videatur cum lacte B. Annæ, quàm acturus esset cum aqua Baptismi. Quid quod lac B. Annæ non fuit pretiosius lacte quo Deipara Christum aluit? & tamen Christus eo lacte pastus, & senuisset, & sicca morte obijsset, iuxta S. Augustinum l. 2. de peccat. mer. c. 29. nisi anteoccupassent carnifices. Fateamur ergo, lac B. Annæ tanquam valdè purum & bonum, contulisse non parùm ad naturales pronitates, & bonam temperiem, ac sanitatem infantulæ. Prodigiosis tamen illis efficacitatibus quas retulimus, fuisse destitutum.

De efficacia nominis M A R I A, *ex opere operato, ac supra nomen* I E S V.

21 TAndem quoad illud natiuitatis adiunctum de quo postremo loco egimus, hoc est quo ad nomen *Maria*, est qui affirmet, nomen B. Virginis, ex institutione Diuina, quatenus ad nostram vel aliorum salutem expedit, conferre effectum ex opere operato, vt faciunt Ecclesiastici exorcismi Quod de nomine I E S V, censuit Serarius in cap. 2. Iosue quæst. 14. & Gretserus l. 4. de Cruce cap. 44. 45. 48. & 62. Operatur enim pleraque mira, supra id quod proferentis religio, aut pietas exegisset. Idem proportione seruata, ad nomen B. Virginis extendit Auendanio serm. de nomine *Mariæ*, discursu 1. & Poza l. 2. tract. 17. capite 5. Imò multo magis, idem de hoc nomine valet, si verum est quod idem præmittit cap. 4. & latè etiam confirmat Mendoça in floribus sacris l. 2. problem. 2. ac Morales l. 3. in Matth. tract. 5. numero 35. videturque diserte tradi a S. Anselmo l. de excell. Virg. c. 6. nempè quod Deus, prolato Virg. nomine, citiùs & lubentiùs expromat clementiam, quàm prolato I E S V Nomine.

22 Neutrum horum placet. Nam nihil est quod suadet nomen M A R I A esse ex opere operato vtile eaque prærogatiua quam Christianis sacramentis assignamus, potiri; sin minùs quoad effectum, (neque enim hoc nomen infert gratiam sanctificantem) at saltem quoad efficiendi modum; siue independenter à conditionibus proferentis. esto enim, interdum Deus ad testandum honorem SS. matri suę debitum velit vt prolato etiam absque fide, ad imperandum Mariæ nomine, mirum aliquid efficiatur, non tamen semper & vbique idem præstat: quod tamen necessarium esset, vt effectus illi, dici possent per hoc nomen præstari ex opere operato. Quæ mihi ratio æquè persuadet, frustra idem affirmari de I E S V nomine, tametsi longe iustiùs nomini super omne nomen idem tribuerent, quam nomini Mariæ. Nec libenter audio contentionem fieri vtilitatum pronunciationis horum nominum, quàm à D. Anselmo esse institutam, non rectè dicitur. Tantùm quippè asserit, aliquando faciliùs exaudiri, qui interpellat B. Virginem, eamque adhibet peruentricem, quàm qui recta & absque hac mediatrice, accedit ad Christum: quod longè aliud est, quàm vniuersaliter cum Recentioribus prædictis asserere, vtilius esse proferre nomen *Mariæ*, quàm nomen *IESV*.

Quis verò ferat quod apud Moralem supra num. 34 habetur, ex proposito fundamento, ob quod promptiùs exoratur remedium per Virginem quàm si Christus rectà adiretur, assumi aliquale probabile fundamentum ad excusandam aliquorum ignorantiam, qui credunt magis peccari ipsam Virginem offendendo, quàm Deum? Referunt eam ruditatem Hostiensis in capite secundò de celebr. Missarum, & Gregorius Lopes in l. 2. tit. 28. parte 7. V. *Sancta.* Verùm ea ruditas plusquàm asinina est, nec vlla ratione ferri potest, aut debet, cum blasphemiam sapiat. Tantum abest, vt censeri possit aliquale probabile fundamentum habere in doctrina proposita; quæ vel hoc nomine explodenda denuò esset si tantæ barditati & impietati, viam muniret, aut quoquo modo suffragaretur. Omisi fatuitatem Mahometi, qui ex eo quod B. Virgo sit nominata *Maria*, intulit eam fuisse eandem cum Moysi sorore, quod frustra refellunt Leo, sapiens Epistola Parænet. ad Othmarum Saracenorum Principem *initio*, & Cantacus. orat. 3. in Mahumetem, *in fine*.

P V N C T V M III.

Virginis pueritia præsentatio in templo, illibatæ semper integritatis votum.

1 O E L I C I T E R nata omnium sæculorum lætitia, fœliciter in paterna domo Nazarethi crementum cœpit, & more infantium cæterorum exegit infantiam.

Virga

Virgo in templo oblata,

EAndem iam trimulam, (tametsi hic ætatis terminus non est planè certus, vt notat Molanus l. 4. de imag. c. 49.) parentes ea, voto antetiùs concepto, obtulerunt Deo, mansuraturam illi in habitatione sancta. Ita enim tametsi grunnientibus in contrarium Sectariis, & eam præsentationem figmenti insimulantibus Magdeburgiensibus apud Copum dialog. 2. cap. 4. profitetur Ecclesia, instituto in eius rei memoriam anniuersario festo, quod plerique Patres habitis ea die homiliis exornarunt. Deflorauit ess Patrum homilias acerrimus Virginis gloriæ vindex, Petrus Canisius, hoc festum propugnans lib. 1. de Deip. cap. 12. & multa etiam in eam rem collegit Castro histor Deip. cap. 3. Prætueratque Franc. Turrianus, quem sub Pio 5. cum de eius festi expunctione è Romano Calendario ageretur, prolatis grauissimorum Patrum testimoniis, firmasse huius festi celebrem apud antiquos venerationem; & religiosi studij munus accepisse à Deipara, mortis ea die oppetitionem, scribit Ribad. l. de Scrip. societatis, in *Turriano*. Deductam porò puellam in templum comitante agmine puellarum faces accensas præferentium, habet lites Iacobi fratris Domini de infantia Saluatoris. Imò Isido. Thessalon. Orat. de præsent. B. Virg. primarios quoque Hierosolymitas, viros & mulieres, interfuisse huic deductioni cum ceteris, & læta concinuisse testatur, succinentibus vniuersis Angelis, & deductioni comitantibus.

Regressis domum parentibus, sanctissima puella, inter religioni addictas viduas atque innuptas virginea, sacris exercitationibus quas S. Ambrosius descripsit l. 2. de Virg. & S. Brigitta l. 6. cap. 59. ac Ludolphus vitæ Christi parte 1. c. 2. nec non Gerso 4 p. serm. de Annunc. intra templi septa, communi si externam spectes speciem ratione viuendi, sed non communi modo, annos complures exegit, ad desponsationē vsque [in domo Domini plantata, (inquit Damasc. 3. fid. c. 14.) & impinguata, instar oliuæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur, vt quæ videlicet ab omni huiusce vitæ, & carnis concupiscentia mentem abstraxisset; atque ita Virginem vna cum corpore animum conseruasset; vt eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat. Sanctus enim ipse cùm sit in sanctis requiescit. Ad hunc igitur modum sanctitatem consectatur, sanctumque & admirabile, ac summo Deo dignum templum extitit.] [Quod plantatam ait in templo Virginem, ibique rigatam adoleuisse, seiunctam ab omni inquinamento carnis & spiritus, videtur à Damasceno expressum ex Chrysostomo qui homilia 3. de fide Annæ, concinne sub ea allegoria describit Præsentationem & commorationem Samuëlis in antiquo tabernaculo, deducti illoc, & oblati ab Anna matre, sicut Virgo æquè filia lachrymarum, & votorum nouæ Annæ, ab ea in templum deducta est. Locus est bellissimè huc cadens si quæ de masculina prioris Annæ prole, ait Chrysostomus leuicula generis commutatione ad secundæ Annæ filiolam accommodentur. Sic autem habet: [Ascendit igitur Anna in templum, & agnellam induxit in ouile, ac vitulam perduxit ad armentum, & in pratum deduxit rosam à spinis liberam; rosam inquam quæ nunquam marcescit, sed floret perpetuò, quæque possit ad ipsum vsque cælum exilere, cuius fragrantia in hodiernum vsque diem, iuuantur, ac reficiuntur omnes qui terrarum incolunt orbem. Tantus annorum numerus præteriit, & tamen virtutis illius fragrantia semper augescit, nec tanta temporis magnitudine, facta est languidior; talis est enim rerum spiritualium natura. Ascendit igitur præclarum illud germen transplanetans; & quemadmodum industrij agricolæ primùm semen in terram deponunt, cupressi aut aliarum arborum similium: deinde vbi conspexerunt à semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam, in aliud transferunt solùm, vt terra in recens gremio suo exceptam illius radicem puram & integram vim suam proferat ad nouam educationem. Itidem & hæc fecit mulier quæ prolem præter spem prosemi- naram in suo vtero à domo transtulit, & in templum transplantauit, vbi perpetuæ sunt fontium scatebræ, & irrogationes spirituales, vt videre licuerit illud propheticum in illis impleri quod Dauid dixit ita canens: *Beatus vir qui non ambulat in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & super cathedram pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte; Et erit tanquam lignum quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Neque enim post malitiæ experientiam, venit ad malitiæ remissionem, sed ab ipsis cunabulis ad virtutem transilüt: non habuit consortium cum concessibus iniquitati obnoxiis, neque communionem habuit cum conuenticulis impietate plenis: sed prima statim pueritia à mamma matris, venit ad mammam spiritualem. Et quemadmodum arbor perpetua irrigatione in magnam excrescit altitudinem; sic & hæc diuinorum eloquiorum doctrina, assiduè irrigata, ad virtutis fastigium peruenit.]

Part. 1. punctum 3. Virginis pueritia & præsentatio.

Inter religiosas verò actiones quas tunc piè frequentauit Virgo sanctissima, præcellit votum purissimæ Virginitatis, quod prima omnium vel tunc concepit, vel iam conceptum firmauit. Vouisse namque Deiparam Virginitatem suam Deo, est extra dubium apud Catholicos. Quinetiam extulisse Deiparam Virginitatis Deo consecratæ vexillum, non modò nouo Testamento, sed absolutè & simpliciter, concors veterum sententia est. Denique vel tunc primùm vouisse, vel votum priùs editum firmasse, ambigere non licet. Tria affirmo, sigillatim attingenda.

Emissum ab ea Virginitatis votum.

a PRimum est, Deiparam vouisse Deo Virginitatem. Hoc omnes Catholici, vt certum statuunt, ex illis B. Virginis verbis ad Angelum nunciantem filij conceptionem, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quæ verba certe votum virginitatis à Deipara emissum, latè & validè euincit Bellarminus l. de Monachis cap. 22. videturque perspicuum, si verborum cortex, & circumstantiæ in quibus sunt pronunciata, considerentur: quod optimè præstitit Franc. Lucas ad cap. 1. Lucæ. Breuiter autem conficitur. Nunciabat enim Angelus Virgini, fore vt filium conciperet. Ad quem nuncium piè conterrita Virgo respondet se virum non cognoscere: qua loquendi formula non significat se nunc actu virum non cognoscere, sed non licere sibi virum cognoscere. Sicut cum dicimus, *non comedo carnes in quadragesima*; sensus est *non licet mihi vesci carnibus in quadragesima.* At nulla poruit esse ratio, cur non liceret Virgini virum cognoscere, nisi quia virginitatem Deo vouerat. Et ita hoc Virginis responsum accepere Patres, nominatim S. August. l. de sancta Virginitate c. 4. Gregor. Nyss. orat. de Natiu. Dom. Anicl. l. de excell. Virg. cap. 4. Bern. hom. 4. super,

1 *missus*

missus est, & serm. in illud. *Signum magnum*. Petrus Blesensis serm. 28. Optimè Hugo Victor. l. de perp. Virg. S. Mariæ c. 1. vrgens similem modum loquendi, eorum qui certis rebus ex voto abstinent, vt vino, & carnibus. Dicunt enim *non bibo vinum, non edo carnes*, quorum loquendi modorum sensus est, *non possum bibere, vel edere*, voti religione prohibitus. Et Zachæus iam compunctus, dixit, *dimidium bonorum meorum do pauperibus, & defraudatis reddo quadruplum*; idest promitto dare & reddere. Similis ergo sensus est illorum Virginis verborum, *virum non cognosco*. Quæ verò in contrarium è Caluino & Petro Martyre, ad infringendam huius loci vim proferuntur; partim blasphema sunt & sacrilegi probri in Virginem referta; partim frigida, & nullius iudicij; quod quia diligenter monstrarunt Bellarminus loco allegato, & Canisius l. 2. Marc. cap. 14. nec non Feüardentius l. 10. Thom. Caluin. cap. 14. abstineo pluribus. Obsignat hanc primam assertionem nostram Arnoldus Abbas in laudatione B. Virginis, vbi præfatus, Gabrielem reperisse B. Virginem Nazarethæ. solam ait quod sola meditationibus insisteret, [Credo secum pertractans, quomodò sine offensione legis maneret in proposito castitatis, quia hanc elegerat, hanc Deo vouerat, & integritatem carnis, ac spiritus, apud se, Domino consecrarat. Stabat in aduerso lex, vrgebat ad coniugium Moyses, qui maledictum inferens sterilibus, semen, & sobolem à filiis Israël exigebat. Nullum de Virginibus à Domino datum erat præceptum: sed nec erat Apostolus qui daret consilium. Acceperat tamen hoc ipsum à Deo per Spiritum sanctum familiare mandatum: non ex responso Angelico, sed ex inspiratione secreta, quæ ei & effectum Virginitatis intimauerat, & vsquè ad necessitatem voti, purum desiderium alligauerat. Quis tamen rei exitus futurus esset, nondum erat intimatum diuinitus; sed huiusmodi accessionibus, gradatim sibi officinam purgatissimam aptabat Spiritus Sanctus. [Monstrat consequenter, quàm alieni essent Iudæi à virginitatis studio; atque adeò quantum fuerit, Deiparam vsus inoliti repagula percepere, & mandatum legis aduersus steriles ad propagandum popolum Dei tanto antè latum, & passim exquisite seruatum, maioris perfectionis amore afflante Spiritu sancto posthabere.

Et quidem, ab ea prima absolutè

3 ADdebam, primam Deiparam vouisse virginitatem, quæ est constans Patrum doctrina. Ita enim benè multi quos addocunt Canisius l. 2. Marc. c. 14. Henriq. l. 2 de Matrim. cap. 5. Vasq. 3. p. d. 124 cap. 5. Suarez tom. 2. 3. p. disput. 7. s. 3 Barrad. tomo 1. l. 7. cap. 10. Mendoça l. 2. florum problem. 6. num 39. & omnium plenissimè Sheslogus tom. 2. in Cant. Vestig. 20. sect. 2. ac tomo 1. anteloq. 7. sectione 12. Nominatim verò, ac adeò disertè vt nullus tergiuersationi sit locus, ita tradiderunt ex antiquis subscribit Nebridius à Mundhem in Antiqq. Monasticis Epist. 145. Rupertus in Cant l. 3. *sub finem* Aponius in cap. 2. Cant. *ad vers.* 12. Richardus à S. Laurentio l. 3. de Deip. priuilegio 1. Guillelmus Paruus ad cap. 3. Cant. circa illud *ascendit de deserto, creatus Dei natus de vita vera* cap. 17. Philippus abbas l. 1. Cant. cap. 7. S. Mectildis l. 1. gratiæ Spir. *sub initium*. Blesensis serm. 1. de Assumpt. Goffridus Vindoc. serm. 8. Idem planè voluit S. Ambros. l. de instit Virg. cap. 5. cum dixit, Deiparam extulisse vexillum virginitatis, quod passim quoque aliis verbis tradunt Patres adducti à Sheslog. S. illa 2. num. 31. Nec potest alia ratione valere, quàm ob emissum absque anteriore exemplo à B. Virgine votum virginitatis. Nam fuisse qui ante eam cœlibes, ac virginis vitam exegerint, non est dubium: idque de Elia, Iosue, Melchisedeco, Elisæo Ieremia affirmauit S. Ignatius epistola ad Philadelphios à Itaque eatenus B. Virgo dicitur leuasse signum virginitatis, & esse illius primipila & antesignana, quatenus prima virginitatem adiuncto voto firmauit.

4 Prima inquam, non modò inter fœminas, sed absolutè. Nec id negant, qui aiunt B. Virginem, primam inter fœminas vouisse virginitatem, quod habent Origenes in c. 13. Math. sub finem S. Ildefonsus serm. 5. de Assumpt. & Beda Lucæ 1. ac homil. de Incarn. & serm. 4. de Assumpt. S. Anselm. l. de 4. virtut. B. Virg. cap 1. Hugo Victor. tomo 3. opusc. de perpet. B. Mariæ virginitate cap. 1. *sub finem*. Non inquam isti, & si qui alij ita sunt locuti, censuerunt virorum quempiam, B. Mariæ præiuisse in Virginitate voto firmanda: Sed ita Deiparam primam inter fœminas, (in quo sexu hoc decus maximè nitet,) vouisse integritatem dixerunt, vt non asseruerint aliquẽ virorum ei præiuisse hac in parte. Quod disertè negant cæteri iam adducti, qui vel simpliciter dicunt primam Deiparam vouisse virginitatem, vel nullo præcedente exemplo ita fecisse. Hoc planè voluit Hugo Victorinus libro illo de perp. Virg. B. Mariæ cap. 1. *sub finem*, vbi inde maximè celebrat Virginem, quod neglectu carnali sensu Hebræorum, qui carnis sationem adeò magnifaciebant, vt etiam legem Dei carnaliter intellectam traherent ad cœlibatus probrum; exarserit tamen amore virginitatis, eamque voto firmarit. Apertè idem voluit S. Anselm. in stimulo Amoris num. 3. sic alloquens Christum. [Descendisti à regali solio sublimis gloriæ tuæ in humilem, & abiectam in oculis suis puellam, primo virginalis continentię voto sigillatã. [Quid apertius. Consentiunt Scholastici, & interpretes passim quos vltra 60. adducit. Sheslogus sectione illa 2. n. 36. & addendus est Abelardus serm. de Assumpt. Et sic item accipio quod habetur in Actis S. Catherinæ Senensis; apud Surium 29. Aprilis; nempè reuelatum ei fuisse quod B. Maria omnium prima, virginitatem vouerit.

5 Contra tam multorum Patrum, atque Doctorum vnanimem sensum, opponitur à quibusdam, authoritas Ioannis Hierosolymitani, qui videtur voluisse B. Virginem instituisse vestigiis Eliæ. Sed hoc tantum valere quoad obseruationem castitatis ex honestate. Temperantiæ, verùmque manere quod B. Virgo prima addiderit ei honestati religiosum voti ornamentum, attigi l. 4. de Christo sect. 3. cap. 9. Quod si id minus cuipiam arridet, non est illius Ioan. Hieros. authoritas tanta, quin facilè excuti possit. Neque enim est ille Ioann. SS. Hieron. & Epiph æqualis, & apud eos tam malè audiens; sed longè posterior, vt Bellarm. l. de Scriptor. *in Herosolymitano* admonuit, post Baroniũ anno 444. n. 18. vbi opus illud, cuiuscunque sit authoris scatere fabulositatibus affirmat. Ex ea porrò explicatione quam dedimus argumento deprompto ex Ioanne hoc Hierosolymitano, euersum manet argumentũ Ioannis Hesselij in Censum Historiarum c. *de sanctis mensis Augusti*. vbi ex eo reprehendit Abdiam, in persona S. Bartholomei, asserentẽ, Virginem fuisse primam quæ emisit votum virginitatis. Hoc ait Hesselius, esse falsum: quia Iosue, Elias, Eliseus, & Hieremias, vouerunt Virginitatem, & potuerunt etiam mulieres aliquæ eam vouere, vt putas insinuari Sap. 3. vbi laudatur sterilis & incoinqui.

coinquinata, quæ nesciuit chorum in delict. Item Isaiæ 56 spondetur Spadonibus nomen melius à filiis & filiabus. Nihil tamen hæc omnia ad causam præsentem. Nam ad summum inde licet colligere, Virginitatem ex honestate temperantiæ ab eis fuisse seruatam; non tamen (vt Abulensis in capite 35. Exodi in fine optime notauit) esse ab eis seruatam ex honestate religionis, ac per votum. Censor iste, Coeteroqui vir doctus; in ea censura, obnoxium se plerumque facit, censuræ sed hoc nominatim loco.

An primò in templo emissum.

5 Aiebam denique, B. Virginem, vel tunc primùm cum in æde sacra degeret, emisisse votum virginitatis, vel priùs emissum tunc firmasse, & ratum habuisse. De hoc secundò dubitare non licet, cum adeò frequens sit personis pietati addictis, identidem renouare sancta vota, & notes quibus se fœliciter pro Deo impediuerint, crebrò astringere; à qua praxi nemo eximat Deiparam, qui de eius pietate, ac feruore in obeundis religiosis officiis rectè senserit; eamque iam tunc temporis, *pretiosum vas virtutum*, vt Gregor. Nicomed. orat. de præsent. ait, fuisse animaduerterit. Itaque dubitandũ non est quin B. Virgo si ante seccessionem è paterna domo in tẽplum, vouit castitatem, iterauerit in templo & firmauerit; nec sæpè, sed sæpiùs votum illud, vt fert in simili vsus piorum.

An autem primò emiserit hoc votum inter commorandum in templo, non definio, quia valdè pia sententia fert, B. Virginem in primo momento sui esse, affulgente diuinitùs copioso lumine, ita se toto ex corde conuertisse ad Deum vt simul illi animam & corpus consecrarit, & virginitatem perpetuam iam tunc vouerit: quod non est nouum inuentum, sed ab aliis iampridem propositum, vt videre est apud Iacobum de Valentia in illud Cantici Magnificat, *fecit mihi magna qui potent est*; subscribitque Sherlogus Vestigatione illa 20. s. 2. num. 37. & Barradius tomo 2. l 6. c. 3. ac Morales l. 2. tract. 6. num. 12. Non est certè verisimile quod ait S. Thomas 3. p. q. 28. art. 4. nempè B. Virginem non emisisse votum virginitatis ante desponsationem cum Iosepho. Hoc dico non esse verisimile; nam apparet vnde fingi possit, B. Virginem quæ ad Gabrielis nuncij aduentum iam virginitatem vouerat (vt vidimus) votum illud adiunxisse duntaxar, post celebrata cum Iosepho sponsalia. Tantæ quippè virtutis noua honestas, quàm Deo placeat, Virginem non latebat multo ante; eámque etiam non deficiebat boni tantopere grati Deo, amplexandi voluntas. Quare vel in templo inter ministrandum Deo in habitatione sancta, votum Virginitatis priùs conceptum, ratum habuit, & sæpè sæpiùs iterata eius conceptione firmauit, vel illud ibidem primum concepit, quod video placuisse nonnullis. Nominatim autem ita tenet Castro in Historia Deiparæ cap. 3. num. 17. Berizon. in Psal 86. cap. 22. & multis adductis Morales l. 2. in Matth. tract. 6. num. 11. videtúrque pro eadem opinione citari posse Vasquez p. 3. disp. 124. cap. 4. *in fine*; quamuis id in actu signato non dicat.

Quàm in votum Deo placuerit, expendit S. Ansel. l. de excell. Virg. cap. 4. An verò tantus Deiparam virginitatis amor occuparit, vt posito æquali merito & acceptione Dei, prælectura esset Virginitatem potiùs quàm maternitatem, quod latè excutit Corduba l. 1. q. 49. parum refert ad rem præsentem; Quanquam cum virginitas religiosè seruata sit virtus, non item maternitas Dei; nihil video vnde Corduba statuat, B. Virginem prælecturam potiùs maternitatem. Sunt qui addant, Deiparam voto virginitatis, adiunxisse votum paupertatis vt habetur apud S. Brigittam 1. Reuel. c. 10. At Spinellus l. de Throno Dei capite 37. num. 11. addit etiam votum obedientiæ. Cui verò? Hoc ille non exponit. *Pars 1. punctum 2. Virginis pueritia & præsentatio.*

Furfur doctrinæ; Exclusio vagituum & risuum infantilium à Virgine infante.

7 Circa proposita in hoc puncto, nonnullæ heteroclises occurrerunt. Aiebam, Deiparam, post Natiuitatem communi more cæterorum minusculæ ætatis, exegisse infantiam & pueritiam. Est qui aliqua singularia in hac Virginis ætatula notet: nimirum quod consueta infantium tempora pro risu & ploratu non seruatir. Non quod neget Deiparam risisse, ac fleuisse in infantia; sed quod risus eius & luctus, à sola consideratione penderet. V.G. fleret ob aliena mala atque peccata: rideret autem & gaudium interiùs conceptum effunderet exteriùs, ex Dei & diuinorum operum attenta consideratione. Vulgares itaque causas infantilium eiulatuum & tripudiorum, habuisse in Deiparæ infantia ac pueritia locum, diffitetur, quem dico recentior.

Sed malè. Nam ei infantiæ & pueritiæ adiuncta; in Christo ipso locum habuerunt, iuxta illud Zenonis Veronensis serm. 11. de Natiuit. Dom. [mixtus humanæ carni, se fingit infantem.] Et illud, *vagit infans inter arcta conditus præsepia.* Quod Aug. serm. 9. de temp. ratum habet, dicens per hos vagitus declinatos à nobis esse ploratus æternos: itaque necessarium fuit, vt mysterium corporati; Verbi lateret, & omnia conuenienter peragerentur, exclusis monstrosis procedendi modis quos Deus soler auersari. Multo ergo magis fatendum est, idem seruatum esse in Virgine, etiamsi demus, quod is cum quo agimus supponit? nimirum perpetuum fuisse Deiparæ per vniuersam infantiam vsum plenæ rationis, diuino munere indultum in superiori parte intellectus. Nihilominus enim in portione inferiori (vt si dicam) intellectus prout scientia naturali & acquisita instructus, tenebat cursum suum, nec aliter functiones suas obibat, quàm in cæteris infantibus, ac pueris soleat, quia sub diuerso lumine & speciebus operabatur, Et proportione seruata, idem statuendum est de appetitu subiuncto intellectui, & per eum regulato.

Item ieiunium lactentis, & vltronea ablactatio.

7 Alterum singulare eiusdem infantilis ætatis Deiparæ, proponit author quidam nuperus; quod sanctissima infantula, identidem tempore lactationis ieiunaret. Ita enim scribunt de S. Nicolao, & de S. Sisinio, nec non de S. Stephano Diensi, qui eorum acta scriptis consignarunt, & de Ioanne Firmo Gretserus l. 1. de discipl. cap. 14. Quod ergò hi sancti infantes, in futuræ sanctitatis præsagium, absque libertate & merito præstabant, hoc Deipara infans, diuino præuenta vberi lumine, liberè & cum merito præstabat. identidem seruans in ea ætatula ieiunium, quod ex reuelatione quadam refert Franc. Ximenius l. 2. vitæ Christi cap. 27. Affine est quod iuxta Niceph. l. 1. c. 7. Deip. sua voluntate, non aliena arte, à materni lactis vsu est auulsa, vt cõtingit vulgaribus

ribus mámotreptis, quos nutrices apposito vberibus quopiam amatuléto, ad solidiorem escam prouocant. Sicut ergo Deipara vltrò ac spontè cum visum est fonte materni lactis prorsus abstinuit; ita quamdiu lactatio durauit, identidem ad exercitium virtutis abstinentiæ dulci illa cibatione sibi temperauit, nec voluit papillas sugere.

Fateor quæ de ablactatione spontanea dicuntur, posse videri verisimilia, cum ab authore sint prodita non prorsus obscuro, qui ex vetustioribus monumentis pleraque hausit; & circa insolitum (certè non adeò stupendum) prodigium accidere potuerint. Facile enim in animum induxissent plerique mortaliũ; obfirmatam ab infante papillæ reiectionem non ex infantis arbitrio, sed ea naturali aliqua dispositione lac auersante proficisci: sicque declinaretur species miraculi, & stupor quem ingenerant euentus insoliti, cuiusmodi esset ablactationis arbitrariæ, quæ in aliam causam referri nulla ratione posset. Quare quæ de arbitraria per ipsammet infantem sui ablactatione sunt dicta, haud prorsus repudio.

At quæ de ieiunio lactentis infantulæ recitata sunt voluntariè conficta existimo: non aliam ob causam, nisi quia aliis plerisque sanctis in prima ætatula idipsum accidisse notatum est. Verùm non esse eam amussim fidelem, ad quam exigenda sunt, quæ de priuilegiis Deiparæ proferuntur, notatum sæpissimè est superiùs. Non enim quæcunque sanctitatis promouendæ media ab aliquibus sanctis sunt vsurpata, necesse est fateri vsurpata item esse à Deipara: alioqui dicendum esset. Virguneulam sanctissimam à primis annis ternas noctibus singulis B Dominici diuerberationes, & ferreum B. Guillelmi cilicium adhibuisse, aut alterius Dominici cognomento *loricati* æs triplex circa pectus, atque catenas, illigasse sibi; & tormenta quibus Christina mirabilis se diuexauit, sibi admouisse. Multo minus ergo, vrgemur concedere Deiparæ ea infantium miraculosa ieiunia, quæ non erant virtuti opera nisi obiectiuè, nec erant media promouendæ sanctitatis, sed tantum præsignificationes eius aliquando consecutuiæ.

Nec non ablactatæ cibatio per Angelos.

8 AVulsam ab vberibus, & à lacte semotam Virginem trimulam, mox per quindecim gradus templi absque ductu progressam, quod tamen planè incertum esse, monet Iansenius in psal. 119.) illatam ædi sacræ cum illius temporis Ascetriis, quas *Euangelizatrices virtute multa*, dictas psal. 67. censet Mendoza quæst. 2 posit. numero 5. fuerunt qui cœlesti alimento per Angelos pastam dicerent. Id S. Germanus de orat. de Virg. præsentatione, disertè prodidit, & annuit Andr. Cret. orat. de dormit. Virg. ac pleniùs etiam Georgius Nicomed. Orat de Oblat. Virg. ac Cedrenus in Compendio Histor. Videtur hoc admittere Suarez tomo 2. 3. p. dispnt. 7. *initio*, anouitque Ioannes Maria Zamorus lib. 3. de Eminentiss. Deip. perfect. c. 6. à num. 5. Castro in histor. Deip. cap. 3. Lancilotius in Viticula Mariana, Patapin. 6. Nouatus de Eminentia Deip. tomo 1. c. 5. Coluenerius in Calendario Virg. 21. Nou. num. 9. Sabianus anno mundi 4041. nec sinit de hoc dubitari Benacnius in psalm. 86. cap. 40. traditione 9. qui id confirmant ex simili priuilegio concesso S. Paulo primo Eremitæ. Et adduci æquè possunt, quæ de Baptista puero per Angelum in desertis nutrito, prodita sunt à Cedreno, & à Nicephoro l. 1. 14. & similia de S Neophyto habentur in Menæis 21. Ianuar. ac de Abbatibus Apollo & Anupho apud Palladium in Lausiaca, & de Simeone stylite 24. Maij, ac de Codrato infante apud Metaphrastem 10. Martij. Ex quibus exemplis Poza l. 3. tract. 13. c. 8. probat quod Canisius l. 1. de Deip. c. 13. asseuerat. & Moral. l. 1 in Matth. tract. 10. n. 10. videlicet. Deip. mox ab ablactatione in templum ductam, per Angelos fuisse enutritam; nec communi alimento, sed cœlesti, quale pro Enocho & Elia nonnulli meditantur, & quidam Patres de hoc Virginis statu agentes, *immortalem* aut *materiæ expertem cibum*, aut, *ambrosiam* nominant, vt Germanus Andr Cret. & Gregor. Nicomed. locis allegatis, quos profert & sequitur Benzon. in psal. 86. c. 22. & c. 40. traditione 9.

9 Verùm inprimis hac ratione subruitur fundamentum, argumenti pro hac Deip. infantis cibatione petiti, & nutricatione sanctorum aliquorum infantium per Angelos. Hæc enim, vt & cibatio Pauli primi Eremitæ, è qua Suarez ducebat argumentum, cibis communibus peracta proditur, cum tamen pro Deip. fingantur immortales cibi: qui cuiusmodi sint, intelligi non potest, quin planè euertatur ratio nutritionis, quæ sita est in destructione cibi, eiusque conuersione in alitum. Non nego posse per Angelos curari succos, aut cibos qui optimè nutriant, & præ omnibus cibis nostris vegetent, ac fulciant vitam. Nam id posse Satanam à Deo non impeditum, docet exemplum iuuenculæ apud Prosperum in dimidio temp. c. 6. quæ septuaginta fermè dies, totidemque noctes impasta exegit: nisi quod auis quædam noctis medio, ori nescio quid infundebat, vnde vigor & vita perennabat. Eam autem auiculam fuisse dæmonem tali specie obtectum, circumstantiæ illius negotij monstrant: & inde liquidò euincitur, quod auis illa iuuenculam increpasse proditur, quod accessisset ad locum sanctum. Hinc igitur patet, facilè esse SS. Angelis humanum corpus similiter vegetare, adhibito insolito quopiam, vel naturali, vel factitio succo, aut edulio eximiæ efficacitatis quæ Angelos non latet. Nihilominus tamen nemo non videt, quoduis alimentum debere esse mortale: alioqui non aleret, quia non conuerteretur in alitum. Deinde non placet, quod priuilegium cibationis per Angelos cibum mortalem suppeditantes, quibusdam sanctis ab humana ope seiunctissimis concessum, vt Baptistæ, & Paulo primo Eremitæ, & si qui fuere huiusmodi, extendamus ad Virginem in tanta frequentia versantem, præsertim per totum tempus commorationis in templo, quod non fuit exiguum, sed ad multos annos protensum, vt infra dicemus. At non solet Deus miracula velut prodigere, in iis quæ neque absolutè necessaria sunt, neque munus diuinitùs collatum docent. Alioqui fingamus sanè, Deiparam cibis cœlestibus in vniuersa vita pastam, cibis nostratibus non eguisse, prout aliqui malè feriati otiosè commenti sunt, referente ac refellente Clyctouæo l. de doloribus Virgin. capite 13.

Et commoratio in Sanctis Sanctorum.

10 PEr idem tempus commorationis in templo, hæsisse semper Virg. in sanctis sanctorum, quæ erat templi pars penitissima & sanctissima, affirmant plerique Recentiores, imitati quosdam antiquos, vt Euodium apud Nicephorum l. 2. histor. c. 7. & Georg. Nicomed ac Germ. Constantinop. in orationibus de præsentatione. Quod adeò præcisè intelligunt aliqui ex

ex iis quos dixi Recentioribus, vt ne ad punctum quidem per totos vndecim annos, quibus Euodius eam in adytis illis & sanctis sanctorum commorationem definit, Virginem inde egressam contendant: & propterea nullas ciborum, aut potus reliquias ab ea egestas afferunt, ne vel indecoram loco sacri contaminationem admittant, vel moram in eo aliqua intercisione abrumpant. Vt autem minùs absurda & persuasu difficilia proferre videantur, obseruant post tot clades Hebræorum, totque templi & sanctuarij direptiones non eam fuisse apud Iudæos summam loci illius reuerentiam, quæ olim fuerat, cum illic arca seruaretur, quod iam ab ætate Ieremiæ factum non erat. Quid quod interdictum de non intrando in sancta sanctorum, tantùm viguisse videtur pro tempore, quo solemniter agebatur res diuina, vt colligitur ex cap. 16. Leuit. vers. 17. Eo autem tempore transacto, fas erat viris sanctitate insignibus eò commeare; ita vt testentur graues Scriptores, (vt Egesippus apud Eusebium 2. histor. cap. 23. S. Hieron. l. de Scriptor. & S. Epiph. hæresi 78.) S. Iacob, ob vitæ notam sanctitatem, fas fuisse illuc intrare. Puellæ igitur, tot mirabilibus diuinitùs circa eam editis insigni commorationem in eo loco concessam esse, non debet incredibile videri. Ita quidem Recentiores prædicti, & nominatim Canisius obiter l. 1. de Deip. c. 13. Plenius Poza l. 2. tract. vltimo c. 2. & in apolog. l. 3. cap. 5. conclus. 2. ac ex multis antiquis Vincentius Ricardus in notis ad versum 4. capitis primi Cantic. ex Cantacuseni interpretatione.

11 Reuera tamen non persuadent. Nam tanta singularitas in plerisque adeò insolitis, ac nominatim in iugi successione infantulæ trimulæ, ac vita absque iis naturæ necessitatibus transacta, quibus omnes sumus obnoxij, non habent sufficiens fundamentum in vnius vel alterius antiqui Scriptoris testimonio, silentibus, vel etiam repugnantibus aliis. Præterquam quod Euodius, quem cæteri videntur expressisse, facilè potest accipi, de habitatione in loco continuato sanctis sanctorum, idest in parte ædium templo adiunctarum. Qua ratione, nunc quoque dicere licet, Moniales nostras degere in templo, & in loco vbi Christus asseruatur: quia domus earum, continens, & adiuncta est, templo in quo est corpus Christi, etiamsi non incolant immediatè ipsum templum. Idem ergo de Iudæorum templo affirmandum est. Sanè sacerdotes, genus hominum gloriæ templi impensissimè addictum, tantam contra omnem morem degendi in templi adytis licentiam, etiam quo tempore ibi rem diuinam ageret summus sacerdos, contra expressum Dei mandatum, numquam tolerassent per tot annos. Gloriosior item de B. Virgine fama increbuisset, quàm ferant voces illæ Iudæorum, cum Christum vilipenderent; *Nonne mater eius dicitur Maria?* Nam quæ à prima ætate, in tanta veneratione apud primores gentis illius fuisset, & tot prodigiis, quot in narratione quam excutimus continentur, inclaruisset, nunquam tantoperè euiluisset, vt eius obscuritatem in filij probrum vertere possent: Imo quo magis in eum infensi fuissent, quod tali matre editus esset, studiosè celassent. Consultius itaque Gregorius Nyssenus orat. de Christi Natiuit. corrigens quæ aliqui de commoratione Virginis tremulæ in Sanctis sanctorum dixerant, contentus fuit affirmare sanctam puellam per sacerdotes in sanctis ædibus instar Samuel. fuisse educatam donec adolesceret & nuptui traderetur, Adscribitur ei correctioni Salianus anno mundi 4041.

Theophili Raynaudi Marialia.

Confectio tunicæ inconsutilis, & vouendæ Virginitatis friuola causa.

12 Circa actus Virginis in habitatione sancta commorantis, pertinent ad hunc locum duo. Ac primùm consuisse B. Virginem in hoc secessu tunicam inconsutilem quæ Christo fuit vsui, (quod ex Euthimio in Mattheum refert & approbat Benzon. in psalmum 86. c. 40. traditione 10.) non nisi diuinando dicitur, nec est reuera assertum ab Euthymio, qui tantùm dixit, B. Virginem confecisse eam vestem, absque loci & temporis determinatione. Nec minùs diuinando dicitur, quod ea vestis initio paruula, cum Christo crescente cresceret, vt alij commenti sunt tametsi non à Virgine confectam, sed de cœlo missam asseruerant, vt Goffridus Viterb. parte 14. Chron. quem suis Dominicanis non rectè annumerat Antonius Senensis in Bibliotheca FF. Prędicatorum, ex Bernardo de Luxemburgo in præludiis ad Cathalogum Hæreticorum, vbi eos versus Goffrid. refert ex libro cui titulus *Panthem.* Pars 1. Punctum 3. Virginis pueritia & præsentatio.

Mittitur à cœlis puero dignissima vestis
Hanc Pater à cœlis misit, non fœmina neuit
Longa fuitque breuis puero, crescenteque creuit.

Sicut Vestes pueris Hebræis appositæ, creuerunt cum illis in deserto, ait S. Iustinus sub finem dialogi cum Trypheone. Alia sunt nec pauca, quæ de eiusdem tunicæ decoribus solidè proferri possunt Theophredo Abbate, libro de floribus Epitaphij Sanctorum; vt meritò sanè pro ea tunica quā sibi vendicant omnino multi Treuirensibus suis vendicanda, sollicitè agat Christophorus Brouuerus Annal. Treuir. l. 4. Sed quod erat in ea pretiosum, non erat forma, vel materia. Ex eo enim capite erat vilis, & despicabilis, vt ferunt illa Isidori Relusitæ l. 1. epist. 74. [Quis vestis illius inconsutilis, desuper contextæ per totum, vilitatem ignorat? Vt quæ Galilæorum pauperes vtantur: apud quos etiam, maximè huiusmodi vestis genus fieri solet, arte quadam, vt pastoralia retractum consutum.] Pretiositas ergo vestis huius ex vestito petebatur. Porro vt alia vana coniectanea circa Deiparam degentem in secessu de quo agimus non omittam, diuinatoriè item dicitur, quid quaque hora, Virgo in ea habitatione faceret, vt aliqui dicere non erubuerunt; quæ Bonau. piè meditando expresserat cap 3. medit. accipientes vt simpliciter gesta.

Secundò circa votum Virginitatis quod per hoc tempus commorationis in templo, vel primùm emissum, vel iteratum, & renouatum diximus, figmentum induxit Rupertus l. de læsione Virginit. cap. 6. & l. 3. in Cant. ad illud, *in vno crine colli tui.* cum dixit; B. Virginem à nuptiis abhorruisse, & vouisse virginitatem, quia putauit se nullius viri corpore dignam. Hoc vel summam ignorantiam Virginis sonat, si (quod idem Rupertus paulo post, ad illud *quàm pulchræ sunt mammæ tuæ*, existimat) B. Virgo indignitatem ex parte sua agnouit; quæ verè nulla erat. nec ex humilitate quæ à falso abhorret eam agnoscere tenebatur, aut poterat: Vel superbiam non vulgarem, si indignitatem ex parte virorum statueret. Quia quamuis verè, nullus vir ea dignus esset, tamen humilitas ab ea æstimatione abhorrebat. Quare neutrum iudicium in Virginem cecidit; sed à nuptiis, voto interposito recessit, vt coram Deo esset sancta corpore & spiritu.

D PVN.



PVNCTVM IV.

Sponsalia, & coniugium ratum, cum Iosepho viro sanctissimo.

1 VIRGINEM intra annos aliquot commorationis in templo, nubilem factam, sacerdotes ex diuina inspiratione templo eduxêre, quod non deceret virginem nubilem hærere in templo, vbi sacerdotes sunt assidui, vt Gregor. Nyss. de Natiuit. Dom. ratiocinatur.

Virgo è templo educta desponsatur; & quorsum.

ADdit Nyssenus, ex eorundem sacerdotum deliberatione, Virginem pupillam cuius votum innotuerat, desponsatam esse viro de tribu sua; eique traditam, non vt marito liberis operam daturo, sed vt fido custodi integritatis. Adducit in eam sententiam alios Canisius l. 1. Marc. cap. 11. Quamquam alij vt Franc. Lucas Matth. 1. ad vers. 18. post Hugonem victorinum l. de perpet. Virginit. S. Mariæ cap. 1. *sub finem*. non minùs verisimiliter affirmant, eductam quidem à sacerdotibus è sacris penetralibus Virginem tanquam viro maturam, & pro solemni gentis vsu, nuptui tradendam; cognatis autem, vel parentibus, (si supererant,) permissam; ab iisdem desponsatam esse Iosepho, & intra aliquod tempus, iuxta morem patrium, vero eius coniugio illigatam. Non sunt prætereundæ huius desponsationis circumstantiæ, vt dies quo perfecta est, & annulus ad id adhibitus. Desponsationem Deiparæ cùm Iosepho, factam esse die 25. Nouemb. inde probat Baptista Lautus Perusinus tract. de annulo pronubo B. Virginis Perosiæ, asseruato pag. 8. quod B. Virgo nuntium de Verbi Diuini corporatione acceperit, exacto à contractis nuptiis quadrimestri, quantum temporis intercedit inter 25. Martij & 25. Nouêbris; quod autem Gabriel ad Deiparam accesserit, quadrimestri post contractas nuptias habetur ex Euodio apud Niceph. lib. 2. c. 3. Et quia vsus Hebræorum ferebat, annulum in desponsatione adhibere, non est hic prætermissus is ritus. Eum annulum pronubalem quo Deiparam Iosephus sibi oppignerauit, religiosè seruant Perusini de quo commentarium edidit Ioannes Baptista Lautus. Quanquam scio alium præterea huiusmodi annulum, asseruari in Semurensi Burgundiæ Prioratu, & alium in Monasterio Aquiscinctino apud Belgas, de quo multa Matthias Naueus orat. 51. de S. Iosepho. Addunt idem authores posteriores neminem cum desponsatio inita est, conscium fuisse voti virginitatis perpetuæ à Virgine emissi: ipsam autem Virginem, in huiusmodi sponsalia & coniugium consensisse, quod ex diuina reuelatione compertum haberet, fore vt huiusmodi matrimonium, voto ab ea se emisso nihil officeret. Nec tamen id votum latuisse Iosephum cum contraxit, affirmat ipsa Virgo apud S. Brigittam lib. 7. c. 25.

2 Diuini consilij circa hanc Virginis desponsationem nomen causas, prosequitur Rich. à S. Laur. l. 6. de Deip. *pag.* 410. Plerasque enim proponit Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 55. Præcipuas quasque complexus videtur S. Ambros. initio libri secundi in Lucam, dicens. [Benè verumque posuit Scriptura, vt desponsata esset, & Virgo? Virgo, vt expers virilis consortij videretur: desponsata, ne temeratæ virginitatis aduretetur infamia, cui grauis aluus, corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis adstruendam. Seruatur itaque sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione Virginitas. Oportet enim sanctos, & ab his bonum testimonium habere qui foris sunt. Nec decuit sinistra Virginibus opinione viuentibus, velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur. Quid autem Iudæis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodum autem ipse diceret, *non veni legem soluere, sed adimplere*, si videretur cœpisse à legis iniuria, cùm partus innuptæ, lege damnetur? Quinetiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset, & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. Quid quòd etiam fides, Mariæ verbis maior adsciscitur, & mendacij causa remouetur? Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta prægnans. Causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit; cum coniugij præmium, & gratia nuptiarum, partus sit fœminarum. Non mediocris quoque causa est, vt virginitas Mariæ falleret principem mundi; qui cum desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum.] Scitè quoque in hanc rem philosophatur Rupertus lib. 1. in Matth. qui post pleraque, concludit his verbis. [Nonne fuisset hoc margaritam valde splendidam ante porcos mittere, Virginem prægnantem, siue parientem, de semetipsa prædicare, vnde haberet in vtero, scilicet de Spiritu sancto. Fieret enim inquisitio vnde concepisset, vel à quo impregnata, esset si virum non habens peperisset. Igitur laudi deputandum est eius de quo in vtero habebat, scilicet Spiritus sancti, spiritus consilij, quod mater eius desponsata erat, quia verè secundum hoc ipsum nomen vel præconium quo dicitur & est spiritus consilij, dignum se fecit, dignè prouidit, vt illa desponsaretur, & per hanc occasionem ab omni quæstione liberaretur. *Sponsus*, vel nomen *sponsi*, cœlestibus nuptiis secretum fecit, ianuas cubiculi clausas custodiuit, ita vt non foris omnino pateret transeuntibus, lux claritatis quæ intùs erat.]

3 Vix alias desponsatæ Virginis causas proferunt alij Patres, in hoc negotium inquirentes. Sed & harum causarum plerasque, non esse firmas mostrat Poza l. 2. tract. vlt. capite septimo. Et eiusmodi nominatim putat esse vltimam à S. Ambrosio assignatam, vt scilicet partus Virginis non innotesceret Satanæ: quam causam etiam S. Ignatius epist. ad Ephes. protulit, approbauitque S. Hieronymus Matth. 1. ac Basil. hom. de huma Christi gener. & copiosè S. Bern. hom. 2. super *Missus est*, nempè [vt partu Virginis ocularetur Diabolo, dum putat, Christum de vxore, non de Virgine esse generatum.] Dixi de huius rationis efficacitate quid sentiendum videretur, l. 1. de Christo. Id quod etiam latè versat Torres disp. 17. selecta dub. 5. parte 2. operis. Quantum de diuinis consiliis balbutire possumus, pensatis omnibus negotij adiunctis, verissima diuini huius consilij ratio, petenda videtur; primo ex vitanda ad hunc modum B. Virginis infamia cum deprehêderetur concepisse. Secundò ex necessaria Virgini societate viri, qui ad prolem educandam adiutor, & peregrinationum ad

pueri

pueri tutelam obeundarum comes fieret. [Necessario (concludit supra S. Bernardus) desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc, & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ prouidetur. Quid sapientius, quid dignius diuina prouidentia? Vno tali consilio, secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra seruatur fama Virginis Matris. Alioquin quando pepercisset iussus adulteræ?] Hæc videntur præ omnibus aliis desponsatæ virginis causis superiùs ex Ambrosio & Ruperto tactis, maximè idoneæ, & minùs tergi uersationi, vel calumniæ patentes.

Hæc Deiparæ desponsatio (de Gisebertj sententia in Altercatione synagogæ, & Ecclesiæ c. 19.) primus velut gressus Dei ad nos, & exordium totius diuini commercij ad salutis nostræ œconomiam. Itaque glossam illorum verborum, *cum esset desponsata mater Iesu Maria, Ioseph*, sic auspicatur. [principale fundamentum totius humanæ salutis matrem aduerte Saluatoris, quæ lethalibus serpentis, & Euæ obuia vestigiis partu suo, mortis iter intercłusit, & ostium vitæ quod est Christus, intiatæ contendentibus, aperuit, chirographum lethalis pacti deleuit, exhæredatum regni consortem noui Testatoris, sigillo summi Regis, fecit hæredem filiique sui cohæredem. Per Mariam diuinæ misericordiæ Sacramenta completa sunt, cæli propter hanc inclinati sunt, fontes, aquarum apparuerunt, fundamenta orbis terrarum reuelata sunt: hoc est ex ipsa Christo nascente, Apostoli electi sunt, per quos orbis quasi fontes inexhaustos potaretur, & reuelata per Spiritum sanctum prophetia, mundus ad fidem ducendus; fundamento quodammodò immobili stabiliretur. Hæc igitur viro desponsata Regis æterni sponsa vnica, hæc Regum filia, mater & Virgo benedicta, quæ præcognita antequam nata, hæc Angelorum gloria, mortalium vita certissima, quia inter summa, vel ima, ipsa mediatrix pacifica. Hęc aurora, hęc Sol, hęc Luna, hęc stella: Aurora quidem præcedens in actu suo, Solem iustitiæ: Sol verò, & ipsa, in quo tabernaculum corporis sui, conditor ipse probatur posuisse, & tanquam sponsus de thalamo suo processisse. Est etiam Luna; radians quidem ex splendore conditoris, sed mutabilis lege naturæ conditionis. Stella verò maris, quia vis, pontis, & vita nauigantis Ecclesiæ, per hoc mare magnum: & spatiosum in mundania tenebris. Hæc præuia Virginum, Princeps, sanctæ Virginitatis speculum, æterni decoris ornamentum, in qua gemmæ virtutis insigne, idest humilitas, & virginitas, illum concipere meruit, quem cœlum & terra non capit, vteri sui claudens sacrario verbum sine initio à Patre progenitum, ad salutem omnium egressum. Hæc igitur mater & Virgo, mater matrum, Virgo Virginum, sicut damnum pudoris non incurrit generando. sic post partum mansit in integritate perseuerando. Ipsa radix æterni floris, flos & fructus æternæ benedictionis. Sed quousque in laude Virginis progredimur. Omnis Scripturarum benedictio in Maria inuenta est, maledictio deleta est completa sunt in ea, ora Prophetarum omnium respiciunt Mariam omnia creata, vel redempta per Filium. Qui enim probare vult æstatis tempora venisse necesse non habet florigiunda neororum opaca percurrere, com vnius florentis arbusculæ experientia, possit facile notare, fugata hyeme, tempus vernum aduenisse: Sic ex florida radicis Iesse virgula, tempus gratiæ ssue vales apparuisse, in qua fi-

Theophili Raynaudi. Marialia

mul omnia pullulasse probantur Sacramenta Eccles. vel ad hæc cognoscenda necessarium est omnia vatum oracula, vel legis antiquæ ceremonias figuales percurrere. Equidem in huius Virginis mystica desponsatione, verùm comprehenditur, quo in vmbris legalibus, seu propheticis ænigmatibus tegebatur. Nec longius nobis ad indagandam veritatem progrediendum, cum post tempora priscæ legis, & abscissionem synagogæ, tecuerit Ecclesia introitum per desponsationem Mariæ.] Satis prolusum à Giselberto ad dignitatem mysterij Virgineæ desponsationis.

Pars 1. punctum 4. Virginis cum Ioseph sponsalia.

Nunc ipsius desponsationis veluti, introspiciendá est. Hoc enim difficultatibus vacat. Sed duo præsertim sunt, quæ circa eam, siue circa coniugum B. Virgin. dubitationem ingerunt. Vnum quàm sit certum B. Virginem contraxisse verum matrimonium cum Iosepho, vt asserimus. Alterum quomodò hic contractus cum voto ab ea antetius emisso cohæreret. In priore puncto, Michael Medina l. 5. de Contin. capite sexagesimo-quarto, censet problema esse an B. Virgo coniugium verè contraxerit. Vode arbitrarur; id vtroque disputati posse absque incommodo. In eodem puncto, errarunt hæretici, & minus aptè locuti sunt quidam, Catholici. Nam inter hæreticos, Iulianus Celanensis dixit coniugium Beatæ Virginis & Iosephi non fuisse nisi existimatum cum defuerit coniugale commercium, quod Iulianus de coniugij varietate & substantia esse cęsebat. E contrario autem Heluidius, quia hoc coniugium eorum esse verè, & propriè coniugium, admisit Iosephi & Beatæ Virginis, (post editum Christum) carnale commercium. Eunomio idem tribuit Author Operis imperfecti in Matthæum homil. 1. *sub finem.* Antidicomarianitas nominat qui hoc errore sordebant suo tempore, S. Epiphanius hæresi 78.

Deipara nunquam viro commixta, contra Heluidy blasphemiam,

4 VErum H. luidij spurciloquium à Diuo Hieronymo ista lucubratione adeò potenter abactum est, vt non sit quod in eo voluabro vlteriùs conuoluamus. Qui plura volet ardeat, Sanctum Epiphanium hæresi illa septuagesima octaua, & Castrum Virg. *Maria* hær. 1. Et dolendum est Tertullianum Heluidio præiuisse, vt fatetur Sanctus Hieronymus, & agnoscit etiam Pamelius Patad. 23. At aperte mentitus est Casaubonus, latè reiectus ab Andrea Cydonio libro primo, pro Baronio capite septimo, cum scripsit, Sanctum Basiliom circa hoc fuisse ambiguum, an Deipara post editum Christum, coouenerit cum viro. Cui blasphemiæ, communi Patrum calculo reiectæ apud Coccium tractatu primo, libro tertio, articulo secondo non astipulatur illud. *non cognoscebat eam donec peperit*, vt rectè docuit Nazianzenus oratione trigesima sexta quæ est quarta de Theolog. Isidor. Pelus. libro primo, epistola decima octaua, sic scribens ad Herminium. [Quandoquidem existimare te dixisti, offensioni Iudæis id esse, quod in diuinis oracolis dictum est, *Non cognouit eam, donec peperit filium suum*, tanquam scilicet postea sponsus cum Virgine congressus sit: noscat contumeliosus, & ingratus populos, vocem hanc *donec* pro *perpetuo*, in diuina Scriptura sæpè positam reperiri Vt *donec ponam inimicos tuos scabellū pedū tuorū*,

pro *in perpetuum.* Et *non est reuersa columba ad Noë, donec siccarentur aqua.* Prorsus enim non est reuersa. Et, *donec senueritis, ego sum, ait Dominus.* Atqui est perpetuò. Atque alia permulta eiusdem generis, sparsim in diuina Scriptura reperiuntur. Diuina porrò mens ô Iudæi peruersam vestram sententiam corrigens, qui Dominum ex stupro ortum esse existimastis, & ponunciastis, his verbis illud demonstrare studuit, quod intactus adorandus partus, ac libidinis & concubitus expers fuerit, diuinitatique consentaneus, atque eiusmodi qui humanæ rationis captum excedat. Nam ne postea ij inter se coirent quibus fornicatio per calumniam obiecta est, Angeli quoque visio prohibebat, qui eum qui in Virginis vtero carnem assumebat, ex Spiritu sancto extitisse dixerat; & miraculorum in partu editorum maiestas, atque amplitudo vetabat, & Virginitas quà partum secuta est, Angelorum cantus, & oblatum à Magis munus, & stella prælucens, & deductio in Ægyptum, & simulachrorum captiuitas, & illorum ipsorum Iustitia, Scripturæ sanctæ testimonio confirmata. Quin istud quoque, postremum Domini testamentum liquidò demonstrat; qui quo tempore in cruce erat, ac viuifica morte fungebatur, Ioanni. Virgini genitricem Dei commendauit, atque amborum virginitates copulauit.]

His demonstratum à se censet Isidorus, nequicquam Iudæos, *donec* illud Euangelistæ, ostendisset, aduersus integritatem Deiparæ post editum Christum. Nam & phrasis Scripturæ, illud *donec* in longè alio sensu vsurpat, vt exempla patefecerunt; & tam graues vrgentesque erant Iosepho causæ temperandi sibi ab vxore, vt dubium nulla ratione esse possit, quin sibi temperauerit, adigamurque proinde admittere illud *donec* non sonare hoc loco quod sonat in communi, & vulgato loquendi modo. Non est opus quæ præterea circa eius loci enodationem profert aduersus Heluidium S. Hieronymus, huc transferre; cum stramineum illud argumentum satis superque contritum maneat, per ea quæ ex Isidoro protulimus. Quo consilio, missa item facio alia, quæ in eam rem, librata quoque vi Grecæ & Hebraicæ vocis respondentis Latinæ particulæ *donec* adducit Adamus Gotzen in capite secundò Matth. vers. 25. quæstione 10. & Serarius in capite 5. Iosue quæstione 12. Rectè porrò de his spurciloquis pronunciasse videtur Author Imperfecti Operis in Matth. homil. 1. *sub finem*, eos & præ malignitate affingere Iosepho animum suum, & præ hebetudine non aduertere, locutionem Scripturæ quam vrgent, longè aliter accipi in communi vsu, ita vt eis nullo modo faueat. [Insanus (inquit) neminem intelligit esse sanum; quia ausi sunt hoc dicere de illa, putant quia & Iosephus hoc ausus fuit facere, *&c.* Volo tibi referre. *Ille nescio quis, cum illo litem commisit, & donec vixit, non est ei locutus*, Numquid ex hoc quod dixi, *donec vixit non est ei locutus*, ex eo signaui, quia post mortem illi locutus est?] Facessat ergo spurca obesitas Heluidij & gregalium Dei habitaculum carnalibus concupiscentiis sordidantium, vt ibidem rectè subiicitur.

5 Aliter eundem Matthæi locum, & difficultatem ex eo petitam contra integritatem Deiparæ, extricat S. Athanasius serm. de Natali Dom. cap. 12. sic dicens. [Quod dixit Beatus Matthæus; *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*; non in eam sententiam accipiendum est, in quam isti prauè accipiunt. Verè non cognoscebat illam Ioseph, donec peperit filium suum primogenitum; quamdiù scilicet Virgo ipsa, quem conceperat, ferebat in ventre. Namque Ioseph quid in ea lateret, ignorabat, & quale quantúmvè illud esset, & quem ad finem res spectaret, non antea perspectum habuit, quàm Virgo peperit. Tunc enim, quanta esset eius virtus, ac dignitas diuinitùs ei collata, manifestè cognouit. Tunc vidit mammam infanti à Virgine datam, cuius virginalis flos intactus permanserat. Tunc vidit Virginem peperisse quidem, sed nihil eorum sensisse, quæ parturientes pati solent. Tunc cognouit petram illam è montis vertice abscissam, mammam sugendam dedisse petræ illi spirituali, quæ mentis lumine comprehenditur. Tunc cognouit Ioseph clarissimi præconij Prophetam Esaiam de Virgine illa hoc scripsisse; *Ecce virgo concipiet.*] Subscribunt Epiphan. hæresi 78. n. 20. & Author Imperfecti hom. 1. *sub finem.* Verum ex explicatio supponit Iosephum ante partum Virginis ignorasse Incarnati Verbi mysterium, quod non videtur cohærere, cum verbis Angeli discutientis dubitationem Iosephi ex deprehensa sponsæ grauiditate. Æquè cum iisdem Angelis verbis pugnare videtur, quod ait Hilarius can. 1. Matth. longe aliter quàm duobus propositis modis accipiés prædictum Matthæi locum. Nam putat Virginem dici non cognitam à Iosepho donec peperit, quia tunc tantùm assumpta est in coniugē; cum illuc vsque fuisset tantùm sponsa de futuro. [Quia desponsata esset (inquit in coniugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum, id est transit in coniugis nomen. Cognoscitur enim non admiscetur &c. Ergo & coniugis nomen sponsa suscipit, & post partum in coniugem recognita tantùm, I E S V mater ostenditur,] Hæc explicatio loci Matth. non cohæret cum expeditissima Iosephi obedientia, qui tanto ante iussus erat non timere habere Mariam, coniugem suam. Itaque prima enodatio ex S. Isidoro & aliis adducta est omnium expeditissima, & *prauissimos homines* vt rectè eos appellat S. Hilarius excludit latibulo quod in propositis Matthæi verbis captabant.

Nec item aduersus B. Virginis semper illibatam virginitatem, opponi iure potest ex Matthæo; illud aliud, *antequam conuenirent*, non enim sensus est, postea conuenisse. Sicut de aliquo dicam, *antequam sumeret medicinam obiit*; non est sensus quod post mortem eam sumpserit; sed tantum quod non sumpserit eam ante mortem. Similiterque cum quis dicit Iudices de causa quæ agitabatur pronunciasse, priusquàm causam cognoscerent, non significat eos post latam sententiam, causam esse cognituros: sed præcisè significat, causam, non fuisse cognitam, quod clarius diceretur adhibito verbo temporis præteriti; *priusquam cognouissent.* Et eodem modò clariùs hic dictum fuisset, *antequàm conuenissent*, quàm *antequam conuenirent.* Exemplis ex humana literatura petitis, sensum quem locutioni Euangelistæ subieci, illustrant Valla, & Erasmus ad c. 1. Matth. Donestenus Damian. Opusc. 41. cap. 2. aliter elidit difficultatem ex eo Scripturæ loco petitam, dicens cum Beda quem adducit, illud *antequam conuenissent* idem esse, ac si dictum fuisset, *antequàm contraherent matrimonium ratum.* Vnde subiungitur dixisse posteà Angelū Iosepho deprehendenti sponsæ grauiditatem, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Quanquā ea Petri, ac Bedæ interpretatio, videtur minus quadrare, nec coniugium postea cōtractū satis tegisset honorē Virginis si fuisset prægnans ante coniugium ratum initum, cum tamen internum Spiritus sancti in sancti huius coniugij celebratione fuerit consulere honori Virg. re dici aliquando posset quod cōcepisset de viro non suo, vt S. Hier. philosf. vt vt verò res habeat, quod genuinū Matth. sensū in illis

verbis

verbis *antequam conuenirēt*, non habetot ex eis tenetatio Virginitatis B Mariæ. Itaque spurcissimus error Heluidij, nullum habet in Script. præsidiū: Imò & innumeris Scripe. & constantissimæ Sanct. Patrum traditioni aduersatur. Elegantissima est Ambrosij in hac rem Epistula ad Theophilum Alexandrinum, & Anysium Thessalonicensem Episcopos, aduersus Bonosum quendam malè feriatum Episcopum in hoc Heluidij cœno hærentem, quem testatur rectè ab iisdem Theophilo & Anysio quoad hanc virginalis aulæ post Christum editum, coinquinationem esse reprehensum. Satis de errore Heluidij in quem his S. Epiphanij verbis her. 78. conclamare in hac meta iuuat. [Vas illud eximium, Virgo, nullam est coniunctionem corporis experta, absit vt illud eaistimemus. Quis est autem qui furorem sibi & insaniam asciscens, tantam B. Virgini contumeliam velit imponere, & os suum aduersus illam attollere, laxare linguam; ad pestiferam illam pronunciandam sententiam labra, diducere? Pro laudibus, ac præconiis probra, contumeliasque comminisci? Sacrosanctæ insultare Virgini? Vas illud denique omni honore dignum, nullo honore prorsus afficere.]

Fuit tamen verè coniugata

6 IVliani verò errorem, cum apertissimis Scripturis pugnantem, quibus Ioseph *vir Mariæ*, ipsa verò *coniunx Iosephi* dicitur, explosit S. August. l. 5. contra Iul. & 1. de nup. c. 11. & 23. contra Faust. c. 8. & adducto Beda idem in aliis improbauit Petrus Damiani opusc. 41. c. 2. Esséque id planè ex fide, censet Suarez t. a 3 p. d. 7. sect. 1. Morales l. 1. in Matth. tract. 3. n. 8. Hanc tamen summam certitudinem non agnoscunt, (tametsi hoc coniugium verum fuisse coniugium, præludiorum matrimonij rati, fines transgressum, & verè ratum matrimonium, sola commixtione exclusa perfectum, profitentur) Balsamon ad Canonem 98. sextæ Synodi in Trullo Canisius l. 1. Marc. c. 5. l. 2. c. 11. Sanchez l. 2. de matr. disp. Nauarr l. 4. Consil. tit. 10. Consil. 3. n 4. Tol. in c. 1. Lucæ anot. 56. Rebellus a. p. l. 2 3. q. 1 3. s. 1. Vasq. 3 p. d. 1 2 1. c. 3. & passim recentiores: sed videtur adhibenda distinctio. Nam si non agatur definitè, ac præcisè de tempore quo dicat, celebratum esse S. Iosephi & B. Mariæ coniugium, verè pronunciatum est à Suare, est de fide, quod hoc coniugium fuerit verum, & transcendens Sponsalia simpliciter dicta, quæ sola promissione mundi postea contractus coniugalis, continentur. Cur in hoc sensu adscribor Suarij, faciunt Scripturæ quibus, Maria, *vxor & coniux* Iosephi dicitur, eoque nomine Iosephus *Pater Christi* appellatur, quod esset *vir Mariæ, de qua natus est IESVS.* Et alibi *Ioseph vir eius*, cum esset iustus, voluisse dicitur dimittere coniugem, id quod ab Angelo vetitus est facere, & quia paruisse Iosephum in confesso est, manifestè Scripturæ Iosephum *virum* Mariam *coniugem* agnoscunt, atque adeò rem ita se habuisse, ex fide est. Nam quod Scripturæ tradunt, quomodò non sit fide certum? Quare petulanter quispiam his ipsis diebus quibus hæc ad nouam editionen recognosco, aduersus Suarem hac ea causa effutiuit in Notis ad orationem Georgij Nicomediensis de Conceptione B. Annæ, ac S. Mariæ Natiuitatem num. secundo, prorsus sunt inania, est eo digna typho, cui Cardinalis Baronius, & alij passim graues Scriptores, contumeliosè ac prorsus infrunitè ludibrium debuere. Sin verò agatur definitè de certo

Part 1. punctum 4. Virginis cum Iosepho sponsalia.

aliquo tempore initi coniugij à Iosepho, ac Deipara, sic versus est non esse ea fide certum, quod id coniugium ex quo de eo in Scripturis actum est, sit habendum verum coniugium ratum; potuit enim per aliquod, tempus, esse desponsatio simplex absque corporum traditione mutua, quæ Matrimonium substantialiter perficit. Et circa hoc variatum est sententiis à quibusdam Theologis negantibus de fide esse, verùm coniugium fuisse à Deipara celebratum, nempè vel cum Angelus ad eam iam desponsatam venit, vel cum Ioseph timeret eam accipere quamuis absolutè loquendo, & abstrahendo à tali vel tali tempore, certum ex fide sit (quippè à Scriptura proditum) coniugium Iosephi & B Mariæ, verum, ac substantialiter perfectum fuisse. Et ita passim DD. ac benè præter cœteros Estius in 4. disputatione 30. & ibidem alij; à quibus non dissident pauci veteres Catholici, quos minùs aptè locutos dixi. V. G. S. Hilarius & Theophilactus Matth. 1. nec non Epiphan. hær. 78. qui B. Virginem, non nisi *Iosephi sponsam* appellant; & sponsalia inter eos celebrata tradunt, non autem coniugium perfectum, siue nuptias, Quam ob rem S. August. sermon. 18. de sanctis Epiphan. hær. 79. Bern. hom. 2. super *missus est* Proclus Orat. in Natale Domini, & Faustus epist. 3. B. Virginem vocant. *innuptam*, & Christum ea innupta conceptum dicunt. Chrysologus verò serm. 175. vocat Iosephum, *maritum solo nomine:* quod item habet Author homiliæ de oue & pastore tomo 6. Chrysost. Non inquam hi authores, à cæterorum catholicorum sententia, de vero & perfecto Iosephi & Mariæ coniugio rato dissident: sed quod Canisius c. illo 11. & Castro c 4. historiæ num. 17. fusiùs prosequuntur, matrimonium quod erat duntaxat ratum, maluerunt nomine *sponsalium* appellare, & Virginem, *sponsam* potiùs quàm *vxorem*, ac *nuptam* dicere; vt suspicio carnalis commercij, ac vsus coniugij Iosephum inter, ac B. Virginem, longius amoueratur. Præiueratque S. Lucas qui c. 2. de industria vocasse videtur Virginem *desponsatam Iosepho vxorem.* Nomen certè *nupta*, corruptam à viro sonare, monstat. Cerda c. 144. Aduers. num. 41. Itaque meritò negatur Virgini. Nomen autem *desponsata*, probè cohærere cum verò matrimonio rato, euincit Adamus Gontzen in capite primo Matth. ad vers. 18. quæstion. 1.

Difficultas de cohæsione coniugij Deiparæ, cum voto Virginitatis.

2 PVnctum alterum quod exoticeodum proposueram, nempè quomodò veritas coniugij rati cohæreat cum votò Virginitatis priùs emisso per Deiparam, æquè locum habuit circa votum Virginitatis editum à Sancta Pulcheria, & tamen posteà saluo voto, coniuncta Marciano Imperatori per verum matrimonium ratum, vt latè refert Baron. anno 450. Suntque etiam alia exempla Christianorum coniugum, qui post addictam Deo Virginitatem, iusta de causa, salua voti religione, celebrauere, matrimonium ratum. Sed circa Deiparam, cuius interna puritas extra omne dubium est pungit maximè hæc difficultas: quæ posset sanè inexpedibilis videri, si vera esset sententia Michaëlis Medinæ l. 5. de sacrorum homil. continentia capite septuagesimo & cuiusdam ab Hugone Victorino tacito nomine impugnati, libro de perpetu. Virginis Sanctæ Mariæ.

Asserit ea sententia, ad matrimonium necesse esse, vt contrahentes, consentiant expresse in vsum coniugij, seu commixtionem. Atqui B. Virgo dissensit expresse à copula; quandoquidem voto emisso professa est sibi cum viro rem non futuram, vt liquet ex illis verbis, *virum non cognosco.* Quomodò igitur iniuisset verè coniugium, si de ratione coniugij esset formalis & expressus consensus in copulam? Indubitatum igitur est, consensum in copulam qui est matrimonio internus, non defuisse B. Virgini; sed eum ita exponi oportere, vt cum voto omnimodò abstinentiæ ab vsu coniugij, non collidatur.

Eius expeditiones incommoda.

8 NEc omnis tamen expositio, concordiæ illius inter consensum coniugalem, & votum virginitatis satisfacit. Nam Henriq. l. 11. cap. 18. ita philosophatur, vt votum quod B. Virgo ante nuptias emisit, non fuerit votum absolutum virginitatis, sed duntaxat conditionatum, quale scilicet ferant hæc verba; *Voueo virginitatem, nisi Deus aliquid aliud sibi placere reuelauerit*; sic enim votum anterius B. Virginis, non fuit planè absolutum. At non nisi cum voto virginitatis absoluto pugnaret consensus in copulam. Itaque quando Deus ad matrimonium inuitauit B. Virginem, B. Virgo non voluit repugnantia, promens consensum in copulam coniugalem, qui est internus coniugio, & planè abhorrens ab eo consensu per votum virginitatis. Hæc explicatio modi quo votum virginitatis, & consensus in copulam matrimonio rato implantatus, probè cohæserunt, non est noua. Tradit eam Magister in 4. disput 30. S. Thom. 3. p. quæstione 8. art. 4. & q. 29. art. 1. Palud. in 4. d 30 quos refert Isido. de Isolanis p. 1. operis de Sancto Ioseph. capite 13. & 14.

Non est tamen ea ratio concordiæ, votum inter consensum coniugalem, accomodata: quia dignitas Virginis, & amor puritatis qui in ea quouis tempore viguit, non sinit dubitare, quin vt rectè asserit Martinus de Magistris l. de Temperantia quæst. 5. de virginitate, etiam ante nuptias Virginitatis amore flagrarit, eumque etiam voto firmarit, absolute & quauis conditione votum restringente vel limitante prorsus exclusa; ac nominatim ea quæ proponitur. Nam planè compertum erat Virgini, vsum coniugij non placiturum Deo in ipsa: atque ita directè per votum ab eo commercio abhorruit. Ex quo item Angelum ad se à Deo missum ad consensum circa conceptionem Filij eliciendum agnouit, vidisset se voto solutam si illud emisisset sub conditione quæ non proposita est. Quorsum ergo institisset sollicita pro voto à se emisso, si res se habuisset, vt illi dicunt?

9 Aliam rationem illius nodi extricandi, iniuit Card. Vigerius Chorda 1. cap. 14. & Iacobus de Valentia in Cant. Deip. ad vers. 4. dignitate 4. quem ante etiam latè prosecutus erat Hugo Victor. l. de perp. Virg. S. Mariæ cap. 1. & 4. Nuptum coniugium posse esse verum coniugium, absque vllo ordine, ac ne radicali quidem, ad commixtionem corporum; quia nimirum coniuges [pacto se voluntariæ sponsionis astringũt, vt abhinc & deinceps, semper in omni sinceritate dilectionis, in omni cura sollicitudinis, in omni affectu pietatis, in omni studio compassionis, in omni virtute consolationis, & fide deuotionis. hoc vterque sit alteri quod ipse sibi: vt quisque alterum quasi vnum secum factum attendat, tam in bonis quam in malis omnibus: sicut consolationis socium, ac participem, ita & tribulationis, & sufferentiæ indiuisum exhibeat. Postremò quantum foris ad necessitatem corporis attinet, quasi propriam carnem, fouendam excipiat: quantum verò spectat ad amorem cordis intrinsecùs, quasi animum suum in pace & tranquilitate (quantum in se est, sine perturbatione custodiat. Sic enim fit in sanctæ societatis pace & communicatione quiescentibus, vt dum vterque non sibi viuit, sed alteri; felicius atque beatius vterque viuat sibi. [Dedi verba Hugonis, quibus hæc sententia perspicuè exponitur. Recciditque in hanc sententiam Abelardus serm. de Incarnat. Nam agitata difficultate præsenti, & explosa necessitate consensus in copulam, vt coniugium sit verum, dissoluit difficultatem per consensum, B. Virginis & Iosephi, in mutuum conuictum virgineum quæ est (vt vides) proposita ex Hugone opinio.

10 Et tamen subscribere non possum, quia nisi velimus euertere notionem matrimonij atque coniugij, fatendum est, ordinem aliquem ad commixtionem corporum, esse de intrinseca ratione coniugij. Et hac ratione, fœmina dicitur *viri adiutorium*; vtique ad procreationem liberorum, vt rectè S. Ambros. l. de paradiso cap. 10. Sanè nisi ita esset, nihil vetaret coniugium iniri inter duos mares, vel inter duas mulieres. Conatus quidem est hoc argumentum retundere Hugo supra cap. 4. sed frustra. Ait ergo primum, Dei voluntatem, ac iussum tulisse, vt coniugium non iniretur nisi inter personas duplicis sexus. Mox tamen videns, hoc esse inane, (Deus enim ita voluit; quia aliter fieri nequiuit, & natura rerum id ferebat; nec si posset iniri coniugium inter duos eiusdem sexus, habemus vbi Deus vetuerit ne ineatur, cum tantùm approbarit coniugium duarum personarum diuersi sexus, prorsus silens de illo alio duorum eiusdem sexus coniugio:) videns inquam Hugo, primum illud suum responsum esse inane, subdit distinguens Sacramentum coniugij, quod est ipsum coniugium, consistitque in fœdere dilectionis à Sacramento officij coniugalis, siue ab officio & actu coniugij, quod situm est in commixtione corporum & prolis procreatione. Amorem coniugalem siue coniugium, ait esse Sacramentum vnionis Dei cum anima. Vnde in Canticis, ea coniunctio nomine sponsalium, & intemerati coniugij spiritualis exponitur. Officium autem, siue actum coniugij, ait esse Sacramentum vnionis Verbi cum carne. Vnde quia Deus & anima, quorum coniunctio priore Sacramento siue coniugio repræsentatur, valdè dispares sunt; non potest coniugium nisi inter valdè dispares (cuiusmodi tantùm sunt sexu differente) iniri. Sicque vir est imago Dei: quia non secus se habet ad molliorem & sequiorem sexum sibi idcirco subordinatum, quàm Deus ad animam sibi spiritualiter copulatam, quod Hugo ingeniosè ac pulchrè prosequitur: sed parum fœliciter ad extricandum nodum præsentem. Nam coniugium esse Sacramentum vnionis Dei cum anima, est aliquid mysticum, & voluntariè à nobis excogitatum ob analogias aliquas, quæ inter duas illas coniunctiones nobis occurrunt, non autem fundatum in natura rei, vel in prima institutione coniugij. Nec minùs ea analogiæ locum habent circa vnionem humanitatis & & Verbi, quàm circa vnionem Dei, & animæ. Deinde redolent profectò ista, paradoxon Tertullianum de sexu animæ, confutatum à Pamelio parad. 5. Nec anima modò fœminæ, (vt Tertullianus volebat) fœminea erit, sed etiam anima viri, per comparationem

tionem ad Deum, erit fœminea. Tandem non minùs reperiuntur in eodem sexu disparitates ingeniorum, in quibus fundari posses coniugium, quàm in diverso. Sanè Aristoteles, quosdam homines, ait se habere ad alios vt pecudes ad homines, & in hoc fundat politiam.

Vera expeditio.

11. VEra igitur explicatio concordiæ quam quærimus, ex eo petenda est, quod matrimonium ratum, contineat quidem consensum in traditionem iuris in copulam coniugalem: non contineat tamen consensum in vsum illius iuris. Nam cum matrimonium consistat essentialiter in ea traditione iuris in corpora, fieri non potest, vt qui init matrimonium non consentiat in eam iuris traditionem. Quia verò vsus illius iuris, est aliquid posteriùs, rectè intelligitur, qui consentit in ius illud, posse dissentire circa vsum eiusdem iuris. Consensus porrò in copulam, importatus in consensu traditionis mutuæ corporum, non est formalis consensus in copulam, sed tantùm radicalis: qui hoc operabitur, vt si is qui votum non vtendi eo iure emisit, retrocedat, fiatque votifragus, vtens coniugio; sit quidem sacrilegus, non tamen adulter: Et vicissim, vt si fidem coniugi datam infringat, misceatúrque cum alia, non sit duntaxat fornicator, vt qui solutus cum soluta miscetur, sed verè sit adulter.

Eum ergo consensum radicalem, excluso per votum formali consensu in copulam actualem, siuè vsum iuris collati per mutuam corporum traditionem, sufficere posse ad matrimonium: inde perspicuum est, quod sublato vsu dominij in corpus, saluo iure impedito, potest cum matrimonio cohærere: vt patet in plerisque coniugibus, qui amore continentiæ, interdicunt sibi commercio coniugali; & tamen manent verè coniuges. Et quamuis communis sententia apud Sanchem lib 5. de matr. d. 10. n. 2. fetat voluntatem retinendi castitatem in coniugio, non debere exhiberi inter contrahendum; quasi sic exhibita officiat substantiæ matrimonij; sed debere antecedenter aut consequenter exhiberi; tamen adhæreo sententiæ, quæ illam ligationem iuris coniugalis, tametsi concomitantem traditioni iuris illius, admittit probè cohærere cum matrimonij substantia, vt docent Rebellus 2. part. lib. 2. cap. 10. num. 19. & Ægid. disp. 24. num. 43.

12. Iuxta hæc facilè initur concordia voti Virginitatis emissi ab initio per Deiparam, & consensus in copulam, inclusi in matrimonio rato, quod cum Ioseph celebrauit. Nam diuinitùs edocta, Iosephum fore fidum custodem Virginitatis Deo addictæ, consensit in ius ad copulam: certa tamen ius illud caritutum omni exercitio, quod per votum exclusit. Nec ea exclusio fuit contra substantiam matrimonij, quia cum illa tantùm pugnaret, nolle contrahere obligationem seu ius reddendi vel petendi debitum absque iniustitia. Quia verò B. Virgo per reuelationem certa erat, Iosephum nunquam exacturum vsum iuris ad copulam, quod per matrimonium ratum accipiebat: non est imaginandum quod sub conditione voluntatis Iosephi, consenserit quoque in vsum coniugij. Non est inquam imaginandum, quod actum his verbis subiectum elicuerit; *consentio in traditionem iuris mutui in corpora nostra, ac si Iosephus vellet, consentirem quoque in copulam, vt huius consensus sine adulteria secuturam*: vel breuiùs, *redderem debitum, si peteretur*. Talis quippè actus, supposita certitudine de nunquam ponenda per Iosephum voluntate vtendi iure tradito, esset actus otiosus, qui à Virgine ablegandus est. Imo actus ille esset illicitus quia pugnaret cum voto per Deiparam emisso de perpetua virginitate. Alio item ex capite actus ille removendus est à B. Virgine: Graues quippe Doctores, vt Caiet. 3. part. quæst. 28. art. vltimo, & alij quos magno numero appendit Morales l. 2. tract. 6. à num. 13. prodiderunt, Iosephum quoque ante sponsalia, & nuptias cum Deipara, emisisse votum virginitatis: vnde in vtroque hoc coniuge, cum volitione radicalis potestatis ad copulam, siue (vt loquitur S. Thomas in 4. d. 30. quæst. 2. art. 1. quæst. 2. ad 3.) cum consensu implicito ad copulam, in radice sua, & fundamento volitam, (Caiet. t. 1. opusc. tract. 31. resp. 2. vocat *consensum ad copulam in potentia*;) probè cohæsit formalis obligatio copulæ nunquam petendæ aut reddendæ; ob renunciationem liberi iuris petendi, ac reddendi vtrinque factam & ligamen per vota vtrinque emissa iniectum potestati vtendi corporibus. Itaque actus ille, *redderem debitum, si peteretur*, non modo exulauit à B. Virgine tanquam otiosus, posita certitudine nunquam petendi debiti, sed etiam tanquam illicitus, & pugnans cum voto vtrinque emisso, & mutua per vtrunque coniugem impeditione potestatis concessæ. Subscribunt huic doctrinæ, Henr. quodlib. 9. quæst. 11. Caiet. t. 1. Opusc. 31. respons. 2. Pelbartus libro 3. stellarij part. 6. art. 3. cap. 1. quæst. 1. Bellarm. lib. de Monachis cap. 22. Sanch. lib. 2. de matr. disp. 28. Vasq. 3. part. d. 125. cap. 7. Suar. t. 2. 3. part. d. 7. s. 1. Andr. Cydon. lib. 1. pro Baronio cap. 7. Toletus in cap. 1. Lucæ annotat. 57. Moral. lib. 2. in Matth. tract. 7. nec quicquam refragante Catharino libro 4. contra Caiet. *pag.* 268.

Pars 1. pusillum 4. Virginis cum Iosepho sponsalia.

Exclamare hîc potiore iure possumus, cum authore vitæ S. Cunegundis, S. Henrico Imperatori coniugatæ, salua vtriusque virginitate. [ô coniugium non voluptate, sed bona voluntate copulatum. O sanctum matrimonium vbi vna fides inuiolatæ castitatis, vbi vnus spiritus misericordiæ & veritatis, vbi idem velle in virtutibus, idémque nolle in vitiis, vbi nec primus nec alter discerni potuit, dum alter quod primus voluit: vbi par animus in multifariis operum effectibus pares in duobus ostendit affectus. Quales has nuptias dixerim, nescio. Vnum scio, quia nescit nostra modo regio tales.]

Sanctitas Iosephi, ex vero eius cum Virgine coniugio.

13. EX veritate coniugij rati Iosephum inter, ac Deiparam initi, proximè stabilita, eui solidè potest, summa Iosephi sanctitas. Laudaturus Honoratam S. Epiphanij Ticinensis germanam, Ennodius in vita Sancti illius Antistitis, [sufficit (inquit) ad laudum eius cumulum, dignam tanti viri sororem dixisse.] Quanto ergo altiùs euehitur S. Ioseph, cum tantæ Virginis, qua nihil orbis infra Christum vidit sublimius, non frater, sed vir, atque adeò portio & compars, nominetur & fuerit? Itaque quod Gregorio Nazianzeno de sororio suo B. Gorgoniæ marito scribere licuit, orat. 11. cum compendio summè laudari, & omnibus virtutum ornamentis clarum prædicari, cum audiebat *vir Gorgoniæ* tam piæ & tam sanctæ mulieris, tanto potentiùs vrget circa Iosephum, quanto fuit supra Gorgoniam altior & quomodolibet eminentior Deipara. Accedit quod pater putatiuus Christi fuerit, & eius curam pueri gesserit. Prouisus à Deo & ad honoris Virginei tutelam, & ad subsidium tam matris quàm filij. In quo S. Iose-

phus quantum fieri potuit salua matris integritate, nomen patris haud quaquam vacuum tulit, iuxta doctrinam S. Augustini l. 2. de cons. Euang. cap. 1. & lib. 23. contra Faust. cap. 8. & aliis locis infra signandis num. 18. Iure siquidem coniugij in cuius finem cum Virgine à Deo prouisi Christus ad Iosephum pertinebat, multo magis quàm filius viduæ ad Secundum maritum. Hic enim non contrahit cum vidua vt prolem eius educet, sed vt ex ea prolem suscipiat. At Ioseph Virgini prouisus est maritus, vt Mariæ ex se sola id est absque viri opera concipienti ac parienti adesset adiutor ad educandū, obiens omnes erga prolem partes Patris extra operam in generatione. Itaque Ioseph tametsi Pater putatiuus dicitur ob exclusam eius operam à Christi conceptione contra quàm falso putabat vulgus; tamen non ita est Pater putatiuus, quin aliquas veri Patris partes obtineret, ratione curæ quam in iuuanda matre ad Christi educationem contulit. Ex qua cura & conuictu, ac conuersatione assidua cum Christo, & eius sanctissima matre, dubitare non licet quin ad immensum gratiæ cumulum pertigerit. Nec licet ambigere, quin Deus qui dona muneribus aptat, Iosephum eligens ad tantum munus, vt dicat S. Damasc. orat. 3. de natiu. Virg. eam dispensatiorem esse omni sermone præstantiorem, præuenerit dilectum suum in benedictionibus dulcedinis tanto ministerio consentaneis quibus ad summum sanctimoniæ verticem proueheretur; nec prorsus vana esset imago patris naturalis, (quantum creata in creatis componere fas est,) nimirum æterni Patris. Cum spiritu item sancto analogiam habuit, quatenus vterque fuit sponsus Virginis de qua proportione, planè Salaz. in cap. 31. Prouerb à numero 54 Vt non immeritò has viri sanctissimi prærogatiuas suspiciens Gerso serm. de Natiu. Virg in Concilio Constantiensi, existimet eum per vitam vniuersam à labe mortalis, cuiusuis culpæ fuisse præseruatum.

Scriptura eius sanctitatem eximiam satis expressit, vocans virum iustum, & proponens eius plusquàm humanam patientiam, in accepta (vt rebatur, per vxorem à se intactam, aliunde grauidam, iniuria æquanimiter ferenda. Huc enim pertinet illud, *cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Nolens inquam infamare vxorem *παραδειγματίσαι exemplare*, vt vertit D. August. epist. 59. quæst. 7. *id est exemplum statuere, & publicare,* cogitauit de ea clam dimittenda. Hic enim est germanus illorum verborum sensus, vt latè prosequitur Vasques 3 part. d. 125. cap. 10. Rideris multoque magis traduceris? Quam minus medio, si sparinsè forsassis aiebat Martialis id est infamiam contrahis & ludibrio haberis. Sic Christus dictus est traduxisse confidenter principatus est potestatis. Coloss. 2. Et numer. 23. cuncti Principes populi, iussi sunt suspendi contra Solem in patibulis. *Tolle* (inquit Deus ad Mosem) *cunctos Principes populi, & suspende eos* 70. pro eo quod nos habemus *suspende*, adhibuerunt verbum Græcum quo Paulus item vsus est loco allegato: Atque ita sensu Dei loquentis erat, *Exempla, vel statue in exemplum*, siue publicè propone eorum scelus ex supplicio æstimandum. Matthæus ergo vtens eodem Græco verbo quod Vulgatus expressit per verbum *traducendi* ambiguum, significare voluit, voluisse Iosephum infamare apertè coniugem, sed clam voluisse secedere. Quod autem aliqui etiam Patres quos adducit & sequitur Pelbartus lib. 8 stellar. part 1. art. 2. cap. 2. *traducere* interpretantur, *ducere in vxorem*, quæ eatenus tantùm sponsa fuisset; ita vt sensus sit Iosephum agnita Virginis ex Spiritu sancto impragnatione, indignum se duxisse qui cum illa versaretur, & vir eius audiret; hoc inquā videtur refelli ex illis Angeli verbis, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Hæc sanè ratio accipiendæ & retinendæ vxoris, non cohæret cum proposita causa, non accipiendi vxorem B. Virginem. Imo magis firmaret eum in voluntate non accipiendi illam vxorem.

Fuit ipse quoque, Virgo.

14. NOn deficit viri huius sanctissimi ornamentis integritas corporis. Qui enim eum bigamum fecerunt, eúmque integritatis corporeæ laude spoliarunt, (vt Caietanus in cap. 1. ad Galat. parum cohærenter ad ea quæ alibi tradit, vt ei exprobrat Catharinus lib. 4. contra eum *pag.* 271.) ducti sunt in errorem, ex eo quod memorentur in scriptura fratres Domini, quos censuerunt fuisse filios Iosephi ex anteriore matrimonio, non autem ex Virgine post editum Christum, vt blasphemabat Heluidius à D. Hieronymo contritus, & benè à Castro V. *Maria mater Dei*, hær. 1. Eam interpretationem de fratribus Domini, Iosephi filiis ex anteriore matrimonio, habet creditus Ambrosius in cap. 1. ad Galat. *ferè in fine.* Nec reiicitur à vero Ambrosio lib. de instit. Virg. cap. 6. disertéque asseritur à plerisque Patribus, quos non satis commodè explicat Vossius ad orat. 3. Gregorij Neocæsar. de Annunc. dicens, id esse assumentum hæreticorum ad scripta Patrum. Conclamant in Vossium ex causa Leo Allatius in S. Eustathij Hexaëmeron & Franciscus Combefis ad eam S. Chrysostomi orationem de Annunc. qui cum Ioanne Thessalonicensi orat. de Christi resurr. arbitratur, Iacobum qui dictus est *Frater Domini* fuisse reuera filium Iosephi ex priore coniuge defuncta, cui succedens B. Virgo, dicta sit *Maria Iacobi*, nempè *nouerca.* Et ita etiam Chrysostomus hom. 88. in Matth & Theophilac. Lucæ 24. Id verò multis repellit Georgius Nicomediensis orat. de assiduitate B. Virginis ad sepulchrum Domini; monstrans commentum esse, quod B. Virgo dicta sit *Maria Iacobi.* Qua ratione concidit proposita notio fratrum Domini ex eo quod essent filij Iosephi, ex priore coniugio. Vera ergo expositio scripturarum memorantium fratres Domini, probè cohærens cum S. Iosephi virginitate, ea est; quod solemne sit scripturis, vt ij dicantur alicui fratres qui eum cognatione quoque modo contingunt. Videsis in eam rem Riberam in cap. 2. Ioan. ad illud, *& fratres eius*, & Toletum in id idem caput 2. Ioan. annot. 18. Lippomanum in præmonitione ad orationem S. Chrysostomi de Annunc. tomo 2. vitæ SS. 25. Martij, & fusè qui fuerint hi fratres Domini, disquirentem Castrum in hist. Deipar. cap. 1. Siue autem dicti sint fratres Christi, quia erant Christo propinqui ex parte B. Virginis, vel quia eundem necessitudine contingebant secundùm communem existimationem, quia erant propinqui Iosephi, perinde est. Nobis sufficit quod non sunt dicti fratres Christi, eo quod essent filij Iosephi; ex ratione qua priuignos, filios nouercæ ex anteriore matrimonio, vocat fratres, quia sunt filij eius quæ patris vxor est.

15 Passim sanè Patres, Iosephum agnoscunt Virginem, & ab opere nuptiarum alienum. Multos proferunt Baro. in apparatu num. 48. Tol. in cap. 2. Ioan. annot. 59. Suar. t. 2. 3 part. d. 5. s. 4. concl. 2. ac Spinellus tract. de virginibus num. 14. Mihi sat erunt Hieronymus l. aduersus Heluidium, Gregor. Neocæs.

Neocæſ. orat. 3. de Annunc. & Damaſc. orat 1. de natiu. Virg. quid illud Iſaiæ 29. de libro ſignato, dando viro neſcienti litteras, interpretantur de Ioſepho, qui librum virgineum grandem, (vt eum c. 8. appellat. [illegible] iuxta Epiphanium hær. 30.) legere non poſſet, quippè neſcius literas, & inexpertus operis quo liber ille legendus eſſet; id eſt profeſſus virginitatem, etiam in coniugio. S. Bernardus de Ioſepho accipit & de virgine illud cant. 2. *qui paſcitur inter lilia.* Lyranus & vtraque Gloſſa nec pauci DD. apud Gerſonem epiſt. de celebrando feſto S. Ioſephi de Ioſepho accipiunt illud eiuſdem Iſaiæ cap. 62. *habitabit iuuenis cum Virgine, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam.* Nam vox Hebræa quam vulgatus interpres expreſſit per verbum *habitabit*, coniugale fœdus ſignificat, & æquè verti poterat, *maritabitur.* Iuuenis ergo, non virilis ætatis ante ſenium, ſed maturus, (vt philoſophatur Iſolanus p. 2. c. 4. & fauet Baron. anno Chriſti 12.) cum Virgine maritabitur, quod tanquam valdè mirum proponit Propheta; nimirum quia iuuenis ille, & quæ ei copulabitur Virgo, non vt cæteræ, virgo eſſe deſinet, per coniugium, ſed ambo perſtabunt virgines; nec aliter ſe habebunt quoad integritatis detrimentum, quàm ſponſus & ſponſa.

Florebat ætate, cum Virginem deſponſauit.

16. LVdunt autem nos, quibus omnia licent pictores atque Poetæ, Sanazarius, Scaligier, Nouidius, cum S. Ioſephum exhibent non iuuenem, ſed deuexa iam ætate, vel etiam planè canum & annis grauem: veriti ne ſi iuuenem maritum ſpecioſiſſimæ Virgini adiungerent, vocarent in ſuſpicionem illibatum Virginis pudorem. Hic ſi eorum ſenſus fuit abiiciendus eſt tanquam ſenſus hominis carnei, ac de ſenſu & experimento metientis diuina opera. At recogitatum oportuerat, ſenes exarſiſſe in Soſannæ fœdum amorem. E contrario autem multos iuuenes, in medio æui florentis & ardentis camino, Angelo Domini faciente medium fornacis quaſi ventum roris flantem, non æſtuaſſe in mediis ignibus, & ad extremam vſque ætatem, in quantiuis occaſionibus, illæſos ab ea flamma peruenisse, ita vt obiectet intrepidè Tertullianus, Ethnicis à prima ætate in omnem libidinem proiectis. longè aliam eſſe Chriſtianorum ſanctimoniam; quos inter, multi reperirentur, pueri ſenes. Eſt hic effectus inſignis gratiæ diuinæ; quam ſi attendiſſent, ac expendiſſent ij quos dixi pictores, & qui per eos in fraudem ſunt acti, non timuiſſent putitati S. Ioſephi, à contubernio Deiparæ, tametſi ſpecioſiſſimæ: nec vt reſtinctos in eo carnalis amoris ignes docerent, exhibuiſſent illum annoſum, ac incuruum, atque adeò per ætatem & ſenile frigus ad coniugij opera inidoneum; ridiculam planè & Theognidi ac Ariſtophani apud Clementem 6. ſtrom. c. 1. aliiſque Ethnicis apud Tiraquellum in l. 6. connub. valde improbata, quippe maximè indecora, coniugum adeò ætate diſparium conſortatione, tribuentes Deo, hominis inter Virginem & Ioſephum connubij paranympho: qui præterquàm quod nihil facit indecorè, vnde à Pythagoræis meritò dictus eſt *ipſum decens*, adiutorem Virginis in peregrinationibus, & prole educanda, & famæ bonæ tutorem, prouidere ſtatuebat per huiuſmodi coniugium: ad quorum neutrum, eſſe vſui poterat, homo per ætatem ad opus nuptiarum inidoneus. Qui enim vacaſſet ſuſpicione ſpecioſiſſima puella, homini centenario coniuncta, alium gerens? Quæuè ab copulari, ſene ſolatia & vitæ ſubſidia, ac peregrinationum leuamenta, expectare potuiſſet?

17. Quare ratum eſto, iuuenem Virginem, (vt ex Iſaia referebam) cum Virgine habitaſſe, coniugem, mentis affectu, non carnis commixtione. Nec quoad Virginem duntaxat purum & alienum à quacunque carnis violatione obiiſſe, quod fide ſanctum eſt, ſed etiam alia quacunque ratione: ita vt non modo vſu quolibet alterius coniugij, caruerit quippe qui fuerit monogamus, ſed planè virgo, (vt tantæ Virginis ſponſum decebat) vniuerſam vitam exegerit. Idque ſignificare debere virentem ramuſculum, qui in eius manibus pingi ſolet; non autem quod ea libro de natiu. B. Virginis apud Hieronymum, à pictoribus expreſſum eſt, optimè notauit Molanus l. 5. de picturis c. 12. & l. 2. c. 29. confirmans ex S. Hieronymo contra Heluidium diſputante, coniugium. Ioſephi & Deiparæ, fuiſſe coniugium. Et cum Ioanne Heſſelio in 4. diſtinctione 28. ac Triſtando de l'Eſtaigne tract. de S. Ioſephi pictura, latè demonſtrans, quod diximus de iuuenili & florente ætate S. Ioſephi, cum B. Virginem accepit coniugem. Quod item egregiè confirmat Card. Vigerius chorda 1. c. 12. & ſubſcribit Maior in c. 2. Matth. dub. 10. & Matthias Naueus orat. 20. de S. Ioſepho. Quanquam Gerſo qui ſerm. de Natiu. Virg. in ſenilem per tempus initi coniugij S. Ioſephi picturam conclamauit, benignè eam interpretari conatus eſt in Ioſephina d. 5. cum ait.

Ergò Ioſeph repinxaſſe ſenem, fecere ſeniles
In ſe virentes, vel non carnalis haberet
Suſpicio de te quicquam carnale Maria

Pars I. punctum 4. Virginis cum Ioſepho ſponſalia.

Idem habet Pelbartus l. 1. ſtellarij parte 6. art. 3. c. 1. *ſub finem* Sed parum refert quomodocunque intelligatur pictura, dum de re conſtet in qua non poſſumus S. Epiphanio ſuſcribere, qui hær. 78. Antidicomar. refert Ioſephum octogenario maiorem, imo viduitatis ſuæ annum octogeſimum iam agentem, atque adeò centenarium, iniuiſſe coniugium cum B. Virgine. Et tamen vix vllos ex Patribus adſtit. Nam Nicephorus qui 1. hiſto. c. 7 ſenem exhibet tempore celebrati coniugij Ioſephum, nec patribus, nec Catholicis ſcriptoribus annumeratur, deeſtque illi etiam à cana vetuſtate authoritas. Non poteſt item oſtendi diuinum ſuffragium in eo Valentino mercatore proditum quem S. Vincentius ſermone quodam de Natiu. Dom. refert quotannis in die natiuitatis dominicæ ſolitum pauperem ſenem inuitare in domum ſuam; itemque pauperem mulierem cum paruulo quem lactaret, vt Ioſephi, ac Deiparæ. & pueri I E S V imagines, ſibi ob oculos poneret; in morte ab apparentibus Chriſto, Deipara, atque Ioſepho audiuiſſe, *quia nos recepiſti in domo tua, ideò nos recipiemus te in domo noſtra.* Deus enim in eo facto, (vt ſæpè alias) attendit ad pietatem mercatoris, errori licet ſpeculationi coniunctam.

Eius Humilitas ſumma, in tanta ſublimitate.

18. VIrginitatis collactanea eſt humilitas, iuxta Bleſenſem ſerm. 35. & vt ait S. Fulgentius epiſt. ad probam virginitas virginitatis eſt humilitas. Quid enim refert carnis integritas, mente per faſtum ac ſuperbiam corrupta? Ioſepho igitur Virgini, hæc virtutum coronis, & animæ ipſius virginitas minimè defuit; ſed humilitatem, cuius præcellentiſſima exẽplaria habebat ſemper ob oculos, ſtudioſiſſimè adamauit. Quid enim aliud præſtare poterat homo, cui Deus ipſe ſubditus erat, & Virgo iure coniugij obnoxia, ac tanquam capiti ſubiecta, quàm vt quanto maior erat humiliaret ſe in omnibus? Non ignorabat ipſe quidem ſua decora, nec quam familiam ductaret, Nouerat ſe paradiſi myſtici cuſtodem Cherubinum,

vt scitè Isolanus parte 3.c.12. Sciebat constituendum se à Deo multo veriùs quàm vmbratilem illum Iosephum, dominum domus suæ, & principem omnis professionis suæ, vt S.Bern. hom.3.super, *Missus est* scitè acomodauit: nam & matrem domini accepit in sua potestate inquã in eam, id est ius in eius corpus vi coniugij habuit, quæ possessio quædam fuit longè pretiosissima, & vt S. Ambros. in exhort. ad Virg. nominat possessio gratiæ, omnibus luteis opibus immenso spatio antecellens. Per Virginem autem, facta item Iosephi est proles in Virgine absque coniugij iniuria, miraculo enata: Nam iuxta Iurisperitorum effatum Instit. de rerum diuis.§ *cum in suo*, quod in alieno solo nascitur, aut ædificatur, sub illius possessione ac iure nascitur, cuius est solum. Nec fons per miraculum exortus in fuodo cuiuspiam, minùs eius est quàm si naturaliter ibi scaturiisset. Et ita apertè Gerso serm. de Natiuit. Virg. considet. 4. & pulchrè Card. Vigerius Chorda 5.c.13.& Gersoni subscribens Iacobus de Valentia in Cant. Deiparæ ad vers. 4. dignitate 6. præiuerat his omnibus S.Aug.l.1.de nupt.c. 11.& l.5.contra Iulia.c.9.

19. Talem igitur, ac tantum se agnoscens Ioseph, humillimus tamen perstitit, ac vt S Basil. in Const. Mon. cap.5. considerat, in perfectum obedientiæ & demissionis exemplar quod præsto semper erat, intentus animo; coniugis item humillimæ sensibus per diuturnam conuersationem imbutus, occulebat tam pretiosum virtutum omnium margaritum, vili & despicatissimo ostieo artis fabrilis quam factitabat; siue ferrariæ, siue lignariæ; nam vxor Græca τέκτων, vtrumque sonare potest, & Patres variant sententiis. Ferrarium censuit S. Hilar. can. 14. in Matth. Chrysol. serm. 48. & 49. Beda 2. in Marc. cap. 15. S. Leander lib. de instit. Virg. cap. 13. S. Isid. in reg. monach. capite 3. Haymo Isidorum exscribens lib. 1. de variet. cap. 1. Petrus Babyon (creditus Anselmus) Matth. 13. Caiet. in cap. Lucæ. Lignarium verò existimarunt Iustinus cum Tryphone, S. Ambros serm. 16. & concinnè initio tertij in Lucam, Chrysostomus in Psal. 44. ad illud, *diffusa est gratia* & hom. 10. in ad Rom. Author imperfecti in Matth hom. 1. & 32. Lyranus Matth. 13. S. Leander Isidoro fratri contrarius lib. de instit. Virg. cap. 14. Antiquus scriptor vitæ S. Iosephi, compendio expressus ab Isolano part. 4 cap. 9. Latè & multis congruentiis, probans Isolanus part. 1. de donis S. Iosephi cap. 15. Et iisdem quoque ratiunculis congestis Pelbartus lib. 8. stell. part. 2. art. 1. conclus. 3. Obiter Menardus ad cap. 15. concordiæ regul. §.17. Idem habere videtur communis fidelium iam olim persuasio, vt monuerunt Sixtus Senensis lib. 6. bibl. annot. 63. ac Matthias Naueus orat. 6. de S. Iosepho, Estius in cap. 13. Matthæi, Molanus lib. 3. de imag. cap. 12. Castro cap. 4. histor. num. 9. Suar. t. 2. 3. part. d. 7. s. 3. Tolet. in cap. 2. Ioann. annot. 18. ac cum innumeris Morales lib. 3. in Matth. tract. 15. à num. 12. Ex illa persuasione, Christianus apud Theodoretum 3 histor. c. 18. & apud Sozomenum l. 6. c. 1. & Nicephorum l. 10. 35. cauillanti Libanio, ecquid faceret lignarij fabri filius, mox Iuliano è Persis reduce Christianismum vastaturo respondit; *Sandapilam Imperatori tuo elaborat lignarij fabri filius*. Et sane vocem Græcam τέκτονα; quam vulgatus vertit *fabrum*, magis propriè significare *fabrum lignarium*, docet Moschupolus cap. 1. de schedis. Fuisse qui cæmentarium dixerint, scribit Consaluus Durantus ad librum 6. Reuelat. S. Birgittæ cap. 58.

20. Vt vt sit, Iosephus in speciem tam abiectus, & humili opificio victum sibi, ac coniugi, & beatæ proli parens, humilitatis ac modestiæ in tanta sublimitate eximium specimen fuit: monstratúmque eo exemplo est, quod optimè vidit S. Chrysosto. hom. 20. in 1. ad Cor. non esse despiciendo qui iuxta seculum iacent, & in tenui fortuna, ac simplicitate, vitam exigunt virtutibus locupletem, vt Iosephus exegit. Apage tamen eorum tarditatem impietate non vacantem, meritò à Molano lib. illo 3. de imag. cap. 12. cum stomacho reiectam, qui humilitatem tranquillitatémque animi summam, in S. Iosepho sponsam grauidam agnoscente, peruersam interpretati, S. Iosephum simplicitatis asininæ fuisse volunt; vsque adeò vt quem parum cordatum & in rebus agendis planè rudem, ac in graui casu stupidum & incurium significare volunt, adagiali formula, *Iosephum* nominent. Hoc conuitio non tam B. Iosephus, & eius nuptiali fœdere socia Beatissima Virgo impetitur, quàm Deus ipse, elector Iosephi in filij sui nutritium, & matris maritum. Ex quo fundamento Isolanus part. 1. cap. 16. eruit S. Iosephum inter omnes sui sæculi viros, ingenio valuisse. Nempè quantum ferebant concredita munera; (dimissis auxesibus recentiorum, quod S. Iosephi, posset totum mundum gubernare, vt habent Morales lib. 5. in Mat. tract. 7. num. 5. & lib. 3. tract. 8. num. 38.) Scriptura sanè non modò illam eius placiditatem animi quam isti sugillasse videntur, valdè commendat, sed etiam eius prudentiam, in declinanda Archelai ditione cum ex Ægypto rediret, testatam dedit.

Honores seri, auctiores in dies.

21. VErùm hæc propè obiter, de sanctissimo Virginis sanctissimæ, Virgine sponso, ob materiæ nexum, haud extra rem; quæ alij plenissimè sunt persecuti. Nominatim Canis. lib. 2. de Deipara cap. 13. Castro cap. 4. Histor. quæst. 4. & 5. Morales in opere in Matt. Suar. t. 2. 3. part. d. 8. *tota* Lippomanus part. 1. Epitomes sanctorum *in Iosepho*. Carthag. t. 1. de B. Virgine lib. 4. *toto* Pelbartus in stellario lib. 8. parte 1. *per multos articulos*. Gerso in Iosephina, & variis aliis lucubratiunculis. Matthias Naueus triginta & vna de S. Iosepho orationibus, Hieronymus Gratianus in opere de S. Iosepho, & Isidorus de Isolanis lib. de donis S. Iosephi, qui parte 4. in procemio, se omnium primum de S. Iosepho librum scripsisse affirmat (falsò vt ex dictis vides, & contra quàm ipsemet habet p. 3. c. 6.) ea tamen p. 4. prædicti operis, in procemio non falsus vates apparuit, cum scripsit venturum aliquando tempus, cum præ vbertate lectissimarum de S. Iosepho scriptionum, primitiæ illæ vilescerent. Id enim ipsi contuemur, & veluti attrectamus. Vt & illud quod part. 3. cap. 6. *in fine*. & cap. 8. confirmat, nimirum tametsi Ecclesia non multo ante, festiuam esse S. Iosephi memoriam anniuersariam, & officio Ecclesiastico illustrem, concesserat; (tempore Thomæ Valdensis qui Isolanum sæculo integro non præcessit, nihil tale in vsu erat, vt ipse testatur lib. 4. doctrina l. cap. 39.) tamen affore dies, quibus mouente semper ad vlteriorem dilecti sui venerationem, Spiritu sancto; corda fidelium, templa, & aræ, ac cœnobia, sub eius nomine conderentur, ac eius festa dies valdè celebrarentur, post planè antiquatum & sepultum errorem de Christo vero eius Filio; quam fuisse causam tamdiù differendi honores S. Iosephi scribit Matthias Naueus orat. 1. de S. Iosepho ex Vbertino lib. 1. cap. 6. Hoc ætati nostræ, per Dei bonitatem obtigisse gratulamur. Et æquissimum est, sic honorari quem Rex voluit honorat,

notare, [fidelis seruus & prudens est (vt ait S. Bern. homil. 4. super *Missus est*) quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris, magni consilij coadiutorem fidelissimum]

22. Nihil verò qualescunque honores nostrates, præ iis quibus S. Ioseph in cœlo afficitur iam redíuiuus. Eum quippè resumpto iam corpore in cœlo viuere, docere videtur, quod nullæ vspiam extant eius reliquiæ, diuinitùs, si extarent, haud dubiè patefaciendæ. Orbesij quidem oppido Diœcesis Suessiotensia monstratur pars mandibulæ S. Iosephi in Abbatia à S. Redo Archiepiscopo Nenensi fundata cella ipsa in qua Hoteschedeus Mango antiquatas iam nunc hæreses prædestinati auorum egerat Monachum, & sua delitie Hincmaro nequaquam impunita parturiuerat. Coniectura autem Sapientum fert eam mandibulam esse decerptam è corpore S. Rhedi inibi tumulati, & procedente tempore educti è tumulo, ac sublime locati, & omnibus conspicui absque mandibula. Sancti certè Iosephi sponsi Deiparæ esse nullo antiquo testimonio firmatur. Itaque vel otiosè confictum est eam esse partem corporis S. Iosephi, vel si verè ad S. Iosephum attinuit, alium esse Iosephum dicendum esset à sponso Deiparæ, puta Iosephum ab Arimathia, aut Iosephum Comitem, vel Iosephum Hermaturum. Rectè ergo assumebam nullas vspiam extare Iosephi Deiparæ sponsi reliquias, ac proinde eum præmij resurrectione donatum esse: quod non infirmatur ex eo quod Beda ait l. de locis sanctis c. 6. monstrari sepulchrum Iosephi. Nam ibidem etiam ait monstrari sepulchrum B. Virginis in quo fulciet aliquantisper iacuit. Idem ergo, & de S. Iosephi sepulchro, etiamsi probabile, & satis receptum sit cum pastori refunditum esse donum, vt agnoscit Suarez, t. 2. 3. p. d. 8. s. 8. *in fin.* & suffragatione omnino multorum DD. confirmat Gabriel de Lugo in Empologia du. 2a num. 43. Idem affirmat disertè S. Bernardinus t. 3. serm. de S. Iosepho art. 3. cap. 2. quem adducit & sequitur Isolanus p. 4. c. 3. & cum permultis Morales lib. 5. tract. 11. num. 7. & 19. consentiúntque Matthias Naueus orat. 28. de S. Ioseph, & Salianus anno 4065. num. 5. Vix enim vllum congruentiùs iis qui cum Christo surrexerunt sanctis, nec postea obierunt, quis annumeret, quam S. Iosephum, posito quod Christo sit præmortuus, quæ est verisimilior sententia, vt inferiùs monstrabo tractans Beatæ Virginis viduitatem. Testatur quidem Beda l. de locis sanctis cap. 6. monstratum esse eius sepulchrum in valle Iosaphat, propè tumulum S. Simeonis senis. Sed hoc rectè cadit in sepulchrum cui illatus est confestim à morte, & in quo hæsit vsque ad Christi resurrectionem. Inde autem non habetur, superfuisse in eo tumulo exuuias corporis sancti viri, cuius carnem ex tot osculis Verbo infanti appressis, non vidisse corruptionem, indéque hausisse præcocem regressum ad vitam æternam magnæ gloriæ vbertate diuitem, iisdem rationibus conicimus, quibus Gerso tract. 2. super Magnificat, propè immensùm auctam S. Iosephi gratiam, ex osculis datis puerulo IESV, viciscimque acceptis, & tanta eius cura, quę Iosepho nomen sublimissimum, veréque eminentissimum *Patris Christi* titulum conciliauit, vt benè disserit Cyrillus Hierosl. Cath. 7.

Furfur doctrinæ: S. Iosephi sanctificatio in vtero.

23. HÆc de S. Iosepho, & virginis cum eo desponsatione à SS. Patribus syncerè ac purè tradita, nonnulli recentiores tanquam amurca commixta, inquinauerunt, ea ad S. Iosephi decus comminiscentes, quæ cum sint à vero aliena, non possunt ad illius gloriam facere. Et imprimis plerique, S. Iosephum in vtero matris sanctificatum esse affirmant, vt Isolanus. 1. part. cap. 9. ac Morales lib. 3. in Matth. tract. 2. à num. 13. vbi benè multos profert pro hac Iosephi vterina sanctificatione. Alios profero cum de præpropera iustificatione SS. vbi hoc priuilegium vacare fundamento plenè monstraui. Et sanè si ob nostras duntaxat ratiunculas congruentes, quæ nunquam desunt, libeat limitare generales regulas de ortu omnium infantium cum peccato, iuxta illud, *nemo mundus a sorde neque infans cuius est vnius diei vita super terram*; erit qui vlteriùs fingat, S. Iosephum non modò post contractum peccatum originale sanctificatum esse in vtero matris, vt isti asserunt; sed etiam numquam contraxisse peccatum originis. Neque enim congruentiæ quæ afferuntur pro sanctificatione ante natiuitatem, minùs valent pro sanctificatione in primo momento animationis eius; quod, tamen nemo hactenus ausus est dicere de S. Iosepho, cum deficiant circa illum suffragia pleraque in verbo tradito contenta, quæ suppetunt quoad solam Deiparam. Esséque de fide, solam Virginem esse à peccato originali præseruatam, affirmat Morales lib. 3. in Matth. tract. 2. num. 11. post Valentiam t. 2. d. 6 quæst. 11. part. 2. Quare sicut voluntaria hæc limitatio vniuersalium regularum, non admittitur quod sanctificationem in primo momento, ita neque quoad sanctificationem ante Natiuitatem, admittenda est. Subit profectò animum cum hæc recogito, non abs re Spiritum sanctum permisisse, vt essent qui obfirmate aduersùs immaculatam ipsius Deiparæ conceptionem niterentur. Nam si ea piissima & & verissima sententia, careret aduersariis acriter in contrarium nitentibus, essétque nobis summa pax ea in parte, non defuissent haud dubiè, qui similem prærogatiuam aliis quoque, (& beato Iosepho præsertim) arrogandam contendissent. *Pars 1. punctum 4. Virginis cum Iosepho sponsalia.*

Item quod in via Deum viderit.

24. EIusdem farinæ est, quod recentiores tradunt S. Iosephum vidisse in hac vita clarè & intuitiuè Deum. Ita Morales l. 1. in Matth. tract. 1. num. 14. pòst Hieronymum Gratianum lib. 5. de S. Iosepho titulo 3. num. 9. & post vtrumque Celada in Iudith figurata num. 43. Argumentum petitur, ex concessa Dei visione in hac vita Deiparæ, cui congruum est. S. Iosephum donis, ac priuilegiis æquiparari. Sicut ergo B. Virgo aliquando vidit Deum in hac vita, vt perspiceret quid ferret titulus matris Dei; ita B. Iosepho idem concessum est, vt meliùs posset penetrare munus patris putatiui, & attestari Christo Deo, & homini. Et huc referunt quod S. Bern. hom. 2. super *Missus est*, ait Deum Iosepho æquè ac Dauidi, manifestasse incerta & occulta sapientiæ suæ. Itaque sicut in transfiguratione, monstrata raptim est Apostolis Dei essentia; & Paulo item in raptu, nec non Moysi ex priuilegio obtigit videre in hac vita obiter Deum; cur diffiteamur, idem à Christo concessum sanctissimo suo nutritio, à quo tot beneficiis per annos complures obstrictus est?

25. Hæc omnia per se concidunt. Nam B. Virginem vidisse aliquando in hac vita Deum, tametsi à multis iactatur, non est tamen vel certum, vel euidens, vt infra monstrabo. Et quamuis id B. Virgini concederent, quæ ista in priuilegiis extendendis licentia est; vt quod ei est datum, alteri cuipiam datum velimus, cum tamen constet, illam semper & vbique, præcipuo

Electio in sponsum per Virgam floridam, eique incubantem columbam.

28. Iosephum in Virginis sponsum, & pudicitiæ custodem à Sacerdotibus Mariam iam nubilem è templo educentibus, sorte fuisse assignatum, tradit S. Germanus oratione de Præsent. Hoc plerique adducti à Coluenerio in Calendario B. Virginis 23. Ianuar. numero 5. & præter eos Baptista Nouatus t. 1. Eminentia Deiparæ capite 6. quæstione 4. accipiunt eo modo quo legitur in libro de Natiu. Virg. apud Hieronymum tomo 9. in Proteuangelio Iacobi: Narratur in eo libro Virginem ad annum ætatis decimum-quartum prouectam, iussu Pontificis cum cœteris eiusdem ætatis, fuisse è templo excludendam & ad suos vt nuberet remittendam. Cœteris verò puellis illico digredientibus, solam Virginem egredi noluisse causantem suæ Virginitatis votum. [Pontifex (addit libri Author,) in augustia constistitutus animi, eum neque contra scripturam quæ dicit *Vouete & reddite* votum infringendum putaret, neque morem genti insuetum introducere auderet, præcepit vt ad festiuitatem quæ imminebat, omnes ex Hierosolimis, & vicinis locis primores adessent quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset. Quod cum fieret, omnibus in commune placuit, Dominum super hac re esse consulendum. Et cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum ex more accessit. Nec mora, cunctis audientibus, de oraculo, & de propitiatorij loco vox facta est secundùm Isaiæ vaticinium, requirendum esse, cui Virgo illa commendari & desponsari deberet. Liquet enim Esaiam dicere, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini* &c. Secundùm hanc ergo Prophetiam, cunctos de domo & familia Dauid, nuptui habiles, non coniugatos, virgas suas allaturos ad altare prædixit, & cuiuscumque post allationem virgula florem germinasset, & in eius cacumine spiritus Domini in specie columbæ consedisset, ipsum esse cui Virgo commendari & desponsari deberet. Erat autem inter cæteros Ioseph, homo de domo & familia Dauid grandæuus. Cunctis verò virgas suas iuxta ordinem deferentibus solus ipse suam subtraxit; Vnde cum nihil diuinæ voci consonum apparuisset, Pontifex, iterato Deum consulendum putauit. Qui respondit, solum illum ex his qui designati erant, virgam suam non attulisse, qui Virginem desponsare deberet. Proditus itaque est Ioseph. Cum enim virgam suam attulisset, & in cacumine eius, columba de cœlo veniens consedisset, liquidò omnibus patuit, ei Virginem disponsandam fore.

Nihil ex his quæ Author libri de Natiu. Virginis retulit, est impossibile. Reipsa tamen contigisse quæ refert, ægrè persuadetur, in tanto scripturarum & Patrum silentio; Et quia Author aliqua admiscet figmentum resipientia quæ toti narrationi fidem abrogent, eamve succutiant Inprimis quod Iosephum tunc graudæuum fuisse comminiscitur, iam explosum est. Deiparam verò palam votum suum enunciasse, & inde ad rem insoliti in ea gente moris, miracula fuisse exquirenda. Sensus certè Iudæorum de Christo Mariæ filio ex Iosepho fabro, non videtur ferre quod Beatæ Virgo illius sacrilegij infamia apud eos flagrauerit. Interpretatio autem loci Isaiæ de virga Iosephi florulenta, & requiescente super eam spiritu domini in columbæ specie, temeritate non vacat: cum torrens Sanctorum sit in contrarium, & nèmine dissentiente, locus ille ad Christum vel ad Deiparam ratione Christi pertineat. Adducit in eam rem plerosque Patres. Leo Castrius Isaiæ XI. Quod autem virga Iosephi primùm refractarij, postea verò diuinitùs reuicti floruerit, imitatio est narrationis de virga Aaron florulenta: sicut descensus spiritus sancti super eam virgam specie columbæ, imitatio est apparitionis Spiritus sancti in baptismo Christi. Nihil tamen eorum fundamentum habet, vel in scripturis, vel in traditione Ecclesiæ, aut vnanimi Patrum assertione. Itaque qua facilitate inuehitur, eadem negari potest.

Pars 1. punctum 4. Virginis cum Iosepho sponsalia.

Et quod Christum ex suis propriis sanguinibus compactum possit dicere.

29. Circa coniugium Deiparæ cum S. Iosepho, fuit qui inepriret, inferendo ex eo, sanguinem B. Mariæ ex quo Christus compactus est, fuisse sanguinem Iosephi; quia eius erat corpus Deiparæ, in quo sanguis ille comprehendebatur. Ex quo vlteriùs inferebat, verum esse, corpus Christi fuisse formatum ex sanguine Iosephi. Refert hæc omnia Caiet. tom 1. opusc. tract 31. respons. 2. qui obseruat, falsò Teologum qui ista pro concione iactarat, pronunciasse per coniugium tradi corpus coniugis. Non enim ita est, sed datur duntaxat potestas vtendi corpore coniugis, in ordine ad sobolis procreationem. Vnde potestas coniugalis (vt probè notat Molina de iustit. tract. 2. disp.) longè differt à dominio propriè accepto. Hinc ergo efficitur, ridiculè affirmari, Christum esse compactum ex proprio sanguine Iosephi; quia verè sanguis Deiparæ non est datus Iosepho, vt neque corpus, sed tantum datum est Iosepho, ius & potestas in corpus Deiparæ ad certum vsum. Quid quod etiamsi sanguis Deiparæ, ex cuius portione Christus compactus est, donatus fuisset Iosepho per contractum matrimonij; non tamen idcirco liceret inferre christum esse compactum ex sanguine proprio S. Iosephi Nam in ea loquendi formula, significatur sanguinem esse eius partem, (eo modo quo sanguis est pars animalis;) non autem tantùm significatur, quod sanguis sit eius, *possessiuè* vt Caietanus loquitur; Id est, quod ab eo possideatur, vt ager aut seruus. Itaque ea nouitas qua valdè extolli & commendari videbatur S. Ioseph, nititur mera æquiuocatione vocum illarum *proprius sanguis*, quibus propriæ vsurpatis, euanescit ea nouitas, prout proponebatur. Subest tamen ei aliquid verum, & maximè faciens ad honorem solidum sancti viri quod supra attigimus, tranctantes eius humilitatem. Et fortassis aliud noluit Gerso parte 3. serm. de Natiu. Virg. consid. 4. qui id ipsum dicere videtur quod Concionator à Caietano discussus.

Item quod sit martyr, & martyris aureola donatus.

30. Recenset præterea inter sancti Iosephi titulos Isolanus p. 4. cap. 4. quod S. Iosephus sit Martyr, & Doctor; ita vt vtrique illi functioni destinatam aureolam possideat in cœlo. Hæc vt exponat Isolanus, supponit, quamuis inter nos nemo habeatur martyr, nisi de facto mortem pro Christo & veritate reuelata oppetierit; tamen in cœlo, multos esse martyres, & martyrij palma donari, qui sicca morte occubuerint;

occubuerunt: vt de S. Ioanne Euangelista & de S. Martino legimus, quibus accẽsere etiam S. Iosephum. Huius doctrinæ rationem ducit Isolanus ex eo quod aureola martyrij debeantur ob excellentis victoriæ opera, edita pro veritate reuelata. Est enim aureola, gaudium de talibus pro veritate reuelata operibus, supra communem modum difficilibus, redundans ad corpus, cui in parte pro Christo læsa, sicut Doctori in ore, & Virgini in partibus nunc verendis, inuretur nota singularis, repræsentans aureolam animæ: ex cuius notæ contuitu, illico deprehenderetur vnusquisque quis fuerit. Eluxisse ergo S. Iosephum opera victoriæ; quibus aureola martyrij rependitur, probat Isolanus, quia S. Iosephus vicit Tyrannos Christum persequentes, in quam rem animam suam pro Christo dedit, & præcelluit charitate quæ martyrij signum est, gratiaque abundauit, ex cuius vbertate passi sunt qui sine controuersia habentur martyres.

31 Verùm vniuersa hæc ratiocinatio, adeò malè materiata est, vt nullis admotis machinis, per se concidat. Nam distinctio martyrum qui tales habentur in cœlo, ab iis qui in Ecclesia militante non habentur martyres, est apertè inanis, & iniuriam continet aduersus Ecclesiam. Quomodò enim refugit Ecclesia agnoscere martyres, quos Deus in cælo agnoscit martyres? Vel enim habent quæ Ecclesia docet necessaria esse, vt quis apud Deum reportet martyrij decora, vel non habent. Si primum dicatur, erunt igitur martyres, & apud Ecclesiam militantem, & in cœlo, si autem dicatur secundum, supponaturque Ecclesiam non labi in doctrina de requisitis ad martyrium & reportandam pro eo gloriam specialem apud Deum, de quo nemo Catholicus ausit ambigere;) manifestè sequitur, eos ne in cœlo quidem martyres haberi. Nec exempla quæ proferebantur, iuuant eam distinctionem. Nam S. Ioannes Euangelista, vt ostendo in tract. de martyr. p. 2. cap. 1. num. 6. fuit verè martyr. & in terra, & in cœlo, quia ea passus est, quibus mortem pro Christo subiisse, nisi Deus supra naturæ debitum obstitisset. quod non debet martyri ad gloriam officere. Martinus etiamsi per quandam anxesim dicatur palmam martyrij non amisisse, quia plurima pro Christo citra mortem pertulit, quæ illi satis superque fuere ad consequendam gloriam essentialem, gloriæ plurimorum martyrum non imparem; ac etiam ea maiorem; tamen reipsa nec in terra, nec in cœlo marty. fuit, quia passus est citra mortem, etiam secluso miraculo impediente; cum tamen perpessio mortis, saltem in causa, sit conditio ad verum martyrium requisita, vt benè cum aliis notat Henriq. l. de fine hom. capite vigesimo-septimo, numero sexto. Vnde quia Sanctus Iosephus nihil tale pro veritate reuelata excepit, vnde naturaliter esset illi moriendum, omnino expugnandus est martyrum albo. Nec video quas victorias de Tyrannis Christum persequentibus ab eo reportatas fingat Isolanus. Nam declinare persequentes, quod vnum fecit Sanctus Ioseph, non est opus victoriæ cui debeatur martyrij palma. Charitas verò qua flagrauit, & vbertas gratiæ qua abundauit, nihil ad martyrium referuntur, nisi ex eis mors pro Deo oppetatur. Itaque Sanctum Iosephum aliis gloriæ titulis diuitem, commentitio hoc titulo, quo non eget, honestare ne contendamus.

Quod item Doctoris titulo, & aureola fulserit.

32 HAud aptiùs idem author S. Iosepho vendicat aureolam Doctoris, quia Christum prædicauit factis, quod non minus est quàm verbis prædicare. Imò verbis quoque idem præstitisse ait Isolanus, cum inter Ægyptios, tum apud Iudęos, contestans vtrosque, IESVM esse Christum. Quam in rem exhibet his author paradigma concionis à S. Iosepho ad Ægyptios habitæ de vanitate idolorum, de redemptione orbis per Messiam orbi datum, deque similibus sacræ doctrinæ capitibus, quæ Iudæis quoque ab eo inculcata prodit: ita vt multi B. Iosephi adhortationibus, ac sermonibus persuasi, manus darent, & in Christi partes concederent. Quidni ergo S. Ioseph. Doctoris aureola potiri in cœlo censeatur?

Hæc Isolani concio veriùs quàm Theologica ratiocinatio, nullius est momenti. Dimittamus autem quod aureolam, & Doctorum, & martyrum; nominet gaudium. Quamuis anima ex sic D. Thomæ sententia in 4. disput. 49. quæst. 5. & Espencæi digress. 23. in 1. ad Timoth. Tamen singulare gaudium quod beati de operibus excellentibus aureola donanis habituri sunt, est appendix ita nexa cum beatitudine illis operibus parta, vt non sit habitura rationem specialis præmij quale est aureola; quæ proinde constituenda est in clara notitia perenni; & fama, illustribus quibusdam operibus debita: siue adiunctam habeat impressionem physicæ qualitatis animæ vel intellectui beatorum, vt contendit Salas 1. 2. tract. 2. disputatione octaua, numero quinquagesimo-sexto, & 73. siue omni tali impressione careat quoad animam. Sed (vt dixi) dimittamus, vt & illud quod aureolã Doctorum prout redundatura est ad corpus, iuxta verisimilem doctrinam. Cartusiani in 4. disputatione quadragesima-nona, quæstione octaua, & Iosephi Angles q. de beat. *in fine*, ipse Isolanus imponit ori. Cur enim non digitis, si doctor scriptione ad iustitiam erudierit alios? Hæc (vt dixi) missa faciamus. Quod si hoc contra Isolanum vrgeri debet, illud est non deberi doctrinæ aureolam, duntaxat ob ædificationem, & exempla bona, quibus alij, mutis, sed potentibus illicibus ad virtutem adducantur; sed deberi tantùm pro ea eruditione aliorũ ad iustitiam siue verbo, siue scripto præstita, qua Doctor non dignitate, aut euanido titulo, sed officio, & munere, & doctrinæ suæ exprompsione, vt benè prosequitur Henricus quodlib. 2. quæstione duodecima, quasi imbres emittit eloquia sapientiæ suæ in vsum proximi, pro cuius spirituali profectu satagit; de quo plenè Perer. libro decimo-quinto, in Dan. circa illud capitis 12. *qui ad Iustitiam erudiunt multos, tanquam stellæ*; & Carolus Regius l. 1. orat. Christ. c. 22. At nihil tale S. Iosepho licet tribuere. Nam quæ ab Isolano iactantur eius conciones, specimina sunt facundiæ Isolani. Sanctus autem Iosephus, qui sciret nondum aduenisse tempus quo sapientia inundatura esset orbem terræ, gemitu potius & orationibus, cęcitati Idololatrarũ, ac Iudæorum consulebat, quàm multis sermonibus, quibus portandis impares tunc fuissent. Quare hanc quoque aureolam, tanquam malè delatam, respuit S. Iosephus.

Ineptia quoad eius cum aliis cælitibus contentionem.

35 ÆGrè à me exoro, vt inuidiosum ornamentum memorem, quo non nemo hoc tempore quoad gratiam & gloriam, S. Iosephum exornandum suscepit. Dimissis benè multis quorum scriptiones vernaculi lingua prodiere, Ioannes Carthagena tom. 1. de Deip. l. 4. hom. 8. contendit; S. Iosephum, vt gratia sanctificante, ita consequenter gloria omnes infra Deiparam sanctos, cum Angelos cum homines superare. Quod probat ex coniunctione cum B. Virgine, atque adeò etiam cum Christo, & ea omnibus capitibus à quibus eximiam B. Iosephi gratiam supra monstrauimus. Eadem habet Mauritius de Alzedol de præcellentia Episcopalis dignitatis cap. 10. à num. 10.

Nolim ergo sanè de Beatissimi viri laudibus quicquam detetere, dummodò solidè, & amussim Theologicæ veritatis cælebretur. At optimorum Theologorum iudicio, omnes hæ comparationes, dimittendæ sunt: Præsertim cum numquam sit defuturum, vnde quilibet illustriorum cœlitum qui laudandus susciperetur, anteponatur omnibus. Vidimus sanè superiùs hac ipsa sanctos ponderandi per coniecturas nostras libertate, fuisse, qui integra dissertatione, idipsum quod hic de S. Iosepho ab Authore prædicto asseritur, probare conatus sit de S. Ioacbimo. Nec desunt qui pro S. Ioanne Baptista satagant, alij pro Apostolis contendunt: Itaque consultius videtur, proposita comparatione abstinere. Quamuis enim quoad S. Iosephum cesset illa ratio ob quam S. Thomas in c. 1. ad Ephes. temeritatis saltem damnandus censet eos qui alium quempiam sanctum Deipara inferiorem, cum Apostolis emponsunt; (eam enim rationem cessare circa S. Iosephum benè monstrat Suarez tom. 2. 3. p. d. 8. s. 1. & cessare etiam circa Ioannem Baptistam, tradit ibidem p. 24 s. 3.) tamen velle S. Iosephum præferre alijs omnibus sanctis, non videtur consentaneum ei sobrietati quam in ponderandis spiritibus sanctorum (quod tanquam Dei proprium scriptura prædicat (toties seruare admonemur vt latè trado agens de Electione sanctorum p. 1. heterocl. Spir. s. 2. Agnosco igitur S. Iosephum esse vnum ex cœlitibus eximiis; sicut in via fuit vnus de eminentissimis iustis. Quod tamen omnes planè sanctos Deipara inferiores excedat, premendum potiùs quàm discutiendum pronuntio.



PVNCTVM V.

Virginis grauiditas de Spiritu Sancto.

1 CONTRACTO Iosephum inter, ac B. Virginem matrimonio, & quoad omnem solemnitatem ascidentalem eo tempore adhiberi solitam planè perfecto, tanque Iosepho cum sponsa in eadem domo simul habitante; accessit ad Virginem diuina legatione fugens Gabriel Angelus. Nam vt ad excidium nostrum internenerat Angelus, ita ad reparationem Angelum interuenire par fuit, vt piè meditatur August. Anconit. lect. 1. *Super missus est*, art. 1. Nomen *Gabrielus*, quod sonat *fortitudo Dei*, quadrare cum fortitudine quam Verbum Incarnatum, de quo erat Gabrielis legatio, demonstrauit; optimè exponit Petrus Abelardus in Prosa de B. Virgine quam Clychtoueus lib. quarto elucidatorij Ecclesiastici exhibuit, & habetur etiam ad calcem operum Abelardi. Adscribo partem huc facientem. *Pars I. punctum 5. Christi per Virginem conceptio.*

Mittit ad Virginem,
Non quemuis Angelum,
Sed fortitudinem,
Suum Archangelum,
Amator hominis.
Fortem expediat,
Pro nobis nuncium,
Natura faciat
Vt praeiudicium
In partu Virginis.
Naturam superest
Natus Rex gloria
Regnet & imperet
Et Zima sceria
Tollat de medio.
Superbientium
Terat fastigia,
Colla sublimium
Calcans vi propria
Potens in pralio
Foras eiciat
Mundanum principem.

Ad opus igitur, tantæ fortitudinis quantum fuit Verbi Incarnatio, vbi summè eluxit Dei potentia, & fortitudo ex Basilio ad illud psalmi 44. tunc mittitur Angelus nomen habens à fortitudine.

Gabriel paranymphus, ad Virginem iam coniugem, missus.

QVamuis autem sint qui aduentum Angeli contendant præcessisse celebrationem solemnem matrimonij rati, cum sola sponsalia per verba de futuro essent celebrata, quod latè confirmat Castro c. 4. histor. n. 20. videaturque ei opinioni fauere, quod aliquanto post dixit Angelus Iosepho, *noli timere accipere Mariam, coniugem tuam*: Tamen verisimilior sententia, tradita à D. Chrysostomo hom. 4. in Matth. Bernardo hom. 2. Super *missus est*, Euthimio Matth. 1. Diuo Thoma 3. p. q. 29. att. 2. ad 3. Suarez tom. 2. 3. p. d. 7. s. 2. Francisco Luca Matth. 1. ad vers. 18. affirmat, Virginem priusquam Angelus verbis illis Iosephum ad illam accipiendam hortaretur, fuisse Iosepho coniunctam matrimonio rato perfectè celebrato. Nisi enim Deipara ita fuisset Iosepho coniuncta, vt absque infamia & honestate, (quantum erat, ex vi coniugalis vinculi, potuisset ab eo cognosci, (quod absque perfecta coniugij solemnitate non licuisset, (handquaquam satis consultum fuisset famæ matris, & honori filij ex ea concepti. Itaque cum Deus qui omnia conuenienter, & decenter facit; perfectionem coniugij Virginis cum Iosepho non distulerit vsque ad vteri gestationem per Virginem, non est verisimile, hortationem Angeli verbis illis contentam, *Noli timere accipere Mariam coniugem*, pertinere ad perfectam matrimonij rati celebrationem, sed ad retentionem sponsæ per verba de præsenti sibi vinculatæ, & dissuassionem tepudij occulti, de quo Iosephus cogitabat. Et ita censuerunt multi Patres apud Benzonium in

in psal 86. cap. 40. traditione 51. Idémque significat quod ait Matthæus, Virginem antequàm Iosephus & ipsa conuenirent, deprehensam esse grauidam à Iosepho. Nam illud *antequam conuenirent*, ferre videtur, in eo statu fuisse coniuges, vt quantum erat ex vi fœderis nuptialis, possent honestè conuenire. Fauet quoque quod ibidem Iosephus dicitur *Vir eius*, & quod dicitur voluisse eam dimittere compertam grauidam. Non enim dimittitur, nisi quæ iam accepta fuerit, celebrato perfectè matrimonio rato. Argumentum est S. Ambrosij lib. 2. in Lucam *sub initium*. [Non te moueat (inquit) quod frequenter scriptura coniugem dicit. Non enim Virginitatis ereptio, sed coniugij sanctificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit. Et ideò qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.]

2. Venisse igitur Gabrielem, ad Virginem iam matrimonio iunctam & Iosepho cohabitantem, verisimilius est. Nec cohabitatio absque carnali commercio inter iam coniuges, debet mira videri. [Mos siquidem Iudæorum erat, (ait S. Bern. hom. 2. super *Missus est*,) vt à die desponsationis suæ traderentur sponsæ sponsis custodiendæ, quatenus earum ipsi eo sibi pudicitiam curiosius seruarent, quo sibi fideliores existerent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est dominicæ confessor resurrectionis: Ita & Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conuersationem in tempore custodiæ studiosiùs comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis.] Eodem modo philosophatur Petrus Chrysologus serm. 175. Nec item mirum videri debet & nobis contrarium, quod vox Græca, qua S. Luc. adeuntē ad Virg. Angelū descripturus, adhibuit, nempe μεμνηστευμένη, videtur duntaxat sonare desponsam puellam, necdum ductam in vxorem; quo argumento vti solent qui in contraria sunt sententia, & Angelum ad Virginem nondum coniugio illigatam venisse volunt. Tametsi enim diffiteri non possumus, quin is quandoque sit vsus Græcæ vocis prædictæ; aliquando tamen sumitur quoque pro verè accepta in coniugem & tradita viro quod clarum est ex Lucæ 2. vbi eadem vox Græca adhibetur, tametsi Virgo prægnans, vocetur *vxor* Et apud Matthæum capite 1. vers. 18. vbi nos legimus, *cum esset desponsata, mater IESV Maria Ioseph*. Syrus voce vtitur quæ puellam viro traditam, & coniugio iam illigatam designat, vt obseruat Adamus Gontzen quæstione prima, ad versum illud 18. adducens insuper pro eo quem dicebam vsu Græcæ vocis, locum ex Iliad. ζ. & Theocriti Eidillio 18. Nobis satis est proferre Scripturas, in quibus *sponsa* & *desponsationis* nomen, in prædicta significatione non semel sumitur. Et nominatim Oseæ 2. versu 19. Verbis illis, *Sponsabo te mihi in sempiternum* quæ æterna desponsatio de vero mystico connubio, non de præludio ad illud est accipienda. Videndus ibi Hieronymus. Sed & sanctus Bernardus hom. illa 2. proximè adducta, *sponsam* aperte accipit pro *coniuge*, verùm circa commixtionem; & *desponsationem*, sumit pro coniugio rato tantùm. Vnde paulo post subdit. [Crediderim de matris continentia faciliùs sponso eius custodienti, & experienti, quàm ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti. Dic quæso; quis eam videns desponsatam, & grauidam, non potiùs diceret corruptam, quàm Virginem? Non autem decebat hoc dici de matre Domini. Tolerabilius verò, atque honestius fuit, putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quàm de fornicatione.]

Degebat Virgo tunc temporis Nazarethæ vt habet Lucas, & incoluisse ædem illam quæ nunc Laureti summa totius orbis religione frequentatur, certa traditio est, quam aduersùs impurum Apostatam Vergerium, & paucos alios eiusdem furfuris, validè muniuerunt Franciscus Torrianus opusculo de ea æde contra Vergerium, Canisius libro quinto, de Deipara capite 25. Iacobus Creiserus libro secundo, de sacris peregrinat. capite tertio, & plenè Rutilius Benzonius libro 6. de Iubilæo. Obiter ipse quoque in Antemurali ad S. Ioannis Benedicti historiam, sontia ingenia in hanc sacram ædem arietantia compressit. In ea ergo ædicula, iam coniugatam Virginem, & Iosepho cohabitantem, (quæ proinde potuit Iosephi domus esse,) adiuit Angelus. Nec audiendus vlla ratione est, Author qq. ad Antiochum classe 3. quæstione 19. cum Virginem in templo stantem concepisse Dei Verbum, atque adeò ibi aditam à Gabriele affirmat. Id enim (vt dixi) cum Lucæ narratione colliditur.

Adiuncta ingressi ad Virginem Gabrielis.

2. ADuentum hunc Gabrielis ad Virginem, ex Dei speciali mandato fuisse, scribit Lucas. Quod epistolam Gabrieli à Deo datam ad Virginem scribit Petrus Damiani serm. 11. accipiendum est metonymicè, pro contento intra litteras, siue pro mandato. Et quia idem sermo, apud Bernardum legitur subiunctus cuidam ser. de Natiu. Domini, præfixo hoc titulo, *Sermo secundus, vnde supra. Vel potius legi debet in Conceptione B. Mariæ Virginis*, (vtique in *Conceptione actiua*, qua Christum ipsa concepit;) extergendum obiter est crassum mendum, quo idem sermo apud Bernardum sordet, mox à verbis illis de Epistola à Gabriele tradita Sic enim ibi legitur. [Missus ergo Angelus, etiam antequam ad Virginem perueniret, inuenit Deum Virgineis illapsum visceribus, & maiestatem Dei, Virginalis ventris breuitate conclusam.] Hoc dico esse emendandum. Est enim certa sententia, Verbum non fuisse incarnatum, ante clausulam colloquij Angelici & assensum à Virgine præstitum verbis illis, *fiat mihi secundùm verbum tuum*. Itaque castigata eiusdem loci tertio amplectenda est, in hunc modum expressa apud Petrum Damiani. [Missus est ergo Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, quæ postquàm ei Gabriel locutus est sensit Deum suis illapsum visceribus, maiestatemque illius Virginalis ventris breuitate conclusam.] Dubitari tamen potest, an ea lectio sit ab authore, an à nupero euulgatore operum Petri Damiani, qui licenter pro suo genio, (abstergendam censuerit eam maculam, immutatione illa lectionis, nisi Mosaender longè ante operam illam euulgationem operum Petri Damiani, similiter eum locum retulisset in Surij auctario. Sed mētem Authoris tulisse mendosum illud quod emendandum dicebam, ferre videntur illa quæ mox ibidem subiiciuntur, in hunc modum. [Denique & Archangelus, non ait *Aue Maria replenda*, sed *plena* Non *Dominus veniet in te*: sed *Dominus tecum*, quia inde eam totam sibi rapuerat spiritus Sanctus & cœlestibus insignierat ornamentis. Iam consecrata erat in loco voluptatis de quo fons ille debebat ascendere, qui vniuersam terræ superficiem irrigaret.] Hæc manifestè ferunt eam falsam assertionem de verbi Incarnatione ante Angeli appulsum ad Virginem quæ assertio disertè habetur apud S. Proclum oratione sexta quæ est in S. Deiparam. Est tamen (vt dixi) assertio falsa. Vnde apud Petrum Damiani verba

certa

certa quibus continentur partim reciduntur, partim mutatione præteriti temporis in futurum, accommodantur ad veritatem quæ sanè fert, Verbum non esse corporatum nisi in colloquij Angelici clausula. Nam quod Angelus Virg. dixit, *Dominus tecum*, non spectat ad præsentiam Dei per Incarnationem iam factam, sed spectant ad Dei affectum erga Virginem, cum qua esse iam tunc dicebatur, quia vnice eam adamabat. Sed de emaculatione eius loci in sermone siue Bernardi, siue potiùs Petri Damiani, non plura. Porrò quis Angelus Domini fuerit, qui hac legatione functus est, scilicet an ex vltima Hierarchia, eiúsque caput, vt vult. Isidor. Thessalon. oratione de Annunc. ac D. Thomas tertia parte quæstione trigesima-nona articulo secundo ad quartum & ibidem Suarez disputatione nona sectione prima: nolo nunc scrupulosè inquirere, quia plenè de eo actum est libro tertio de Christo sectione secunda capite quinto. Sed obiter nunc dico, spectata legationis dignitate, & causa grauissima ob quam obibatur, verisimilius esse, Gabrielem esse de supremis omnino Angelis, vnum. Nolim item multùm hîc distineri ea disputatione quam mouet Augustinus Anconitanus super *Missus est*, lectione quarta dubio tertio quærens, vbi & quando corpus in quo apparuit, formauerit Angelus ostio clauso ad Virginem ingressus, (neque enim alius aditus eum decebat, vt benè prosequitur Card. Vigerius chorda 1. capite decimo-septimo; ostium autem fuisse clausum, notat sanctus Ambrosius in capite primo, Lucæ, & sanctus Bernardus sermone tertio super *Missus est*, & consentiunt omnes, ita insinuari turbatione Virginis ex ingressu ad se viri;) Quærit ergo Anconitanus vbi & quando Angelus ingressus clauso ostio, formauerit corpus quod assumpsit; an ante ingressum, qua ratione fuisset dissipatum subeundo ostium, etiamsi per poros ostij subiisset; an post ingressum, ex aere ibi reperto priusquàm se obiiceret contuendum. Hoc secundum magis placet authori prædicto; qui tamen addit, etiamsi corpus illud fuisset prius formatum, potuisse tamen induci absque dissipatione per penetrationem Angelo possibilem. Et ita reipsa esse factum, censet Dionisius Cartus. libro primo, de laudibus Deiparæ articulo vigesimo quinto. Istud additamentum respuo. Existimo enim, penetrationem non subesse Angelicæ facultati, vt rectè statuit Sanches libro secundo in Decalo. capite 40. numero 7. confirmárque Delrio 2.Mag. quæst.17. ex testimonio sagarum, quæ fassæ sunt nunquam se intromissas à Satana per clausa ostia, vt vulgus arbitratur, sed dato aliunde, vel vi facto aditu, móxque restituto in pristinam formam. Quem laborem defugeret Satan, si posset per penetrationem sagas intrò inducere. Cum ergo naturalia salua sint dæmonibus, & quoad illa boni Angeli non sint eis superiores, manifeste efficitur nec bonos Angelos posse corpora per penetrationem simul locare. Nec est verum, ita factum esse Actorum 5. vt censet supra Carthusianus.

Angelus igitur visibili specie, hoc est humana, ob varias causas quas adducit Augustinus Anconitanus lect. 4. super *Missus est* dub. 2. ad Virginem est ingressus, nec specie amanti iuuenis genibus flexis obiecti, (vt contra pictores disputat Vigerius Chorda 1.cap.18.refragante tamen quoad genuflexionem, & pro pictoribus pugnante Benzonio in explicatione salutat. Angelicæ cap. 1.) sed honesta & conuenienti specie humana, Virgini apparuit adhibens colloquium quod Lucæ 1. describitur, & egregia paraphrasi à Gulielmo Paruo expressum est in Catena Delrij ad Cantic. capite quarto, sermone primo, versu vndecimo, §. quarto, nec non à Francone Abbate, operis de gratia tomo 6. Gabrielem cum Virginem Deiparam missus à Deo salutauit, & mysterium Incarnationis annunciauit suauissimo hymno & carmine modulato vsum, censet Rutilius Benzonius in psalmo octuagesimo-septimo, capite vigesimo secundo, & probat ex sancto Athanasio, qui sermone de Assumptione Deiparæ, salutationem Gabrielis vocat hymnum: At hymnus vt infra addit ex S.Augustino in titulum psalmi 72. significat carmen & cantum. Similiterque Canticum *Magnificat*, carmine modulato à Deipara cantatum esse Benzonius ibi, septem rationibus astruit, quæ omnes etiamsi ingeniosæ sunt, & morales, tamen ad euincendum quod intenditur, parum habent momenti. Itaque vt verum statuo, neque Gabrielem Virgini annunciantem Verbi Incarnationem, neque Virginem ea peracta magnificantem Dominum, carmen modulatum adhibuisse. Molliendus autem est rigor vocis *Hymnus*, quæ Angeli ad Virginem salutatio, expressa ab Athanasio refertur. (Si tamen ab Athanasio qui non videtur illius sermonis author:) Nam vox *hymni*, in scripturis plerumque latè sumitur, & cum laudatione confunditur. Quia ergo B. Virgo ab Angelo salutante exquisitè laudatur, & plena gratiæ ac benedicta inter mulieres pronunciatur, potuit ea salutatio appellari *hymnus*, quamuis neque carmine contexta esset neque modulato concentu prolata, quorum nihil, quisquam, de reliquo Angeli cum Virgine colloquio, cogitauit.

Pars 1. punctum 5. Christi per Virginem conceptio.

Turbatam esse Virginem ad Angeli allocutionem, Lucas diserte prodit. Nec placet glossa Isidori Thessalon. homil. de Annunc. vbi sic habet. [Perspexit excelsissima mens purissimæ, quod differat inter Deum & hominem, & quantum esset huiusmodi demissionis profundum: obstupuitque mysterium considerans & præ gaudio reuerenter exiliit; non tamen expauit aut commota fuit, nec variis affectibus turbata est eius anima: Erat enim longè solertissima, vt quis esset qui aduenerat, facilè nosset. Verba enim illa *quæ cum audisset, turbata est*, hunc mihi sensum ingerunt quasi diceret: Cum perspexisset, & illustrata diuinitùs mente perpendisset quæ sit magnitudo Dei quæ verò nihileitas hominis, cordi gaudenti palpitabat, & ad diuina obstupescebat, atque applaudebat miracula, tantam Dei audiens demissionem. Quapropter & de salutatione cogitabat qualis esset, quàm ingens & quàm eminentior humana mente. *Commoueri* enim in sacris litteris quod perinde valet, ac *turbari*, significat etiam gaudium, vt in illo, *Commoueatur mare & plenitudo eius, gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.* Ita quoque hæc loco per turbationem lætitia, & vehementissimus illius animæ impetus indicatur propter stuporem & applausum ad prodigia Dei.] Hanc expositionem turbationis in Virgine ad Angeli salutationem excitatæ non approbo. Est enim contra verborum proprietatem & contra vnanimem Patrum consensum, Toleto rectè in capite primo, Lucæ annotatione septuagesima quarta vbi hanc turbationem agnoscit verè fuisse turbationem, & timorem ex inexpectato nuntio, rectè confirmat, præsertim ex subiunctis Angeli verbis *Ne timeas Maria.* Et ipse Isidorus continenter, agnoscit in Deipara timorem decentissimum. Vt quid ergo turbationem distorquet ad affectum lætitiæ Timebat Sanè Virgini rari Deo per votum mancipatæ, nec tantum timorem reuerentialem ex denunciata Dei intra ipsam corporatione

corporatione conceptum sentiebat, (fortassis enim initio cum turbati cœpit, non adeò liquido celsitudinem mysterij peruasit:) Sed timore dispendij Virginitati suæ imminentis tacta est, vt Gregorius Nyssenus orat. de Christi Natiu. & Augustinus serm. 2. de Annunc. Dom. rectè existimarunt subscribente Toleto in c. 1. Lucæ annot. 75.

Hærentem Virginem ad Angeli allocutionem quæ proles suspicienda certior fiebat, firmauit Angelus eo responso quo spiritum sanctum absque viri opera perfecturum hanc rem vniuersam renunciauit. *Spiritus sanctus* (inquit) *Superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*. Hoc esse verbum nuptiale, significans spiritum sanctum pro viro fore Virgini, alibi dixi cum Toleto ad hunc locum. Ponderat verò egregiè Rich Victor. lib. 2. de Emman. cap. 17. duplicem insignē effectum illius obumbrationis. [Natura (inquit) mortalis atque passibilis, tam à vitio concupiscentiæ, quàm à vitio ignorantiæ penitus emundatur. Hoc est vtrique quod B. Mariæ promittitur, cum ei ab Angelo dicitur; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Igitur de discipulis Saluatoris & testibus transfigurationis, quia *nubes lucida obūbrauit eos*. Si lucida fuit quæ obumbrauit discipulos Christi, quàm lucida rectè creditur, quæ obumbrauit matrem Christi? Sed si illud eius vmbraculum lucidum erat, ergo, & lucem, & vmbram exhibebat. Lucem ad depellendam ignorantiam, vmbram ad extinguendam concupiscentiam Mira illa obumbratio spiritus sancti, quæ sub vno momento, detersit & exterminauit à Virgine tam ignorantiam boni, quam concupiscentiam mali. Quàm integrè in ea, omnis concupiscentia extincta fuerit, probat profectò, quod cum Virginitatis integritate, postmodùm concepit & peperit. Quam profundè illuminata fuerit, probat, quod illud tantæ profunditatis. Sacramentum, tam veraciter tam, velociter credidit, quod huius mundi sapientibus, vix tandem aliquando, per tot & tanta miracula persuaderi potuit. Credenti itaque Virgini, sed modum quo id fieri oporteret, quærenti, rectè respondetur, cum ab Angelo dicitur, *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, tam ad omnem concupiscentiam extinguendam, quàm ad illuminandam ignorantiam.] Suspensum in huius colloquij euentum, humanū genus, eleganti prosopopœia inducunt varij Patres; & quasi metuendum esset, ne Virgo à cuius assensu salus nostra pendebat, vel negaret, vel serius præstaret assensum; supplicibus, sed instantissimis precibus, ne hæreat & bonum nostrum remoretur, ab ea postulans, vt videre est apud Bernardum hom. quarta super *Missus est*, & Augustinum sermon. 18. de sanctis (si tamen ipse Author.) Locum ex sermone 17. de tempore, mutuum ab eo in hanc rem sumere, opportunum videtur. Descripserat, *benedicibilis* (vt ait) *salutationis præsagium*, & expositam ab Angelo conceptionem Filij Dei ex ipsa: Tacita secum mentis altercatione confligentem Virginem, & instantem concreditæ sibi legationi Angelum, repræsentauerat. Tunc quasi adhuc Virgo cunctaretur, subdit, velut hortando, & propellendo ad assensum excludendum. [Expandat nunc fides splendentis vteri pulchra tentoria, obumbret virtus, spiritus sibilet, naturali calore depulso tenuis Virginem aura refoueat, & flante refrigerio, spirantis cœlestibus ventiletur, aluus virginalis ferris verecundiæ coronetur. Flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargantur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur. Responde iam Virgo sacra; vitam quid tricas mundo? Assensum tuum Angelus præstolatur, inde est, quod nuncius iste moratur. Iam audisti; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi* vt prolem gignas, & virginitatem non perdas. Ianua cœli quondam per Adamum clausa iam sonuit, per ipsam nuncius iste processit. Deus in porta est Angelum quem moraris expectat. O beata Maria, sæculum omne captiuum, tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te suorum iniurias abstergi deprecatur. Ipse prior qui offensus est, misit; claustrum quod iniquitas nostra cœlo infixerat, reserauit. Est nobis aditus, si assensus tuus fuerit commodatus. Et nobis succurris & tibi, quia nobis pœna successit, & tibi nuptias filio suo, in tuo thalamo pater præparabit. Deus in ipsis sponsalibus gaudiis relaxat quicquid eum offenderat mundus. O & tu Angele, tanti Regis nuncie, & secreti diuini legate, qui ex palatio Imperatoriæ Maiestatis, indulgentiam reddis criminosis, vitam mortuis, & pacem sacram attulisti captiuis, vrge Virginem non de Dei munere diffidentem, sed de muneris magnitudine cogitantem. Faue partibus sæculi, conscius secretorum cœli. Lætabuntur socij tui, si negocium iuueris mundi. Nos à vestro consortio, impietatis muro diuisit; per vos de reditu nostro tractatur. Inspice squalentem nostri carceris miseriam, & loquere festinus ad Mariam. Vsquequo moraris ô Virgo, nuncium festinantem? Intuere Deum in cœli vestibulo sustinentem, responde verbum, & suscipe Filium; Da fidem, & senti virtutem. Pande sinus roseos Virgo perpetua, fides tua modò aut aperit cœlum, aut claudit.] Quantum durauerit Angeli cum Virgine colloquium, definiri certò non potest. Quod ex monumentis Congregationis Lusitanicæ S. Georgis in Alga tradit Antonius Balinghen in Paralipomenis ad Ephemer. Marianas 15. Martij approbans à toto autem lib. 1. de angelo custode cap. 4. §. 1. numero 2. Nempè colloquium durasse per horas nouem, non est verisimile: frustrà que obtenditur stupor Gabrielis, qui perperam (ne ridiculè dicam) inædificatur illis Lucæ verbis *& discessit ab ea Angelus*: quasi diceret Lucas, Gabrielem ægertimè auulsum esse à B. Virgine præ extasi concepta è tantis in ea patratis mirabilibus. Nihil enim tale insinuat Lucas. Et in tanta loquacitate Virginis ad perfectam Dei voluntatem, non fuisse colloquium admodum longum, est verissimillimum.

Verbi conceptio, mysterium clamoris.

4. IN colloquij Angelici clausula, mysterium clamoris vt S. Ignatius in epistola ad Ephes. appellauit, negotium omnium sæculorum transactum est. Nec erat timendum, ne Virgo voti sui & pudicitiæ idemnitatem edocta, extremæque miseriæ generis humani probè conscia, ad quam releuandam naturali charitatis præcepto grauiter vrgente obstringebatur, vel assensum negaret, vel diutius differret. Itaque illa assensum præbente, illicò Christus Deus homo, in vtero Virginis formatus est; ipsa Virgine, omnem cum passiuum, tum actiuum concursum quem veræ matres exhibent, conferente: ac ne semine quidem actiuo (iuxta veriorem Medicorum sententiam) deficiente ex parte Virginis, vt disertè asserunt Fortunius Licetus t. 2. de quæsitis per Epistolam cap. 37. & apud eundem Sebastianus Baldus ibidem cap. 36. Paulus Zacchia in quæstionibus. Medicolegalibus. Petrus Hurtardo disputatione 2. de generatione sectione 5. Peramatus in Apendice ad suam

tractationem

tractationem de semine. Torniellus anno M. 4051. num. 2. Raymundus Iordani parte 8. Operis integri de B. Maria cap. 10. Richardus à S. Laurentiò lib. 12. de B. Virgine ad illud *cuius semen in semetipso*, Hincmarus in opusc. de diuortio ad interrogationē 12. Haymo in cap. 8. ad Rom. ad illud *in similitudinem carnis peccati*. Pet. Damiani serm. de S. Victore, Richardus Victorinus lib. 1. Emman. cap. 12. S. Bernardus serm. 2. de Pentec. ad illud Isaiæ, *Erit germen Domini in magnificentia*: Beda in c. 1. Lucæ. Rupertus in cap. 3. Ioann. ad illud *filius hominis qui est in cælo*, & in cap. 1. *Matth.* ad illud *pariet autem filium*. S Epiphanius hær. 30 numero 31. versans illud Psaltis *Imperfectum meum viderunt oculi tui*. Et alij plerique Patrum & antiquorum Scholasticorum, annotati libro tertio, de Christo sect. 2. capite 3. Sic igitur efformatus est Christus, Deipara omnem actiuum concursum maternum (à veris scilicet matribus conferri solitum) exhibente; Tota autem sanctissima Trinitate, supplente paternum concursum effectiuum humanum qui desiderabatur. Id quod voluit Damascenus orat. 3. de Natiuit. Virginis eo loco quem Billij versio ex Græco Codice deprauato sic repræsentat. [Caput Virginis ad cælum pertinet. Omnis quippè mulieris caput Pater exstitit, vt qui Filium suum, ac præpotens Verbum tanquam diuinum, ac spirituale semen emiserit. Propensa quippè Patris voluntate, ac non ea naturali congressu, verùm ex Spiritu sancto & Maria Virgine, modo naturam superante, Verbum sine vlla mutatione, caro factum est, & habitauit in nobis. Etenim Dei cum hominibus coniunctio, per Spiritum sanctum efficitur. Græci Codices synceri, initium huius loci Damasc. quod legitimo sensu destituitur, sic emaculandum docent. [Cum omnis mulieris caput sit vir, & hæc (Maria Virgo) virum non cognouerit? caput eius omnino Deus, & Pater fuit; qui Spiritu sancto interueniente, hoc coniugij velut fœdus pasciscens; diuinum (vt ita dicam) ac spiritale semen, Filium videlicet, Verbumque suum omnipotens, emisit.] Videtur Damascenus, quod dictum est ab Apostolo de viro capite mulieris, non accepisse de viri potestate in mulierem ad eam regendam, sed de viri principalitate ad generationem prolis Vnde quia B. Virgo virum hominem non cognouit, Deum Patrem fuisse Virgini caput affirmat, fœcundando eam per Spiritum sanctum, à quo indita sit semini, sine sanguini in tota latitudine notionis suæ accepto, vis prolifica, qua fœmineum semen destituitur. Sicque Pater, & per appropriationem Spiritus sanctus, vice viri fœcundantis, & semen prolificum conferentis, fuit B. Virgini; Ita tamen, vt Spiritus Sanctus nullum è sua substantia decisum semen contulerit. vt aliqui portentosè blasphemarunt; vnde nec Pater Christi dicitur: ac ne aliunde quidē petito semine Christum formauerit, sed is verè productus sit, totam materiam suppeditante sola Virgine. [Descendit Verbum in vterum Virginis (ait Amedeus Lausa homil. 3.) vterum impollutum, consecratum manu vnctionis diuinæ. Ibi carni nostræ copulatum, naturæ associatum, impleuit sacratissimum, & secretissimum Sacramentum, vt essent duo in carne vna, & vno contubernio fruerentur. Factus est ergo Deus inuisibilis, homo visibilis. Impassibilis & immortalis, passibilem se, & mortalem exhibuit. Incircumscriptus, lineis nostræ substantiæ circumscribi voluit. Clauditur aluo puerperæ, cuius immensitas claudit ambitum cœli, & terræ: & quem cœli cœlorum non continent, Mariæ viscera complectuntur.]

Omnem materiam, & causalitatē à vulgaribus veris matribus suppeditatā, à Virg. in hoc negotio suppeditatā dici, quia fuit verè & propriè mater: Hoc volebat S. Maximus quando calumniam passus quod malè de Deipara sentiret, vt est in Collatione eius cum Theodosio Cæsariensi, [Extensis in cœlum manibus, cum lacrymis dixit. qui non dicit Dominam nostram superlaudabilem, sanctissimam, intemeratam, & omni naturæ intellectuali venerandam, naturalem veraciter matrem Dei effectam, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, sit anathema, & catathema à Patre & Filio, & Spiritu sancto, consubstantiali & supersubstantiali Trinitate, ac omni supercœlesti virtute, atque à choro Sanctorum Apostolorum, Prophetarum, & infinita plebe sanctorum Martyrum, omnique spiritu in iustitia consummato, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.] En quanta asseueratione S. Maximus B. Virginem *naturalem veraciter Dei matrem*, esse confirmet. Et quamuis pleraque in hac conceptione interuenerunt supra naturæ leges, nihil tamen eorum quæ ad veram maternitatem & influxum in quo ea relatio fundatur exigi possunt, desiderari voluit Deus, qui B. Virginem, verè, & propriè Christi sui matrem esse voluit. *Pars 1. Pandam 5. Christi per Virginem conceptio.*

Itaque aliqua hic secundū naturā, aliquam supra, aut etiam contra naturā conueniunt, quæ Peramatus insignis Medicus propria lucubratione de eo argum. edita secreuit. Nec non Fortunius Licetus tom. 2. de quæsitis per epistolam cap. 37. fusissimo. Breuiter eadem attigit Richardus à S. Laurentio libro quarto, de Deip *pag.* 238. hic verbis. [Fecit Deus in Virgine aliquid quod fuit contra naturam; aliquid quod fuit secundùm naturam; aliquid quod fuit supra naturam. Contra naturam infirmitatis nostræ fuit, quod Virgo concepit: Secundùm naturam fuit, quod in vulua conceptus & formatus, & tandem secundùm legitima nascendi tempora natus fuit: Supra naturam non solùm huius infirmitatis nostræ, sed etiam supra naturam conditionis primæ fuit, quod virili semine Virgo concepit. Puritas fuit, quod sine concupiscentia seminare potuit; honoris quod prolem ab omni peccati contagio mundam effecit; gloriæ, quod non de viro, sed de spiritu sancto concepit] Optimè quoque Rupertus in cap. 1. Mathæi tractans comparationem Christi cum manna cœlitus delapsa. [Spiritus sanctus (inquit) vterum Virgineum cœlitùs irrorauit, non de sua substantia, sed de naturali humore ipsius incorruptæ carnis. In quo mira, & magna distantia est ab omni conceptu vniuersæ carnis, quia vim sementinam sacri corporis, non vir extrinsecùs accedens, sed Spiritus sanctus intus operans excitauit. Tunc in eadem solitudine, apparere minutum, hoc fuit, adesse in eodem secreto Verbum subtilissimum atque fortissimum, quod eidem se humori miscuit tanquam coagulum.] non pauci Patres, vt significarent defuisse in Christi concessione omnem operam externam, dixerunt B. Virginem concepisse per aurem, aut Dei Verbum ad Virginem illapsum esse per aurem. Ita Gregorius Neocæsar. orat. in Annunciationem, quæ ab alijs Chrysostomo adscribitur; Cyrus Episcopus Phrya apud Nicephorum libro 14. capite 46. & in Chronico Alexandrino, Proclus homil. de Incarn. S. Augustinus serm. 10. etit de tempor. Felix Papa ad ad Petrum Antiochenum, & liber Græganicus cui nomen *Paraclesice* pag. 27. Quod aliquibus reprehensum; respert Leo Allatius dissert. 2. de libris Ecclesiasticis Græcorum, *pag.* 300. qui fatetur, ignotum nobis esse qua Virginis parte Verbum ingres-

ſum ſibi parare voluerit ad Virginis vterum, in quo Christi cóceptio facienda fuit; cum per omnes æque partes parare ſibi ingreſſum potuerit ad Virginis vterum. At quò permeat hæc ignoratio noſtra, non video. Nam certum eſt, Verbum per nullam Virginis partem externam, ingreſſum eſſe ad eius vterum; cum Verbum ſit immenſum, fueritque ſemper in vtero, ex quo vterus habuit eſſe. Dicitur tamen illapſum vtero per aurem, quia conceptio Christi, non eſt facta immiſſa extrinſecùs viri ſubſtantia, vt in aliis conceptionibus accidit; ſed ad clauſulam alloquij Angelici, quod Virgo per aures excepit facta eſt conceptio operante Spiritu ſancto. Quod vnum voluerunt Patres allegati. Christi ergo generatio, ſic fuit.

5 Hic tangor eodem quo Baſilius Seleuciæ affectu orat. 39. quem eius verbis exhibeo. [Ad hanc orationis partem appulſus, & ad miraculi magnitudinem reſpectans, præ admiratione mutus ſum, & elinguis: neque enim verbis res exæquare poſſum. Quomodò inopinatò celebrabo inopinam illam Incarnationis gratiam? Quibus laudibus afficiam fontem charitatis? Quomodò profuſæ charitatis in homines flumen prædicabo? Quomodo Virgineum pelagus audens tentabo, & magni myſterij ſcrutabor altitudinem, niſi me vt inexpertum vrinatorem, ô Deipara, doceas veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, deponere? Niſi mentis os miſericordia compleas, quo tui partus fundum penetrat, vt tuæ miſerationis luce circumfulgens, in te veritatis margaritum deprehendam. Subuenias, vt veritatem con equar, vt à te doctus eloqui valeam: non quomodò incarnatum Verbum pepereris, (nam ſupra lumen meum eſt partitudinis tuæ ratio:) ſed quod mater effecta, Virgo quoque permanſeris, ſicut qui ex te partus, homo verus fuit, & verè manſit Deus, corrigens opus manuum ſuarum.]
Illius item ſtupor bellè huc cadit, qui dixit;

Stupeſce terra! Olympicum,
Interminum Numen; Chao
Omnique principio prius,
Cœli ſator decemplicis,
Et flammei arbiter ætheris,
Hic, hic, puella pernada,
Et vix trilustris Virginis,
Vtero Maria clauditur.
Vae! punctus ambit circulum.

Quoad matrem verò concipientem, multa ſtuporis eſt materia.

Nulla prorſus ex parte, Virginitas concipientis temerata eſt, & tamen veriſſimè, ac propriiſſimè mater fuit, & quidem (quod inter clamoris myſteria rectè à S. Ignatio epiſtola ad Epheſ. approbante Damaſceno orat. 3. de Virg. Natiuit. merito relatum eſt,) mater Dei. Non quod aliquid influxerit in eſſe Dei quatenus Deus eſt; vt ſtultè Neſtorius impingebat Catholicis; nemo enim eſt Catholicorum adeò hebes, vt neſciat eſſe Dei prout Deus eſt æternum eſſe, ac imparticipabile ſine independens: eo ipſo namque deſineret eſſe quod eſt, fieretque eſſe creatum, ſi dependeret aliunde, & rerum cauſæ cuiuſcunque influxum terminaret. Non igitur B. Virgo, eam ob cauſam cenſenda eſt fuiſſe per hanc conceptionem Mater Dei. Non item ob illum hæreticum ſenſum in quo Neſtorius admittebat Virginem dici poſſe Matrem Dei, quia ſcilicet fuit mater hominis puri qui poſtea merito ſuo euaſit in Deum adſcriptitium. Sicut mater Epiſcopi dicitur, quæ genuit eum qui procedente tempore creatur Epiſcopus quamuis cum genuit eſt, nequaquam fuerit Epiſcopus, quæ eſt comparatio qua Neſtorius hæreſim ſuam exponebat, vt refert eius æqualis Vincentius Lyrin. in aureo Commonit. cap. 21. Vera itaque ratio cur B. Virgo dicta ſit Mater Dei, ea eſt, quod conceperit, & omni vero influxu materno adhibito produxerit illum cuius humana natura ex illo primo conceptionis & productionis momento per Verbi Diuini perſonam eſt terminata. Sic enim ille homo, ſimul Deus fuit, ac proinde quæ eum genuit, quia in humanum illius eſſe influxit; genuit illum qui Deus erat: atque adeò non hominis tantùm, ſed Dei quoque mater fuit. Eoque admirabili conceptu ſecundi Adami ex ea, ſuauiſſimè omnino, Iſidorus Peluſiota ſcribens ad Adamantium, contra Iudæum negantem Christi conceptum abſque ſatione viri lib. 1. epiſt. 141. conſiderat B. Virginem reddidiſſe ſexui virili, quod ei debebat fœmineus. [Mulier enim velut debito quodam aſtricta erat viro, vt quæ ex ipſius coſta citra concubitum extitiſſet. Domini mater illud perſoluit, cum videlicet, abſque vlla ſeminis profuſione Incarnatum reddens.]

6 Virgo ergo ex vero materno concurſu in Christi Dei & hominis conceptionem, & Virgo manſit quia abſque viro concepit, (imo *virginiorem* factam, cum ſic concipiendo, ait Amed. Lauſ. hom. 4.) & vera Christi Dei & hominis mater effecta eſt: Vnde rectè nominatur *Deipara*, Græcè θεοτόκος. Quam vocem in Concilio Epheſino valdè illuſtratam, longè tamen antiquiorem fuiſſe, contra quam nonullis viſum eſt, multis confirmat Caniſius l. 3. de Deip. cap. 19. & liquet ex S. Athanaſio dial. 4. de Trinit. vbi diſertè Mariam vocat θεοτόκον, [quia non genuit nudum hominem, ſed Deum qui hominem induerat. [Inuenitur quoque ante Concilium Epheſinum ea vox apud Nazianzenum orat. 51. & apud Epiphanium orat. de Deip. Citat quoque Spinellus in admonitione præfixa libro de Throno Dei, eum de Athanaſio, tanquam ea voce vſos Euſebium lib. 3. de vita Conſtant. capite 42. Baſilium item, ac Chryſoſtomum qui Epheſinam Synodum anteceſſerunt. Ab his inquam eam vocem vſurpatam, monſtrari ait ex Theodoreto l. 4. hæret. fabul. ſed apud hos omnes, fidem allegantis deſidero. [Merito itaque (ait Petrus Damiani (B. Maria dicitur parens parientis, oriens orientis, fons fontis viui, origo principij: quia ille ex ea prodiit per materiam carnis, qui caput eſt, initium omnium rerum per eſſentiam Deitatis.] Hoc verò eſt, eſſe verè θεοτόκον atque Deiparam. Quod decus ei blaſphemè abrogarunt, qui *hominiparam.* vel *Christiparam* dici voluerunt, Blaſphemiæ quippè damnat Nyſſenus epiſtola ad tres mulieres, vocare Virginem *hominiparam*. Non quod verè B. Maria negari poſſit hominem genuiſſe, ac Christum: ſed quod obſeruauit Theorianus in Legatione ad Armenos, ad purum hominem, & Christum ſuo merito poſt annos aliquot vitæ factum, notiones vocum illarum, impiè detorqueret Neſtorius: quem etiam θεοτόκον vocaſſe B. Mariam, ſed eo tantum ſenſu, quo mater eius qui poſtea promouetur in Epiſcopum dici poteſt mater Epiſcopi, notauit Vincentius Lyrin. in commonitorio capite 21. Quod nomen χριστοτόκος, ſiue *Christipara*, idcirco tantùm repudiat Abucara Opuſc. 14. quia melius eſt denominationem ſumere à potiori, & præſtantiori quod eſt in re denominata, ſuboſcuriùs dictum eſt. Nam Christus vnguentum Deitatis reuera præfert. Vera ergo ratio cur nomen Christiparæ à Catholicis ſit repudiatum, eſt quia Neſtoriani, nomen Christi ad purum homi-

hominem transferentes, nec nisi gratiæ purè creatæ vnctionem eo nomine exprimi contendentes, B. Virginem *Christotocon* dici admittebant, vt videre est apud Paulinum Aquileiensem l.5. contra Felicem, non multum ab initio. Quare simpliciter dicendum est B. Virginem esse Θεοτόκον, seu *Deiparam partus* nomine, æquè ac natiuitatis, extēsō ad conceptionem.

Motus & gaudia Virginis concipientis.

7 QVibus verò motibus B. Virgo inter adipiscendum huoc titulum fit affecta, de ipsa percontandum est cum Amedeo Lauf. homil.3.de Deip. his illam verbis affante. [Rogamus Domina, Dei mater, dignissima, non aspemeris petentes cum tremore, quærentes ex pietate pulsantes cum charitate: rogamus, quo affectu mouebaris, quo amore tenebaris, quibus stimulis agitabaris, cum hæc fierent in te, & Verbum carnem susciperet ex te? Vbi erat anima tua, vbi cor, vbi mens, vbi sensus, vbi ratio? Ardebas, vt rubus, qui olim ostensus est Moysi, & non comburebaris, liquefiebas, &, non consumabaris. Ardebas liquefacta supernis ignibus, liquefacta in igne, vires resumebas ab igne, vt semper ardeles, & interim liquefieres. Ignis ille totem luminis exhibuit, tos luminosus vnctionem præbuit, vnctio semen sanctum præstitit, in quo repromissum est Abrahæ, quòd in eo benedicerentur omnes gentes. Hæsisti enim Virgo pulcherrima, strictis amplexibus authori pulchritudinis, & effecta plus virgo, imò plus quàm Virgō, quia Mater & Virgo, hoc sacro sanctum semen Deifica infusione suscepisti. Aue, igitur, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu mulierum, & Benedictus fructus ventris tui Iesus Christus, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Quid verò vetat eum ipsum illi affectum, ac sensum tribuere, quem expressit his verbis S. Hildefonsus, l. de Virginit. B. Mariæ capite secundo, *in fine*. [O virtutum omnium Deus! O creaturarum omnium Deus! O factor omnium Deus! O mirabilium author omnium Deus! qui cunctis miraculis tuis vniuersis insignibus tuis, totis mirabilibus tuis omnibus magnalius hoc factum, hoc opus, hoc gestū, hoc actū miserationis thesauros aperiens, pietatis arcana demonstrans, indulgentiæ diuitias reserans, clementiæ riuos emittens in salutem meam, & mundi; in redemptionem meam, & mundi, in iustificationem meam, & mundi; in liberationem meam, & mundi, fecisti sine loquendi ratiocinatione mirabile; egisti sine rei exemplo singulare; formasti sine comparationis similitudine potentiale, complesti sine consimili æquiparatione vitale; finxisti sine intelligendi consideratione inæstimabile, sine obliuione perenne, sine defectu stabile, sine interruptione iuge, sine fine laudabile per quod error amorus est, per quod languor ablatus est, per quod peccatum deletum est, per quod mors verè destructa est, per quod eundi inuenimus viam, per quod assequimur perueniendi veritatem, per quod adipiscimur requiescendi vitam.]

Gaudium Deiparæ in hoc temporis puncto, attigit perpulchrè Richardus à S. Laur. l. 3. tractans illud *in die lætitiæ cordis eius*. [Quis dignè (inquit) exprimere verbis sufficiat, ipsius sacratissimæ Virginis gaudium, quæ matrem Dei se factam, ipso die & nouit & sensit? quæ nostræ redemptionis thesaurum, Angelorum gloriam, & totius humani generis singulare gaudium, & vno verbo omnia concludamus, Deum & Dei filium, in vtero se habere cognouit? [Benè item de hoc Virginis gaudio, Author Tractatus in Canticum *Magnificat* apud Augustinum tom.9. adducendus punctō sequenti, *initio*, ac pleniùs apud Hugonem Victorinum è quo ille Tractatus defloratus est in expositione Cantici Deiparæ ad illa verba, *Magnificat anima mea Dominum*. Laudes quibus diuinam bonitatem est prosecuta, & affectus gratitudinis ob facta in se magna per eum qui potens est, facile est coniectare ex tanto semper Sanctorum quos hæc non adeò proximè contingebant, laudis & gratitudinis sensu ob hoc mysterium. Et merito. [Opus enim erat, Verba sunt Damasceni Orat. 2. de Assumpt.) hoc quoque nomine, infinitam Dei bonitatem, ac magnitudinem omni magnitudine sublimiorem, & infinitam potentiam, & ipsius ad nos moderationem, ac descensum omni magnitudine, ac sublimitate superiorem, benignitatisque quæ comprehendi non potest, diuitias opes omnes excedentes, atque inexplebilem charitatis abyssum laudibus efferre: quo nempe pacto ipse à sua maiestate haudquaquam excidens, ad sublimitatis patentem exinanitionem, benigna Patris & spiritus voluntate descenderit: quo pacto is qui supra omnem essentiam est, ex fœmineo ventre modo essentia omni præstātiore extiterit: quo pacto & Deus sit, & homo factus sit simulque vtrūque maneat; quo pacto is qui omnia implet, & omnia antecellit, & Verbo oris sui omnia fert, angustum locum habitarit; quo denique pacto Virginis corpus quod ex materia concretum est, atque ad fœni naturam accedit, huius claræ Deitatis ignem consumendi facultate præditum exceperit, atque auri instar putum, extiterit. [Hæc aliis tanto post Dei laudum argumenta; quanto magis ipsi Virgini in illis plusquàm Ætnæis incendiis ex Dei corporatione præsenti? *Part 1. Tract. tam 5. Christum 5. per Virginem conceptio.*

En igitur in lectulo suo florido Salomonem. [Lectulus hic (ait Richardus à S. Laur.) vterus est virginalis, in quo sponsus beatissimam copulam celebrauit, qua humanæ naturæ dignatus est copulari. *Lectulus* autem dicitur, & non *lectus* propter humilitatem; & quanto lectulus fuit humilior, tanto amplexus iucundior, & societatis inseparabilior, & ipsa voio vnior, (vt ita dicam,) fuit. Floridus fuit lectulus iste, omnium virtutum velut florum varietate. Ibi rosa excellentissimæ charitatis, ibi lilium singularissimæ castitatis, ibi viola omnimodæ humilitatis, & quid dicam? Ibi ortus est, & inde ortus est ille qui dicit, *Ego flos campi*] Qui sint hi flores quibus lectulus hic sponsi delectabiliter vernat perpulchrè prosequitur Ekebertus in deprecatione ad B. Virginem, fusè proponens amœnitates sanctis omnibus, & Angelis & hominibus inhalatas, ex patratis intra Deiparæ sacrosanctum vterum, mirabilibus per Christi conceptionem, qua sa us mundi initiata est, ruptus est paries inimicitiarum inter cœlum & terram, confœderata sunt supernis inferna, & alia omnino miranda quæ prosequitur author prædictus, propiniatio nomine sunt patrata Cōcinit locus concepti Christi nēpe Nazar. quę vox *florem* insinuat. Vnde Christus Nazareus, aut Nazarenus est appellatus, vt habent Matth. 2. à separatione, vt malè contendit Leo Castrius libro 6. Apologet. pro editione vulgata & in cap. 11. Esaiæ, sed à flore, vt tradunt eruditi Hebræorū apud S. Hieronimum in dictum caput 11. & subscribit ipse S. Hieronimus epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi, nec non Beda homil. 1. in Lucam, & ex recentioribus Iansenius cap. 11. Concord. Lyranus, & Caietanus aliqne communiter Matth. 2. & Blasius Vigeas in cap. 11. Apsal: com-

cóment. 3. ſ. 12. monſtrantes nomen *Nazaræi* de Chriſto, ductum non per *Zain* & Caſtro contendit, ſed per *Tſade* eſſe ſcribendum, atque adeo non *ſeparatum*, ſed *florẽ*, aut *floreũ* ſonare, id quod præſenſim emicuit in Chriſti conceptione vndecunque florulenta, & fragrante. Quæ reſpiciens author libri de vita vera apud Bernardum c. 17. ait: [Voluit concipi flos in flore intrà florem, id eſt intra Nazareth quod interpretatur *flos*, vt fieret ipſe flos florens, hoc eſt *Nazarenus*. Concordant omnia flori. Concipitur flos manens in flore, hoc eſt in Nazareth. Bonus ergo omnino, & optimus violaceus flos (humilitatis Mariæ) qui odoris eius fragrantia quaſi quodam delectabili vinculo, florem cœli, in vterum noſtri floris humilis Virginis inclinauit.] Videſis Richardum victorinum opuſc. de comparatione Chriſti ad florem, & quæ ad idem dicta ſunt in Tractatione de Roſa Mediana. Nunc ſerendum eſt in conceptione Chriſti florea, atque vndecunq; fragatinſſimai & nitentiſſima ſpecie floris. Sic, vt benè monet Naz. orat. 16. ex virgine concipitur Deus, vt & generationem honore afficiat, & virginitatem honore præferat.

Noſtra in hoc negotio ſobrietas extaſi ac ſtupore concluſa.

9. NOn placet hoc loco diſtinctiùs ac minutatim perſequi, quæcunque ad plenam diſcuſſionem conceptionis Chriſti per Virginem pertinent, eumque Deiparæ titulum fundant; Cupiosè enim prolata ſunt in tractatione de Chriſto l. 3. ſectione 2. c. 3. Præterquam quod optimè, ac prudentiſſimè admonet Petrus Cellenſis l. 9. epiſt. 10. magna temperatione vtendum eſſe in hac materia. Vnde Nicolaum monachum S. Albani qui paulo licentius id eſt, perinde, ac ſi de quacunque muliere grauida ageret, Virginis grauidationem expreſſerat, his verbis increpat. [Compatior inſolentiæ tuæ qui de excellentiſſimis noſtræ Virginis montibus, ad profundiſſimam vallem deſcendiſti, ne dicam, corruiſti. Licet enim in illa nihil ſit verecundum vbi omnia & ſingula eius membra, luna ſunt puriora, & ſole clariora: tamen noſtræ fragilitatis teterrima memoria, cum audierit nominari genitalia, vix à ſua excutietur palude; vix incipiet non ſolita cogitare. In Virgine igitur, talia ſacroſanctis cortynis potius volo honorando inuoluere, quã nudis nominibus, & manibus contrectare. Virgo certò virgineis verbis, & ſancto velamine conſecratis, delectatur affari.]

10. Præſtat admiratione defigi in conſideratione ſummæ & incomprehenſibilis bonitatis Dei, in hoc negotio elucentis, & renouata hic imo completa omnia antiqua miracula cum Ioanne Geometra mirari. Longum eius hac de re locum exhibet Catena Corderij in Lucam ad c. 1. v. 36. Et quid mirum, ſi mirantur homines, quandoquidem Angeli ad hoc viſum obſtupuerunt; [Deipara Maria, (ait S. Epiph. orat. de ea, *ſub initium*) cœlorum virtutes in ſtuporem conuertit. Obſtupuerunt omnes Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Throni, Dominationes, Cherubin, ac Seraphin, & Angelorum vniuerſus exercitus, timore, tremoréque graui detenti: quia cernebant illum, qui habitat in cœlis, per eam verſari in terra & exhorreſcebant. Spectabant Virginem, cœlum & thronum, & formidabant, dum conſpicerent eum, qui principio caret, deſcendentem à Throno Cherubico, in vtero Virgineo ſedere.] Et inferiùs. [O Virgo ſanctiſſima, quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti. Stupendum enim eſt miraculum in cœlis, mulier amicta Sole. Stupendum miraculum in cœlis, mulier geſtans lucem in vlnis; ſtupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in cœlis mulieris filius, qui & ipſius, & ſæculorum eſt pater. Stupendum miraculum in cœlis, thalamus Virginis, habens filium Dei, Deum ſponſum Chriſtum. Stupendum miraculum in cœlis, Dominus Angelorum, infans Virginis effectus eſt.]

11. Præſtat obſtupeſcere ad tantam Dei demiſſionem. Nuſpiam enim tanta Chriſti abiectio eſt prodita. Optimè id vidit Guerricus ſerm. 3. de Annunc. [Omnium (inquit) humanarum infirmitatum, vel iniuriarum quas pro nobis pertulit diuina dignatio, ſicut tempore primam ſic etiam humilitate ferè maximam exiſtimo, quod in vtero nouem menſium tempore, maieſtas illa incircunſcripta, paſſa eſt contineri. Vbi enim ſic ſe exinaniuit, aut quando ita penitùs à ſemetipſo defeciſſe viſus fuit? Tanto tempore nihil illa virtus manifeſtum operatur nullo ſigno viſibili, maieſtas quæ clauſa latet proditur. Non ſic in cruce viſus eſt infirmus; vbi quod infirmum ipſius fuit, ſtatim apparuit fortius omnibus hominibus. quando & moriens glorificat latronem, & expirans inſpirat Centurionem: quando horarius dolor paſſionis eius, non ſolùm compati fecit elementa creaturarum, ſed etiam contrarias fortitudines ſubegit æternorum paſſioni dolorum. In vtero autem, ſic eſt quaſi non ſit. Si omnipotens virtus vocat quaſi nihil poſſit, & Verbum æternum ſub ſilentio ſe premit.] S. Chryſoſtomus planè aſtipulatur oratione de S. Philogonio Monſtrans longè plus ſe demiſiſſe Deum, cum non exhorruit Virginis vterum & ibi homo fieri ac ſolemnia humani fœtus initia admittere dignatus eſt, quàm cum velut Agnus tonderi ſe ſiuit, & paſſionem excepit. Eſtque omnino hic ſenſus Eccleſiæ, quæ eodem tenore Chriſti in Virginis aluo corporationem & confixionem in cruce commemorans in ſymbolo Conſtantinopolitano quod in Miſſa recitatur, indicit pro Incarnatione genuflexionem Sacerdoti, non pro paſſione. Iterum atque iterum dic.

Præſtat alto ſilentio, ad nouitatem ſummam & nouitatem inauditam huius conceptionis ex Virgine, obſtupeſcere cum beatis ſpiritibus. Alto inquam ſilentio venerari verbum ſolo auditu conceptum ſcitè Cyrus Prodromus (ille ex aulæ propè cacumine, deiectus ad humilis oppidi Cathedram Epiſcopalem) cum de hoc myſterio ad ſuos factus Epiſcopus ageret, his paucis verbis concionem complexus eſt. *Chriſti ortus ſilentio colatur, quia Verbum ſolo auditu eſt conceptum.* Quibus ſolum verbis prolatis de ſuggeſto deſcendit. Perque huiuſmodi ſilentium, facilè erit exaudire myſterium clamoris, vt ſupra ex S. Ignatio loquebamur aſtipulante Damaſceno orat. 3. de Natiu. B. V. qui ea S. Ignatij verba refert, & laudat. Clamat ſanè in hoc myſterio ex matris vtero Deus Verbum. Et multos quidem infantes in matrum vtero clamaſſe proditum eſt, vt qui Marruciæ auditus eſt clamans, *Io triumphe*, ex Liuio l. 24. (quo videtur reſpexiſſe S. Auguſtin. 3. ciu. c. 31.) necnon S. Furſeus, vt eſt in eius Actis c. 5. & S. Benedictus vt narrat Anton. Data in vita B. Ioannæ à Cruca, & infans in Hollandia anno 1506. Ex Huticio l. 3. Auſtriacæ hiſtor. & Cunſaluus Sylueira ex Godigno c. 4. vitæ eius. Alias notant Libauius Opuſc. de hoc argumento, Lilius Faber l. 3. Annal. Miſniæ, Martinus Venduchius, l. de monſtris, & Antonius Meiindolus Exercitat. 5. Medica. Ac nullus puer in matris vtero, contentius, clamauit quàm Chriſtus, ipſa conceptionis in vtero vilitate conteſtans quò noſtri cauſa deueniſſet. Sed ſic concipi decuit electum ex millibus, [cuius conceptio, (inquit Nyſſenus hom. 13. in Cant.) duorum à coniunctione

profecta

profecta non sit, partus minimè inquinatus, parturigo doloris expers: cuius thalamus, altissimi potestas quasi quædam nubes Virginitatē ipsam inumbrans: sua nuptialis, Spiritus sancti splendor: cubile vitiorum expers conditio: nuptiæ, potitas incorrupta.] Verè hoc nouum illud à Hieremia prænunciatum, vt Amedeus homil. 2. de Deip. his verbis annotauit. [Vide homo, & obstupesce ad tantam nouitatem, cum Hieremias dicat, *Nouum faciet Dominus super terram, mulier sola circumdabit virum*. Eadem quæ circumdedit, circundata est; circundans carnem, circundata est à spiritu; circundans virum nouum; circundata est ab homine nouo, circundans, & generans, circundata & regenerata; generans in forma humanitatis, regenerata in forma natiuitatis.]

Per conceptionem, Virgo Dei Mater, & qua sua ætate.

12 PRæstat denique, Beatæ Virgini ea hac conceptione, eminentissimum maternitatis titulum gratulari. Nam conceptione factam Dei matrem agnouit Elisabetha, & desponsatam necdum puerperam Matthæus capite 1. vocat *matrem eius*. [Cuius eius? (ait Orig. homil. 5. in diuers.) Dei vnigeniti Domini, & Regis omnium, plasmatoris & creatoris cunctorum. Illius qui in excelsis sine matre, & in terra sine patre. Ipsius qui in cœlis secundum Deitatē in sinu est Patris & in terris secundū susceptionem, in sinu est matris. O magnæ admirationis gratia. O inenarrabilis suauitas. O ineffabile magnumque Sacramentum. Ipsa eademque Virgo, ipsa, & mater Domini, ipsa & genitrix, ipsa eius ancilla plasmatio eius, ipsa quæ genuit. Quis vnquam ista audiuit, quis vidit talia? quis cogitare potuit, vt mater Virgo esset, & intacta generaret, quæ & virgo permansit, & genuit? Sicut enim quodam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat: & sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis, vel quemadmodùm Danieli intra locum leonum incluso, claustris non apertis allatum est prandium ab Abacuc: ita & hæc Virgo sancta genuit Deum, sed intacta permansit, mater effecta est, sed Virginitatem non amisit: genuit infantem, & vt dictum est, virgo permansit. Virgo ergo genuit, & Virgo permansit. Mater Filij facta est, & castitatis sigillum non perdidit. Quare? quia non homo iste tantum qui videbatur, sed vnigenitus erat Deus qui in carne aduenerat.

Videri poterit contra adeò apertam veritatem sensisse Petrus Chrysologus s. 142. vbi expendens illud Angeli ad B. Virginem, *Ecce concipies, & paries filium*; ait [*Non dixit tibi, non dixit tuum.* Quare? quia sanctum vocabitur filius Dei.] Et paulo post, auctam per conceptum, & partum Virginitatem matris præstatus, addit [Monita ergo per Angelum Virgo, ne præsumas hunc vocare filium tuum; sed mox vt genueris, inuoca Saluatorem, quia Virginitas non sibi parit filium, sed parit pignus authoris; & integritas suum gestat Dominum, non alumnum.] Quod si B. Virgo non potest vocare Christum filium suum, ergo ipsa non est Christi mater, neque enim verè concepit. Dicendum tamen est verò B. Virginem potuisse Christum vocare filium, sicut reipsa vocauit cum dixit. *Fili quid fecisti nobis sic?* Et ipse Christus, se eius filium dixit alloquens illam de Cruce. Estque id adeò perspicuum, vt ambigere non liceat, quin id agnouerit Chrysologus, neque Ecclesiæ, & Patribus id vno ore confirmantibus repugnare cogitauerit. Mens igitur Chrysologi tantùm fuit, hunc fœtum non esse conceptum ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, aut viri; id est interprete B. Augustino, ex corporeo commercio maris, ac fœminæ, cum naufragio pudoris: sed formatum esse, obumbrante Spiritu sancto, absque vllo carnalis concupiscentiæ incendio, ad totius humani generis restitutionem in integrum, & non ad solius matris delicias, & oblectationem. Quod autem verè & propriè, Christus sit Deiparæ filius, & ipsa verè eius mater, non licet dubitare absque hæresi stabilit ex instituto hanc veritatem Ferrandus in epistola ad Anatolium. *Pars 1. Punctum 5. Christi per Virginem conceptio.*

Hoc esse præcipuū, & summum decus B. Virg. nullis vnquam exequandum laudibus, quod Deum hominem conceperit, veraque eius mater fuerit, rectè pronunciat Emmanuel Palæologus, orat. de dormitione Matris Dei. [Te (inquit) immaculatam vbi Dei matrem appellauerimus, omnia comprehendimus quæcunque ad nectendas laudes spectant. Nam cum multis, iisque amplissimis abundes titulis; qui Dei te matrem dixit, laudationis imposuit coronidem. Hæc enim reuera est summa encomiorum, quæcunque non modò linguæ hominum, sed ipsorum quoque de te proferat Angelorum. Quid enim ad laudem tantum valet quantum asserere, ipsam te Diuinitatis flammam suscepisse vtero, & purissimæ illius lucis supra omnes creaturas compotem factam, nullum tamen inde detrimentum passam? Quid tandem fuerit quod longè inferiùs non sit.] En quāta laus fuerit Deiparæ, dici matrem Dei quod verè de ea dictum, in ipso momento conceptionis Christi. Discrimina varia huius conceptionis, à conceptionibus aliarum mulierum, exhibet Card. Vigerius chorda 2. c. 3.

13 Circa ætatem Virginis cum concepit, tricantur Caietanus, & Catherinus. Ille post Albertum, Deiparam tunc natam esse annos 17. opinatur, vel ad minus 14. saltemque certum esse vult, quod nata esset annos 12. Catharinus libro quarto, contra Caietanum vers. *Nouum quoque* pag. mihi 169. hæc omnia explodit, nec nisi circiter 14. vel 15. annos natam affirmat, cum concepit. Nicolaus Monachus Sancti Albani epistola ad Petrum Cellensem (est noua inter epistolas Cellensis) ex Iuone, ait duodennem Deiparam concepisse. Sententia communior illa est cui Catharinus subscripsit, & multi apud Moralem libro secundo, tract. 4. capite nono, sed benè Richelius libro 1. de Deipara art. 37. post Richard. à S. Laur. libro septimo qui in hanc rem sic philosophatur, lunam cum Virgine componens. [Luna crescit vsque decimum quartum diem, & tunc luna plena apparet, & circa decimum quartum annum, vel 13. Filium Dei creditur Maria concepisse, & tunc apparet in medio lunæ, quo signatur vterus virginalis, quasi imaguncula hominis pendentis, vel quasi rusticus oneratus fasce spinarum. Hic est Christus qui suspensus in patibulo crucis, nostrorum portauit onera peccatorum, sicut dicitur 1. Petr. 2. *Qui peccata nostra pertulit in suo corpore super lignum*, idest, pœnam peccatorum quæ designatur per spinas, Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit.*]

In hac ætate Virginis concipientis, comparata cum ætate Elizabethæ concipientis Baptistam, mysterium obseruat S. Ambros. serm. 63. [Christus (inquit) de adolescentula immaculata deprimitur, iste

iste de vetula iam fessa generetur. Habet ergo, & huius natiuitas aliquid gloriæ atque miraculi. Quãuis enim vilior partus mulieris videatur esse quàm Virginis, tamen sicut Mariam suspicimus quod Virgo peperit, ita in Elizabet miramur quod anicula procreauit. Quod quidem factum, mysterium aliquod arbitror continere, vt Ioannes qui veteris Testamenti figuram gerebat, senis muliérculæ frigidu sanguine nasceretur? Dominus autem qui regni cœlestis Euangelium prædicaret feruentis iuuenculæ flore progrederetur.]

De ipso Christo intra matris viscera hærente per Nominestre, extat perelegans Opusculum omni pietate redundans pugilis fidei strenuissimi; Caroli Spinolæ, vitæ eius subiunctum. De comparatione verò Christi in matris vtero abditi, ad seipsum in sinu Patris latentem, extat lucubratio Antonij Glicl. Ioannes Berchmannus, tenerrimæ in Deiparam pietatis adolescens, commorationem Christi nonimestrem in matris verò, nouies quolibet die recolebat, genua flectendo ad piam versiculi illius pronunciationem, *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.*

Furfures doctrinæ. Ac primum Christi conceptio in corde matris.

14 HActenus quæ solidè circa actiuam Virginis conceptionem huius loci visa sunt propria. Pergo ad furfures. Insignem in hoc puncto heteroclisim de Christo non in Virginis vulua, sed in corde concepto, referre ac refellere memini lib. 3. de Christo sect. 1. cap. 5. Vbi prætensam reuelationem mulierculæ dementatricis Petri Mantuani huius fabulæ patroni, explosi: quippè apertè pugnantem cum Scripturis, quæ Virginem in vtero habituram, disertè tradunt. Vocem porrò *ventris*, ac *vteri*, cuius fructum fore Christum ibidem dicitur, non posse diffundi ad finus cordis, demonstratum est citato loco. Aliam verò fuisse omnibus retrò Doctoribus Catholicis mentem, frustra docerem.

Tantùm monendum est, longè ab hac insulsitate abesse, & Prudentium, & Richardum à S. Laurentio, etiamsi vterque aliquid habeat in speciem affine. Et Prudentius quidem ita canit in carm. contra Homuncionitas *ferè initio.*

Intactam thalami, virtus diuina, puellam
Syncero afflatu per viscera casta maritat:
Incomperta eius nouitas, iubet vt Deus esse,
Credatur Christus sic conditus; innuba Virgo.
Nubit Spiritui, vitium, nec sentit amoris:
Pubertas signata manet, grauis intus, & extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica
Iam mater, sed Virgo tamen, maris inscia mater.
Quid renuis? quid inane caput non credule quassas?
Angelus hoc sancto pronuncias ore; placet ne
Credere & angelicis aurem reserare loquelis?
Ipsa corruscantis monitum sacra Virgo ministri
Credidit, atque ideo concepit credula Christum.
Credentes nam Christus adit, dubitabile pectus
Sub titubante fide, refugo contemnit honore,
Virginitas & prompta fides Christum bibit aluo
Cordis, & intactis condit paritura latebris.

Repræsentant præcisè versus Prudentij, prout à S. Hildefonso recitantur l. de perpet. Virgin. & partu rit. B. Mariæ occisis nonnullis ad fidem Virginis pertinentibus. In his S. Hildephonsus nihil crassmodi subolfecit, quale ij quos excutimus nugones, sunt commenti. Imo valdè ea commendat, tanquam similia aliis quæ ex S. Leone produxerat, & conceptionem Christi in sacris Deiparæ genitalibus, planè ferebant. Videturque prudentiùs, conceptionis Christi locum, designasse per *intactas Virginis latebras.* Quod autem ait, virginem bibisse Christum *aluo cordis*, idipsum est quod S. August. l. de sancta virginit. cap. 3 & alibi sæpè ait, Virginem priùs concepisse Verbum corde, ac mente, quàm corpore. Fides enim qua assensum Angelo nuncianti præbuit & alia fidei viuæ germina, quibus tunc, & anteriùs se aptauerat ad gignendum saluatorem, id illi exorarunt, vt mater Dei fieret. Hoc ergo est, Christum aluo cordis bibisse.

15 Longè item alia, quàm his quos exagitamus nugonibus, mens fuit Richardo à S. Laurentio l. 2. de Deip. particula 2. cum dixit. [Ex corde beatæ Virginis processerunt fides, & consensus, per quæ duo initiata est salus mundi; & ipsum cor eius præ omnibus creaturis dignum inuentum est, exeuntem de corde paterno, primò suscipere vnigenitum Dei; quando scilicet cor Patris eructauit verbum bonum, quod de sinu patris egrediens, in sinum matris Virginis se recepit.] Nec multum dissimiliter Adamus de Perse adductus in Allegoriis Tilmanni, circa illud capitis 24. Ecclesiastici, *quasi oliua speciosa in campis*; ait Christum propter miseram inopum, & gemitum pauperum, venisse de corde Patris in cor Virginis vnde exclamat cum psalte. *Filij hominum vsquequo graui corde*, à corde Virginis elongatis.

Hos authores, nego fauisse commento quod excutimus. Nam Richardus, Virginis Cor Christum recepisse dicit meritoriè. Localiter autem eum suscepit vterus. Vnde addit. [Item in corde ipsius & vtero misericordia, & veritas sibi obuiauerunt, cum diuina iustitia, paci porrigeret osculum salutare.] Et eodẽ modo accipiendus est Adam de Perse. Nam postquam dixit Christum venisse in cor Virginis, addit, [Et in Virginis vtero pauperum gazophylacium collocauit.] Et post illa, *vt quid à corde Virginis elongatis?* Subdit [Intra nostræ Virginis vterum, mirificauit Dominus sanctum suum.] Similiter Ecclesia in quinto responsorio Officij de Circumcis. Dom. cum præmisisset illa verba quæ videri possent insulsitati quam exagitamus patrocinari, *Confirmatum est cor Virginis, in quo diuina mysteria Angelo nunciante concepit*, continenter subdit, quæ verum locum concepti physicè Christi in corde meritoriè, dispositiuè præconcepti, repræsentent. *Tunc speciosum forma præ filiis hominum, castis suscepit visceribus.* Iis vtique castis visceribus quæ in hymno eiusdẽ festi ad laudes, sic proponit Eadem Eccles.

Casta parentis viscera,
Cælestis intrat gratia,
Venter puellæ baiulat,
Secreta quæ non nouerat.

Item formatio Christi ex sanguine cordis,

16 ALij tametsi Christum in vtero, ac propriè dicto matris vtero, id est in vulua conceptum, non sunt inficiati; tamen vt aliquid nouum proferrent, vnde decus virginei conceptus attollerent; dixerunt, Christum non esse formatum ex quocunque matris sanguine, sed ex sanguine cordis. Ita Pelbartus l. 1. stellarij parte 7. art. 7. cap. 1. & Author Margaritæ Euangelicæ l. 1. c. 4. post Ioannem Nider serm. de Annunc. qui profecit ea Alberto super *Missus* ad illud *Dominus tecum*: additque reuelationem factam cuidam religiosu simplici, sed magnæ pietatis.

pietatis, qui à B. Virgine responsum accepit, se cum turbata esset in sermone Angeli, plurimum sanguinē (vt in turbationibus assolet) ad cordis munimentum cutulisse naturaliter: post modùm verò, præstito assensu legationi Angelicæ, Christum formatum esse ex purissimis illius sanguinis guttis: Idque à Deo statutum ad eum modum fuisse, vt Christus plus à matre amaretur, & auctius illi accederet meritum, astando patiendi filio. Ita DD. prædicti, & subscribit Celada inIoditha figurata num 56.

Sed profectò valde inaniter. Nam quid conducere poterat ad maiorem matris amorem erga filium, quod sanguis ex quo filius formaretur, esset ex corde haustus, vel aliunde, cum quilibet sanguis, (si quidem sanguis est,) eiusdem sit naturæ, nec B. Virgo seclusa reuelatione nosse posset, vnde petitus esset sanguis è quo filium conceperat? Deinde sanguis qui appellit ad muniendum cor, est sanguis (vt sic dicam) spirituosus, id est iam elaboratus in spiritus, vnde institium in sensoriis interueniente lypothymia. At huiusmodi sanguis, ob subtilitatem nimiam est ineptissimus ad compactionem humani corporis, cum ij ipsi in quorum confectione spiritus paulo plus abundarunt ignei planè videantur, & vi illius materiæ euadant irrequieti, & turbulentissimi genij, quem absit vt Christo tribuamus. Quam ergo ineptius est, ex ea duntaxat materia Christum compingere; Quid quod turbatio Virginis, resedit aliquanto ante Christi conceptionem, nempè durante reliquo colloquio, & mysterij expositione per Angelum, interimque Spiritus refluxerunt ad arterias, vt non potuerint proinde ibi colligi, & spissari in guttas, quod etiā contra naturam spirituum fieret? Tandem vt maternitas B. Virginis sit salua, non sufficit Christum ex quacunque eius materia formari; alioqui Adam dicendus esset mater Euæ. Necesse ergo est, Christum esse cōpactum ex materia aptata interuentu facultatis generatiuæ, (qualem vera mater habet) & per eam facultatem disposita ad susceptionem animæ humanæ. At sanguis spirituosus, (& idem est de alio quocunque sanguine, ad cor siue alendum, siue muniendum affluente, non est huiusmodi. Igitur ridiculè, ad Christi compactionem assignatur ea materia, tanquam magis honorifica Christo, & Deip. illam subministrante.

Nec non generatio per ardorem materna charitatis.

CVm proposita Christi generatione in matris corde, & ex materia in corde fabrefacta; connexionem nonnullam habet, quod nuper præstans Theologus de materna Deip. efficientia in Christi conceptionem, vulgauit l. 3. Institut. Theol. d. 2. c. 4. monstrans, B. Virginem ex parte sua effecisse Christi conceptionem per ardentē actum charitatis. In quam rem supponit, generationem qua B. Virgo dedit esse Christo, nec creasse animam Christi, nec mutasse quoquomodo Verbi hypostasim; sed pro termino per se, & non per accidens, habuisse Filij Dei, ac Verbi hypostasim: accepit enim Virgo energiam diuinam omnino, quæ ex se, ac suo essentiali ordine terminabatur ad gignendum Dei filium, & ad attingendam vnionem humanitatis cum hypostasi Verbi. Et quia in conceptione Christi nullæ interuenerunt partes viri fœcundantis matrem Spiritus sanctus in eo opere assistens Virgini, suppleuit quod ei deerat ad eliciendam operationem illam diuinam gignendi Deum, & copulandi Verbo corpus in eius vtero organizatum, inditamque aptato sic corpori, animam. Audiuit ergo Virginem Spiritus sanctus, vt suo ipsa consensu, sanguines purissimos, ex venis in quibus seruabātur, dimitteret in locum maternū vbi corpus Christi formandum erat, & à Verbo hypostaticè assumendum: & vt ex iis quos habebat sanguinibus, quos intra venas suas habebat, ipsamet deliberatè, ac pro arbitrio ob lucem à Spiritu sancto cō municatam secerneret primùm partem ad corporis Christi compactionem, itemque partem pro eodem fœtu nutriendo, & augendo intra vterum; partē etiam seruaret in lac commutandam, eidem iam nato in cibum cessuram. Præstitit præterea Spiritus S. Virg. concipienti, obumbrationem simul, & lucem, iuxta Richardum Victorinum l. 2. de Emman. c. 27. lumen quidem, ad depellendam ignorantiam, & vt sciret quem, ac quomodò conciperet, & siue clarè tunc diuinitatem viderit, siue non viderit, tamen distinctè intellexerit, & per quosdam effectus proprios Christi senserit Verbum in se suaque carne, & vtero habitans. Vmbram verò, ad remouendam speciali protectione omnem titillationem libidinis, & obstandum ne quis sensus carnalis voluptatis exsurgeret. Nam in matris concipientis actione, & concursu, potiores partes sunt caloris vitalis quo sanguis æstuat; & vel pellitur vel trahitur ad partes formando embryoni destinatas, ac vt par est, distribuitur. In quibus actibus, naturaliter rem spectando, caro cōmouetur; quod ne hic contingeret, sed vt omnia purissimè, ac nitentissimè peragerentur, præstitit speciali interuentu Spiritus S. qui idcirco dictus est Virgini obumbrasse. Ipsa porrò ad caloris vitalis munera prædicta obituri excitationem, non à solo Spiritu S. immediatè mota est, sed etiam mediante actu ardentissimæ charitatis, quo intelligens ad quid à Deo destinaretur flagrauit æstuoso desiderio procurandæ Dei gloriæ, per Christi ex seipsa cōceptionē pro salute hominū, & in id se obtulit affectu amoris, ac obedientię singularissimo. Operationes itaque illæ corporeę quas ad Christi cōceptū interuenisse diximus ex parte matris, (illæ ipsæ inquā quas alię matres ad suorum fœtuum formationē conferunt,) vi & impetu prædicti ardentissimi actus charitatis à B. Virgine tunc eliciti, sunt obitæ. Est enim connaturalis connexio inter facultates hominis intellectuales & corporeas, vt superioribus illis intellectualibus (præsertim efficacibus, ac vehementibus) redūdet per simpathiam in partes corporeas corpusque ipsum affectio quæpiam atque immutatio. Vnde vi voluntatis in B. Virg. flagrantis charitate, potuit in eius corde excitari ardor qui calorē vitalem commoueret, & ad operationes corporeas superius recensitas applicaret, è quibus extitit Christus Deus homo; longè aliter filius B. Mariæ, quā Ioan. fuerit filius Elisab. Nā hęc non erat mater, nisi talis in indiuiduo hominis, ac suppositi, cui per accidēs adiūgebatur munus præcursoris reliquis Bapt. supernat. ornamentis conuestitum At B. Virgo per se genuit humanitatē Christi, vt vnitatē personæ Verbi, quā vnionē connaturaliter affectatæ sunt dotes sanctitatis Christo uehitæ. Ac proinde, quāuis Elizab. nihil influxerit in supernat. ornamenta Ioann. atque adeò non fuerit mater præcursoris vt sic spectati: Tamen B. Virgo, ex illo effato, dans esse dat consequentia ad esse, & generans vera, largitur eidē proprietates cōsentaneas; sicut Christū Deū hominē genuit, eiusque actio generatiua terminata est ad verbi hypostasim; sic per se fuit mater Christi, vt habentis gratiā capitis, & Saluatoris, ac Redemptoris generis humani, ei supposito in tali humanitate cōnat.

Hæc doctrina de concursu B. Virg. in Christi conceptionē, non planè arridet. Ac primū minùs placet quod maternitas Dei in B. Virg. & Dei per eam generatio, inde pręsertim stabiliatur quod actio generatiua B. Virg. habuerit per se respectū ad personam Verbi. Quāuis enim non est improbabile, quod B. Virgo diuinitùs assumpta sit ad coëfficiendū modum vnionis hypo-

Part I. punctum 5. Christi per Virginem conceptio.

hypostaticæ, vt tract. est l. 3. de Christo s. 2. c. 4. tamen ea assertio non est admodū certa, nec doctrina de B. Virg. verè Dei matre arctanda est ad incertum illius assertionis: sed statuendū est, B. Virg. verè, ac propriè dictá esse Dei matrē, quia eius concursus in Christi conceptionem, terminatus ad formationem corporis Christi eiusdēque corporis coniunctionē cum sua anima, præsupposuit prius natura factam copulationem, & corporis & animæ Christi cum Verbo: ita vt eo ipso hæc mulier verè dicta sit mater Dei, quia eodem momento quo corpus est perfectè aptatum ad excipiendam animam, & anima corpori illi consertа est per creationem, & corpus, & anima prius natura quàm inter se vincularentur vnione naturali vnita sint cum hypostasi Verbi Dei: quandoquidem, & corpus & anima priusquàm inter se coniungerentur, debuerunt habere esse plenum, & integrum, quia prius est esse complete in se quàm iungi alteri: complectio autem illa in esse corporis, & animæ, collata est per subsistentiam eorum, quæ fuit diuina Filij Dei subsistentia. Atque ita mulier concursum suum exhibens ad physicum nexum corporis, & animæ ex quo exititit homo ille, eo ipso fuit Dei mater, quia ille homo ob suppositationem personalem suarum partium substantialium per Verbum Deum, simul Deus erat, & non homo purus. Hæc est germanissima ratio exponendi maternitatem Dei in B. Virgine. Quod autem eius actio materna, terminata sit per se, ac directè ad Verbi personam; (vtique per affectionem vinculi modalis humanitatem cum Verbo nectentis; quo enim alio modo?) admodùm incertum est, & extraneum maternitati diuinæ quæ optimè intelligitur absque ea vnionis hypostaticæ effectione. Itaque doctrina quam excussimus inde inprimis minùs placet, quod nitatur sententiæ satis incertæ effectione vnionis hypostaticę per B. Virginem.

Deinde non placet in eadem doctrina; quod B. Virgo cum obtigit ei maternitas, dicatur suo arbitrio secreuisse partes sanguinis sui, & delegisse ipsamet, has quidem in compactionē primam corporis Christi, illas verò in corporis iam formati nutrimentum, & augmentum; alias item in lactationem Christi post natiuitatem; Cur hæc ponantur in arbitrio B. Virginis, & quod sit fundamentum hoc plus tribuendi B. Virgini circa Christum, quàm aliis mulieribus circa fœtus suos, equidem non video. Nam ex omnibus siue Scripturæ, siue Patrum testimoniis, siue rationibus quæ in hanc rem adduci possunt, tantum habetur B. Virginem fuisse verè, ac propriè matrem Christi cæteræ matres dicuntur propriè matres filiorum quos gignunt. At ad eam propriè dictam maternitatem vulgarium mulierum nulla talis secretio partium sanguinis sui earum arbitrio permissa requiritur. Ex quo igitur fundamento eam vendicamus B. Virgini dicatur mater Dei. Præsertim verò mirabilis apparet illa sollicitudo, prospiciendi tanto ante, materiæ lactis quo Christus cum natus foret cibandus esset. Quidni enim potuerit Christus natus lactari sanguine Deiparæ exorto in ea post Christi conceptionem? Nam per totum Nonimestre ante Christi natiuitatem, & nato iam Christo B. Virgo ex cibis quos assumebat conficiebat nouum sanguinem, è quo in lac commutato, potuit Christus lactari, & non ex eo duntaxat qui præfuerit in B. Virgine in momento Incarnat. & ab ipsa ad Christi lactationē iam tunc sit delectus.

Tandem ardentissimum actum charitatis in B Virgine, & sub conceptionem, & in conceptione interuenisse, lubens agnosco. Sed quod is actus per sympathiam excitauerit calorem vitalem ad actionem generatiuam, minùs gratè audio: sic enim minùs consulerent puritati suæ, qui eniterentur erumpere in flagrantes actus charitatis; quia is æstus partis superioris, inflammaret notam natiuitatis nostræ, & succenderet Babylonicam fornacem nobis innatam, vt loquitur creditus Cyprianus serm. de Circunc. nec Spiritus sanctus se obstrinxit ad faciendum in quibuslibet, ventum roris flantem, etiam si speciali protectione id contulerit B. Virgini, ex promisso de ea obombranda, per Gabrielem denunciato. Neque verò actus supernaturalis qui per vires naturæ non elicitur, emouet per sympathiam vires inferiores. Itaque coeffectio B. Virg. cum Spiritu sancto ad Christum concipiendum, merè concomitanter, & per accidens se habuit ad actum amoris Dei quem (vt verisimile est) B. Virgo tunc elicuit, absque vlla per talem amorem inflammatione corporis Virginei, & sanguinis in eo corpore contenti motione, ac dispertione. Beatam porrò Virginem, plus fuisse per se matrem filij sui, quàm Elizabetha fuerit mater Ioannis, (ut postremò asserebatur ab authore cuius doctrinam expēdimus, non admitto; nec ratio est obscura, sed ex ante dictis per se liquet. Esto, (quod vnum fortè voluit is cum quo agimus,) attributa Christi connaturaliter consecuta sint eius esse Theandricum: supernaturalia autem attributa Ioannis, non item ad naturale eius esse ad quod Elisabethæ actio terminata est, siue connaturaliter consecuta.

Præterea positio Christi definitiua in matris vtero.

17 MAnifesta item heteroclisis est, qua Mayro. in 3. d. 4. q. vnica art. 6. statuit Christum in vtero B. Virginis habuisse quidem ordinem partium in toto; sed caruisse ordine partium in loco, nec aliter se habuisse in vtero, quàm nunc se habeat in Eucharistia, vbi caret extensione situali, etiamsi habet totam suam quantitatem internam: ex quo effici putat Mayro, potuisse Christū absque nouo miraculo, exire è materni vteri latebris, saluo matris pudore, & illæsa eius integritate: quia corpus quod non est nisi definitiuè non excludit è loco suo alterum corpus, quantumuis circumscriptiuè locatū. Et est id quoque Christo perhonorificum, cui in illis maternis latebris, nihil plus incommodi, à quibusuis loci, aut quorumuis adiunctorum indignitate metuendum sit quàm nunc Christo in Eucharistia, à putulentia stomachi in quo excipitur: quandoquidem ad positionem definitiuam, nihil ei officere possunt omnia materialia, quæ non agunt nisi in rem extensam.

Verùm hic modus sentiendi, vndecunque tinnas agit. Nam inprimis falsum prorsus est, Christū fuisse in vtero matris definitiuè: alioqui non potuisset vllā vegetationem, aut sensationem exercere absque miraculo perpetuo: quia corpus definitiuè locatum nullius materialis, ac extensæ actionis est capax. Itaque Mayro. dum ierat vni miraculo parcere, & penetrationem in exitu è matris visceribus admittendam declinare, inducit miracula permulta per totum nonimestre continuata. Quod autem respondet Mayro, hoc esse relinquendum diuinæ admirationi, adeò insulsum est, vt refelli non debeat. Deinde vt benè argumentatur contra hunc dicendi modum Rubionius, in 3. d. 4. q. 1. art. 3. *ad finem*, hæc philosophandi ratio euertit veritatem partus Virg. Nam vt B Virgo dicatur verè peperisse Christum; necesse est, vt eum actu aliquo virtutis suæ expultricis foras extruserit. At corpus definitiuè positum, non potest naturaliter moueri à motore corporeo, nisi per accidens ob adhæsionem cum corpore locato circumscriptiuè, sicut Christus mouetur ad motū rectum quantitatis specierum, non per emissionē motus immediatè factā corpori Christi ab agente corporeo, V. G. à sacerdote, sed per diuinā effectionem, vt salua sit veritas verborum Christi quæ poscit, vt quandiù hæ species perseuerabunt, Christus iis subsit. Anima quidem rationalis, tametsi defini-

definitiuè constitura in corpore, mouetur effectiuè ab eo ipso motore corporeò, qui trahit corpus cui anima vinculatur. Nam cohæsio physica animæ cum corpore, facit vt per consecutionem quandam, impressio motus in corpore facta, tametsi ea sola subiecti necessitate spiritualis, efficiatur ab agente corporeo. Ea tamen cohæsio physica, inter Christum quatenus partu propellendum, (quod dico propter neruum vmbilicarem,) & Deiparam; nulla erat: itaque non potuisset Deipara, Christum definitiuè intra ipsam constitutum, propellere; atque adeo neque parere, quod constat salua veritate Euangelica dici non posse.

18 Admittamus ergo Christum fuisse circumscriptiuè in vtero matris, quamuis per penetrationem exierit inde, illæsa matris integritate; nec eius gloriam captemus iis rationibus quas ipse non admittit; titulo scilicet impassibilitatis in materno vtero, consecuturæ passionem definitiuam corporis Christi in eo loco. Non enim est speciosa laus, quæ in errore fundatur. At ea positio, *corpus Christi in matris vtero fuisse de facto impassibile*, sordet errore. Neque tamen reiiciendam censeo, eam analogiam Eucharistiæ & Christi materno vtero conclusi; sed eam accipi volo, ea ratione, quam Clyctouæus serm. de Visitatione B. Virginis, & Salazarius in c. 9. Prouerb. n. 152. inioerunt. Nempe quod sicut in Eucharistia Christus tegitur speciebus, & sic contectus colitur, ita Christus materno vtero contectus, ab exiliente intra materna viscera Ioanne, & à circumstantibus B. Virginis vterum plusquam sexaginta fortibus, benè multis inquam sanctis spiritibus Angelicis, honoraretur. Alia præterea in eam rem considerati possunt, quæ erudite demore ex variis Patribus illustrat Turrianus l. 1. de Eucharistia c. 17. considerans mysterij Incarnationis, & Eucharistiæ parallela. Quoad modum tamen essendi Christi intra vterum matris, & sub speciebus panis & vini non est quærenda proportio, quæ reuera non intercedit.

An inter inania in hac parte Virginis decora, numerandum, quod sanguine menstruo caruerit. Quibus visa caruisse, & quare.

IVxta Abulensem in cap. 12. Leuit. q. 19. insignis in hoc puncto est, heteroclisis eorum qui specie honoris in Deiparam, negarunt fuisse in ea sanguinem menstruũ, cum tamen de communi Philosophorum & Medicorum sententia, fœtus humanus ea eo sanguine compingatur, qua ex parte materia fœtus à matre suppeditanda, sanguine pressè accepto continetur. Hoc punctum accuratè euoluendum censeo.

19 Ea vna ergo parte Consilia & Patres videntur à Deipara ablegare eam materiam corporis Christi, cum dicant Christi corpus esse constructum ex purissimis Deiparæ sanguinibus; cuius modi certè non est sanguis menstruus, cuius impuritatem monstrat summa eius virulentia, de qua Plinius l. 7. c. 15. verbis quæ adscribere libuit, vt constet an debeat hæc materia à mundissimo Virginis corpore, ablegari. [Nihil (inquit) facilè reperiatur mulierum profluuio magis mōstrificum. Acescunt superuentu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina & fructus arborum quibus insedere, decidunt; speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri præstringitur, eborisque nitor, alues apum emoriuntur: æs etiam, ac ferrum rubigo protinùs corripit, odorque dirus aëra: & in rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus inficitur. Quin & bituminum sequax alioquin, ac lenta natura, in lacu Iudeæ (qui vocatur Asphaltites,) certo tempore anni supernatans, nequit sibi auelli, ad omnem contactum adhærens, præterquam filo quod tale virus infecerit. Etiam formicis, animali minimo, inesse sensum eius ferunt: abiicique gustatas fruges, nec postea repeti. Et hoc tale tantumque omnibus tricenis diebus malum in muliere existit, & trimestri spatio largius.] Monstrat quoque fœditatem teterrimam huius materiæ; exortus variolarum (vt vocant) quibus mos est infici tenellam ætatem, & quandoque etiam grandiorem. Vix enim est, cui vel puero, vel ætate prouectiori, non debeant membra expurgari, eiectione impuri humoris quo sanguis menstruus, vnde communiter infantium corpora compinguntur, inquinatus est: quasi contingat humano corpori perinde, ac vino in doliis, quod ebulliendo defæcatur. Quàm ergo Christus infans ab omni morbo, atque adeò etiam à variolis alienus fuit, tam certum videtur, materiam sanguineam à matre suppeditatam ad formandum corpus eius, non fuisse qualem ab aliis matribus suppeditari tradunt hoc est sanguinem menstruum.

Pars I. punctum 5. Christi per Virginem conceptio.

so Fuerunt in hac sententia aliqui, ac vt minimũm Georgius Nicomed. orat. 7. negans, vllas vnquam sordes naturales in Virginis mundissimo corpore esse deprehensas; clariùs quod hic quærimus, tradiderunt aliqui apud Abulens. postea adducendum, & cum stomacho Catharinus contra Caiet. Galat. l. 7. c. 10. Fernandius in c. 18. Genes. sect. 1. n. 10. Tolet. in c. 2. Lucæ annot. 35. Franc. Lucas in capite secundo, Lucæ ad vers. 22. ac Poza l. 3. tract. 12. c. 2. Et quidem Toletus, inde confirmat hunc sanguinem Virgini defuisse, quia & ante filij conceptionem, & post eum ea Spiritu sancto conceptum, purissima semper fuit: & cum fomite, ac carnis rebellione semper caruerit, menstruas item fluxiones, quæ à potentia generatiua excitantur, diuino priuilegio non habuit. Admittit quidem Toletus, naturale esse cum fœtus est in vtero, affluere illhuc sanguinem ad eius nutritionem: sed extra id tempus pati menstrua, effectus est, pœna peccati, vt disertè habet Rupertus l. 3. in Genes. c. 22. vnde non habuisset locum in statu innocentiæ. Ac proinde non habuit locum in Virgine, non ea morbositate, vt in quibusdam fœminis contingit; nec ea caloris debilitate, vt in nimis teneris & nondum nubilibus, nimirum ante annum vix duodecimum; vel in senibus, id est post annum 50. quæ est regulariter meta qua desinunt fieri muliebra, vt disserit Abulens. in c. 12. Leuit. q. 19. Non igitur ex iis causis, Virgini non accidit secundùm consuetudinem fœminarum, sed ex diuina quadam gratia, & speciali priuilegio, vt cœleste illud vas Christo excipiendo destinatum omnis immunditiæ quamuis formaliter non malæ, expers esset. Vix alia pro hac parte adducit Poza, tametsi in senarium rationum, ista dispecit. Tantùm vrget præterea, carentiam effluxus cuiusuis sanguinei in partu Virginis, vt disertè habetur apud Authorem libri de oper. Card. serm. de Natiu. Item defectum materiæ seminalis in plerisque viris; hoc naturæ commune vitium quos ciborum temperato vsu emendantibus, quasi peculiari Dei beneficio effugientibus, cum tamen non minùs naturalis, & necessaria videatur seminis confectio in viris, quàm in fœminis, collectio & expulsio menstrui sanguinis. Itaque pura fuit Virgo ab omni huiusmodi illuuie, & ægritudine fœminei sexus: sic enim de medicorũ sententia, menstruum fluxum nominat supra, Fernandius.

Qui non caruisse censuerint, & quo fundamento.

21 CONtrariam sententiam tradit Abulensis in c. 12. Leuit. à q. 7. contendens fuisse in Deipara sanguinem menstruum, qui est residuum alimenti in fœminis, & per virtutem generatiuam magis digeritur, eoque naturaliter appellit, vbi procreatur fœtus: siue fiat eius procreatio & generatio, siue non fiat, postquā enim per suctum venarū spermaticarū ex orificiis vasorum, & ex partibus in quibus abundabat; attractum est, elaboratur atque perficitur magis, & accedente viri contractu, aliterue irritata libidine, deciditur cum voluptate, confluitque in aulam seminum, vt vocat S. Ambros. Libido ergo eiusque sensus, planè defuit B. Virgini concipienti: sed Spiritus sanctus qui Virgini obumbrauit. virile officium suppleuit, sanguinem formando Christo necessarium, absque Virginia titillatione, & sensu voluptatio, qui in momento quo ea sanguinis collectio facta est esse non poterat, proliciuit ad vterum, vt Christus formaretur. Hæc ergo cum sit materia præcipua ad compingendum fœtum, profectò si talis materia denegetur B. Virgini; negandum erit eam fuisse verè Christi matrem, eo proprio, ac germano modo quo aliæ mulieres, sunt liberorum suorum matres. Nam sicut si Christus fuisse productus è carnibus, vel ossibus B Mariæ, adimeretur ei maternitas, quæ supponit productionem prolis ea materia per virtutem generatiuam matris disposita, & præparata, vt fit aptum animæ conceptaculum; vnde Adam non fuit mater Euæ, tametsi Eua eius costa sit constructa. Ita si Christus esset productus ex alia materia B. Virginis, V. G. ex sanguine venali non esset dicendus eius filius.

Nec dici potest, Isaacum productum esse ea alia materia quàm sanguinis menstrui, quandoquidem deficerant Saræ fieri muliebria; & tamen Isaacum fuisse verè & propriè filium Saræ. Hoc inquam nequit vrgeri, contra prædictum argumentum: quia quamuis desiissent fieri Saræ muliebria, naturaliter non fieret amplius in ea digestio illa sanguinis, quæ ad fœtus formationem necessaria est ea parte matris; tamen vegetante Deo vim naturalem, id ipsum in Sara factum est ante prolis conceptionem, quod naturaliter contingit in aliis. Itaque primum illud argumentum Abulensis, est satis validum. Confirmatúrque ex eo quod si Christus esset compactus ex alia materia, puta ex sanguine venali, illhuc diuinitùs adnnato vbi formatur naturaliter fœtus, fatendum esset, Christum fuisse compactum ea materia impuriore, minúsque digesta, quā sit ea ex qua compinguntur cæteri pueri: quandoquidem, vltima perfectio sanguinis ex alimento proximo residui, confertur sanguini quando est in statu menstrui sanguinis. Itaque vt Christus ea eadem materia qua cæteri, compingi statuatur, & fratribus per omnia assimiletur, ne miracula sine causa multiplicentur; fatendum est Christum ex menstruo matris sanguine formatum esse.

Vix plus aliquid boni succi quis eliciat, ex tredecim illis rationibus quas Abul. in c. 12. Leuit. q. 7. intentat aduersus oppositam sententiam; in quam etiā validè conclamat q. 19. dicens eam esse insanā, & honorare Deip. per mendacium, statuendo eam alienam à natura humana; ita vt facilè fieri possit, vt progrediente licentia fingendi immunitates à naturalibus passionibus in Deip. consequatur, eam nec Christi propriè matrem, nec verè mulierē, esse agnoscendam.

Resolutio, sub distinctione, qua eadem materna Christi, aliorum fœtuum humanorum, materia admittitur, menstrua illuuies à Virgine ablegatur.

22 MIhi hæc lis videtur componi ex parte posse, si dicamus B. Virginem fuisse quidem semper mundam, & liberam ab omni illuuie impura, & ideo non esse passam, quod secundum consuetudinem fœminarum patiuntur aliæ. Et tamen corpus Christi formatum ea eadem planè materia sanguinis elaborati, ex quo formantur aliorum fœtuum corpora. Hoc secundum videtur perspicuum. Nam fœtus humani non formantur ex illo sanguine impuro qui excernitur menstruis periodis in fœminis; & cum aliquandiù supprimitur, partim cunctatione illa acescens, & virulentiam contrahens, partim admistione aliorum humorum corruptorum in sentina illa locorum muliebrium, ad insignem vsque malignitatem deprauatur. Sed formantur ex puro sanguine, cuius reliquiæ, ac fœces sunt, quæ excernuntur menstruis periodis. Hac ratione dabimus primæ sententiæ quod intendit: nempè defuisse B. Virgini illuuiem illam deprauatorum humorum, quæ menstruatas dehonestat: nec refragabitur secunda sententia, quæ tantùm eandem Christi, & cæterorum fœtuū materiam deposci, vt B. Virgo sit vniuocè mater cum aliis. Certè Abulensis, qui secundam illam opinionem tanto studio stabilit, apertè quæst. 11. *sub finem*, ait fœtum non formari ex sanguine menstruo excrementitio, quamuis hic solus simpliciter soleat dici sanguis menstruus; sed formari ex eo sanguine à quo plenè purgato & defœcato separatur sanguis menstruus, qui effunditur. Nam ob eam cum menstruo purgamento prædicto coniunctionem excretioni præuiam, nomine quoque menstrui sanguinis donatur, tametsi iam purus, & mundus, ea quo etiam aliter fœtus, dulcissimum postulans alimentum, & lac quoque conficitur. Ex hoc ergo sanguine puro Deiparæ, qui in aliis fœminis habet reliquias menstrua periodo excernendas, formatum esse lactatum corpus Christi, affirmat Abulensis, ex illo alio qui excernitur. Et quoad hoc, subscribo Abulensi.

23 Est alterum punctum in sententia Abulensis, de quo potest esse magis anceps quæstio. Nam Abulensis quæstione 12. & 14. contendit locum habuisse in Deipara sanguinem illum qui excernitur, æquè, ac alia natururalia purgàmenta ex reliquiis cibi & potus. Cum enim B. Virgo, non sit priuanda ea naturali perfectione digerendi, & aptandi vltimò sanguinem, vt sit idonea, & proxima fœtus materia: omnis autem digestio, & defœcatio continent secretionem puri ab impuro, manifestum est, sanguinem Virginis ad venas spermaticas deuectum naturaliter, ibique virtute naturali depuratum, debuisse seiungi à materia admixta minùs pura, quæ post defœcationem, & separationē à materia puriore excerneretur naturaliter, ne suppressa deprauaretur, & ea inferret incommoda quæ cæteras mulieres pessimè afficiunt. Ita ratiocinatur Abulensis, qui non plus agnoscit impuritatis ex hac menstrua excretione, quàm ex quotidiana stercorum & vrinæ emissione, nec admittit eam esse pœnā peccari, saltē quoad causam & originē suam; quamuis posset censeri pœnalitas, quæ per gratiā indebitā præpedita fuisset in statu innocentiæ, nunc autē non impeditur. Sicut necessitas moriendi quæ naturalis est, appellatur pœna peccati,

siue

sitæ pœnalitas; quam Christus ipse, atque adeò etiam Deipara, non refugit. Quidni ergo Deipara illi quoque alij pœnalitati mulierum propriæ, tametsi innoxia subiacuerit;

In hoc altero puncto, dum resolutionem Abulensis posse videri magis ancipitem, nec deest via præstandi Deiparam hac labe puram. Cum enim sanguis Deiparæ esset ex se valdè purus perpaucas habebat adiunctas excrementitias partes secernendas: vnde earum resolutio facilè poterat per poros, siuè per transpirationem, aliterue quàm solito mulierum humoribus scatentium more perfici; sicut fiebat in ea excretio sanguinis puri per venas spermaticas elaborati, cum non esset vsui ad conceptum nouum. Et sicut fit excretio seminis naturaliter formati, in perfectis plerisque viris; ne de Christo ipso, hoc exemplum cum verecundiæ dispendio vrgeam. Itaque quoad partem quæ nitori Deiparæ magis fauet, haud grauatè subscribo alteri sententiæ, deserto Abulensi: cum quo propterea, litteræ quæ illi cum aliis authoribus erat, ex parte tantum componendam recepi, sicque cano receptui.

An, & quatenus percipiatur Virginis caro in Eucharistia.

24 NOn est omittendum vnum, & alterum eximium ornamentum B. Virginis, & pietatis erga illam insigne specimen, quorum vnum nuperus quidam scriptor Gerratum omnium pietatis strenuus aceruator, expressit cap. 3. Operis deuotione 8. Professus enim ex Christi per Virginem conceptione, monstrare haud suppositias B. Virginis reliquias assumit corpus Christi quod in Eucharistia exhibetur, [originaliter compactum esse ex pretiosa carne (appendo ipsas eius voces) & sanguine B. Virginis tanquam ex totali materia: quæ prima & originaria substantia intra Saluatorem numquam perit, sed semper homini immanet. Itaque Christus etiamnum retinet substantiam totam quam accepit in sua prima formatione: quæ substantia cum à sola B. Virgine esset subministrata, habemus manifestè in Eucharistia, carnem quæ fuit caro B. Virginis. Quâ ratione accipi potest illud D. Augustini serm. de Assumpt [caro Christi, caro Mariæ.] Quid verò clarius quàm quod ait in Psalm. 98. [De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem Mariæ, nobis manducandam ad salutem dedit.] in eadem sententia est Celada in Iudith figurata à num. 87. qui valdè vrget illud Petri Damiani serm. 45. Illud corpus Christi quod Beatissima Virgo genuit, quod gremio fouit, quod in fasciis cinxit, quod materna cura nutriuit; illud inquam absque vlla dubietate non aliud, nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in Sacramentum nostræ redemptioni haurimus. Hoc catholica fides habet; hoc sancta Ecclesia fideliter docet.] Exclamat Author prædictus. *Quid luculentius ad hanc rem?* Cui subscribit Fortunius Licetus tomo 2. de quæsitis per epistolam cap. 37. Itaque ipsissima caro B. Virg. adoratur quotidie supremo cultu in templis, & immolatur Deo in sacrificium suauissimi odoris Domino: fasque est refundere in B. Virg. quidquid de Eucharistia, & ibi reapse existente Christo, profertur: quo quid Virgini gloriosius? Quid nobis ad fouendã pietatẽ, cum erga Eucharistiam, tum erga Deip. opportunius? Possumus ergo cuique communicanti cum Fulb. epist. 1. dicere, [Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera cha-

Pars 1. Punctum 5. Christi per Virginem conceptio.

ritatis extende, & sume panem vitæ interioris hominis alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed Incarnatæ Deitatis, vitale pulmentum.] Quod vtique focaria & panifica sapiens, de suis ipsamet carnibus apparauit, atque proposuit edule.

24 Hic necessarium est cribrum. Sunt enim farinæ siligineæ, admisti furfures. Quod ergo dicitur, Christum compactum primò fuisse ex pretiosa carne, & sanguine B. Virg. tanquam ex totali materia, non est vere dictum. Non enim caro B. Virg. fuit partialis materia corporis Christi in prima eius formatione. Nec id voluit D. Aug & si qui alij, dicunt carnem Christi sumptam esse de carne B. Virg. id enim verissimum est, quamuis caro B. Virginis non fuerit materia partialis, adhibita ad formandum corpus Christi, quia sufficit quod ex carne Beatæ Virginis, tanquam ex vase continente, sumpta sit materia è qua formaliter, & immediatè compingendum erat corpus Christi: Ita vt ea locutio, *Christus de Virginis carne, accepit carnem*, non sit formaliter, sed causaliter, & metonimycè vera: quatenus continens, seu caro, vsurpatur pro sanguine intra carnem contento, è quo fabricatum est corpus Christi. At verba quę excutimus, planè ferunt, carnem & sanguinem B. Virg. vtraque partialiter, integrasse materiã è qua formatũ primò est corpus Christi: quod cõstat dici non posset, quia caro matris immediatè, & formaliter loquẽdo, nullo modo est materia fœtus, intra materna viscera procreati.

Iam quod caro primogenia, & radicalis super eadem perseueret in homine, non rectè dicitur. Nec enim potest proferri priuilegium vllum, quo ea substantia iure dicatur esse irresolubilis per calorem naturalem, quem constat perpetuo depasci substantiam præiacentem, quæ tota est fluxa, ac solubilis. Sicut nutritio quæ fit ad dãna illius resolutionis sarcienda, & accretio quæ fit nutritioni cõiungitur, non fiũt per iuxta positionem ad aliquas tantùm partes præiacentes, sed fiunt secundum omnem partem sensibilem. Itaque omnia ferè argum. quibus impetitur sententia Magistri in 2. d. 30. *in fine*, affirmantis portiunculam aliquam substantiæ Adami, quæ sola fit de veritate humanæ naturæ, deriuari illibatam, & irresolubilem, ab Adamo ad vnumquemque nostrum, accõmodari proportione possunt ad hanc irresolubilitatẽ substantiæ primigeniæ fœtuum destruendam. An ergo portio aliqua primigeniæ substantiæ, post annos non paucos V. G. Vicenos, aut tricenos, perstet in corpore, non potest liquere. Ac proinde deuotio quæ fundatur in identitate substantiæ alicuius in Deip. præiacentis, cum substantia nunc existente in Christo, nititur fundamento valdè incerto, & de quo liquere non potest; ruitque, vel ad incertum reducitur ea gloria B. Virgin. quod aliquid eius adoretur summo cultu Dei proprio in tẽplis, & sit hostia sacrificij Christianis, sintque hæ certæ, & nequaquam suppositæ B. Virg. reliquiæ inter nos residuæ. Nec idcirco qui Eucharistiam participant, priuantur eo pio sensu quo delibutum S. P. Ignat. testatur Salazar. in c. 9. Prou. n. 144. quo scilicet cõmunicans, gustet carnem B. Virg. Id quippè sufficienter fundatur in eo quod hæc caro quę in cibum sumitur, præfuerit causaliter in Virgine saltẽ originaliter. Eatenus enim, mater & filius, censerĩ possunt eadẽ caro. Petr. verò Damian. & quotquot dicunt corpus quod in Eucharistia sumimus, esse illud ipsum quod sumptum est ex B. Virgine, non intendunt astruere irresolubilitatẽ primigeniæ substantiæ Christi, sed tantùm affirmare volũt percipi à nobis de sacra mensa ipsummet Christũ ex Virg. natum quod verùm manebit dilapsis licet partibus primigeniis:

Sicut cum de Petro quinquagenario dicitur, esse illum in ipsam qui natus est ea Caia matre, significatur tantùm identitas per æquiualentiam de qua Philosophi cum de nutritione disputant. Quod autem Christus è Virgine natus, percipiatur à nobis in Eucharistia inde est studium illud, vt hanc sibi cognatam carnem gustemus, quod in B. Virgine celebrat Isid. Thessalon orat. de Annunc. Gaudium item piæ matris celebrat ob eam carnem per nos degustatam, & proportionalem Incarnationi coniunctionem in nobis peractam. Ita ibi pag. 86. & 96. Duntaxat tamen cognatam sibi carnem Virgo à nobis degustari auet, & gaudet: *Cognatam* non *eandem cum sua*, vt volunt ij cum quibus agimus.

Multò minùs egi contra propositam sententiam, quàm fecerit Guido Carmelita in summa de hæresibus tract. de hæresi Græcorum cap. 13. vbi ait, hanc esse manifestam hæresim. Verba Guidonis, ne cui minùs attentè legisse videar, placet repræsentare. [Tertius decimus error Græcorum, est; Dicunt enim quod reliquiæ panis consecrati sunt reliquiæ corporis Beatæ Virginis. Hic error, stultitiæ, & amentiæ plenus est. Nam corpus Christi sub qualibet parte hostiæ consecratæ integrum manet. Itaque qualibet pars à tota consecrata hostia diuisa & separata, est verum corpus Christi. Hæreticum autem est & fatuum, dicere, quod corpus Christi sit corpus Virginis Matris suæ: Sicut hæreticum esset, dicere quod Christus esset B. Virgo, quia distinctorum hominum distincta sunt corpora: nec tantus honor debetur corpori Virginis, quantus debetur corpori Christi cui ratione diuini suppositi debetur honor Latriæ, non corpori Virginis. Igitur dicere reliquias hostiæ consecratæ esse reliquias corporis B. Virg. est hæreticum manifestè.]

Auxeses inanes, de doloribus Deiparæ, à puncto Annunciationis, ad mortem vsque.

26 PLerisque recentioribus visum est valdè amplificare se honores Deiparæ, augendo in immensum eius dolores, à puncto Incarnationis Verbi Dei ex ipsa. Perstringam quæ diffusius ab alijs sunt tradita, ac nominatim ab Authore libri *de perpetuo gladio Reginæ Martyrum, ab Annunciatione Verbi, ad mortem vsque ipsius Virginis*, qui liber, primùm latinè in Belgio editus, recens Italicè versus est, ac Romæ cussus. Assumit inprimis Author, B. Virginem, à puncto Annunciationis, perspexisse omnia Christi mysteria, iuxta illud Bernardi hom. 4. *super missus est*. [Plenè de omnibus à principio, cœlitùs fuerat instructa mysteriis.] Sed hoc maximè valuit à puncto Incarnationis, per quam B. Virg. se habuit Christum, in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei, ac proinde omnes quoque illos thesauros in se habuit, vt ratiocinatur Anselm. hom. in cap. 10. Lucæ. Cognouit ergo iam tunc Deipara, quantos cruciatus esset pro humano genere excepturus Christus Dominus, quia consensum exhibuit ad concipiendum illum, qui veniebat, vt fieret pro nobis redemptor: Vnde non poterat non existere dolor insignis, & quidem iugis, ac perpetuus, in Deipara: sicut iugis, ac perpetua erat perceptio dolorum quos delectationis eius filius erat substituturus. Isque iuxta Rupertum l. 7. in Cant. cap. 1. fuit fasciculus myrrhæ inter Virg. verba commorans, commoratione (vt Rupertus ait,) plena gemitibus inenarrabilibus, nec intercisa quoquomodo, sed perpetua, ob perpetuā præsensionem futurorū filij cruciatuum. In quo Hieron. à Florentia tom. 2. Martial. serm. 1. de Purif. puncto 4. aliquatenus æquiparat Deiparam Christo, cui ob proportionalem causam, à puncto suæ Conceptionis assidua fuit cordis transfixio ob perpetuò obuersantes intellectui prædictos suos cruciatus in vitæ fine inferendos, vt assent creditus Bernard. tract. in illud Ego sum vitis vera c. 5. Lessius l. 12. de diu. perfect. cap. 17. num. 133. Thomas Leonardus Ord. Prædical. de perpetua Cruce Bellarminus in Psalm. 87. ad illud *pauper sum ego* & l. de gemitu Colum. cap. 2. & Lugo disput. 22. de Incarnat. sect. secunda numero 23. Hinc eruitur gloria martyrij in Deipara supra omnes Martyres, cum tamdiù, tam acerbè sit diuexata. Nec dubitat Author primùm adductus, prolato S. Bernard. & alijs dolores Deiparæ, quorumuis Martyrum doloribus intensione, & acerbitate anteponere, Quinetiam allegatur ab eo Carolus Franciscus de Raucius dolores Deiparæ acerbiores fuisse Christi doloribus inde probans, quod anima plus sit vbi amat, quàm vbi animat. Anima autem Virginis erat in filio per amorem, cum anima Christi esset in ipso per solam animationem. Plus igitur futuros Christi cruciatus sentiebat iam à concepti Christi initio Deip. quàm Christus ipse, cuius tamen dolores, omnium Martyrum quantisuis doloribus fuisse acerbiores, vix licet in controuersiam vocare. Inde æstimare licet immensum propè acerbitatis cumulum in Deipara, iam à puncto conceptionis Christi, siue clausulæ annunciationis, & per reliquam vitam, ita vt author primùm adductus, allegat Sansurano in opere cui titulus *liber Electorum* cap. 6. sect. 2. dicat, B. Virginem pusionem Deum spelunca Bethleemitica lactando, plura tormenta, & pœnas sustinuisse, quàm passi sint Martyres mortem oppetendo; eo quod agnosceret, quot lactis guttas sugebat Deus infans, tantum sanguinis per flagella, clauos, spinas, lanceam, cœteraque dira instrumenta, educendum esse, ad vltimam vsque sanguinis intra venas abditi stillam. Hoc perpetuo à puncto Annunciationis agitasse animo Deiparam, quamdiu vixit colligitur ex variis S. Brigittæ dictis, nominatim ex l. 2. reuel. cap. 21. & lib. 6. cap. 65. nec non ex Hailgrino, illud sponsi ad sponsam, *Coma capitis tui sicut purpura Regis*; interpretante de cogitationibus Deiparæ vinctis in sanguine Dominicæ passionis, sic semper affectis, quasi recenter viderent sanguinem de vulneribus profluentem conseruabat Virgo in corde suo, & quæ primùm legerat, & quæ postea oculis vsurparat, de filij cruciatibus & perpessionibus, & post Filij digressum cumulauit perpetuo dolorem suum, assidens sacrificio incruento cruenti commemoratiuo visitansque loca sacra, redemptionis nostræ libro ibidem effuso signata; & in tantum cumulum prouexit suum dolorem, vt comprobarit verum, S. Bernardini sensum, tomo 1. serm. 61. artic. 3. c. 1. [Tantus fuit dolor Virginis, vt si omnes creaturas quæ pati possunt, diuideretur. omnes subitò interirent.]

Magnas hic auxeses, & rhetoricationes parum solidas, quantumuis specie pietatis obtrudi, non diffitebitur, qui recolet ex eo ipso fundamento de præcognitis clarè, ac postea etiam visu corporeo vsurpans, ac sensu excepta cruciatibus, fuisse qui de perpetuo Christi gladio à puncto Incarnationis ad mortē vsque, collegerint perpetuum tota Christi vita doloris immensi gladium; de qua sic pronunciat Gerso epistola de susceptione humanitatis Christi, veritate quinta. [Christus ab instanti suæ conceptionis quamuis habuerit clarissimam notitiam,

&

& apprehensionem suæ passionis futuræ, & quod animam dulcissimæ matris pertransierit gladius acerbissimæ passionis, ipse tamen non habuit huiusmodi dolorem experientalem in corpore, qualem habuit cum cœpit tædere &, mœstus esse.] Et veritate 14. [Christus non habuit ab instanti conceptionis, omnem illum dolorem vsque ad instans mortis suæ qualem pertulit in cruce, aut prius per decursum pœnalis vitæ suæ; & oppositum scribendo, vel prædicando asserere, est temerarium, falsum, & præsumptuosum.] Exscripsit Gersonem Gabriel. Biel. serm. de passione Domini §. *quo eorum arguitur*, hæc præterea addens ad locum Gersonis, quæ in meo Gersonis Codice non leguntur. [Si enim eadem tristitia, idem dolor ab instanti conceptionis, animæ, aut sensibus inhæsisset, quomodo cœpit contristari, & mœstus esse? siquidem nemo quod priùs fuerat, incipit esse.] Doctrina ergo in Christo temeraria, & prorsus explodenda, in quo idem fundamentum prænotionis claræ cruciatuum multò magis valet; multo magis repudianda est circa B. Virginem, quæ non si in se habuit Christum omnibus thesauris diuinæ sapientiæ instructum, debuit etiam formaliter per eandem Christi scientiam fomra præcognoscere, vt perperam assumebatur. Nec magis aptè, dolores Deiparæ de Christi cruciatibus, anteponebantur ipsius Christi doloribus de pœnis ipsis & Christo irrogandis vel irrogatis; vt ridicolè confirmabatur, ex eo quod anima per affectum sit in obiecto intensè amato. Hoc enim per exaggerationem dictum, non est absurdè trahendum ad veritatem in rigore physico acceptam, quæ perfectioni passionis Christi pro nobis derogaret. Comparatio præterea dolorum B. Virginis, cum doloribus omnium Martyrum fordet falsiloquio quod solidi Theologi etiam circa Christum repudiant. Saltem vt incertum. Viuide sis Suarem t. 2. 3. part. d. 33. serm. 2. Tandem quod B. Virgo, etiam post filij mortem & obitum, fuerit in luctu perpetuo, & quidem acerbissimo, quia assiduè recolebat Christi passionem, non cohæret cum eo summo gaudio quod Deiparam post oncium de Christi resurrectione perfudisse, totius Ecclesiæ sensus affirmat. Itaque perspicuum videtur, perpetuum illum gladium doloris, quo Deiparam à puncto annunciationis transfixam volunt, admodum retundi ac hebescere si ad solidam Theologiam, dimissis popularibus cogitationibus ad mulcendum deuotum fœmineum seuum propositis, exigatur.

Coronatio Christi in temporalem Iudeæ Regem, per cessionem à Deipara factam in puncto Incarnationis, decus Deiparæ recens inuectum.

17. Alterum eximium Virginis ornamentum recens cusum, quod prætermissum nolebam, est; quod B. Virgo, quæ ex paterna successione Regni Iudæorum temporalis Regina erat, vltrò cesserit filio, hoc regno in puncto Incarnationis: de quo propterea grauos PP. & prisci Rabbini apud Galatinum lib. 3. de arcanis cap. 26. accipiunt illud Cantic. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitia cordis eius.* Hunc diem, esse diem quo Verbum est incarnatum, tradunt multi Patres, signati lib. 5. de Christo, tractando inaugurationem Regis gloriæ. Christus ergo ea die egressus velut Gigas ad currendam viam, & tanquam sponsus de thalamo suo procedens, à Virgine matre coronatus ea ipsa die est, matre in filij gratiam vltrò se abdicante corona temporali Regni Iudaici, vt factum à plerisque Imperatoribus, & Regibus superstitibus in gratiam liberorum, & à S. Cœlestino 5. cum Pontificatui renunciauit. Hanc Virginis erga amantissimum Filium liberalitatem, ipsi matri ea Christi deuinctione per honorificam, repenso vniuersi orbis regno, remunerauit qui nunquam beneficiis vincitur Christus. Ita latè quoad hæc omnia, Scipio Agnellus lib. 3. de interna cruce Deiparæ dissert. 3. *Pars 1. punctum. 5. Christi per Virginem conceptio.*

Non subscribo; neque hoc decus Virginis, inter solida eius ornamenta recenseo. Neque Patres qui coronationem Christi per matrem citato Canticorum loco prænunciatam dixerunt, ad hanc Christi coronationem in temporalem Iudæorum Regem, respexerunt: sed ad spiritualem & supernaturalem Christi inaugurationem in Regem vniuersorum, consecutam esse personale Verbi, communicatum humanitati Christi in puncto conceptionis eius ex Virgine matre: quam cessisse regno in gratiam Filij non persuadebimur, donec proferantur publicæ & authenticæ cessionis & acceptationis tabulæ. At quas nullos confecit, aut acceptauit tabellio. Quid quod petitam, vel Regno Iudaico, vel iure ad illud Deiparam, commentitium est? Quare ad populum phaleras.

Iudicium de Rosario Virgini salutata appicto.

18. In hac meta, videtur attingendum iudicia ioculatoria pictorum, qui B. Virginem, quo tempore ad eam adiit Gabriel, distentam exhibent recitatione rosarij, aut coronæ, Quanquam erit fortassis, qui iudicium infulsitatem hic agnoscendam negaret cum Romæ in peruetusta Ecclesia S. Mariæ in Campitello, in marmoreo priscis tabernaculo inibi constituto ab anno 1217. præter cæteras sacras reliquias, asseruetur corolla precatoria Deiparæ; quo nomine designatur in syllabo reliquiarum perantiquo, recognito sub Pio V. Accedit quod rosarium, ex certo numero orationum Dominicarum, & Angelicarum salutationum contexitur. Nihil autem vetat asserere, B. Virginem, vtramque illam orationem fudisse. Nam quoad orationem Dominicam, videtur esse indubitatum, fuisse ab ea recitatam, tanquam formulam precandi à Christo traditam. Idque supponunt Theologi cum inquirunt, quo sensu ipsa quæ nunquam actualiter peccauit, dicere absque falsitate poruerit, *dimitte nobis debita nostra.* Supponentes enim vt indubitatum, quod B. Virgo nullum vnquam contraxerit peccati debitum, quod poscere posset sibi in singulari dimitti, vt tradit Concilium Tridentinum, & pridem ab Vrbano II. in Concilio claromontano fuisse definitum refert Vega lib. 14. in Conc. cap. 18. addunt tamen, non propterea censendum esse, quod B. V. prætermiserit recitationem orationis Dominicæ. Ita Toletus in cap. 11. Lucæ annot. 13. Suarez t. 2. 3. part. d. 4. serm. 4. Baptista Nouatus Tomo 1. de Eminentia Deiparæ cap. 5. quæst. 15. & alij, à quibus modus propositus variè postea extricatur, quod nunc non interest exeutere. Recitauit ergo Deipara orationem Dominicam. Potuit autem etiam recitare salutationem Angelicam, saltem quoad eas partes quæ ab Angelo & Elizabethæ suot prolatæ; non quod eas recitauerit orans seipsam, prout eos illis ipsis verbis adhibitis eam precamur, sed ad laudandum Deum recolendo beneficium, & ipsi & toti generi humano collatum, cum primùm ea

allocutio auribus eius insonuit per Angelum nunciantem,& quamuis corona illa quæ Romæ asseruatur, dicatur non fuisse vsui Deiparæ nisi ad recitandam orationem Dominicam, (vnde in antiquo syllabo, vocatur *corona de Pater noster B. Virginis Mariæ*);tamen nihil vetat, etiam fabulationis Angelicæ formulam ab ea fuisse vsurpatam. Atque ita materia tota ea qua contexitur Rosarium, dici potest à B. Virgine adhibita ad precandum & colendum Deum; & quidem cum ea frequentatione quæ est Rosario intrinseca,vt scilicet eas precationes funderet certo numero:quia modus ille precandi, quicquid Sectarij grunniant, labe vacat. Si enim semel facere optimum est, quanto magis sæpiùs. Si hora prima,ergo & tota die. Ratiocinatio est lactantis lib. 4.instit. cap. 28. quæ æque in negotium repetitarum precum Christianatum cadit, ac in preces superstitiosas de quibus ibi agebat Lactantius. Insulsè igitur dixisse videbimur, iudiciam esse insulsitatem, corollam precacatoriam appingere B. Virgini quam decerneret cum ad eam adstr Angelus annuncians Verbi Dei Incarnationem.

Non discedo tamen de sententia, & notam propositam benè pictoribus inustam confirmo. Quomodò enim Beata Virgo tunc fudisset orationem Dominicam, quæ nondum composita erat? Eadem liquet de salutatione Angelica. De tempore autem quo iam oratio Dominica à Christo fuerat tradita est, alia ratio. Et quoad hoc tempus verum videtur, B. Virginem fudisse illam orationem præcellentissimam, & verè orationum Reginam. Hoc est quod vetet dicere, adhibitam à B. Virgine fuisse frequentationem,& iterationem multiplicem visusque illius piæ formulæ colendi Deum, vt ratio ea lactantio tacta euincit, & alibi confirmauit, agendo contra Sectarios, blaterantes aduersùs orationes certo numero fusas.Hoc autem constituto, potuit etiam Deipara, corollam è calculis, aut globulis precatoriis contextam vsurpare. Nam quamuis non vrgeretur ea memoriæ labilitate, ob quam Paulus Monachus, ne inter precandum non reddito fideliter numero sibi præfixo delinqueret, adhibebat calculos,(vt scribit Palladius cap. 23. Laus.& habetur etiam in Tripart. lib.8. c. 1.) Tamen illud quoque extremum memoriæ subsidium, cum facile esset obuium, & posset aliis esse in exemplum, potuit Deiparæ placere. Videnturque primi Christiani suum Rosarium tanquam orationem hic recitasse, ait cum Alano & Andrea Coppenstenio, vir Deiparæ addictissimus dissertatione de corona Mariana Campeellensi *pag.* 18 Dicunt autem hi authores, B. Virginem spectatam secundùm suum esse naturale humanum, orasse seipsam secundùm esse diuinum,id reale, ab æterno abditum in Deo; sub qua ratione B. Maria erat ipsa diuina essentia, ad quam fundi posse orationem nemo non videt. Si autem orantem B. Virginem, aiunt fuisse Christo similem, qui secundùm humanitatem orabit se vt Dei filium. Hæc Deiparæ ad sensum oratio, prout spectatam sub ratione diuinæ ideæ est planè commentia; & absurdè fundatur in exemplo Christi, qui cum esset duabus naturis præditus, poterat secundùm naturam humanam orationem fundere ad seipsum, spectatum vt Deum. Sanè si B. Virgo direxisset orationem hanc suam ad æternam suam ideam; æquè quilibet fidelis posset orare seipsum, referendo suam hanc precationem, ad suam ideam ab æterno abditam in Deo. Quare ablegandæ sunt hæ insulsitates; & dicendum, posito quod Deipara post Christi è terra discessum, salutantis Angeli verba orationis Dominicæ subtexuerit,id fecisse duntaxat ad recolendum mysterium ea salutatione peractum, non autem ad precandum, vt initio admonebam Primi autem fideles, etiam superstite Deipara, rectè poterant ad eam dirigere salutationem Angelicam per modum orationis, vt notum est. Hoc erat cur B. Virginem prout terminantem suas has preces, spectarent sub ratione futuræ gloriæ,& Ideæ æternæ quam in Deo habuerat ante omnia sæcula, & iidem Autores comminiscuntur. Status enim quem B. Virgo,etiamnum viatrix, obtinebat,erat status eximiæ sanctitatis, atque adeò secundùm illum, capax erat & cultum & orationem fusam à fidelibus terminandi.



PVNCTVM VI.

Aditio cognatæ Elisabethæ per Virginem; Ibidem trimestris commoratio. In regressu Iosephi sponsi turbatio; Angelo docente discussa.

CHRISTO concepto, Virgo mater extaniis Dei in ipsa mirabilibus diuino perfusa sensu, incredibilibus & inexplicabilibus incessit lætitiis.] Statim(inquit Author tractatus in Cant. Virg. t. 9. Aug.) adueniente Spiritu sancto in Virginem, omni gratia virtutum, sacrosanctum habitaculum in aduentu Dei implente;Dubium non est cœlestium gaudiorum & æternæ dulcedinis quàm miram atque inenarrabilem suauitatem Virgo ipsa concepit, quando illud æternum lumen cum toto maiestatis suæ fulgore in eam descendit, & quem non capit mundus, totum se intra viscera Virginis collocauit. Audacter pronuncio,quod nec ipsa planè explicare potuit, quod capere potuit: Sed Spiritu sancto docente, didicerat sic sua per humilitatem regere. Surgit mox, & conscendit in montana Iudeæ: vnde Elizabeth. Spiritu sancto repleta, qualis & quanta esset quæ ad se venerat agnouit,& quàm se indignam eius visitatione iudicaret, aperuit dicens, vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce & *cætera*. Tunc ait Maria, Magnificat anima mea Dominum.]

Virginis Hebronem perfectio. Quæ ibi cum cognata, eiúsque prole.

1. SVmmella est, eorum quæ Mariam inter se Elizabetham, palam sunt transacta, Hebrone, vbi creditur fuisse domus Zachariæ, vt latè & benè prosequitur Castro cap.6.histor.num. 2. Eo Deipara confestim ab Incarnato Dei Verbo, idest paucis post diebus concessit;non quidem incomitata, quod Virginis pudor satis suadet, sed (vt Franciscus Lucas existimat Lucæ 1. vers. 30. & Toletus Lucæ 1. annotat. 115.) absque Iosepho, quem non interfuisse occursui cognatarum, monstrat consecuta turbatio, ob deprehensam post reditum grauiditatem sponsæ, vt mox dicetur. Itaque hallucinatus est Isolanus lib.de dona S.Iosephi part. 2.cap.6. cum dixit, S. Iosephum comitatum esse Deiparam ad domum Zachariæ:id quod etiam cum multis habet Morales lib. 4. in Matth. tract.1.numero 10.& subscripsit postea Mathias Naueus orat.11. de S. Iosepho. Sed vt dixi si affuisset Ioseph Hebræus, non fuisset in eius animo turbatus videns Virginem grauidam, quod

fuit

fuit illi valdè bonum. Pridem autem illud sciuisset si fuisset Hebrone ad Virginis, & Elisabethæ hypapantem. Quæ inter duas matres, palam sunt transacta Hebrone absente Iosepho paucis illis comprehensa sunt quæ ex Authore tractatus in Canticum Magnificat sunt adducta, déque eis agere sufficit. Nam quæ inter Verbum in Virginis vtero carne vestitum, & Baptistam Elizabethæ matris aluo abditum, clam sunt transacta, vt sanctificatio pueri, concinnissimè descripta à S. Bernardo serm. de S. Ioanne Baptista, & eius exultatio ob agnitum in illis latebris aduentum Christi; tametsi à matre ea parte sunt indicata, tamen cum ad Christum potiùs pertineant, hîc dimitti possunt; vt iis insistamus quæ Virginis sunt propria, & in hoc misterio sunt permulta, & illustria, vt optimè perpendit Conc. Basileense sess. 43. decernens celebrari festum visitatæ à Deipara Elisabethæ.

3 Virgo igitur ingressa Domum Zachariæ, [*salutauit Elisabetham*, (ait Gregorius Neocæsar. orat. 2. de Annunc.) *Vt autem audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans præ iubilo in vtero suo, & repleta est Spiritu S. Elisabeth.* Vox igitur igitur Mariæ, efficax fuit, & Spiritu Sancto repleuit Elisabeth, ac velut ea perenni quodam fonte, instrumento linguæ flumen charismatum, per prophetiam, cognatæ suæ emisit, & pedibus infantis in vtero alligatis, saltum, & exultationem suppeditauit, quod quidem miraculosi stipendij symbolum signumque erat. Nam vbi gratia plena aduenit, gaudio cuncta repleta sunt.] Videntur ad hunc S. Gregorij locum respexisse Euthymius, ac Theophilactus in cap. 1. Lucæ Virgo vicissim à reddente salutem Elisabetha, & sacro ventri oscula figente (vt paulinus carm. 5. piè obseruauit) ad vocem salutantis, Spiritu sancto, & prophetiæ dono impleta mater Dei audiuit, quæ in ea diuinitùs peracta essent, ex cognatæ multiplicitet prophetantis percepit (Videsis S. Gregorium homil. 1. in Ezech.) indéque in Dei laudes erupit magnalium diuinorum erga se, ac genus humanum breue compendium, complexa in Cantico extraordinariæ sapientiæ cœlestis refertissimo, vt concinè ostendit Gregorius Neocæsar, orat. 2. de Annunc. & plenè, ac egregiè Canisius l. 4. de Deipara à c. 3. ad 8. & qui illud iustis commentarijs exposuerunt præter interpretes Lucæ 1. creditus Augustinus calcè tomi noni, Magnus Albertus, Gerso, Vigerius in Decachordo, Chorda 7. Augustinus Anconitanus, Hugo Victorinus in Allegoriis in Lucam, Pelbartus in Stellario, Iacobus de Valentia, Petrus Loyerius, Valentious, Gerardus, Carthagena l. 6. de Deip. ba hom. 10. ad 27. Antonius Agellius in Cantica diuini Officij & pleno opere de hoc Cantico Rutilius Benzonius. Cui tamen non subscribo ibi l. 1. cap. 3. & comment. in Psal. 86. cap. 25. latè contendenti, canticum istud, & cantatum, & carmine editum esse à Deipara. Omnia enim quæ profert, eò tantùm pertinent, vt probetur hoc Canticum esse ore prolatum, ea affectu testandi suam erga Deum gratitudinem, & eatenus laudandi Deum. Quæcunque enim sunt huiusmodi nomine *Canticorum* donantur etiamsi neque carmine sint conscripta, neque cum pressè accepto cantu, & vocis modulatione canora, sint pronunciata, vt docemur ex Cantico SS. Ambrosij, & Augustini, & ex alijs plerisque antiquis Canticis. Neque Franciscus Lucas astipulatur, tametsi Lucæ c. 46. ait hoc primũ Noui Testamenti Canticum, esse *Hymnum, & Psalm.* Nam vocem *Hymni* non esse semper accipiendam de carmine modulato, attigi supra tractatus Gabrielis salutationem. Idemque manifestum esse debet de voce *Psalmi.* Non pauci enim negant Psalmos Dauidis esse carmine conscriptos. Ita Andreas Masius in Iosue ad cap. 10. vers. 11. & fere Agellius in proœmio Psalmorum §. *forma dicendi*, & alij quos proferunt, & discurrunt Lorinus cap. 7. proœmij in Psalmos, Alphonsus Mendoza q. 3. positiua Shetlogus Anteloquio 9. sect. 1. ac Delrio in Threnos. Quam litem diiudicare, non est huius loci, sed sufficit, quod graues DD. agnouerint, posse *Psalmi* denominationem constare, absque carmine pressè dicto. Idem ergo assero de denominatione *Psalmi*, tributa magnificentissimæ illi laudationi qua Deipara Dominum celebrauit apud Elizabetham. Nec aliter statuo de voce carminis qua Agellius in argumento huius Cantic. id designat.

Pars 1. punctum 6. Visitatio Elisabethæ Iosephi turbatio

Illud potiùs de hoc cantico dixerim in magna verborum simplicitate, perillustria intra illud cerni mysteria. [Quis dubitet (inquit Hugo. Victor. præfatione ad hoc canticum) B. Mariam recens Spiritus sancti in se superuenientis tanta plenitudine, & gratia repletam, non potuisse paruum aliquid, & quod supra terrenarum mentium capacitatem non esset in laudem Saluatoris sui proferre? Constat ergo de tanta plenitudine eructantem, tantáque deuotione nouum illud, & humanis mentibus insolitum gaudium Iesu suo iubilantem, noua laude, & singulari præconio, nouam lætitiam, in nouo aduentu æterni Domini, prædicasse.] Et tamen vt idem obseruat, rudis rerum diuinarum lector, vix putat subesse verbis tam simplicibus, támque in speciem apertis quod solers interpretatio effodiat. Nec illud prætermitto quod Petrus Damiani opusc. 10. cap. 4. pulchrè notauit, circa tempus quo hoc canticum in Ecclesia concinitur. [Canticum (inquit) B. Dei Genitricis, non incongruè vespertino copulatur officio. Illa siquidem velut emenso iam longo præteriti sæculi die, sub ipso scilicet mundi vesperascentis occasu, mox vt lumen æterni verbi fœlicis vuluæ flore concepit, protinus in vocem diuinæ laudis erupit, *Magnificat* (inquiens) *anima mea Dominum.* Ad instar ergo illius quæ mater est Christi, & tota vniuersalis Ecclesiæ, quæ Christianorum vtique mater est, quæ & idipsum lumen portat in mente, quod illa dudum gestauit in ventre aduesperascẽte iam die, digna Deum laude magnificat, & de collatis beneficiis gratias agens, Spiritus eius in Deo salutari suo gratulabundus exultat.]

Regressus Virginis sub Elizabetha partum,

4 HÆsit Deipara apud cognatam, insigni cum profectu Baptistæ (vt Origenes egregiè commentatur hom. 9. in Lucam, quem cepit S. Ambrosius l. 2. in capite primo, Lucæ cap. 3. & l. de instit. Virg. cap. 7. & Petrus Damiani serm. 1. orat. 2. de S. Ioanne:) hæsit inquam quasi menses tres, hoc est ferè vsque ad Ioannis natiuitatem: Quo trimestri vera arca Domini, manens apud Zachariam, non parciore eum, ac domesticos eius benedictione ditauit, quam fecerat arca typica domum Obededon, toto trimestri apud eum diuersata. Nominatim verò Ioanni accreuit insignis Sanctitas, quod nun possum meliùs apertè, quàm vobis Origenis dicta homil. 9. [Si (inquit) eo quod tantum venit Maria ad Elizabeth, & salutauit eam, exultauit infans in gaudio & Spiritu sancto plena Elisabeth, prophetauit; & in vna hora tantos profectus habuit: nostræ coniecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecerit, assistente Maria

Elisabethæ. Valdè quippè indignum est, in puncto horæ, atque momento exultare infantem; per tres verò menses, Ioannem ex vicinia matris Domini, & ipsius Saluatoris præsentia, nihil profecisse. Exercebatur ergo, & quodammodò in athletico, sanctâ matre, per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris vero, vt mirabiliter natus mirabilius nutriretur.]

S. Ambrosius similia de Ioanne intra matris viscera tanquam in athletico ad Deiparæ præsentiam inuncto tradit, apertò proficiens ex Origene.

Et hæc sunt diuina opera, quæ Ecclesia annuo festo recoli voluit, non vidi in Concilio Basileense vt supra attigi, sed etiam ex decreto Vrbani VI. confirmato per Bonifacium IX. vt refert Azor. 2.p. l.1.c.23.q.1. Et miror quendam Adalbertum, meritò à Ioanne Pragensi confutatum, aduersus eam solemnitatem stetisse, vt refert Baronius 2. Iulij. Fuit enim valdè congruum festiuitatis obiectum recensio vt diuinæ gratiæ operum in ea Elisabethæ per Deiparam visitatione editorum exactis à Virgine apud Elisabetham quasi tribus mensibus, cum ad eam sexto iam mense grauidam venisset, instante Ioannis natiuitate quæ contegit octauo Calendas Iulias vt notat D. August. in Psalm. 132. Virgo & pudori suo, & paci in magna cognatorum, ac vicinorum mox consecutura frequentia consulens, rediit domum, vt rectè statuunt Rupertus l. 1. in cant. ad illud *Nigra sum*, Euthymius & Theoph. Lucæ. 1. Nicepho. 1. histo. cap. 8. Canisius l. 4. Marialis c. 6. Corderius Lucæ 1. ad vers. 56. & Caietanus ibid. Quamuis Azor. tom. 2. l. 1. cap. 13 q. 8. contrarium præeligat, & Virginem cognatæ, cum maximè obsequio egebat, hoc est partus tempore, affuisse contendat; suffragantibus aliis, vt Beda Francisco Luca ad cap. 1. Lucæ v. 56. Toleto ibid. annot 134. Catharino acriter pro more, hac ex causa Caietanum sugillante. Inter antiquiores disertè id habet S. Bonauent. in meditationibus vitæ Christi cap. 5. & anteriùs quoque Petrus Damiani serm. 2. de S. Ioanne Baptista. Et apud eundem serm. 1. de eodem Baptista, tractando tertium S. Ioannis priuilegium, idem asseritur. (Quamquam is sermo apud Bernardum quoque habetur, & eius potiùs stylum redolet.) Sic vero habetur eo serm. 1. [Mansit Maria cum illa quasi mensibus tribus, ait Euangelista. Tanto tempore manet cum Elizabeth virginalis integritas, & nunc dulciori eloquio, nunc feliciori complexu, Ioannem puerum confouet, & insignit. Et fortassis vsque ad diem Natiuitatis eius, Gloriosa Virgo cum cognata morata est, donec puerum natum sinu beatissimo confoueret, & vno pariete remoto, propinquiorem redderet præsentiæ Creatoris. Facilè autem ex Euangelij coniectura liquet, quia iam sex menses à Conceptione Ioannis defluxerant, cum ad Virginem Archangelus missus est, qui renouationem mundi, pudori Virgineo noua salutatione portauit. Et hinc Virgo festinauit Elizabeth, & tribus mensibus cognatę dignatur visitare hospitium, donec noui mensis fine concluso, natiuitas immineret Patriarchæ. Alij qui librum iustorum diligentioribus oculis inspexerunt, se vidisse testantur, quod ipsa Dei genitrix fælicem puerum primò de terra leuauit, & cognatæ partum omni prosecuta est seruitute. Quocunque autem modo rei huius veritas decernatur, illud pro certo habendum est, quia non parum contulit puero nascituro, tam felix, & morosum intemeratæ Virginis consortium.] Hæc postrema, & prima subdubitantis Authoris verba, satis insinuant, minùs aptè Constantinum Caietanum, allegato (qua fide viderit ipse) Cardinalis Baronij, ore tenus dato suffragio, censuisse illam diligentiorem inspectionem libri iustorum, ferre reuelationem factam Petro Damiani. Sed quid si sermo ille potiùs sit Bernardi? vt vt sit, Sancti quæ per reuelationem comperta habent non referunt dubitando. Senserit verò hic Author, Deiparam affuisse parienti Elizabethæ. Sed sententiam nostram non obscurè insinuat S. Lucas cum præmisso discessu Deiparæ, subiungit impletum esse tempus pariendi Elizabethæ. Ex subductione temporis ab Angelo signati de grauiditate Elizabethæ, quasi trimestris commorationis apud Elizabetham à Luca signatæ, idem eruit Ioannes de la Haye in disposit. Euang. cap. 6. notatione 12. Patres in eam rem benè multos profert Castro capite sexto, histor. numero 7.

Nec si Ecclesia festum Visitationis quoad Ecclesiasticum officium instituens, alligauit illud diei quæ Natiuitatem Baptistæ consequitur, potest inde argumentum peti contra hanc opinionem nostram. Nam Ecclesia, quum memoriam aditæ per Virginem Elizabethæ indixit post Natiuitatem Baptistæ, non id fecit, vt regressum Virginis tunc contigisse demonstraret. Sed in re de qua ex narratione Euangelica non planè liquebat, elegit quod non incómodú apparuit. Cum ergo visum esset commodius, eam memoriam alligare tempori regressus, quàm additionis, ne duplex Virginis festum, Annunciationis nimirum, ac Visitationis, intra paucos dies celebrari contingeret, & quidem eo tempore, in quod frequenter incidit luctus, ob mortis dominicæ recursum: Tempus autem regressus haud prorsus certum esset, quia quod dixit Euangelista *mansit quasi mensibus tribus*, potest accipi de paulo maiore, aut paulo angustiore spatio temporis: Censuit Ecclesia, non incommodè festum addictum memoriæ huius mysterij, decernendum esse post Natiuitatem Ioannis, siue tunc contigerit regressus ille, siue, paulo ante.

Et vtrumuis etiam statuatur, non multum refert ad minuendum vel augendum Ioannis profectum ex Dei, ac Deiparæ præsentia, cum capedo temporis de qua hic disceptatur, non sit adeò diuturna. Ex ea verò præsentia quæ certa est, profecisse Ioannem mirum in modum, rectò statuebam paulo ante cum Petro Damiani, aut S. Bernardo. Et tunc iacta sunt fundamenta illius eximiæ Dei sanctificationis quæ in Ioanne efloruit, iuxta interpretationem Andreæ Cretensis in Baptistæ encomio, vbi contexit ei hanc è floribus vernantissimorum decorum coronam. [Hic maternâ linguâ instrumento vtens, prolem sine patre allocutus est, cum illa adhuc vtero gestaretur. &c. Promissionis fructus fausta Gabrielis annũciatio, germen defecta ætate, genitalis flos, sterilis; Propheta ortus prophetâ; deserti ciuis, abissos orbis terrarum, Solis Stella, lucerna lucis, Regis miles, sponsi pronubus Domini seruus, vox Verbi eius sacerdos qui secundùm ordinem Milchesedec sacerdotium gessit; quando etiam meruit operari sacro eius baptismati; per se auditor Patris, Baptista Filij, ac spectara Spiritus sancti; legis silentium, sequester gratiæ, coronis prophetiæ, Prophetarum finis regni præco, præcursor veritatis, porta pænitentiæ, Virginitatis ornator, salutis præparator, castitatis legislator, improborum frænum, dux eorum qui piè vitam agunt. Ioannes ille magnus, à Deo vocatum nomen, allata de cœlis per Archangeli vocem nomendatura, vox orta ex muto, qui silentio paterno, sterilitatis abstulit infœcunditatem; qui loquente digito

digito Agnum ostendit, Magna illa continentiæ gloriatio, carnis capeis in corpore, margarita in cœno, pretiosos in fictili vase thesaurus.] Recido cætera, & alia hic cõtinẽtq; penè innumera; quæ passim de Baptista occurrũt apud Patres, bonaque ea parte deflorata sunt à Canisio l. de S. Ioan. c. 1. ea Brun. Signien. Maa. Chrysol. Orig. de sola infantia Ioannis agentibus.

Virgo ex grauiditate, non grauata.

5 INterea per temporis decursum, fœtus in Virginis vtero crescebat in dies, citra vllam tamen matris grauationem prægnantibus solemnem. Causas considerat Cardinalis Vigerius Chorda 1. c. 31. Et breuiter ratio fuit, quia in aliis prægnantibus, post susceptam vim fœtus causatiuam, necesse est materiam vi naturali multipliciter transmutari. Et cum sæpè ea materia non sit satis pura, satisque digesta, nec benè consentiens formationi; impuris item humoribus aduentitiis permisceatur; mirum non est, existere inde luctam, & obsistentiam inter passiua & actiua malè sibi congruentia: Quæ materiæ indocilitas, & intractabilitas, discordiaque agentium & patientium, matri molestias necessariò infert. Accedit interdum superfluitas aliqua materiæ seminalis, & nutrimenti quod fœtui suppeditatur malignitas, quæ fœtui cum matris incommodatione officit. Quid prægnantium turbidi affectus, & immoderationes quoad cibum & potum; incompositio item & vehementia in corporis motibus; quæ omnia grauiditatis tempore; malè vt plurimum habent mulieres, easque cum fœtus incommodo grauant, & cumulant molestiis. Nihil horum in B. Virgine aluo gerente locum habuit. Nam & ipsa vbique & in omnibus temperatissimè se habebat; & Spiritu sancto specialiter prouidente, nulla materiæ obsistentia, vel impuritas consuetis prægnantium fastidiis eam infestauit.

6 Itaque fuit hæc grauiditas planè singularis, & consolationis potiùs referta, quàm mœstitia laborans. [Nulla (inquit) Fulg. ser. de lau. Mar. ex partu salut.) fieri grauedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat triste lætificare sæculũ, ventris non contristauit hospitium.] Et mox [Plena sunt viscera, & nullum nouit contagium Virginis conscientia. Cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat. Lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen.]

Atqui lumen pondere vacat. Non igitur Virginem onerauit inclusum intra eam lumen mundi S. Athanasius orat. de censu; perspicuè hoc tradit. [Quanto magis (inquit), venter intumescebat, eo securiori animo B. Virgo viuebat, simul, & Virginitatem incorruptam custodiens, & fœtum sine fastidio gestans; non tantum partus labore pressa, quantum illo leuata. Iure (inquit S. Bernardus serm. in illud *signum magnum*) illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Vnde & in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimùm cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, vt Elizabet ministraret. Sed & ascendit Bethlehem, imminente iam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leue, portans à quo portabatur.] Hebræi, sanè DD. vt author est Lyranus ad illud 1. Paralip. 15. *cum adiuuisset Deus Leuitas qui portabant arcam*, senserunt Leuitas arcam gestantes, nullum in ea gestatione pondus sensisse, quia arca seipsam portabat. Hic arca sanctificationis Domini Christus, non modò seipsum portat, sed suam quoque beatam portitricem, Matrem inquam, vt D. Bernardus dicit.

Pars 1. punctum 6. Visitatio Elisabetha Iosephi turbatio.

Approbat Bernardum Richardus à S. Laurentio l. 3. priuilegio 3. eius verba sunt insignia. [Tertia (inquit) Mariæ prærogatiua, secundùm B. Bernardum, quod fuit sine grauamine grauida. Hæc autem prærogatiua demonstratur in hoc, sicut dicit Beatus Bernardus, quod in ipso suæ conceptionis initio, quando cæteræ mulieres miserabiliùs affliguntur, Maria tota alacritate conscendit *in montana cum festinatione*, vt Elizabet ministraret, quam ab Angelo audierat concepisse. Et notabiliter dicitur *cum festinatione*, idest, non lento gradu, sicut mos est aliquo onere grauatorum. Ostenditur etiam per hoc, quod ascendit in Bethleem imminente iam partu, portans in vtero pretiosissimum illud depositum, portans illud onus leue, portans à quo portabatur, infantem portans in quantum scilicet erat homo, à quo portabatur inquantum erat Deus, *sub quo curuantur qui portant orbem*. Iob. 9. *Qui portat omnia verbo virtutis sua*, ad Hebræos 1. Et ita patet, quod corpus quod Christus assumpsit de Virgine, aut corpus Virginis à quo portabatur, & postea vndas maris similiter, quo pondus corporis sustinere possent sua potentia solidiùs confirmauit. Leuitati autem Dominici corporis attestatur illud Isaiæ 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.*

Non repugnat Petrus Damiani serm. 3 de Natiu. Virg. cum imitatus siue Augustinum, siue Fulgentium (vtrique enim tribuitur à variis sermo 18. de Sanctis) ait, Virginem sensisse pondera ventris. Non enim *pondera* accipit pro onere grauante, sed pro mole, etiamsi non onerosa. Non quia Christi corpus quoad hoc dote agilitatis potiebatur, ita vt in actu secundo non grauitaret, matrémque onere fatigaret, vt ea Maiore philosophatur Barradius t. 1. l. 8. c. 14. *initio*: Sed quia per potentiam miraculorum, suspendebat sui corporis grauitationem, vt dixi l. 4. de Christo sect. 1. cap. 1 n. 15.

Et hæc est communissima Catholicorum assertio, traditioni Patrum innixa & sensui Ecclesiæ consentanea. Erasmus quidem ad hymnum Prudentij de Natali pueri Iesu. (qui est XI. Cathemerinon Christi. Incertum esse ait, An B. virgo senserit? in gestatione vteri tædium, addas tamen probabilius esse non sensisse. [Quemadmodum (inquit,) nec cruciatum in partu. Ecce ventres pariunt cum dolore quoniam cum pruritu libidinis concipiunt. Eua noua quoniam in conceptu voluptatis titillationem non sensit, iure creditur ab omni gestandi, pariendique molestia, fuisse immunis] sic Erasmus. At non probabilius dumtaxat, sed indubitatum est, quia ita fuit sensus Ecclesiæ & communis Patrum traditio, B. Virginem neque fœtus concepti gestatione grauatam esse, neque in enixu cruciatam, qui autem Erasmum nouit, non multum eius in contrarium authoritate mouetur.

Hæc cum sint vsquequaque certa, non est quod nos remoretur locus à Lactantio l. 4. instit. c. 12. adductus ex Oda vndenicesima Salomonis. Michaël Tomasius, non legit in suo Codice signatum locum. In aliquibus Codicibus, pro Oda vndenicesima, habetur Psal. 20. Sic ergo ea Salomone Lactantius, probans Virginem Mariam absque viri opera Christum concepisse. [Cur quisquam (inquit) mirum putet, cum Spiritu Dei, cui est facilè quicquid velit, grauatam esse Virginem dicimus? Quod sanè incredibile posset videri, nisi hoc futurum, multa ante sæcula, Prophetæ cecinissent. Salomon in Ode vndenicesima, ita dicit. *Infirmatus est vterus Virginis*, &

& accepit fœtum, & granata est, & facta est in multa miseratione, mater Virgo.] In nuper edito Salomonis Psalterio, hic locus non comparet. Nec dici potest cum Isæo, Lactantij nono Scholiaste Salomonem si hoc dixit, non egisse de Deipara. Id enim est lactantium oscitantiæ infimulatæ, à quo hic locus allegatur, tanquam expresse exhibens conceptionem Christi in Virgine. Quid quod nulla fuit alia Virgo quæ manens Virgo facta sit mater quod hic asserit Salomon, accidisse Virgini de qua agit. Dicendum ergo est, & à Salomone (si is verè allegatur,) & à Lactantio, *granari* dictum esse pro *gravidam fieri*, atque impleri fœtu, quo facto secundùm eatenam duntaxat apparentiam Virgini contigit granati cum Christo concepto intumuit veteris; qui per item per conceptionem non nisi apparenter est infirmatus, iuxta consuetudinem omnium præter Deiparam fœminarum. Vel certè est infirmatus, & granatus Virginis veterus concipiendo Christum, non ipsa, sed quoad naturale debitum quod Deus præpediuit, impedita quacunque infirmatione, & granitatione. Eodem modò accipiendum videtur quod Prudentius dixit hymno 11. cathem. de matris fastidiis quibus in partu cicuit decus pudoris. Quanquam quæ dicta sunt fastidia *natura*, fortassis per mendum sic sunt appellata cum legendum potiùs videatur *Maria*, ita vt dixerit Poëta, *fenisse Virgo nobilis Maria.*

Iosephi turbatio, sponsa post regressum gravida deprehensa, per Angelum discussa.

7 Regressa domum absque vllo ex graniditate grauamine, prægnans Deipara, cuius exactô iam trimestri à conceptu, per tumorem vteri ea fœtûs accremento deprebenla esset grauida, non exiguæ turbationis materiam sponso Iosepho præbuit, vt narratur Matth. 1. vers. 18. & seqq. Id enim hoc tempore omnino contigisse, nec expectandam esse profectionem Bethleemiticam ad profitendum, vt fafacit S. Athanasius hom. de censu, omnino verum videtur. Nam ante aditam Elizabetham, quamuis iam Virgo concepisset, tamen intra biduum, triduúmvè quod inter conceptum Verbi Dei, & discessum intercessit, nondum fœtus adeò creuerat, vt mater ex tumore ventris posset deprehendi grauida. Fuit quidem Christus, iam ex primo momento adeò magnæ quantitatis, quantæ solet esse fœtus masculus post diem circiter 40 à conceptu quando animatur. Verùm tunc magnitudo fœtus non est tanta, vt aluum sensibiliter tumefaciat, quia illhuc vsque non crescit vitaliter, sed tantùm post animationem, quæ non nisi dicta circiter die peragitur. Itaque cum ros cœlestis illapsus esset in Virginem sicut pluuia in vellus, hoc est sine strepitu, & nemine conscio, vt eleganter Dauidem ad hoc ipsum propositum interpretatus est Theodoretus Psal. 71. Virgo autem ante aditam Elisabetham, non esset, siue sua enunciatione præ demissione, & modestia, siue tumore ventris deprehensa prægnans; nec Iosephus itersuisset alloquiis cognatarum, quibus B. Maria mater Domina facta, & per fidem verbis Dei præstitam beata ob verbi Dei conceptum est proclamata; regressam post trimestre sponsam abs se intactam, Ioseph supra quam dici potest miratus est grauidam.

8 Hæsit principio, attonito similis, Deo ad securitatem nostram firmandam, sic permittente, vt supra cum Beroardo, & Chrysologo diximus. Deinde post aliquem cogitationum inuicem disceptantium tumultum; hinc ventris tumore cooceptum fœtum prodente; inde comperta Virginis sanctitate magnos in eius animo æstus ciente; cogitauit de ea occultè dimittenda. Vbi insignis Iosephi victus proditur, iuata S. Ambrosium serm. 7. id psal. 118. vers. 5. [de Ioseph. (inquit) cui desponsata erat Maria mater Domini scriptum est, quòd cùm eam grauem vtero vidisset, *cum esset iustus, noluit eam traducere?* & vtique nullum adbuc audierat oraculum. Ira non solùm ab vltionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seueritate, persona iusti aliena est potiúsque ducit fiani remissionem accusari quòd non vindicauerit, quàm alienum crimen vrgere.] Petrus Chrysologus non dissimiliter serm. 175. [Ioseph. ille (inquit) maritus solo nomine, conscientia sponsus, prægnantem sponsam fluctuans, & anxius intuetur, quia neque accusare innocentem, neque prægnantem poterat excusare. Tacere tutum non erat, erat loqui periculū. Admittit non prodit crimina accusator insontis. Erat ipse testimonium castitatis, erat custos pudoris. Aliud noverat, aliud intuebatur. Confundebat Virginis fides, actus, & vita. In biuio mens iusta, & sanctus animus ancipiti cogitatione torquetur. Sentit sed tantum non potest penetrare sacramentum, quia nec accusare poterat, & defensare penes homines non volebat.] Magnis igitur pectus eius feruebat æstibus dubitationis, vnde hæc sponsæ abs se intactæ, & tam sanctæ, grauiditas. Itaque de adulterij suspecta coniuge dimittenda, iniuit consilium. Id enim fuisse Iosepho licitum, eo quod occulta esset dimissio, & absque scandalo, quæ dimissio adulteræ in foro conscientiæ est viro licita, affirmant Sanchez l. 10. de matr. disput. 15. num. 36. & idem dicent Maldon. Matth. 1. & Abulens. Matth. 19. q. 72. ad 2. Imò August. epist. 54. & l. 18. de tempore. Chrysost. Theophilactus, & Euthymius Matth. 1. qui motiuum Iosephi aiunt fuisse, suspicionem adulterij in coniuge; quantum mens videtur perspicuè colligi ex illo Angeli verbo *quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Si enim Angelus voluisset Iosephum auertere à consilio dimittendæ Virginis ob reuerentiam conceptionis Verbi Dei, (vt censet Orig. hom. 1. in diuersos, S. Bernard. homil. 2. super *Missus est*, aiens esse Patrum sententiam, S. Thomas aliique complures scholastici, quos Sanchez supra appendit; & sequitur Matthias Naueus orat. 4. de S. Iosepho, & latè Marianus Victor. in indice ad tomum 9. S. Hieronymi V. *Maria* monstrans ita sensisse S. Hieron. Matth. 1.) multo magis auertisset Iosephum à retinenda Virgine.

9 Itaque periclitata est Virgo de occulta dimissione. Sed Deus adiutor in opportunitatibus in tribulatione, Virgini se Deo permittenti opitulans, per Angelum quide integritate, & plena fide vxoris Iosephum certum fecit, discussit omnes suspicionum, vel etiam sinistratum opinionum inuincibiliter falsarum nebulas; & ad retinendam coniugem, ac in perpetuam vitæ consuetudinem abiecta diuortij cogitatione accipiendam, induxit S. Iosephum, qui cum sponsa deinceps eo maiore reuerentia conuersatus est, quo eam Deo acceptiorem ex tanto mysterio agnouit.

Farfur

Furfur Doctrinæ, circa Ioannis exultationem intra maternum vterum.

10. ALiqui vbiuis noua captantes, & verè mirabiliarij, exultationem infantis Baptistæ intra maternum vterum, non explicant de tripudio quo sanctus ille pusio ad occursum Christi gestiuerit; sed de conuersione faciei Ioannis versus Virginem & Christum in ea latentem. Supponunt enim infantem ita locatum esse in vtero, vt facies in matris dorsum obuertatur. Aiunt ergo Ioannem, vt Christum adoraret, obuertisse faciem versus matris abdomen, huncque esse saltum, & exultationem, cuius meminit Lucas. Ita opinatos Doctores non ignobiles, ait Philippus Beslaymont in Paradiso poetorum parte 1. c. 4. §. 5. describens Vincentium Regium l. 1. dilucidat. in Euang. cap. 6. Theorem. 2. *Ad finem* fundaturque in eiusmodi obuersione, insignis honor, & Christi, & B. Virg.

Verùm qui sint illi non ignobiles DD. quibus hæc insulsitas placuit, nequaquam proditur; estque verissimillimum alios non fuisse quam concionatores, plebeculam his veluti cupediis mulcentes. Recitat quidem ista ex aliis Iacobus de Valentia in prologo ad Canticum Deiparæ ad illud, *& salutauit Elizabeth*; sed recitat tantum. Et quamuis ex suo sensu ea affirmaret, leuior esset eius authoritas, quam vt stabiliendæ ei nouitati par esset. Sanè faciem infantis intra vterum, spectare dorsum Matris imperitè dicitur. Facies enim infantis apprimitur ipsiusmet infantis genibus, conuoluti velut in glomum: Deinde quæcumque esset infantis positio quandiu latebris illis claudebatur, perinde erat, prohibente septo materni vteris ne motus corporis infantilis, foris pateret. Ex parte item Christi potest vrgeri idem argumentum. Non enim habuit vultum obuersum ad matris abdomen, vt videtur supponi in imaginatione proposita, sed erat naturaliter locatus eademque positione qua passim cæteri pueri. Quod si supponeretur fuisse obuersus ad matris dorsum debuisset ipse quoque obuerti ad matris abdomen, ne ad officium Ioannis motum, inurbanè agere videretur. Quod autem commotionem & exultationem Baptistæ intra vterum, Vincentius Regius ait fuisse saltum quo infans Christum, & Deiparam adorauit, (nam etiam Dauid alacer saltabat coram Domino in supremæ adorationis argumentum,) non video quomodo stabiliri possit. Nam non potuisse infantem propriè saltare intra vterum, nemo non videt. Tametsi subsultus ille, & motus corporis gestientis, quem Baptista edidit exilicos præ gaudio, latè, & impropriè dici possit *saltus*. Eum autem qualemcunque saltum fuisse adorationem, gratis dicitur, nec rectè probatur ex saltu Dauidis, qui ad exultationem, & gaudium testandum pertinebat. Tametsi vtrobique adoratio potuit concomitari motum corporis gestientis, prodeuntem ex gaudio animi, & interna exultatione, quam fuisse mitam, & in magnis signis deputandam pronunciauit D. August. epist. 57.

De proportionali subsultu in Cæsare Baronio maternis visceribus adhuc concluso, quoties mater accedebat ad templum B. Virginis pronunciandum aliis relinquo. Rem narrant in summi illius viri vita Henricus Spondanus, & Hieronim. Barnabeus, Ioannes Nadasus in anno Mariano Sabato 40. Hippolitus Maracius in purpura Mariana c. 3 §. 1.

PVNCTVM VII. Pars I. Punctum 7. Virginis partus.

Puerperium sanctum, & vndecunque immaculatum.

EXAVNTE à conceptu mense nono, cum manasset edictum à Cæsare Augusto, vt quisque in sua ciuitate, id est quæ familiæ suæ caput esset, profiteretur denunciatò apud publicum ministrum suo, & familiæ nomine (de ea professione plenè, & accuratè Castro c. 7. hist n 2 per septem dubitationes) abiis Ioseph, cum vxore Bethleëmum, quia erat de domo, & familia Dauid. Bethleëm autem Dauidis patria erat, natiuitate, & educatione tanti Regis admodùm clara. Existimat S. Athanas. homil. de censu, hac descriptione Deum prospicere Christo voluisse, ne à Iudæis tractaretur aliter quam deceret ciuem Romanum. Hoc tamen non est admittendum. Nam neque ciues Romani poterant tractari prout Christus tractatus est, neque omnes qui censui sub Augusto subiacuerunt, facti sunt ciues Romani: alioqui omnes qui imperio Romano tunc suberant, donati fuissent ciuitate, cum omnes sint descripti. Itaque Ioseph profectus est Bethleëmum, vt profiteretur cum vxore prægnante, & obediret Augusti iussis.

Profectio Virginis in Bethleem sub nonimestre à conceptu.

11. EAm viam virgo non confecit pedibus, quandoquam non adegit eam ad iumentorum assumendum grauiditas: erat enim sine grauamine grauida, vt dixit sanctus Bernardus sermone in illud Apocal. *signum magnum*, & idcirco dictus est Dominus, ascendisse super nubem leuem, & Virgo iuxta Fulgentium serm. de laud. Mar. cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat; nimirum vt Bernardus supra addit, portabat onus leue, portabat à quo portabatur. ipse scilicet Christus, onus vteri exclusa grauitatione sua remouebat. Nihilominus, vt naturali Virginis debilitati, & decentiæ consuleretur, Virginem eam viam insidentem asinæ, confecisse ; pie meditantur multi: quibus licet refragante Toleto in c. 2. Lucæ, annot. 10. subscribit Suarez tract. 5. de relig. l. 9. c. 5. n. 17. addens bouem quoque à Iosepho adductum, vt venditus ad expensas professionis, & commorationis Bethleëmiticæ sufficeret. Quod tamen videtur reiicere Erasmus ad hymnum Prudentij de nat. Dom. tamē ex inolito sensu piorū, passim admittitur ea picturis, (quæ sunt scripturæ Laicorum, vt ex S. Bonauentura ait Molanus lib. 3. de imag. c. 17.) & plurium Patrum suffragio communitur à Castro c. 7. historiæ n. 11. Sancio Abacuc 3 ad vers. 2. n. 21. & à Leone Castrio in c. 1. Esaiæ ad vers. 3. vbi Cornel. Christi infantis adorationem qualem bruta præstare possunt, à boue, & asino præstitam contra Caluinum Patrum subsannatorem confirmat Lactantius, aut quisquis demum author carm. de pass. Dom. adstantes Christo in præsepi bouem & asinum agnoscit, ita canens.

Horrida prima mihi in terris magalia Iuda,
Hospitia in partu, soli atque fuere parenti.
Hic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum,
Arida in angustis præsepibus herba cubile.

G Ado

Adorationem tamen pueri per hæc bruta (vt vides) omisit, sed eam alij quidam attingunt. Quamquam loca Scripturæ quibus hæc persuasio à quibusdam stabilitur aliò revera pertinent, nec nisi in sensu accommodatitio, huc aptantur à Patribus. Cuiusmodi est illud Esaiæ 1.v.3.*cognouit bos possessorem suũ & asinus præsepe Domini sui.* Quod de Christo in præsepio accipiunt D.Aug.orat. contra Iudæ.c. 13. Prosper.de promiss.& prædict.p.3.c.5. Ambros.l.2. in Luc.c.2.& ibidem Orig.hom.13.& Theod. Ancyranus sic posse accipi fatetur hom. de nat. Dom. nec non illud Abacuc. 3. *Consideraui opera tua, & extaui, in medio duorum animalium cognosceris.* Sic enim verterunt 70. & eodem modo ad Christum puerum in præsepio accommodatur à Prospero, dicto capite 5.& à Diuo Augustino cap. illo 13. valdè probante Ribera ibi. Sed sunt, vt dixi sensus accomodatitij, quibus illa de boue, & asino persuasio piè fouetur. De ancillula quam adhibitam peregrinationis comitem, variis coniecturis confirmat supra Suarez, (eam certè domi non defuisse, verisimilius est; neque enim id excedebat sanctissimorum coniugum paupertatem, ac tenuem censum) neutra pars videtur nimium premenda. Tametsi verum perspicuè est, quod habetur apud Cyprianum serm. de nativ. ancillarum multitudinem, & copiosum famulitium defuisse.

Diuersio in stabulum, & inibi partus.

1 INter hæc exacto nonimestri spacio à conceptu Virginis, cum per conferiam multitudinem hospitium, & peregrinorum, qui Bethleemum ad profitendum conuenerant, non esset Iosepho, & coniugi prægnanti locus in hospitij cubiculis; post quantamlibet Iosephi pro sponsa præsertim solliciti diligentiam, coacti sunt in eam hospitij partem secedere, qua iumenta excipiebantur, vt quidem censet Toletus in capite 2. Lucæ, annot. 10.& Francisc. Lucas in capite 2. Lucæ vers. 7. necnon Salianus anno mundi 453. Christi 1. Et confirmat Epiph. sub finem orationis de laud. Deiparæ vocans *Stabulum,* quod iustius ait dicendum cœlum. Non pauci Patres apud Toletum supra, & apud Castrum capite 7. histor. numero 52. speluncam vocant, aut tuguriolum vtcumque habitabile, quod distinctius exhibet Baronius anno Christi 1. & Castro capite 7. histor. Deiparæ, numero 4. Sed Toleti sententiam, verisimilem reddit præsepe ibi structum. Quis enim in spelunca patente præsepe construat? nisi fortassis ea spelunca erat in ima parte domus ad quam hospites diuertebant. Non enim infrequens est, vt domus exædificentur supra, vel iuxta saxa, quæ infernè excauentur, & possint accedente præsertim nonnulla à cœmentariis, lignariisque fabris accessione, accipiendis iumentis vsui esse. Qua in parte non displicet quod Sectarius Casaubonus in Baronium impar congressus Achili ex Strabone obseruat, totam regionem circa Hierosolimam vsque ad sexagesimum lapidem esse petrosam. Additque ex Geographo Arabe, in illo tractu multas fuisse domos saxis inclusas, vel potius cellas, in quibus se se homines religionis causa includerent. Quidni? Cum etiam integrum cœnobium omnibus instructum, templo impluuio, cubiculorum ordinibus, & ambulacrorum, & officinarum solita varietate distinctum, intra viuum saxum excauatum artificio humano in sedunis apud Agricolam lib. de animant. subterran. cap. 7. legere meminerim, & templum ingens D. Mariæ sacrum, binis ordinibus columnatum structum, & omnibus in templo requisitis ornatum; ex vno solo lapide excauato constratis in Argo Anthiochiæ loco fabrefactum referat Francisc. Aluarez, de rebus Archiep. capite 44. Iustinus in parægesi ad Græcos testatur securius in Campania sexto à Basilij lapide, vidisse locum vbi Basilica ingens vno fabrefacta saxo, sedes fuerat Sibillæ, in media Basilica tria solia erant ex eodem excisa lapide in quibus aqua repletis lauabat Sybilla, & stola sumpta in penitissimum se Basilicæ locum abdebat, vbi eodem extructus saxo thronus, cui insidens Sybilla vaticinabatur. Stabula, & cellas vinarias in variis oppidis exstructa in viuo saxo non semel notare memini apud Allobroges. Itaque eodem modo potuit se habere in Bethleëmetico Christi nascentis diuersorio, potuitque inde denomniari à Patribus, *Spelunca,* vel *Antrum*; vt rectè notauit Gretserus l. 2. de Magis Euangelicis c. 11.

Congruentiam nati in stabulo Christi, optimè aperuit sanctus Bernardus sermone 35. in Cantic. considerans statum nostrum qui obrutueramus, & idem habet Hesychius oratione secunda, de Deipara. *in fine*, alloquens Deiparam. [Ne sis anxia, (inquit) si parias in stabulo vniuersæ creaturæ opificem: ne hæsites, si sedere facias in præsepio, eum qui sedet in dorso Cherubico: si non habeas locum in diuersorio, cum sis mater Regis eorum quæ sursum sunt, & deorsum. Libens enim qui ex te natus est, paupet efficitur, vt diuites refrænet, & egenis patientiæ sit argumentum, & gratiarum actionis magister. Libens reconditur in præsepi, vt qui sunt pecuini accurrant, & reperiant λόγον, idest, sermonem, & rationem in præsepi constitutam, vt ex eo recipiant dignitatem rationalem: vt qui currunt ad paleas frumentum nanciscantur: vt bestiarum more festinent, arbitrantes se inuenturos in præsepi manipulos hordei, & panem verum manducaturos, alimentum vitæ, cœnam lucis, escam lætitiæ, incorruptionis dulcedinem, vnde oritur notitia regni, arrha adoptionis filiorum, cœlorum hæreditas, societas cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto.] Sanctus Athanasius homil. de censu, eadem sic attigit. [In præsepio reclinatur, vt humani generis brutalitatem emendaret, & duorum animalium cibus fieret. Quorum vero animalium? Ethnici, Iudaicique populi, de quibus scriptum est, *In medio duorum animalium cognosceris.*] Inferius tamen agnoscit hoc diuersorium in quo Virgo peperit, [Ecclesiam præfigurasse, cuius altare, est præsepe: cuius Vicarius Ioseph, cuius Diaconi, Pastores; Sacerdotes, Angeli, cuius summus Sacerdos, ipse Dominus; Thronus B. Virgo, crateres, Virginis vbera, Vestis Sacerdotalis, incarnatio; Cuius flabella, Cherubin, discus, Spiritus Sanctus: Paret autem, disci operculum.] Hæc ille verè, si res non externa specie, sed spiritualiter, aut coram Deo spectetur. Rem enim exterius duntaxat spectando diuersorium illud non nisi stabulum fuit, nec præsepe aliud fuit, quam quod vox præfert, receptaculum scilicet pabuli bestiarum. Chrysologus sermone 175. quia is locus erat pro iumentis viatorum, & quia Christi parentes tunc temporis viatores erant, dixit Christum in via editum: quo eleganter de more accommodat dictum Christi se vocantis *viam*; [Atque natam in via viam, vt omnis aditus excluderetur erroris, & viator tandem cœlum peteret, qui terreni itineris incassum diu sudores pertulerat, & labores.] Quæ liquet probè cohærere cum Christi natiuitate in stabulo, extra viam vulgatem.

4 In eo igitur cibi iumentorum receptaculo luteo quod argenteo Constantinopolitano præoptabat S. Chrysostomus hom. 2. in Lucam, Deus Verbum collatum est, cum è Virginis illibatæ inuiolato vtero prodiit, media nocte antecedente diem 25. Decemb. (non autem sextum Ianuarij, vt ineptit Hæreticus Grammaticus castigatus ab Andrea Cydonio l. 2. pro Baronio cap. 13.) diem inquam 25. Dec. Quod autem dixi partus Virginei diem quantumcúnque reclamet delirus Beroaldus l. 4. chron. cap. 2. rectè explosus à Canisio l. 5. Marc. cap. 22. fuisse 25. Decemb. est in Romana Ecclesia, ratum. Et ex eius vsu Eugenius 4. in Consilio Florentino instituens Armenos mandat illis cap. 8. vt diem signatam habeant pro die natalis Domini. Tametsi Ægiptij Cassiano teste coll. 10. cap. 2. & ex Græcia nonnulli, & acriter S. Epiphanius (vt ait Alexander Monachus orat. de Crucis Inuentione) diem 6. Ianuarij cui apud nos est nomen *Epiphaniæ* habuerint pro die natali Domini, nec nisi circiter decennium antequam S. Chrysostomus nondum Episcopus haberet homiliam de die Natalis Domini, innotuisset Orientalibus ea partus Virginei dies, quam Occidentalibus ab initio ex perpetua traditione suorum maiorum fuisse perspectã asserit dicta homilia S. Chrysostomus, ea tota confirmans Occidentaliũ sententiam, quæ etiam apud Clement. consignata iam olim fuerat l. 5. constit. cap. 13. subscribente S. Augustino in psal. 132. & S. Hieronymo l. 1. in Ezech. cap. 1. vbi contrarium sensum S. Epiphanij hær. 51. expressum, refellit. Et adhæsisse Occidentalibus Ecclesiam Affricanam, liquet ex S. Augustino s. 40. de diuers. & lib 4. contra Crescon. c. 37. In summe dempto Epiphanio, (ait loco allegato Alexander Monachus) [& cœteri omnes diuini Doctores, Sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ vno veluti ore definierunt Natalem Christi fuisse diem octauum Cal. Ianuarij.] Fuitque ea sententia cum primum per Latinos Græcis innotuit, adeò celeriter à Græcis suscepta, vt ex præsertim celeritate confirmet S. Chrysostom. veritatem à Latinorum parte stetisse. Scio eam orationem de Natali Domini abiudicari Chrysostomo à Gretsero ad l. 3. Codini c. item 3. §. 7. argumento petito ex styli diuersitate, cuius fateor Gretserum in Græcis versatissimum, haberi posse congruum iudicem, est tamen nota satis incerta, cum vetus Author stylum sæpè discriminet. Argumentatur præterea Gretserus, quia author illius orationis, ait vix ante decennium, diem Natalis Domini innotuisse Orientalibus. Et tamen constat longè antetiùs festum Natalis Domini seorsim à festo Epiphanię clebratum esse à Græcis, vt patet ex oratione Nazianzeni, & Grægorij Nysseni de Natiu. Domini. Hoc argumentum eludi potest dicendo, Græcos celebrasse festum Natalis Christi cuius diem determinatam vix ante decennium nesciebant. Tertium Gretseri argumentum ad eam orationem Chrysostomo abiudicandum, est, quod Author dicat natalem Domini à primordio celebratum, & cognitum fuisse à Thraica, vsque Gades. At Constantinopolis est in Thraica. Sed hoc telum imbelle est, cum hæc oratio, à Presbytero *communem Doctorem* siue Episcopum suum allegante, sit habita priusquàm Episcopum ageret Constantinopol. Qua ratione concidunt omnia quæ Andr. Cydonius libro secundo, pro Baronio capite decimo-tertio, profert vt eam orationem Chrysostomo abroget. Itaque video quod solidè euincat, eam orationem non esse Chrysostomi ad huc Præsbyteri apud suos Antiochenos agentis, præsertim cum Author allegat suas homilias aduersus Iudæos Septembri mense ieiunantes, quæ extant, & conclamet in tumultuantes. Sub accessum ad sacram mensam, quod Chrysostomo non est nouum, vt vt sit oratio fuit antiqui Authoris cuius ætate dies determinata Natalis Domini, pridem Occidentalibus perspecta, Græcis innotuit multo serius. Porrò ea dies, hoc est Decembris vicesima quinta quo anno Virgo Christum est enixa, fuit dies Dominicus, vt ait Rupertus 3. de offic. capite decimo sexto, & vt habetur in 6. Synodo capite octauo monstratque Franc. Lucas ad caput secundum, Lucæ vers. 7. & fusiùs Suarez tom. 2. 3. p. disputatione decima-tertia, sectione quarta. (refragante tamen Anastasio 7. hexaëm. & quæstione nonagesima-secunda, in script. ac Saliano anno 4052. qui aiunt fuisse diem Veneris.) Pars 3. par. num. 9. Virginis partus.

Non censeo abfuisse Ioseph. Virg. parienti vt ex S. Brigitta ait Benzon. in Psal. 86. capite 40. trad. 12. Nisi si abfuisse dicatur eo modo quo statuit apud Petrum Damiani Author sermonis 62. sic describens quæ circa infantem, ac matrem, & Iosephum tunc contigerunt. [O Bethleem ciuitas Dei summi, & in te, & in suburbiis tuis visa sunt mirabilia hodiè. Deus pendet ab vberibus; ponitur in præsepe, ligatur in cunis, pannis inuoluitur, & laxatis fasciolis, felices manus, & sancta brachiola per cunarum paruitatem expandit. Alludit Virgini; Matri arridet, & blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cœlorum: confert in corde suo salutationem Archangeli, Conceptionem Dei, natiuitatem pueri & miratur quod ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subuenire. Adest & Ioseph, sed ab vtroque remotus & in excessu mentis miratur, & mirari satis non potest qualiter sit ad tantæ dignationis admissus arcanum.]

Pij affectus circa Virginis puerperium.

5 EXclamem hic meritò cum Augustino serm 9. de temp. [Ecce tanquam sponsus de thalamo; Mariæ sponsus procedit ex vtero. Occultatur in membris infantis potentia maiestatis; Deus pendet ad vbera genitricis Pannorum vilium squalore contegitur durissimi suffert præsepis angustias, & totum misericors humiliter patitur, dummodò mundus qui perierat liberaretur. O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata. O gratissimi delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium æternosque ploratus euasimus. O fœlices panni, quibus peccatorum sordes extersimus. O præsepe splendidum, in quo non solùm iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum.]

Nec illæ S. Athanasij voces minùs huic negotio congruunt, quæ apud eum leguntur serm. in descriptionem, ac censum. [Quis non loquatur, quis non miretur Domini condescensionem? Sursum liber, & deorsum censu descriptus: sursum filius, deorsum seruus: sursum Rex, deorsum mercenarius: sursum diues, deorsum egenus sursũ: adoratus, deorsum tributum soluit, sursum thronus diuinus; deorsum spelunca rustica: sursum paternus, & incomprehensibilis sinus, deorsum exiguum brutorum animantium stabulum, & præsepe. Quis non miretur, sursum res magnas, & deorsum exiguas fascias? Qui soluit, ligatur: qui nutrit, enutritur: incomprehensibilis, infantulus: apparet: qui fontiũ scaturigines aperit, vbera quasi mutuatur:

qui omnia gerit, modo inexplicabili gestatur: qui nullibi deest, certo loco incircumscriptè circumscribitur. O res stupendas! Elizabet in Domo nitida parit, & B. Virgo in parua gignit spelunca: Ioannes in lectulo, & Dominus in præsepio reclinatur.]

6 Optimum & illud ex Chrysippo in calce orationis de Deip. [In mensa bestiarum, Proponebatur panis cœlestis, vt ex hominum genere, his qui bestiales erant communicationem escæ mysticę exhiberet. *Et non erat locus ipsi in diuersorio.* Locum in quo habitaret non habet is qui domo totius mundi construxit. Non habet locum habitationis, quia cum esset diues, sponte pauper effectus est: locum non habebat; quis enim locus capere posset eum qui locum excedit? Quare peropportunum est, vt hoc etiam è Psalmis dicamus. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine?* Vnde enim hæc? Vnde enim nisi ex tua, quæ gratia nostri descendisti bonitate? Vnde tanta ipsius humilitas, nisi ex ipsius erga naturam nostram clementia;

Piè admodùm Guerricus serm. 1. de Nat. Dom. [ô puer dulcissime, IESV bone, quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ quàm abscondisti timentibus te, & perficies sperantibus in te, qui tantum exhibuisti necdum scientibus te! Prorsus dulcedo incomparabilis, & pietas ineffabilis, vt Deum qui creauit me, videam puerum creatum propter me. Deúsque maiestatis & gloriæ, non solùm similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis, & velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmitate. Verè tu puer Deus salutare vultus mei, & Deus meus, cum totus sis dulcedo, & desiderium, dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum. Hæc nimirum te capabilem facit sensibus, & affectibus paruulorum, qui nondum sunt, te solidum idonei capere cibum. Dulce interim, dulce prorsus, & sapidum cogitare puerum Deum; quia etiam efficax & operatorium ad medendum, ac dulcorandum si quis in nobis est rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Neque enim crediderim, vbi sensus & memoria fuerit huius diuinæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inueniri, sed omnis indignatio, & amaritudo cum omni malitia tolletur à nobis.] Ibidem serm. 4. de hac dulcedine, & pane Angelorum habente omnem saporem suauitatis, hominibus apposito, erumpit piissimè in vocem laudis, hortaturque perpulchrè, vt confiteantur inde Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum.

Addo & illud ex Adamo de Persein alleg. Tilmanni in capite secundo Lucæ subire nullatenus, humile Christi diuersorium dedignemur. Ibi puer natus est nobis, ibi filius datus est nobis, cuius exinanitio, nostra est repletio, cuius abbreuiatio est eruditio paruulorum. O felix tugurium! ô Regum palatiis diuersorium præferendum, quod cœlestis magisterij adiutorium factum est. Vbi verbum paruulos tanto intelligibiliùs de præsepio erudit, quanto eis per silentium infantiæ suæ, noua humilitatis decreta proponit. Vide fili, si verè philosophari appetis, à Christi diuersorio ne discedas. Ibi Verbum infans, vagit quidem in Cunis, sed præ Tullij facundia, imò præ eloquiis Angelorum, ille vagitus est eloquens, quæ linguas infantium facit disertas. Ibi inaccessibilis splendor obuolutus est vilibus pannis, sed quibus sordes criminum detergantur. Ibi Angelorum satietas, modico lacte alitur; sed cuius alimento humilium nutrita simplicitas, in adultam proueheror ætatem. In præsepi illo, Angelorum frumentum in hordeum vertitur, sed cuius pabulo pia iumenta in comportandis oneribus roborentur.]

8 Nefas fuerit in hoc mysterio prorsus præterire mellifluum Bernardum, qui etiamnum penè puer, huius mysterij suauitatem diuino viso edoctus, quod scribit in eius vita Gulielmus Abbas lib. 1. cap. 2. per vniuersam deinde vitam, & ipsemet ea dulcedine perpetuo delibutus est, & passim aliis suauiandam exhibuit. Sed missos sanè faciamus eius tractatus de hoc mysterio qui affectibus erga illud scatent, homilias inquam super *Missus est*, ac de Aduentu Domini, & de Natiuitate. Fauum duntaxat seorsim positum repræsento ex serm. 1. de Epiph. vbi expendens locum Apostoli ad Titum 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris Nostri Dei*, [Benè (inquit) dulce nomen *Saluatoris* non tacuit, quia hoc mihi maximè necessarium fuit. Alioqui quid agerem, audiens Dominum venientem? Numquid non fugerem sicut Adam, qui à facie eius fugit, sed non effugit? Nonne desperarem audiens quia venit ille cuius legem sic prænaricatus sum, cuius patientia sic Abusus sum, cuius beneficio tam ingratus inuentus sum? Quæ verò maior consolatio poterat esse quàm in dulci vocabulo, in nomine consolatorio? Propterea & ipse dicit, *quia non venit Filius vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Iam confidenter accedo, iam supplico fiducialiter. Quid enim timeā, quando Saluator venit in domum meam? Ei soli peccaui, donatum erit quicquid indulserit ille. Vbique enim, licet ei quod vult facere. *Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Aut quis accusabit aduersùs electos Dei?* Propterea gaudere nos oportet, quod in nostra venerit; nunc enim facilis ad indulgentiam erit. Denique paruulus est, leuiter placari potest. Quis enim nesciat, quia puer facile donat.

Meritissimò igitur exclamat Zeno Veron. serm. 5. de Natiu. [ô noua ratio, amore imaginis suæ coactus in infantem, vagit Deus patiturque se pannis alligari, qui totius mundi debita venerat soluturus. In stabuli præsepe deponitur, populorum pastorem, pabulúmque se esse contestans. Subiicit se gradibus ætatis, cuius æternitas in se non admittit ætatem. Totum contra conscientiam suam, vt homo infirmus patitur, vt homini mortis lege consumpto immortalitas tribuatur.] Verùm impares tanto mysterio affectus, sensus, & cogitationes nostras esse vltrò demus; dicamusque cum Authore sermonis de Nat. saluat. apud Petrum Damiani. (est sermo 61.) [Non poterit explicari sermone quod mente concepi. Stupor enim miraculorum, opprimit me, & dum omnia replico, omnia complicantur. Quis poterit cogitare diem aduentus eius? Ideò fit elinguis lingua, memoria immemor, insensibilis sensus. Insueta Natiuitate relucent omnia, & omnia partui Virginis obsequuntur. Fiunt mirabilia in cœlo sursum, & in terra deorsum, & vniuersa in nascentis Dei obsequium iurauerunt.]

Circunstantia partus Virginei ex credito Cypriano.

9 MOdum & adiuncta emissi ex matris vtero Christi, ex S. Brigitta fusè describit Dionysius Carthus. l. 1. de laud. Deip art. 27. Et quamuis S. Brigitta l. 7. reuel. c 21. perpulchrè describat omnia adiuncta sacri huius puerperij, tamē ea expressio prolixior. Magis placent quæ his verbis expressit apud Cyprianū Author serm. de Natiu. Domini. [Veniunt in Bethleē pastores,

pastores, quem prædixit Gabriel, inueniunt Emmanuel; ciuitas parua, domus paupercula, supellex exigua. Nulla domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo: manua in fœnu, filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium, huiusmodi habuit delicias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio, laciniæ congeruntur; genitrix est & obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam; attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium, plenum gaudio; nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pedissequas substantia familiaris non patitur; mancipiorum obsequia, sumptus tenuis, & inops mensa excludit. Nullum domus arcta diuersorium occultabat, nec secreti recessus erant illius casulæ, incrustaturam; tectum, & soli parietes, per circuitum vestiebant. Nec locus ibi erat lauacris, quæ solent puerperis præparari; quippe nec aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læserat; quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate.] Et mox. [Vltrò maturus, ab arbore beata fructus elapsus est: nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat. Nihil in hac re petiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vsuram. Spiritu sancto obumbrante, incendium originale extinctum est; ideóque innoxiam affligi non decuit; nec sustinebat iustitia vt illud vas electionis, communibus lassaretur iniuriis: quoniam plurimum a cæteris differens, natura communicabat non culpa. Estque ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul Mater & Virgo.] Interserit nonulla de B. Virginis per dies designatos recubitu, quæ expendam infra. Cætera exosculor.

Deipara, etiam in partu, Virgo, & quomodo.

10 Illúdque imprimis quod Deiparam, etiam in partu, fuisse Virginem tradit, subeunte verè Christi corpore matris Virginalia illæsa, & per ea absque vlius fractionis vel dilatationis interuentu, foras permeante, Hic spiritus hæreticus Iouinianus Manichæismi insimulabat, quasi huiusmodi affectioni conuelleretur veritas corporis Christi & ad phantasiam cum phantastico illo Christiano reuocetur. Vnde S. Ambrosium in quem porcinus ille monasterij ab ipso S. Ambros. constituti delector, nominatim conclamabat, Manichæum tetro æque ac fœdo cognomine appellabat, respergens eodem infami probro omnes Catholicos virginitatis Deiparæ in partu assertores, vt testatur S. Augustinus l. 2. de Nupt. cap. 5. & 23 & l. 1. contra Iulian. cap. 2 & l. 1. contra duas Epistolas Pelag. cap. 2. ac l. 2. cap. 1. & 2. At tantum aberant Catholici & nominatim Sanctus Ambrosius à Manichæismo, quantum Sputciloquus Iouinianus à sana mente quæ nisi cum defecisset, perspexisset vtique corpus Christi, tametsi verum corpus operante Deo per matris Virginalis illæsa foras prodire penetrando potuisse, & reuera prodiisse iuxta Scripturas, & constantem Ecclesiæ traditionem, vti similiter factum cum Christi corpus sepulchrum illæsum penetrauit, & prodiit foras Quæ duo æquiparant S. Gregor. hom. 26. in Euang. Theodoretus dialo. 2. Max. Taur. hom. 2. de Natiu. Dom. Aug. ser. 138. de tempo. & pulchrè a 2 ciu c. 8. adducto miraculo annuli Petronilæ, è Zona non dissoluta dilapsi. Et licet l. 4. de Trinit. c. 5. aliunde petat vteri & monumenti analogiam; [Octauo (inquit)

Kal. Aprilis, conceptus creditur quo & passus: ita monumento nouo, quo sepultus est, vbi nullus erat mortuorum positus, nec ante nec postea, congruit vterus Virginis quo conceptus est, vbi nullus seminatus est mortalium.] Tamen alia analogia, ob neutrum locum a Christi corpore diffractum, est frequentior. Sic porrò in partu integram & intemeratam mansisse Virginem fide sanctum est, vt contra Sectarios demonstrat Valent. 3. p. d. 2. q. 3. puncto. 1. & prolatis grauissimorum Patrum testimoniis compluribus Coccius t. 1. l. 2. art. 5.

Pars 1. punctum 6. Visitatio Elisabethæ Iosephi turbatio.

11 Inter illa eminent, quæ fundantur in porta illa clausa, quam soli Principi, absque apertione, & clausura salua peruiam vidit Ezechiel, quod de B. Maria, etiam in partu Virgine passim exponunt Patres, optiméque Hieronymus l. 2. contra Pel. Et Ambr. epist. 81. & in Virg. instit. c. 7. & 8. August. serm. 2. & 14. in Natiu. Dom. Proclus serm. de Natiu. Dom. Ruffinus in expositione symboli, Eutherius hom. 2. de Natiu. Petr. Dam. serm. 3. de Natiuit. Virg. [Hæc est illa ianua, (inquit Amedeus Lausanensis hom. 4.) de qua in Ezechielis volumine legimus; *Porta ista clausa erit principi, & per ipsam princeps egredietur.* Per hanc nimirum, Princeps Regum terræ Christus egressus est, quam sicut in ingressu non aperuit, sic in egressu non patefecit. Pertransiit in pace, & semita eius non apparuit, Et si miraris clauso vtero Mariæ, signatóque, Virginali pudicitia Deum natum; mirare quod clauso, obseratóque adito sepulchri ad superos rediit, & clausis ianuis ad discipulos introiuit. Non enim tollimus admirationem, sed incredulitatem arcemus] Nomine *porta cælorum* hanc Ezechielis portam expressit S. Germanus ad calcem orationis de. Natiuit. B. Virginis, cum eam compellans dixit; [Porta cœlorum per quam solus cœlorum Dominus ingressus, nemine ante ipsum, vel post ipsum, abditum capiente accessum O cœlum lætare ob ipsam. Te enim imitata quem non capiebas, non in arctum coactum comprehendit. O tellus ipsa exulta. Gestatio enim vteri ipsius cœlo acceptam tuam cum Deo vnionem, cœlos ipsos terrenos effecit.]

Egregiè quoque Hesych. hom. 2. de Deip. & alij plerique Patres apud Benzonium in psal. 86. c. 40. ordinone 28. Sed omnium plenissimè S. Hildefonsus, iusto operæ de perpetua Virginit. B. Mariæ, quod exarasse contra Theudium & Helladium, hæreticos, Gallos scribit Iulianus Petri in Chronico num. 338. inferiùs num. 348. dicitur scripsisse 14. conciones de hoc argumento. Nec abiit irremuneratum Sancti Antistitis pro Deipara studium, accepta diuinitus Cappa cœlesti, & ibidem habetur num. 343. & plenius Cixilla Toletanus tradit in calce vitæ S. Eldefonsi, attinguntque tabulæ Romanæ 23. Ianuarij. Claudo cum Proclo in calce sermonis de Natiu. Dom. [O mysterij, (inquit) magnitudinē; miracula video, & diuinitatem prædico: cerno passiones, & humanitatem non nego. Naturæ portas reserauit Emmanuel vt homo, sed Virgini claustra non violauit, neque perrupit, vt Deus. Is enim ex vtero est egressus sicut per autem ingressus. Ita natus sicut conceptus: qui impassibiliter fuerat illapsus, incorruptibiliter est elapsus. Inde Propheta Ezechiel aiebat *Conuertit me Dominus ad viam porta sanctuarij exterioris, qua respiciebat ad Orientem, & erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Fili hominis, porta hac clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, sed Dominus Deus Israel, solus ipse ingreditur, & erit porta clausa.* En gaudens demonstratio sacræ

Deiparæ Virginis Mariæ.] Eſt hæc de B. Virginia inuiolato ſemper clauſtro prophetia, adeò perſpicua, & apud Patres frequens, vt dicat Rupertus lib. 1. in Matth. ad illud, *pariet autem Filium*, id eſſe teſtatiſſimum. [Notum eſt Eccleſiaſticæ fidei, celebre & vſitatum eſt in laudibus Chriſti, & ſanctorum Patrũ ſcriptis, quia hæc porta clauſa, mater eſt incorrupta; *clauſa Principi*, ideſt ad honorem principis IESV Chriſti, qui videlicet princeps in ea ſedit: quippè qui à die conceptionis in Sacri ventris hoſpitio nouem menſibus habitauit, & per viam veſtibuli, ideſt per auditum fidei ingreſſus eſt, Deus, & homo, vnus idemque Dominus Iſraël, vt per eam vir non tranſierit; id eſt, neque in concipiendo ſe ſe inſereret, neque naſcituro viam aperiret.

Decebat planè ad eum modum edi Chriſtum Dominum, iuxta illud ex hymno S. Ambroſij quod Cæleſtinus Papa in Concil. Romano aduerſus Neſtorium, recitat in fragmento quod extat apud Arnobium lib. 2. Conflictus cum Serapione. [ait in ipſo Concilio, Apoſtolicæ recordationis Antiſtes S. Cæleſtinus, Recordor Beatæ memoriæ Ambroſium in die Natalis Domini noſtri I E S V Chriſti, omnem feciſſe populum, vna voce Deo canere

Veni Redemptor gentium,
Oſtende partum Virginis,
Miretur omne ſæculum,
Talis decet partus Deum.]

Et decuiſſe Deum ſic in lucem venire, & decuiſſe Virginem non alium quàm Deum parere, eleganter dicit S. Bernardus homil. 2. ſuper *Miſſus eſt* ferè initio.

52 Ad veritatem hanc Catholica fide exploratam plenè perſpiciendam, exponendum ſequeretur, quomodò Chriſtus habens corpus extenſum, & impenetrabile, potuerit non diffracto vllatenus, aut dilatato matris clauſtro, prodire in lucem. Nam figmentum Maytonij ſupra exploſimus, quo aſſerebat idcirco Chriſtum exire potuiſſe illæſo matris clauſtro, quia non erat in vtero niſi definitiuè. Et æquè explodendum eſt, quod Maior in cap. 2. Matth. dub. 7. ad hoc ipſum extricandum commentus eſt, nempè Chriſtum exiiſſe è ventre matris, ſine tranſitu per medium, ſicut ait contingere in Eucharistia, quandoquidem corpus Chriſti quod in cœlo eſt, ponitur ſub ſpeciebus panis, ſub quibus antea non erat, nequaquam tranſeundo per medium. Hoc nego ſatisfacere. Tum quia veriſimilius eſt, motum illum ab extremo ad extremum non pertranſito medio, eſſe impoſſibilem, vt benè aſſerit Molina 1. p. q. 53. art. 2. & Leſſius l. 3. de ſummo bono num. 82. videturque euinci ex ratione fluxus, intrinſeca vero motui locali, cum qua non cohæret proſultus ille abſque decurſione medij ſpacij. Nec ita accidit in poſitione Chriſti ſub ſpeciebus, quæ fit per reproductionem, non autem per lationem. Tum etiam quia quamuis ea ratio motus eſſet poſſibilis, non poſſet tamẽ cohærere cum vero partu, qui manifeſtè fert tranſitum per loca mulieris. Sanè diſertè Patres inde extollunt Chriſti naſcentis humilitatem, quod pudorem humani exordij non recuſauerit, & per eam portam in hanc lucem venerit, per quam veniunt cæteri: quod falsò dicerent, ſi Chriſtus ab vtero, abſque tranſitu per medium foras veniſſet.

Quare neceſſario admittendum eſt, Deo volente factam eſſe penetrationem Chriſti, & illarum partium matris, quibus fœtus naturaliter ad lucem venire ſolet emitti. Quomodò autem id factum ſit patiente Deipara, diſtinctiùs expoſui l. 4. de Chriſto, agens de perfectionibus corporis Chriſti, attigitque breuiter Mol. in Coſmop. d. 29. *in fine*, aduertens ex gloria animæ Chriſti naſcentis, reſultaſſe dotem ſubtilitatis, ad eum ſolum effectum, vt ex compoſſibile eſſet in eodem loco cum clauſtro matris, poſſetque Chriſtus per illud non effractum, & planè intemeratum, exire.

53 Faceſſant ergo, qui Virginem quidem ante partum, & poſt partum manſiſſe Virginem admiſerunt; in ipſa tamen partione amiſiſſe Virginitatem, blaſpheme vomuerunt. Nolim eis accenſere S. Iſidorum Peluſiotam qui l. 1. epiſt. 23. tractans illud *omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur*, ait in ſolo Chriſto valuiſſe. [Etenim omnem quidem vuluam, concubitus, ac venereus complexus aperit. At eam quæ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum peperit, ipſe ſine ſemine conceptus, prodiens aperuit, ac rurſum clauſam, & obſignatam reliquit, verè nimirum homo effectus, & verè item Deus exiſtens.] Nam ſignificat S. Iſidorus Chriſtum prodeundo reſeraſſe, & ſtatim ab exitu denuo clauſiſſe, & clauſum in perpetuum reliquiſſe maternum vterum. Sed ſed ſenſus eſt, prodire ex vtero, dici vteri apertionem, quamuis prodeundo nulla ſit facta reſeratio, ac diuulſio partium, quæ proinde indiuulſæ, & obſignatæ relictæ ſunt in partu ſicut ante partum fuerant. Contrarium autem aſſertum, fœdo errore ſordet. Audi Goffridum Vindocinenſem ſerm. 4. de Natiuit. Dom. [Quibuſdam perſonis aſcribitur, quod matrem Domini, & ante partum, & poſt partum prædicant quidem Virginem; ſed portam ventris eius apertam in ſuo partu, & poſt partum ſtatim clauſam fuiſſe fatentur: quaſi ad horam fuerit Virgo, & ad horam perdiderit virginitatem. Inſanum eſt hoc dicere, & credere prophanum. Qui hoc dicit, vel credit, Spiritui ſancto contradicit. Nam diffitetur veritatem quam Spiritus ſanctus per Ezechielem prophetam confitetur dicentem; *Eſt porta in domo Domini clauſa, & non aperietur.* Ego autem in Spiritu ſancto firmiter credo, & indubitanter profiteor, & ad horam, & ad moram, & ante partum, & in partu, & poſt partum, eam fuiſſe Virginem, & peperiſſe in vna perſona Deum & hominem, & ſine carnis apertione, & ſine corporis, & animæ corruptione. Et mox. [Quicumque igitur ſuper hoc aliter ſapiunt, deſipiunt, & quod eſt prorſus alienũ à veritate narrant. Sed errant, & nihil prodeſt eis Matrem Saluatoris, & ante partum, & poſt partum confiteri Virginem, qui eam in ſuo partu fuiſſe Virginem negant. Virgo etenim ſancta fuit ante partum, & in partu Virgo ſanctior, & ſanctiſſima Virgo poſt partum; quia quanto maiora egit in ea diuina operatio, tanto maior in ipſa ſanctitas creuit, atque religio. Hoc docemur fide Catholica, & Chriſtiana doctrina contrarium execratur. Numquam itaque aperta, ſed clauſa ſemper & ſigillata fuit, vteri Matris noſtri Saluatoris ianua: per quam exiuit ipſe Deus homo, tanquam ſponſus procedens de thalamo. Vterus bonæ, & beatæ Virginis Mariæ thalamus dicitur, quia in eo ſociata ſunt, & diuinitas Carni, & caro noſtra Diuinitati. Vulua mulieris, porta ventris eius, rectè dicitur, quia per illam exit homo, & venit in hunc mundum, cùm ipſe naſcitur. Quæ in alijs quidem mulieribus, prole exeunte, aperitur; in ſola autem Matre Domini, & eo naſcẽte, & ante & poſtea clauſa fuiſſe legitur veraciter, & firmiter creditur, Ezechiele propheta atteſtante, qui dicit, *Eſt porta in domo*

Domini

Domini clauſa, quæ non aperietur. Honorabilis & prædicabilis fœmina, digna Deo Virgo Maria, *Domus Domini* appellatur, in qua porta Orientalis, clauſa ſemper eſſe prohibetur.]

14 *Orientalem portam*, nominatam cenſet ipſam communem viam ad ortum, quàm tamen negat, etiam in Chriſti ortu, fuiſſe vlla ratione patefactam. Et meritò. Nam ſi admitteretur, vel pro ipſo exiguo tempore quo Chriſtus per eam tranſiit, conuelleretur Deiparæ Virginitas. Nec referret quod Deus poſtea omnem integritatem in ea parte ſarciret, vt ſanè poſſet, quod Petrus Damiani opuſc. de Dei omnipotentia, contra S. Hieronymum diſputans, perſpicuè euincit factumque reipſa à Deo fuiſſe in S. Magdalena, affirmat Leonardus de Vtino tract. de ſang. Chriſti capite 21. dub. 7. allegato in eam rem (ſed falsò quantum memini,) S. Thoma, cuius nullum locum adducit. Idem in quadam Abbatiſſa pœnitente factum Deiparæ precibus, ſcribit Cæſarius l. 7. mirac. capite 35. & Richardus à S. Laurentio l. 2. particula 1. cauſa 23. Poſſibile id quidem, etiam de ſententia Ethnicorum, qui vt eſt apud Panſaniam 2. Corinth. Iunonis virginitatem quotannis redintegratam aquis Canathi fontis fabulabantur. Hoc inquam non refert ad rem præſentem. Nam quamuis materialiter reparata eſſet integritas, tamen formaliter nunquam reſtitueretur virginitas: quia ſemper verum eſſet, Deiparam fuiſſe quandoque expertam diſpendium Virginitatis, quod eſt blaſphemum. Et hunc fuiſſe ſenſum D. Hieronymi, malè à Petro Damiani intellecti, monſtraui in Naturali Theologia diſt. 8. num. 313. confirmatque Rupertus l. de læſione virginit. cap. 11. Sit ergo planè ratum, & certa fide conſtitutum, B. Virginem ſemper fuiſſe Virginem, id quod ipſa *Virginis* denominatio confirmat. Quod enim obſeruat S. Epiphanius hær. 78. nemo vnquam ab omni æuo Chriſtiano B Mariam nominauit, quin etiam ſi non rogarus addiderit epitethum *Virginis*, quæ certa nota eſt, Eccleſiam certa fide tenere, eam ſemper fuiſſe incorruptam.

Quinimo, vt dixi in Gloſſario ad Nomendatorem, & infra num. 24. ea pleriſque Patribus illuſtrato; Deipara Virgo, per partum reddita eſt *Virginior*, ſi ita fas eſt loqui. Eius quippè Virginitas, per tam ſanctum partum velut obſignata eſt, ita vt non eſſet deinceps ei diuino tabernaculo ab inquinatione vlla timendum. Idque voluit Ennodius carm. 19. quod eſt de Virgine fœta, per aurem concipiente, in quam quod lingua iecit, ſemen fuit.

Fons dicta clauſus accipit,
Fons membra clauſus egerit:
Nec rima ceſſit arctior,
Et vera proles emicat.
Dic mater, & Virgo precor,
Quiſquamnè claudi exiens?
Arctantur exta fœtibus,
Vinclum pudoris, natus eſt.

Enixus Deiparæ, & partus eam minimè latens.

15 INſuper Deipara (quod item Author ſermonis de Natiu. rectè aſſeruit) Chriſto corpus eius inter naſcendum penetrante, ſine vllo dolore, & abſque conatu violento: fœtum ſuum enixa eſt, non merè paſſiuè ſe habendo, quia *pariendi* verbum plus fert, vt monui tract. de ortu infantium cap. 1. num. 7. ſed aliquatenus agendo, & vi natiua impellendo fœtum illæſis virgineis clauſtris, ob adbibitam penetrationem, ſine moleſtiæ ſenſu emiſit infantem. Ex illo autem impulſu actiuo, conſtat B. Virginem ſciuiſſe ſe eniti, contra quàm ſenſit Ioannes Geometra. Lucæ 2. verſ. 19. [Quid eſt (inquit) *conferens*? Forte quidem conferens, & cuſtodiens in corde; Fortè verò etiam vnum cum alio conferens atque componens, non dicta tantùm, ſed & viſa, tam in templo quàm extra templum, cum ab Angelo, tum à Paſtoribus: ipſum denique partum, ac parturitudines, vt non modò illas ignorarit, & mater exiſtens, virginitatem cuſtodiens, quin & filium ipſa non ſenſerit. O diuinorum operum diſpenſationes, ac naturarū innouationes: Nullum proceſſus ſenſum præbuit, & ex vtero ſtatim erat in ſinu eius, vt quemadmodùm ſine ſemine, atque incognita ratione conceptus fuerat, ſit etiam non ſine corruptione duntaxat, verùm etiam inſenſibiliter naſceretur. Atque id amplius habuit roris, ac velleris. Nam ros quidem ſponte, ac ſine ſtrepitu in vellus deſcendit, non ſpontè tamen, nec ſine manu ex vellere collectus fuit. Hic verò præter cætera, ipſum etiam rationale vellus in conceptione latens, quin & totam ſuam craſſitudinem terminumque ex ipſo ſuſcipiens, pari facilitate proceſſit, vt non ſolùm alios, ſed & propriam latuerit genitricem, quaſi non ſibi tantùm obſtetricatus fuiſſet, ſed & ſemetipſum peperiſſet.] Hoc non approbo, quia verè Virgo ſciuit ſe parere, tametſi abſque dolore emiſit prolem, & antequàm parturiret peperit, vt Damaſcenus 4. fid. cap. 15. locum Iſaiæ 66. piè expoſuit, & idem latè habet Nyſſenus hom. 13. in Cant. viſus negaſſe Virgini ſenſum ſui partus, cum tamen tantùm neget parturigenem, ſiue partum cum dolore. [Vt Virgo ipſa (inquit) non cognouit quo pacto in corpore ipſius corpus illud diuinitatem recipiens coaluerit, ſic ne partum quidem ſenſit.] Hoc quid ſit, declarat continenter. Subdit enim; [Etiam Iſaia Propheta de illa teſtante, quod parturigo ipſius, doloris expers fuerit.]

Pars 1. punctum 7. Virginis partus.

Nullus Virginis dolor in partu.

16 SAnè cum duplex ſit cauſa doloris parientium, nempè apertio membrorum genitalium per quæ infans exilit, & diſruptio vinculi quo maternis locis, in quibus per nouimeſtre egit, conſerebatur, neutra doloris materni cauſa, hic interuenit. Non enim prior, quia Chriſtus irreſerato, intacto matris corpore editus eſt; ſicut lux vitrum illæſum perlabitur, quæ eſt elegans in hanc rem comparatio Athanaſij claſſe 3. qq. ad Antiochum in 19. [Sicut (inquit [domus circumſepta vndique, quæ habet Oriẽtem verſùs, vitream, puram, & tenuiſſimam feneſtellam, Oriente Sole, & radiis eius penetrantibus vitrum, & ingredientibus domum, tota colluſtratur, & rurſus tranſeunte Sole, & egredientibus radiis, vitrum non confringitur; ſed tactum ab ingredientibus, & egredientibus repercuſſionibus radiorum Solarium, manet illæſum; eadem ratio eſt, ſemper Virginis Mariæ. Illa enim ter caſtiſſima, vt domus quædam circumſepta eſt; Filius & Verbum Dei, eſt vt radius diuinus ex Sole Iuſtitiæ Patre deſcendens, qui per vitream feneſtellam aurium illius ingreſſus, ſanctiſſimam domum eius illuſtrauit; & rurſus, vt idem nouit, exiuit non fœdata virginitate illius, ne minimum quidem: Sed ſicut ante partum, etiam in partu, & poſt partum, Virginem caſtam conſeruauit. [Actius Syncerus, eo Poëmate quod de Vir-

ginis partu inscripsit, præter cæteras, hanc Virginei partus comparationem, sic attigit.

Mira fides; Puer atheras iam lucis in auras,
Prodierat; fænòque latus malè fultus agrestè
Impulerat primis resonum vagitibus antrum:
Alma parens nullos intra præcordia motus,
Aut incursantes deuexi ponderis ictus
Senserat: hærebant immotis viscera claustris.
Haud aliter, quàm cùm purum specularia Solem
Admittunt: lux ipsa quidem pertransit, & omnes
Irrumpens laxat tenebras, & discutit vmbras
Illa manent illæsa.

17 Richardus à Sancto Laurentio, perpulchrè idem expressit, & his versiculis illustrauit libro 10. de Deip.

Vt Solis radius
Intrat innoxius
Fenestram vitream.
Sic Dei Filius
Imò subtiliùs
Aulam virgineam.

Est hæc particula prosæ quam ex Adamo de S. Victore exhibet Clyctouæus libro. 4. Elucid. Eccles. *pag.* 176. Additur ibidem à Richardo, bellèque illustratur alia non minùs concinna collatio his versiculis expressa.

Si chrystallus sit humecta
Atque Soli sit subiecta
Scintillet igniculum.
Nec chrystallus rumpitur
Nec in partu soluitur
Pudoris signaculum.

Accipe etiam Philippi Abbatis bonæ spei, breue in hanc rem carmen.

Sol, chrystallus, aqua dant qualemcumque figuram
Virginei partus, erudiúntque fidem.
Si tingatur aquis, & soli subiiciatur,
Scintillas profert integer ille lapis.
Flamine sic abluta sacro, subiectáque Soli
Iustitia, peperit integra Virgo Deum.

18 Irrescissa igitur, prorsusque integra in partu mansit B. Virgo. Quod si aliqui olim dixere, Christum nascendo aperuisse vuluam matris, noluerunt dicere fractionem, vel apertionem aliquam verè interuenisse in hoc partu: sed per *vuluam apertam* intellexerunt diuino miraculo peruiam, & nullatenus obstantem exitui corporis Christi sebeuntis, tametsi eo aditu nullatenus patefacto per compressionem, ac diuulsionem vllam partium loco cedentium, vt Christus prodiret. Quam esse germanam antiquorum Patrum ea in parte mentem, vno excepto Tertulliano, eruditè monstrat Toletus in cap. 2. Lucæ annot. 36 præter alias interpretationes quas aceruat Fernandius agens de porta orientali visione 18. sect. 12. num. 7. Quod dico tradit egregiè Amphiloch. hom. de hypap. & clarè etiam habentur ex Methodio orat. de eadem hypap. ait enim in partu Virginis apertam esse vuluam, nec tamen claustra virginitatis esse disrupta.

Alicia item doloris parientium causa defuit hoc loco. Deus enim cohæsionem Christi cum matre, absque matris sensu abrupit; vnde illi dicitur ab ipso Christo apud Psaltem Psal. 21. *Tu es qui extraxisti me de ventre.* Nam licet Tertullianus l. de carne Christi capite 20. eum locum vrgens aduersus hæreticos, auulsionem Christi violentam, atque adeò cum dolore puerperæ coniunctam à Deo factam, commentus videatur: tamen ratum esse debet, id quod certa Patrum, & Ecclesiæ traditio habet; nempè Deum ita connexionem illā corporis Christi cum materno corpore intercidisse, vt nulla matri parienti ingeneraretur molestia, nullus cruciatus inferretur. Atque ita verissimum manet quod dixit S. Bernard. serm. in illud *signum magnum*, B. Virginem fuisse sine dolore puerperam, & solam inter mulieres à communi maledicto de dolore parturientium alienam.

19 Rationem eius immunitatis, petit Richard. Victorinus l. 1. de Eman. cap. 10. ex antithesi B. Mariæ cum Eua. [Ad mulierem (inquit) dicitur *in dolore paries filios*; hic de nostra puerpura dicitur; *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Sed cur illa peperit non sine dolore, nisi quia non concepit sine libidine? Libido sanè causa doloris, & dolor effectus libidinis. Ex effectu igitur causa innuitur, in eo quod dicitur, *in dolore paries filios.* E contrario autem, simul & è conuerso, hic ex sublatione causæ, perpenditur effectus ipsius sublatio. Quæ enim concepit cum virginitate, concepit sine libidine, & quæ concepit sine libidine, consequenter intelligitur peperisse sine dolore. Ibi nec conceptus sine culpa, nec partus sine pœna. Hic quia conceptio sine concupiscentia, & parturitio sine pressura Quod igitur humana natura perdidit in puerpura prima, (scilicet concipere, & parere sine corruptione;) hoc in hac puerpura nostra, velut quasdam reparationis suæ primitias videtur recepisse,]

Optimè S. Hildeph. serm. de perp. Virginit. & parturit. Mariæ, vbi contra aliquos tunc exortos Hæreticos, fatentes quidem ore tenus, Deiparam fuisse Virginem etiam in partu; sed tamen communi lege, ac more cæterarum peperisse, & cruciatibus ordinariis parturientium obnoxiam fuisse, potenter disputat; monstrat hunc partum fuisse sine gemitu, sine dolore, sine molestia, & angustia, sine tristitia & afflictione; quod copiosè, & diligenter prosequitur. Et idem præclarè æquè, ac latè præstat Amedus Lausan. hom. 4. da Deipara. Nimirum tametsi naturale est parientibus cruciari; (quod mitior videri negaret S. Hildephonsum l. de perp. Virg. & parturit B. Mariæ *non multum ab initio*;) tamen cruciatum illum nisi peccatum interueuisset, præpediuisset gratia; & idcirco mulieri in pœnā dictum est præter cætera, *in dolore pares.* Cum igitur Virgo natura cæteris communicaret, non culpa, & ab illuuie originalis peccati fuisset plenè munda; non sustinebat Iustitia innoxiam subiacere doloribus, vt philosophatum vidimus authorem sermonis de Natiu. apud Cyprianum.

Benè itaque S. Bernard. serm. 4. in Vigil. Natiu. Dom. [Cui poterit Christus asper, aut durus videri, qui nec ipsi matri in natiuitate quicquam asperitatis, quiquam intulit læsionis? O noua verè miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Euæ. Peperit enim filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem, & sicut prædictum est per Angelum Gabrielem; *Benedicta tu in mulieribus* O beata, sola inter mulieres benedicta, & non maledicta; sola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena. Nec mirum fratres, si dolorem non intulit matri, qui dolores totius mundi tulit, secundùm quod Esaias ait. *Quia verè langores nostros ipse tulit.* Duo sunt quæ timet humana

mana fragilitas, pudor & dolor. Vtrumque Christus tollere venit, vnde & vtrumque suscepit, quando (vt cætera sileam,) morte, & morte turpissima condemnatus est ab iniquis. Itaque vt fiduciam nobis daret quòd tolleret hæc à nobis, priùs matrem suam immunem ab vtroque seruauit; vt nec in conceptu quicquam pudoris, nec in partu quicquam doloris existeret.] Piè Nyssenus longiorem in hanc rem concludens disputationem homil. 13. in Cant. de Christo sine matris dolore nato, ait; [Neque è voluptate cœpit existere, neque per dolores in lucem prodit.] Et rationem reddit orat. 1. de Resur. [Ab Esaia (inquit) Virginem matrem, sine Patre Filium, sine dolore puerpuram, sine labe partum prædisces, Sic enim loquitur Propheta. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*; quæ vox significat, *Nobiscum Deus*. Æquum erat autem, vt sine dolore hic partus existeret. Etenim cum omnis voluptas dolorem coniunctum habeat necesse est vt in iis quæ ita copulata sunt, cum vnum abest; alterum etiam absit. Itaque cum nulla concipiendi voluptas antecesserit, ne pariendi quidem dolor est consecutus. Hoc autem Prophetæ verbis etiam comprobatur quæ sic habent. Antequam dolores sentiret, peperit.] Est porrò consideratione dignissimum, quod S. Paulinus epist. 37. agens de morte Rachelis in Bethleem annotauit. [Illum (inquit) locum titulo mortis vxoriæ, Iacob prophetica mente signauit, prouidens legem ortu Euangelico sopiendam. Quo mysterio, coniux Patriarchæ quæ pluribus locis in Ecclesiæ imaginem vixit, tamen vt reor, in Synagogæ typum moritur, & partu filium doloris enixa, illhic vbi erat Virginis partu, legi finis edendus. Finis enim legis Christus.] Ibi ergo pia mater, ac Virgo filium dextere absque dolore fudit, vbi præ dolore obiit typus Synagogæ, vetus puerpera. Hoc priuilegium fuisse Deiparæ singulare, constat ex multa illa aliis omnibus irrogata, *in dolore paries*. Mendaciter verò iactatum est de matre Ciceronis apud Plutarchum in eius vita, quod nullos in eius partu dolores senserit, nullis vteri angustiis sit cruciata. Fabulæ item sunt stolidorum Arabum, vt rectè pronunciauit Petrus Hœdus l. de Amoribus cap. 6. quod Mater Mahumeti testata sit nullum se ex filio, siue in vtero, siue in partu sensisse dolorem. Vel si id ipsa affirmauit mendaciter dixit, & cum profligatione veritatis. Soli Virgini quæ filium nitentissimè conceperat, hoc decus in partu obiit.

Concidit denique ex dictis fabulositas appingengentium imagini Christi ex matre nascentis, lectum in quo puerpera grauata enixu, decumbat, & obstetricem sorbitiunculas porrigentem ad vires fessæ instaurandas supponentium item capiti in strato ceruicalia. Quas insulsitates ex ignoratione decorum sancti huius puerperij confictas, refert, merito cum Hesselio, Catharino, & aliis, explodit Molanus l. 2. de Imag. cap. 27. Vbi enim dolor planè absfuit, quorsum fomenta doloris excepiti, & grauationis alexipharmaca?

Nulla in hoc partu sordes; ac primum ex parte infantis.

20 NEc dolor tantùm, iuxta proximè laudatum Authorem libri de operibus Christi Cardin. sed etiam illuuies quæcunque huic partui defuit, vnde lauacra hinc ablegat. Nimirum cætera quidem puerperia, multipliciter sordent; & fœtus è maternorum locorum sentina prodiens, scatet fœcibus; ac turpi illuuiæ fœdatus in lucem venit; eo autem emisso, secundinarum quibus obuoluebatur in vtero, & multorum è cibi reliquiis inibi ad exitum vsque asseruatis excrementorum fœdissimorum deiectio consequitur: quæ omnia multas spurcitias, & sordes matris, ac fœtus, adiunctas habent. At in Virginis puerperio nihil tale accidit Deo per singulare beneficium, vas hoc admirabile, nitens, ac purum præstante. Itaque quicquid dixerit Origenes hom. 14. malè huc trahens locum de Iosedechi filio Zach. 3. prolatum; quo IESVS vestibus sordidis amictus dicitur, neque ex parte pueri exeuntis sordes vllæ fuerunt neque ex parte matris parientis.

Puerum sanè exiuisse prorsus illimem, ac nitentem, contra quàm aliis accidit docet pulcherrimè Zeno Veron. serm. 2. de Natiu. Dom. verbis illis [Mariæ superbus emicat venter; non munere coniugali, sed fide: verbo, non semine? decem mensium fastidia nescit: vt potè quæ in se creatorem mundi concipit, parturit non dolore, sed gaudio. Mira res! exultans exponit infantem, totius naturæ antiquitate maiorem. Interea rudis non gemit fœta, mundum, non vt assolet, infans fusis ingrediens sponte vitæ reptantis præuiis lachrymis auspicatur. Non mater eius tanti partus pondere exhausta, totis pallens iacuit resoluta visceribus; non filius matris, aut suis est vllis sordibus delibutus: neque enim reuera aliquid circa se habere posset immundum, qui humani generis peccata sordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ sunt tarditate periculosæ, nulla puerum maternorum viscerum prosecuta sunt damna. Nulla adhibita rudi foetę sueto more fomenta; neque enim fratres, his poterat indigere, quæ accipere in vterum meruerat filium animarum omnium saluatorem.] Idem fuerunt illa S. Leonis serm. 2. de Natiu. Dom. [Noua natiuitate genitus est, conceptus à Virgine, natus ex Virgine sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria: quia futurum hominum Saluatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret.

21 Videsis etiam, an non eodem pertineant, & Christum prorsus nitentem prodiisse ferant illa S. Bernardi serm. 3. de Purif. ex ore Virginis. [Putas non poterat moueri animus eius, & dicere. Quid mihi opus purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi, cuius vterus nesciens virum templum factum est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperit Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obseruatio, quæ purissima facta sum in ipso partu immaculato?] S. Austinus Orat. de V. Hæres. cap. 5. ad Manichæismum refert sordes Christo nascenti illinere: nec Christum prodiisse ex matre maculatum, demonstrat prolato nitore radij solaris semper puri. Idem planè confirmat S. Epiphanius hær. 69. ac S. Hideif. l. de Virg. & parturit. B. Mariæ, & ex reuelatione sibi facta S. Brigitta l. 7. reuel. cap. 21.

Pulchrè simul, ac piè Guerricus serm. 1. de Natiuit. Dom. inter stupendum, & demirandum quod Deus factus infans ad nostras abiectiones se demiserit, hanc tamen excludit. [Ostende (inquit) nobis Domine misericordiam tuam nostra indutam miseria, & nouo miserendi genere de ipsa miseria, miserorum operantem remedia. Ad hoc si quidem

ars

habet Caiet. 3. p. q. 35. art. 6. ad 3. in editionibus non mutilis. Hoc dico mihi non probari, quia est apertè contra Patres supra dictos, iuxta quos dicendum est, omnem illam illuuiem quam Christus in vtero propter nos iuata se, more infantium cæterorum habere voluit, (quod Orig. meritò demiratur hom. 14. in Lucam) emisso è matris visceribus Christo, diuina opera quia ita filium, & matrem decebat, euanuisse.

26 Idem dicendum est de pellibus secundinarum, quibus Christum fuisse in matris vtero obuolutum, non est ambigendum; tamen salua matris integritate prodire non possent. Vt autem per miraculum penetrationis, propellerentur, vt videtur sequi ex reuelatione quædam facta B. Brigittæ l. 7. cap. 21. non fuit necessarium. Cum enim destruendæ prorsus essent, quia cum Christo perstare non poterant, consultius visum est Deo, eas in nihilum redigere, quod æquè intra vterum præstari potuit, & magis decuit, vt partus Virginis vndecumque nitens, & purus esset. Qua ratione saluum manet quod Synodus Trullana can. 79. definiuit, de nullis in hoc partu secundinis. Et quamuis ea definitio non faciat certam fidem; tum quia illa Synodus Quini sexta siue Trullana, reprobata est à Sergio Papa, vt notauit Bellarmin. lib. 1. de Conc. cap. 7. & l. 2. de Pontifice cap. 18. ad 5. tum quia deprauata est à Græcis. Tamen quia in parte nunquam reprehensa est à Pontificibus aut, DD. (vt sanè numquam in hac parte est reprehensa) non caret magna authoritate, ob numerum insignem ducentorum, ac viginti Patrum qui ad eam conuenerunt, & aliquam eius approbationem in 7. Synodo actione 7. can. 1. Nominatim verò hac in parte propugnatur à DD. vt à Suare tom. 2. 3. p. disp. 13. s. 2. & à Delrio polemica 1. ac Salazario l. de concept. cap. 28. §. 4. passimque à cæteris. Repugnante licet Sheilogo hos Canones prorsus reprobant Anteloq. 5. sect. 2. à num. 15.

Non me latet, in eo Canone Trullano, Latinum Interpreté paulo laxius expressisse Græcas voces; quæ potiùs ferunt, B. Virginem peperisse absque dolore, quam absque secundinis, hic enim habent Græcæ voces ἀλόχευτον τὸν ἐκ τῆς παρθένου θεῖον τόκον ὁμολογοῦντες, quas voces Latinus Interpres sic expressit. *absque illis secundinis ex Virgine partum esse confitentes.* At illud ἀλόχευτον potiùs sonat *absque dolore* seu *absque nixu*. λοχεύω enim idem est quod *enitor*, seu *parturio*, & cum solitis puerperarum pressuris emitto. Sicque λοχευτὸν τόκον partus cum dolore mulieribus denunciatus Genes. 3. Atque adeò è diametro τόκος ἀλόχευτος, partus absque dolore, vt Zonaras in prædictum Trullianum Canonem rectè perpendit. Nihilominus quia secundinarum emissio in omnibus extra Deiparam puerperis, nec non profluuium sanguinis, & alia naturalia partus adiuncta, se concomitantur; Latinus Interpres in partu illo ἀλοχεύτῳ, secundinarum quoque emissionem comprehensam censuit, quidquid immundum indecensve, aut cum dolore nexum à Virginis puerperio exulans, vna ea voce in Græco Canone insinuatum est; per vnum ex eis maximè sensibile designans, hoc est per emissionem secundinarum; quæ cum in Virginis puerperio naturæ leges superante non interuenerit, vt neque reliqua naturalis partus incommoda, meritò Synodus abrogauit vsum Græcanicum postridie Natiuitatis Domini, qui dies puerperio Deiparæ apud Græcos sacer erat, transmittendi sibi inuicem similam, in honorem puerperij Deiparæ, translato ad eam vsu apud Græcos vulgato, similam in aliarum mulierum partu mittitandi ad cognatos, & notos.

Obstetrices nulla in partu Virginis.

Pars 11. punct. 7. Virginis partus.

27 EX omnibus porrò antedictis rectè infertur, verissimè ab Authore sermonis de Natiu. apud Cyprianum exclusas esse à Deiparæ puerperio obstetrices; quod item fecit S. Hieron. l. contra Heluid. & optimè his verbis S. Athanas. serm. de Natiuit. Dom. cap. 9. siue homilia de censu. [Vide admirabilem Virginis partum. Illa ipsa peperit, pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio. Aliarum mulierũ, quæ in mundo sunt, vna parit, & alia infantẽ pannis inuoluit. At non ita Virg. fecit, sed quæ peperit, illa eadem infantem pannis inuoluit. At non ita Virgo fecit, sed quæ peperit, illa eadẽ infantẽ pannis inuoluit. Quæ sine labore aliquo mater fuit, eadem & obstetricis munere functa est, cum à nulla muliere didicisset. Non enim permisit quemquã impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum. Illa per se eum, qui ab ipsa, & pro ipsa genitus est, suscepit, pannis inuoluit, & in præsepio reclinauit, quoniam non erat ei locus in diuersorio.]

Discretè item Arnoldus Abbas in Virginis laudatione. [Quomodò (inquit) illud diuinum puerperium eloquar, quod ab Angelis in Bethleem celebratum est, vbi in augusto tugurio hospitata Virgo, non habens diuersorium, infantem IESVM laciniis reposuit fasciarum; vbi Virgo, & obstetrix & genitrix, sibi ipsi in illa celebritate exhibuit chẽtelam. Nihil quippè doloris, nihil clamoris ibi erat, nullam ibi vsuram pœnarum pro voluptate, vltio repetebat. Neque enim erat Christus in peccato conceptus, cuius solius est donare peccatum. Vnde ipsi egredienti, nullum exigens tormenti vectigal; vltrò natura ianuas reserabat. [Hoc benignè accipiendum pro egressu matris, & filij cruciatibus planè vacuo, qui proinde obstetricum necessaria officia excluderet.

28. Scitè item Apollinaris Tragœdia Christus patiens apud Nazianzenum.

Matrem absque sponse scimus, & viro suae,
Hic nulla partes, & suam manum obstetrix.
Depradicauit, partus hic diuinus est.

Quid verò opus obstetricibus, siue ad leuandum in illis angustiis matrem, siue ad abluendum puerum, aut puerperam; cum & dolor matri prorsus defuerit, & puero, ac matri nullæ sint illitæ sordes? Erit qui censeat repugnare Prudentium hymno 11. Cathemer. Ait enim obiurgans Iudæam nascente Christo incredulam.

Hunc quem latebra, obstetrix,
Et Virgo fœta, & cunula,
Et imbecilla infantia,
Regem dederunt gentibus
Peccator intueberis,
Celsum coruscis nubibus.

Nomen illud *obstetrix* per quam datum gentibus Christum, ait Prudentius, iungendum est cum verbis continenter adiunctis; *& Virgo fœta*, ita vt sensus sit eandem B. Virginem, & matrem obstetricem fuisse, nascente Christo. Videtur quidem Erasmus in notis ad eum hymnum, agnoscere Virginem ipsam esse quæ ibi à Prudentio dicatur obstetrix, sed nescio quid ei in mentem venerit, vt *obstetricem*

eo

eo loco idem ſonare diceret, ac *mulierem contemptam*: quod ſicut ipſa vilis habebatur, ita viles eſſe ſoleant, quæ ei ſe miniſterio addicunt mulieres. Hoc nimis longè petitum eſt. Itaque obſtetricem in ſua natiua notione vſurpauit Prudentius, & id nomen ipſi Virgini aptauit, vt dixi: veram autem obſtetricem non admiſit, nec debuit admittere.

29 Itaque non præ paupertate defuerunt hic obſtetrices, vt ait eruditus Bern. ſerm. 46. de modo benè viuendi, ſed quia nullo modo neceſſariæ erant. Faceſſat ergo Suidas, qui obſtetrices Deiparæ aſtantes, eſt commentus. Idem dico de paucis aliis quos Baronij hac eſt cauſa allatratos ſignauit in Notis ad orationem S. Damaſceni contra Caballinum num. 5. Faceſſant item pictores meritò reprehenſi à S. Antonio p. 3. tit 8. c. 4. §. 11. appingentes Virginis parienti obſtetrices. Qui verò pictores obſtetricem amiſſis manibus appingunt parienti Deiparæ,) vt ex Petro Richardo lib. de paſſione S. Petri Apoſtoli prodit Molanus l. 3. de imag. c. 57.) contra hiſtoriam quidem fecerunt, appingentes obſtetricem, quæ reuera defuit: haud tamen imperitè eam exhibuere truncam manibus; credo vt ſignificarent, nihil fuiſſe quod præſtaret obſtetrix in eo puerperio, cum ipſa Virgo nec feſſa, nec ſordens à partu, quodcunque ibi eſſe poterat ab obſtetrice neceſſarium conuenienſuè miniſterium, obiret commodè per ſe ipſam, vt ait ſupra S Hieronymus. Et idem voluit loco citato S. Athanaſius, cap. 8 negans Virginem parientem eguiſſe adiutorio. Alios ſat multos Patres, in eandem ſententiam laudat Maldonatus in cap. 2. Lucæ ad illud, *& pannis eum inuoluit, & reclinauit eum.* Nec non Ferreolus Locrius l. 5. Mariæ Auguſt. cap. 14. Non defuiſſe tamen angelica miniſteria, affirmat auctor ſermonis de Natiuit. apud Cyprianum, & hoc voluit Rupertus lib. 3 in Cant. ad caput quartum, cum dixit Angelos obſtetricum vice circumſtetiſſe Deiparam.

Nobilitates partus Virginei.

30 EN ergo verè partum cum nouitate, iuxta Petrum Damiani ſerm. 11. [quia nunquam ſic natus eſt homo, ſicut ipſe naſcitur. Primus enim homo, primò de terra formatur; ſecundò mulier ex eius latere fabricatur: tertio Cain conſuetudinario ordine naſcitur, gignitur ab vtroque. Solus iſte de ſola Virgine naſcitur, & Virginis vterum nouo, & ſingulari partu diuinitas humanata ſigillat. Vbi nunc Ariſtotelicæ ſubtilitatis facunda quidem, ſed infœcunda loquacitas? *Si peperit cum viro concubuit.* Velit, nolit, vertitur in habitum priuatio, nec adſtringitur dialecticis terminis omnium terminator, ad cuius imperium perit natura, deſueſcit conſuetudo.] Idem ſermone 61. [Quis dignè mirari valeat? Quis non obſtupeſcat, quod is qui cœli immenſitate non capitur, in anguſto præſepio reclinatur? Qui electos ſuos ſtola immortalitatis induit, vilibus pannis contegi non contempſit? In ſtramine recubuit animalium, qui cibus eſt Angelorum. Qui marium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus ſubminiſtrat, raras de Virgineo pectore guttas lactis expectat. Exprimitur lac ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris. Felix iſta puerpera, quæ ſic gaudet de fœcunditate prolis vt nequaquam doleat de amiſſione Virginitatis; quæ illum fouebat à quo fouebatur, illum in vlnis geſtabat, à quo totius orbis machina continetur. Stringitur à matre puerilibus faſciis infantulus, qui cum Patre, omnium rerum iura gubernat immenſus.]

Dictum hoc titulo Chriſtum, electum ex millibus, quia nouo planè, & ſingulari modo conceptus & natus eſt, quamuis verus homo cæteris humana ſubſtantia ſimilis egregiè tradit Gregor. Nyſſenus homil. 13. in Cant. tractans illud, *dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Mixturam duorum illorum colorum, pertinere ait Nyſſenus ad deſignationem humanitatis Chriſti carne albente, & ſanguine rubente conſtitutæ: Qua etiam ex cauſa quod malum, & candeat & rubeat, donatum Chriſtum nomine mali ſeu pomi, eodem Cantico, animaduertit. [Quia verò (addit Nyſſenus) vno modo conſtituitur quælibet caro, coniugio quaſi viam ſtruente parori per generationem in omnibus hanc vitam ingredientibus; ne quis carnis ortu in hoc myſterio pietatis conceſſo ad naturæ opera; & affectiones cogitando delabatur, exiſtimando carnis huius generationem perinde comparatam eſſe vt in aliis omnibus; idcirco eum qui noſtræ carnis, & ſanguinis particeps factus eſt candidum quidem illum, ac rubicundum eſſe fatetur, per duos hoſce colores obſcuriuſculè corporis naturam indicans: non tamen conſimili ratione prorsùs editum in lucem ait, qua communiter homines gignuntur. Nimirum inter omnes hominum myriades ex quo illi eſſe cœperunt, & quouſque veluti fluendo natura ſuccedentium ſibi per partum progredietur, ſolus hic noua quadam partus ſpecie in hanc vitam venit; cui ad naſcendum natura non cooperata eſt, ſed ſeruiit. Propterea inquit candidum hunc, & rubicundum, qui per carnem, & ſanguinem in hac vita verſatus eſt, ſolum ex vniuerſis hominum myriadibus de puritate Virginea electum eſſe, cuius conceptio à duorum coniunctione profecta non ſit, partus minimè inquinatus, parturigo doloris expers: Cuius thalamus altiſſimi poteſtas quaſi quædam nubes Virginitatem ipſam inumbrans; fax nuptialis, Spiritus ſancti ſplendor; cubile, vitiorum expers conditio; nuptiæ, puritas incorrupta. Qui ex talibus ortus eſt, rectè appellatur electus ex vniuerſis myriadibus; quo quidem ſignificatur, non ex coniugali thoro ipſum exiſtere; nam huius ſolius generatio parturiginem non habuit, quemadmodum & ſine coniugio cœpit exiſtere. Neque enim propriè parturiginis vocabulum, vſurpari de illa incorrupta, & coniugium non experta poteſt, propterea quod virginitas, & parturigo in eandem concurrere nequeunt. Nimirum vti datus nobis abſque Patre Filius, ſic etiam puer hic abſque parturigine natus eſt.]

31 Ob hanc naſcendi nouitatem, Chriſtum Pſalm. 101. dictum *pelicanum ſolitudinis*, ſcribit ibi S. Auguſtinus. Refert quidem primo loco, dictum videri poſſe pelicanum, quia ſicut ea auis roſtro pullos ſuos occidere fertur, qui à matre poſt triduum ſanguine ſuo viuificantur; ita de Chriſto ſcriptum eſt, *occidam & ego viuere faciam.* Mox tamen agnoſcens narrationem eſſe fabuloſam, ſubdit, [Pelicanus in ſolitudine, Chriſtus natus de Virgine. Solus enim ſic, ideò ſolitudo. In ſolitudine natus eſt; quia ſolus ita natus. [Petrus verò Chryſologus ſerm. 15. hinc quoque petit, quomodò conſequenter ibidem Pſaltes, Chriſtum denominatit ſolitarium in tecto. Nimirum, quia ſub tegumento carnis noſtræ ſe exhibuit modo planè ſingulari, natus ex Virgine planè impolluta, nihil de tecti noſtri ſiue corporis, corruptione participans. Concinitque Richardus à S. Laurentio lib. 10. de

Deip.

Deip. qui tractans domum sapientiæ, passerem solitarium in tecto, interpretatur Christum in Virg. vtero, quem solus incoluit. Hæc igitur sunt nona quæ creauit Dominus super terram in ortu Christi.

Nec illud omittendum stupore dignissimum, quod Deus infans apparuerit per hanc ex Virgine natiuitatem. [Itaque (inquit Guerricus serm. 1. de Nat.) paruulus natus est nobis, & Deus maiestatis exinaniens semetipsum, non solo terreno mortalium corpori, sed etiam infirmæ, ac pusillæ infantium se configurauit ætati. O beata infantia cuius infirmum & stultum, fortius & sapientius est omnibus hominibus; quia nimirum Dei virtus, & Dei sapientia sua in nostris, diuina operatur humanis. Huius siquidem infantis infirmitas, principem mundi triumphat, fortem armatum ligat, crudelem tyrannum captiuat, & captiuitatem nostram absoluit & liberat. Huius infantis, mutua (vt videtur) elinguis simplicitas, linguas infantium facit disertas, linguis hominum loqui facit, & Angelorum, linguas diuidens igneas. Insciens iste, vt videtur ipse est qui docet hominē scientiam, & Anlum ; tanquam verè Deus scientiarum, sapientia Dei & verbum. O facta & dulcis infantia, quæ veram humanis cordibus inocentiam infudisti: quam omnis ætas in beatam tedeat infantiam, tibíque conformis fiat, non pusillitate membrorum, sed humilitate sensus, & pietate morum. Prorsus vos filij Adæ qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excreuistis; nisi conuersi fueritis, & effecti sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.

Mellea Virginis basia, & amplexus, pusionis Dei.

32 NOn hinc excedo, priùs quàm Christi à purissima matre purissimè editi, per eandem nitentissimam Genitricem amplexus, & oscula melleæ dulcedinis refertissima attingam, cum eodem Authore sermonis de Natiu. quem hactenus assectati sumus, qui verbis allegaus attrectantem, amplectentem, iungentem oscula matrem Virginem repræsentauit. Miratur hæc oscula S. Epiph. orat. de laud. Deip. [Virgo (inquit) plurium nominum, & multocula effecta est, Seraphim incomprehensæ visionis; quæ inuenta est velamentum quodd̃am intellectuale corporis vniuersalis, Cherubim transcendens. Illa enim auertantur, cum nequeant spiritalem Ignem diuinitatis fixis oculis intueri: hęc autem apertis oculis fixè intuens incomprehēsibilem, & somni expertem oculum Christi, cum desiderio, & osculo salutabat. Exercitus Angelorum (qui sunt scabellum pedum Christi) procidentes, nec videre possunt, nec contingere: hæc verò labra labiis coniungens, incomprehensum salutabat. Iurè demiratur S. Epiph. mulierem, non modò contuentem irretorta acie solem diuinum quem sancta Seraphim contueri non poterant, sed etiam illi post corporationem, & appositum carnis velamentum, blanda figentem oscula, nimirum suauitatem, & dulcedinem superantia. Nam si tantum delectauit Sanctos antiquos Deus infans expectatus, spe duntaxat certa apprehensus, vt Guerricus in simili argumentatur serm. 1. de Annunc quod non mel animæ immittet possessus, seque basiis amantissimis libandum dilectissimæ genitrici permittens.

33 Illustrem idipsum, paucis quibusdam allundè

deceptus. Basilius Seleuciæ orat. 39. cum præmisisset processionem Emanuelis in mundum, & omnia eius adiuncta, subiungit. [Quæ omnia, sancta Domini totius vniuersi mater, ac verè Deip. in corde conferens, vti scriptum est, rerum admirabilium accessione exhilarata, cumulatiore gaudio intus perfunditur, & simul filij, qui Deus est, oculis mentique obiecta amplitudine percellitur. Vt igitur diuinum infantem contemplata est, desiderijs reuerentiæ plenis (vt reor) deuincta hæc sola cum solo agitabat colloquia: Quam tibi, Fili, congruam appellationem inueniam? hominis? at conceptus tua diuina est Deitat humanā carnem sortitus es. Quid ergo mihi tecum faciendum? Lacte nutricabor, an Deum considerabo? Curabo vt mater, an adorabo vt ancilla? Circumplectar, vt filium, an adnabo vt Deum? Lac indam an thymiama infera? Quodnam hoc maximum, & inenarrabile miraculum? Cœlum tibi sedes; & te sinus meus gestitat: totus præsto es terram habitantibus; & non à cœlitibus prorsus abiunctus. Non cōtigit ista descensio loci mutatione; sed diuina fuit condescensio. Deprædico tuam in homines charitatem, non scrutor tuam Incarnationem.] *Part I Pan-dem 7. Virginis partus.*

34 Amedus Lausan. hom. 4. de Deip. cum vniuersalem orbis lætitiam in Christi natiuitate descripsisset, subdit de matre. [Si autem illo nascente cuncta læta sunt, mater eius qualiter lætabatur? si cuncta gaudebant, illa quanto gaudio fruebatur? Aut quæ erat in Genitrice lætitia, si ita gaudebant omnia? Lingua balbutit, cor refugit, sensu expauescit ad pondus tanti gaudij. Quomodò enim vas adhuc fragile, adhuc luteum & mortale, ad tātam vim gaudiorum poterat durare? Quia ille obumbrabat ei in ortu Christi, qui in conceptu obumbrauerat Ille dabat sufferentiam gaudiorum, qui affluentiam præstabat; & quam gloria maiestatis replebat ineffabili abundantia, virtus diuinitatis mirabili potentia continebat. cum igitur natum te promissum edidisset diem ex die in nostrum diem peperisse, conuersa ad Deum toto corde, vocem gratiarum, & laudis suæ auditam fecit in excelso, obtulit acceptum labiorum sacrificium, & hostiam iubilationis immolauit, & dedit holocausta cordis pacifica, & thus odoris suauissimi in incensum Domini adoleuit. accipiens verò natum Emmanuel, aspexit lucem incomparabilem sole pulchriorem, & sensit ignem aquis inextinguibilem. Suscepit infesta carnis genitæ, fulgorem illuminantem omnia, & verbum vniuersa portans, portare meruit inter brachia. Repleta igitur scientia Domini, sicue aquæ maris inundantes, rapitur extra se, & mente sursum eleuata, altissima cōtēplatione defigitur. Miratur & Virg. assumpta in Matrē, & Dei genitricē se læta miratur. Intelligit in completa Patriarcharum promissa Proph. oracula, & Patrū antiquorum desideria, qui Christum de Virg. nasci præconabantur, & ortum eius votis omnibus expectabant. Videt Dei Filium sibi commendatum, & mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, & in se loquentē Dominum Deum, Ecce elegi te ex omni carne, & inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendaui tibi Filium meum, commisi tibi vnicū meum. Noli timere lactare quem peperisti; agnosce non solùm Deum, sed & Filium. Filius meus est, Filius tuus est. Filius meus ex diuinitate. Filius tuus ex assumpta humanitate. Quo itaque affectu & studio, qua humilitate, & reuerentia, qua dilectione, & deuotione id explent, hominibus incognitum est. & Deo cognitum, qui renum & cordium est scrutator. Deo cognitum, qui spirituum

H

ſpirituum ponderatot eſt.] Interſerit nonnulla de innuendo, ac teneriſſimo matris erga filium, & tamen ulum amore. Tum addit. [Videbat oculis, & manibus tractabat verbum vitæ. Fęlix cui præſtitu eſt fouere eum qui fouet ac nutrit omnia; portare portantem vniuerſa, lactare filium qui lac ipſius ab vberibus infudit, paſcere cuncta paſcentem, & eſcam auibus adminiſtrantem. Pendebat in collo eius, Patris ſapientia, & in humeris eius virtus mouens cuncta reſidebat. Stabat in ſinu materno paruulus I E S V S, & in gremio quieſcebat Virgineo, ſanctarum requies animarum. Aliquando ſubnixo capitu, læua, dextráque tenentem vultu placidiſſimo Genitricem aſpiciebat, quam deſiderant Angeli videre, & blando murmure vocabat Genitricem, quam omnis Spiritus appellat in neceſſitatibus. At illa repleta Spiritu ſancto, ſanctum pectus pueri ſuo pectori copulabat, & faciem illius, faciei ſuæ applicabat. Nonnumquam oſculabatur manus & brachia, & materna confiſa licentia ab eius ore ſacratiſſimo dulcia oſcula carpebat. Non ſatiabatur viſu, nec implebatur auditu, quia illum videbat, & audiebat, quē multi Reges, ac Prophetæ voluerunt videre, & non viderūt, audire, & non audierūt. Proficiebat igitur magis, ac magis in amore, & animus inardeſcens, mēte peruigili, diurnis obtutibus inhærebat.] Hæc illaudato Amedeo inſeruit in tractatum ſuum de conceptione, & partū Virginis Petrus Simonis Yprenſis Epiſcopus.

Ambroſius Aoshertus (is quippè verus Author, non magnus Ambroſius, vt quibuſdam eſt impoſitum) ſerm. de Purif. B. Mariæ, pium conflictum in B. Virgin. pectore ad pueruli ſui recens nati complexus, ſic repræſentat alloquens eam. [Quia præ omnibus immenſitatem eius agnouiſti quem ſic paruiſſimum ex te natum vidiſti, procul dubio quem infantem genuiſti, Dominum omnipotētem tremens adoraſti, adorans tremuiſti: quem tamen quia ſecundum humanitatem filium cognouiſti, lactaſti, fouiſti, aluiſti. Quis putas nobis poſſit indicare inter huiuſcemodi obſequia animi tui ſenſum, ô beatiſſima Virgo, cum hinc cerneres ex te natum, tantum tantillum infantem; illhinc attenderes Dominum immenſum? Hinc creatum, illhinc creatorem? Hinc infirmum, illhinc fortiſſimum? Hinc alendum, illhinc alentem? Hinc non loquentem, illhinc Angelos docentem? Quis inquam tui pectoris arcana nobis referare valeat: Quibus modis cogitatum ad vtraque flectebas, cum vnum eundémque Dei, atque hominis Filium manibus tenens, hinc adorares, vt Dominum, illhinc oſculareris, vt paruulum? Quis ad tam mirabile miraculum non obſtupeſcat? Quis non penè elinguis fiat? Generat ſuum, puella, & omnium creatorem; nutrit ſuum, & omnium nutritorem, &c. O admirandum ſpectaculum, ad quod non ſolùm humana, verùm etiam, & Angelica ſtupeſcit natura.]

Giſelbertus in Altercatione Synag. & Eccleſ. cap. 7. deſcribens affectus eorum qui piè Deum excepiſſe leguntur, adducit præſertim B. Virginem quæ in Filij Conceptione, & in partu inexplicabilitèr delibuta ſenſibus fuit. [Et tu (inquit) ô mater matrum, Virgo Virginum, ſtella ſtellarum, dulcedo Maria credentium animarum, quomodò, quo affectus occurſu, ſuſcepiſti creatorem tuum. Nuncia vitæ audiſti, corde credula filium Dei concepiſti, ſacrarium facta es Spiritus Sancti Chriſtum ergo factorem creaturarum, noua, munda, vnica vnicum genuiſti, ſtupenda dulcedine fouiſti, lactaſti ſplendidis vberibus, nutriſti paruulum, & magnum, læta de paruulo tremebunda de magno, veſtiſti, cibaſti; Tam auida inuentæ ſapientiæ conſeruandæ, quam peregrina, & aliena totius corporalis, vel ſpiritualis maculæ. O Virgo florentiſſima, fructu ſpecioſiſſima, vita & moribus præcellentiſſima; quo charactere ſignabimus quantis deliciis ſpiritualibus ſuſceptus ſit à te Patris æterni Filius? Hic lingua non explicat, quod mens ex hac ſuſceptione mirando pertractat.]

Placet huius quoque ſpectaculi demiratorem proferre, Chriſtianum Poëtam, qui auorum memoria, cauſam pueri I E S V natalitiam, & pauper Virginis puerperium, ſic exornauit.

Ecquid adhuc veterum ſequimur ſpectacula rerū,
Huc huc frequentes currite.
Hac caſa qua lacera, & ſtat agreſtibus horrida culmis,
Nouum dabit ſpectaculum.
Quale nihil ſeclis priscum videre vetuſtis,
Nihil videbunt poſtera.
Hic enim tenuem; tellúſque tremiſcit & æther,
Teneris crepat vagitibus.
Hic orbis magni moderator maximus, infans
Virginea mulget vbera.
His ego aut ſtabulis, auguſta palatia Roma,
Feliciora iudicem.
Non operoſa licet Salomonia templa nec aulam
Lydi Tyranni regiam.
Salue clara domus cœlóque beatior ipſo.
Partus ſacrati conſcia.
Iure tibi lenis inuideant Capitolia falſi,
Diuis ſuperba ſaxeis.
Ægyptias ſancta inuideat cunabula, monſtris
Finem datura turpibus.
Nec minùs apta Deo es quod hiantibus vndique rimis,
Imbres, & Euros excipis,
Quod lodicis egens, rigidaque incommoda fœne,
Fœtas rubentes excipis.
Talia naſcentem decuere cubilia Chriſtum; vt,
Qui dedecere vertoris
Faſtum, nulláque noa ſundentem turpia luxum
Non hic renident purpura,
Sertave frondea, nec imitantes fulmina tada
Nec menſa ſumptuoſior.
Nec ſtrepit officiis domus ambitioſa, nec alii
Fouent puerperam thori.
Pannoſus iacet in duris praſepibus infans;
Diuinus attamen vigor
Emicat, & patrios vegetus deſpuit ignes.
Senſere praſentem Deum,
(Quodque licet,) puere iumenta tepētibus aurès
Frigus decembre temperant.
Opilio calamis iiſdem, quibus ante capellis
Agreſte, ſed piam canit.
Ætheriique chori volitant cunabula circùm,
Vt menſibus vernis, apum,
Degenerem ſimul, ac pepulere examina Regem,
Regi nouo, fauentibus,
Applaudunt alis, ſublimemque agmine tollant,
Sic turma cœlitum Duci
Circumfuſa ſue, gaudens ſtupet, atque iacentem,
Pronis adorat vultibus;
Et natalitium ſeant ad praſepia carmen.
Coniux pudicus interim,
Fuſus humi, magnum trepidus veneratur alumnū;
Porrò puella nobilis,
Pars bona ſpectacli, de fixis heret ocellis:

Primùm-

Primumque sese non capit :
Séque, suumque stupens genitrix virguncula partū,
Nulli marito debitum.
At simul eiecit pietas materna stuporem,
Pradulce pignus corripit.
Ac modò perrectis cohibet vagire papillis ,
Modo tepente frigidum,
Blanda fouet gremio paruisque dat oscula labris;
Nunc pectori apprimit suo,
Nunc blaso teneros inuitat murmure somnos,
Amabili inuitem modo.
Latam prole Deo , videas gestire parentem,
Prolem parente Virgine.

Valent planè de hac casa, quæ falsò Seneca dixit de casa exulis , cum casæ Romuli iniecisset mentionem in consol. ad Heruiam cap 9. [Istud humile tuguriū, nempè virtutes recipit. Iam omnibus templis formosius erit , cum illhic iustitia conspecta fuarit , cum continentia, cum prudentia , pietas, omnium officiorum rectè dispensandorum ratio, humanorum diuinorumque scientia. Nullus angustus , est locus , qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit.]

Obiter de fasciis, & pannis Saluatoris.

35 POst casam omnibus Regiis augustiorem, obiter attingendi sunt panni quibus Virgo mater inuoluit Filium. Nam si pannos infantiles Sancti Theodorici Deus ita honestauit , vt puteus in quo abluti aliquando fuerant , tametsi semper patens , nullarum sordium iactu inquinari vnquam deinceps potuerit, quod scribit Flodoardus l. 1. histor Eccl. Rom. c. 24. quanto iustius est existimare, voluisse Deum honestari infantiles Christi pannos, & perizomata secundo Adamo prætexta ? Fascias ergo, & pannos, quibus pia mater filiolum obuoluit , ex quibus facta sunt emplastra naturæ , vt loquitur S. Augustinus serm. 17. de temp. collaudarunt Patres , nominatim Germanus , & Euthymius apud Lipomanum 31. Augusti. Ait ibi S. Germ. c. 7. B. Virginem fascias illas suis ipsamet manibus confecisse. Euthym. verò testatur eas ab Arcadio illatas ædi sacræ Constantinopolæ vltimo Augusti, qui qui erat apud Græcos postremus anni dies. Itaque non cohæret cum Euthymij narratione , quod eas ab Euxodia per Iuuenalem Hierosolimit. Episcopum acceptas, & ab ea ad Pulcheriam Augustam transmissas ; ab hac verò collocatas in templo viæ ducum scribunt aliqui ex Nicephoro l. 14. cap. 2. qui tamen vt notauit Baronius anno 453. agit de fasciis sepulchralibus, quæ longæ aliæ fuerunt à fasciis infantilibus de quibus agimus. Visuntur hodie variis locis earum partes , vt Romæ in æde S. Mariæ maioris. Augustæ Vindelicorum in æde B. Virginis , in templo item Carnotensi idem Deiparæ Sacro , & Duaci in templo S. Amati. Quæ Aquisgrani monstrantur , & S. Iosephi caligæ seu tibialia esse censentur , vt notat Matthias Naueus orat. 26. de S. Iosepho , vsui esse potuerunt in prima illa necessitate cum puer declinatus est in præsepio , & inuolutis pannis, quibus calor in extremis vigore foueretur Quæ tamen absolutè & simpliciter dictæ sunt Christi fasciæ, aliæ fuerunt.

Odorem harum fasciarum atque pannorum rum Christi infanti à matre adbibitorum , fuisse vt odorem thuris piissimè meditatur Rupertus l. 3. in Cant. *in ipso fine.* Liceat de his fasciis ad veritatem dicere fuisse consimiles fasciis illis quibus obuolutum apparuisse infantem Eliam , narrant Epiphan. & Dorotheus, suo quisque libello de vita Prophetarum. Sobachus Eliæ pater, vidit filiolum vix in lucem editum , ab Angelis albas vestes præferentibus salutari , & fasciis igneis inuolui . & pro cibo flāmam ignis haurire. Illico Sobachus Hierosolymam profectus , consuluit Sacros mystas, ; à quibus accepit oraculum, forat vt puer in luce ignea habitaret, quodque in gladio ignito Israëlem esset iudicaturus , & omnia eius , viuida , & ignea essent futura. Nihil de Christo infante congruentius dici potuit fasciæ , & panni quibus inuolutus est , non iam panni caliginis mare magnum sapientiæ Dei ad nostras angustias contractum obducentes; sed ignei; ac fulgentissimi simul, & ardentissimi , vt charitatem ignitam ex qua Christus ad pannos infantiæ se demisit , & nostram vicissim erga eum flagrantissimam charitatem insinuantes. Par enim est nos in tanto igne calorem cunteusum concipere, & non secus inde pasci , & contegi, atque ablui , quam oues illæ, igne vestitę , & pastæ , ac per eum oitteotes apud Macarium homil. 14. *Pars 1. Partum 7. Virginis partus.*

Ad Christum modo prædicto fusum ex vtero, & pannis inuolutum, ac etiam tum in præsepio iacentem accurrerunt Pastores ab Angelo gaudium magnum Euangelizante admoniti. Quatuor fuisse, ex veteri Codice Anonymi Græci qui erat in Palatina Heildebergensi Bibliotheca , refert Casaubonus Exercit. 2. in Baron. Eorum hic nomina indidem refert. Misaël , Acheël , Cyriacus , ac Stephanus. Hæc refert ex eo veteri Codice Sectarius , si tamen reuera refert , & non comminiscitur , ad subsannādos Catholicos qui siliquis eiusmodi pascuntur. æque ac eo ipso loco ridet Catholicos ob nomina Magorum ex Beda , & aliis iactata. Vt vt sit Pastores accurrentes ad stabulum ex Angeli monito; vsurparunt oculis quæ audierant de nato infante qui futurus esset orbis gaudium , tametsi , tunc iaceret pannis inuolutus, & positus in præsepio. Id enim est quod Lucas dixit , *Venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam , & Ioseph , & infantem positum in præsepio, Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc.* Hæc postrema Toletus , & Franciscus Lucas ferre putant illustriorem fidem de hoc infante quem ab Angelo audierant esse Christum Dominum , siue Messiam , verum Deum simul & hominem. Nec enim ambigendum videtur, quia lux de cælo per Angeli allocutionem affulserit sanctis his patribus, vt intelligerent quid nomine Christi, siue Messiæ intelligendum esset. Esto fides illa aucta insigniter sit per *αὐτοψίαν* & vsurpato oculis Deo infante. Negat quod eum Petrus Simonia tract. Epiph. cap. 1. Pastores habuisse infantem in præsepio positum pro Deo: Vnde non leguntur eum adorasse. Sed simplicitas verborū Lucæ ferre videtur, Pastores benè percipientes quæ ab Angelo de infante audierāt eum pro Christo, atque adeò pro Deo habuisse, ac vt talem, adorasse, quamuis Scriptura eam adorationem non expresserit. Et sanè rationi consentaneum, sic sentire de primis Christi Euangelistis. Nam Pastores buccinatos esse quæ de Christo nato audierant Lucas testatur. Præsertim iuxta eos qui Verbum illud Lucæ *videntes cognouerunt* , sic legerunt consentaneè ad Græcam vocem *διεγνώρισαν* , quæ sonare potest *diuulgauerunt.* Ita eam vocem acceperunt Theophilactus , & Euthymius ad c. 2. Lucæ. Hæc est. solida SS. Pastorum in excubiis suis ab Angelo excitorū ad visendum Christum infantem exornatio

non autem illa fabulosa ex Græco Anonymo Heydelbergensi vel relata, vel à Calabuto conficta quod si quis quatuor Pastorum,& trium Magorum nomina inscribat imò vasi nouo, adhibita Virga tesinifera quam tædam vocant, curandus sit à morsu serpentis, aut confixione per scorpionem, aliudvè quodcumque venenatum. Nugæ, Nugæ.

Furfur doctrinæ. Ac primùm circa viam quia Christus in hanc lucem emissus.

36 HActenus de iis, quæ proposita mysteria solidè, & ad Catholicam, & Theologicam amussim accommodatè, sunt statuenda. Non desunt tamen hic quoque heteroclisca. Fuit qui vix ante sæculum, (& præiuerant alij longè ante apud Damascenum 4. fidei cap. 15.) specie honoris Christum non per Virginalia matris emissum, nec venisse ad nos per communem portam, assereret, vt refero, & latè refello L. 3. de Christo sect. 2. cap. 5. Nec est longa refutatione opus. Nam huiusmodi nouitas est apertè contra fidem, quia Christus non posset dici, natus, nec Virgo dici posset peperisse filium suum primogenitum, nisi verè per commune vitæ ostium ad nos venisset, quamuis nullis claustris effractis venerit. Hoc concinnè expressit Arnulphus Lexouiensis carmine de Natiuitate Domini, cum dixit.

Virginis integritas saluo fœcunda pudore,
Concipit, atque virum parturit, absque viro.
Nec reserat partus signati claustra pudoris
Absque viro genitus, editus absque via.

Viam vocat aditum reseratum, quem meritò negat in Christi editione esse agnoscendum: quamuis non neget emissionem per eundem communem aditum, quem insinuat vox *natiuitatis*, & *partus*, & passim cum stupore tantæ demissionis Dei ad illud fruendæ lucis exordium, & egressum è sacris Virginis penetralibus, admittunt sacri Doctores. Præter Patres autem loco allegato prolatos, qui mendacium illud honoris erga Deiparam; & Christum ex ea prodeuntem, aliter quam per communem portam detulerunt; suppetunt alij. Disertissimè Naz. epist. 1. ad Cledonium. Epiph. hær. 69. & 77. Damasc. 4. fid. cap. 15. Sed optimè Goffridus Vindoc serm. 4. de Natiu. Dom. [Verbum (inquit) factum est caro, Deus scilicet Dei Patris filius, factus est filius fœminæ Virginis, naturaliter simul & potentialiter natus. Naturaliter vtique; quia ex ea parte corporis Mariæ Virginis, qua homo quisque de sua matre nascitur, Natus est Christus: sed potentialiter, quia sicut dictum est, porta ventris eiusdem Virginis clausa. Seruans igitur in vno naturam humanitatis, in altero verò humanam naturam superans omnipotentia diuinitatis. Si quis igitur super hoc aliter sentit, vel aliter loquitur, vitandus est, non sequendus: quoniam ipse deuia sequitur. Dedocet enim veritatem, & docet errorem. Et cùm aliena ab his quæ Spiritus sanctus per os sanctorum suorum locutus est, dicere nititur, quasi nouam sibi gloriam pingit: & dum falsam sequitur fœlicitatem, veram infœlicitatem consequitur.]

37 Nimirum gloriam Virginis, & Christi esse putabant erronea illi, Virginem alia via Christum emisisse; quod nouam gloriam fingere, vocat Goffridus. Hoc aliter refellendum non est, quam illis Procli verbis epist. ad Armenos, ad omnia Christi nobis communia æquè pertinentibus. [Nouerint se dum passiones irrident, negare naturam: dúmque naturam negant, non credere dispensationem, non credentes verò dispensationem, damnum facere salutis. Nam si ex quo conditus est mundus, quisquam in hanc vitam lapsus est, aliam præter hanc naturæ viam ingressus, id ostendat, qui contentiosè aduersatur,& tunc demum sua deliramenta contexant. Sed si hæc sint naturæ communis initia, & Deus Verbum reuera factus est homo, cur qui naturam confitentur, passiones irrident? Alterum igitur ex duobus eligant, aut erubescentes de passionibus naturam negent, & cum Manichæis consentientes, inter impios censeantur: aut si lucrum de Incarnatione proueniens admittunt de passionibus non erubescant, quæ naturæ conueniunt.] Idem ferunt illa S. Damasceni Orat. 2. de Assumpt. vocantis, Deiparam] verè beatissimam, quæ Dei Verbo aurem submisit, Spiritusque afflatu & operatione, impleta est, & ad spiritualem Archangeli cantum prægnans facta est, ac sine voluptate, & viri congressu, Dei Verbum, & personam illam mentem omnem superantem, atque omnia implentem, NATVRALITER absque doloribus procreauit.

38 Videsis ergo Cathar. l. 4. contra Caiet. p. 170. quanto iure carpat Caiet. quia dixerat scriptum esse de B. Virg. *pariet filium, Pariet*; non *emittet* qualitercunque; sed pariet naturali opere materno per genitalia. Hoc Cathar. tantùm non damnat blasphemiæ, atque Catholicis certum esse contrarium, & dempto Erasmo, qui ante Caiet. id tentarat, neminem Catholicum dixisse Christum emissum esse ad modum prædictum, & interueniente aliquo matris opere, quod putat esse valdè contumeliosum Deip. Sed hallucinatur, vt monstraui. Christus enim in introitu ad hunc mundum, tametsi pleraque habuit singularia, multa tamen voluit habere communia; & inter ea, hoc de quo agimus. Pulchrè S. Chrys. hom. 49. in Genes. [Hunc autem ingressum nostri omnium Domini, digniorē esse oportet, quàm nostrum. Regius enim fuit introitus. Oportebat autem, & partim cum nostra natiuitate communicare, & partim alienum esse; & vtraque hæc fuerunt. Et quomodo? Audi. Nam de vtero prodire, commune habet nobiscum: absque nuptiali autem congressu nasci supra nostram est natiuitatem. Naturale est, conceptum fieri in vtero; supra naturam humanam est, absque commixtione esse prægnantem. Et propterea vtraque, vt & excellentiam, & communionem quam habet tecum, discas. Considera autem quanta sapientia hæc facta sint. Neque eminentia obfuit assimilationi, & affinitati eius nobiscum: neque nostra affinitas; & similitudo, eius obscurauit excellentiam: sed operibus vtraque ostensa sunt: & alia perfectè habuit nobiscum, alia non habuit, sed ab eis totus liber fuit.]

Insuper circa honorem secundinarum B. Virginis, & eius quadragenarij recubitus.

39 NOn refero in hanc classem nouitatem, quod aliqui Deiparæ partum præposterè honorantes, fuisse referuntur in Synodo Trulliana c. 79 his Verbis. [Quoniam aliqui post sanctæ Christi Dei nostri natiuitatis diem, similam coquere ostenduntur, & eam sibi inuicem impertiri, honoris scilicet prætextu secundinarum impollutæ Virg. Mariæ; statuimus vt deinceps nihil tale fiat à fidelibus.

Neque

Neque enim hoc honor est Virginis, quæ supra mentem, & sermonem, quod comprehendi non potest Verbum, peperit carne.] Quominus huc referam hanc insulsitatem, facit, quod & antiqua est, & pridem antiquata Sed neque illud hic memorandum, quod nonnulli, B. Anastasiam cuius commemoratio fit in die Natalis Domini, censuerunt affuisse Deiparæ in partu, siue obstetricem, & subleuatricem, siue testem virginis partus. At vtrumque nimis pingue est, & inter aniliitates Ruptatas iure refertur à Baronio ad sacras tabulas 25. Decemb. Nec refert, quod tantę diei admisceatur commemoratio S. Anastasiæ, quasi idcirco id factum sit, quia officium aliquod exhibuerat in Virginis partu & Natiuitate Domini. Nugæ, Nugæ. Commemoratio in Sacro duntaxat est apposita, quia cum ea die martyrio perfuncta esset S. Anastasia iunior, & statio in templo eius esset constituta ad Missam in aurora, par fuit de ea prorsus nō sileri. Cæterum tam longus tractus annorum, quot fluxerunt à partu Virginis vsque ad Diocletianum, quo imperante passa est S. Anastasia iunior, satis monstrat, quàm fatuum fuerit, vel cogitare, eàm interfuisse partui Deiparæ itaque neque ea anilitas hic referenda vt discutiatur cum per se concidat.

40 Illud potiùs hîc referendum est, quod aliqui quadragenam dierum quæ à partu Deiparæ ad eius vsque Purificationem intercurrit, religiosè exigunt, nomine ac titulo recubitus Deiparæ; *Nostre Dame en couche*. Eáque specie, vidimus ipsi in quodam apud Cauares cœnobio frequentiam per totum illud tempus eo commeantium; præsertim mulierum, quasi religioso officio erga Virginem iacentem (vti erga puerperas post partum assolet,) defungentium. Domina primaria Roxanæ coniugis Alexandri magni æquiuoca, in eadem Cauarum ora, in honorem quadragenarij recubitus B. Virginis post puerperium, totam illam quadragenam à Natiuitate Domini ad Purificationem Deiparæ, exigit in lecto recumbens, vt puerpera? singulari planè & ad hanc diem incondita religioni. Quid quod alicubi, multa puluinaria capiti decumbentis in puerperio Virginis supponi solita, scribit Molanus l. 1. de imag c. 27. Similitérque Catharinus l. de culto imag. picturas sibi in templis visas refert, iacentis in lecto Deiparæ, ex partu admodùm imbecillis. Nec id planè recens esse, constat ex Balsamone ad can. 79. Trullanum. Et fortassis irrepsit primùm hæc opinio, ex narratione quam habet Epiphanius in vita Hieremiæ, & Dorotheus in Synopsi de vita & morte Prophetarum c. de Ieremia his verbis refert. [Ieremias signum dedit Sacerdotibus Ægyptiacis, quòd oporteat simulacbra eorum concuti, & decidere per Seruatorem puerum ex Virgine nasciturum, & in præsepi iaciturum Propterea nunc etiam Virginem in lecto, & infantem in præsepio collocant, & adorant. Et cùm causam olim Ptolemæus Rex percontaretur; responderunt, mysterium esse ipsis à maioribus traditum, quod illi à sancto Propheta acceperint.] En Virginem in lecto, & quod non est indiligenter prætereundum, seorsim infantem in præsepio, tanquam in cunis. Vt satis appareat, lectum illum non locando ad quietem capiendam infanti, fuisse ab illis appositum; sed vt in eo Mater ex partu fessa, de more, quiesceret. Nec enim verisimile est, Ægyptios illos puerperam factam in lecto iacentem expressisse, voluntario, (vt ita dicam) otè nisi in speciem adhibito decubitu; vt illis Indis mos est, apud quos viri, cùm vxor est enixa, iacent in lecto, & sorbitiunculas hauriunt, perinde ac si ipsimet ex partu fessi essent, eaque subleuatione indigerent, vxore interim domestica munia obeunte, non secus ac si non contigisset illi secundùm consuetudinem fœminarum, sed viro. Hoc nequaquam somniarunt Ægyptij, quorum erat narratio à Dorotheo recitata. Itaque Virginem, quasi verè ex partu lassatam & fatigatam, in lecto iacentem repræsentarunt; sicque ea narratio apertè fauet proposito de B Virgine sensui. Fauet quoque Author sermonis de Nat. apud Cyprianum, qui his verbis vtitur. [Diebus designatis recubuit, & depositi oneris lassitudinem professa, oblatæ quieti paruit.

Part 1. pul- stum. 7. Virginis partus.

41 Hæc omnia sunt negatoria, & explodenda, crassóque errori de Virgine in partu vexata doloribus, vel contermina sunt, vel planè coniuncta. Et idcirco meritò reijciuntur à Balsamone, in Canonem 82. Sextæ Synodi. Quanquam si tantùm sensus esset, B. Virginem non ea necessitate, sed ex humilitate, vt celaret innocuum sibi & doloribus liberum puerperium, recubuisse, & lassitudinem externa specie professam esse, (qui videtur fuisse scopus Authoris proximè adducti sermonis de Natiu.) posset ea nouitas liberari errore quoad rem præsentem; nec remaneret eius patronis sollicitudo, nisi laborandi pro synceritate Virginis, & elongatione à mendacio, vel vitiosa simulatione in eo facto.

Adiunctum huius nouitatis, est superstitiosum commentum, quod alicubi non ita pridem viguisse, habetur ex Ioanne Hesselio ad 3. præceptum Decalogi c. 108. nimirum eorum, qui vbi per quadragenam, quæ à puerperio Deiparæ ad eius vsque purificationem intercurrit, fas est ex consuetudine sabatho vesci carnibus; id referunt ad languorem Virginis ex partu, cui minuendo eguerit Virgo lautioribus cibis: inque eius necessitatis memoriam, censent permitti in illis sabathis esum carnium. Sed hoc est apertum delirium. Cur enim in diebus illis, sabatho inductum alicubi vsu sit, puta in Gallia ex Paludano in 4. d. 15. q. 4. art. 4. concl. 5. (hoc est in quibusdam prouinciis quæ stricto nomine dicuntur *Gallia*, seu *Francia*) vt vescantur carnibus indiscriminatim; vel certè nonnullis animalium partibus, quod Hispani faciunt, referendum fuit in lætitiam ex natali Christi, & Deiparæ puerperio, quod ea tota quadragena piè recolitur. Nam eam ipsam, causam esse compertum est, cur natali Domini in sextam feriam incidente, fas sit carnes in cibum assumere. Et ita rectè Molanus in Martyrol. Vsuardi ad 25. Decembris num. 2.

Item circa intensionem Deiparæ Virginitatem ex partu.

24 FVit item, qui honorando Virginis puerperio, affectauit Virginitatem Deiparæ factam esse intensiuè auctiorem, & perfectiorem in partu, quàm ante esset. Ita Morales l. 4. in Matth. tract. 2 conclus. 8. n. 15. Hoc si sensus esset, Virginitatem Deiparæ nullo modo esse temeratam; imò per huiusmodi partum fuisse factam venerabiliorem, & sanctiorem, rectè diceretur, & consentaneè ad Ecclesiasticam ex S. Gregorio orationem quæ habet de Christo *natus de Virgine, matris integritatem non minuit, sed sacrauit*. Honestissimè per negatam minutionem integritatis, excluditur Virginitatis violatio. Nam *minuendi*, Verbum, malè audit cum de puella agitur; ita vt *Virgo minuta*, idem sit quod

corrupta, ex quo est illud Lactantij 2. Instit. cap. 10. cum de Ioue per omnia turpia inquinato. [Omitto Virgines quas imminuit.] Apud Ausonium Edyllio 18. eadem est illius verbi notio. Nec alio sensu S. Hilarius l. contra Constantium, ait de B. Virgine, [perfectum ipsa de suis *Christum* non imminuta generauit.] Id est Virgo manens & integra. Poteram ex Plauto in Castellaria, eundem loquendi modum confirmare, & à probata latinitate non abhorrentem demonstrare. Sed eius genij scriptor, in purissimam de Deipara tractationem, non est aduocandus. Christus nascens matris integritatem non minuit, quia intemeratæ matris pudicitiæ nihil affecit, sed eam sacrauit de Ecclesię sententia; idest, augustiorem, ea Christi per eam illæsam ad nos aditu effecit. Idémque voluerunt plerique Patrum, vt S. August. ser. 15. de tempo. seu potiùs Fulg. orat. de laud. B. Mariæ ex partu Saluatoris, cum dixit, [creuit in eius partu integritas corporis, potiùs quàm decreuit, & virginitas ampliata est potiùs quàm fugata.] Et serm. 10. de temp. [Virgo partu suo nupsit, virginitatem dum pareret, duplicauit.] Item Chrysologus serm. 142. [In suo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata, solidata virginitas.] Et sermone 175. [Feliciter parturit quæ Virginitatis coronam, magis magisque pariendo conquirit, & gloriam.] Præterea S. Epiphanius orat. de laud. Deip. [Etiam nunc sum Virgo post partum, potior si dicere licet, quàm antea] S. Anselmus alloq. cœl. 53. n. 6. in locupletiori editione ante annos aliquot seorsim edita, idem affirmat. Creditus Augustinus in Appendice 22. aliàs serm. 10. de temp. [Sancta credidit, sancta concepit, sanctior efficitur post partum.] Et mox. [Eapauit in partu suo mater, Deus per Ang. loquebatur, & Virg. auribus impregnabatur. Audiat omnis ætas quod nũquam audiuit Virgo partui suo nupsit, virginit. dum pareret, dupli cauit.] Nec dissimiliter. Prudent. hymno 11. Cathemer. verbis illis. *Sensisne Virgo nobilis maturaper fastidia Pudoris intactum decus honore partus crescere. Perspicuè quoque* S Hildefonsus serm. 3. de Assumpt. agens de conceptu & partu B. Virginis. [De conceptu deferre honorem cognatis didicit, de ortu Filij, pudor creuit, aucta est castitas, integritas roborata, virginitas quoque solidata, omnes perseuerauerunt virtutes. Idem lib. de virginit. perpetua. S. Mariæ c. 2. agens de Christo, domum Deiparæ ingresso; [Hanc domum ingrediens, non pudoris spolia tulit, sed egrediens integritate donauit.] Non quod ante Christum in ea conceptum, & ex ea natum, Virgo non esset, sed quod eius integritas, exitu prolis non sit imminuta, sed augustior reddita; nouata voce vsus Amedeus Lausanens. homil. 4. de Deipara, dicit, eam ab hoc puerperio, factam esse *virginiorem*.

Si igitur hic esset sensus, eorum qui dixerunt virginitatem Deiparæ per hunc partum factam esse perfectiorem, & auctiorem intensiuè, vacarent reprehensione. Ridiculè autem hallucinati sunt, si senserunt virginitatem Deiparæ per partum factam esse verè, ac reipsa intensiuè perfectiorem. Nam cum virginitas possit sumi, vel materialiter, vel formaliter; materialiter quidem virginitas non dicit nisi partium corporis integritatem quam liquet esse planè incapacem augmenti intensiui, aut perfectionis vllius ad hoc negotium facientis. Formaliter vero virginitas dicit innocentiam quandam circa venerea, & exclusionem omnimodam experientiæ delectabilium illius generis. Hoc autem cum sit aliquid negatiuum, non est capax augmenti intensiui; nec si virtus castitatis est capax augmenti intensiui, (vt sanè est) sequitur virginitaté esse quoque eius augmenti capacem. Virginitas enim non est virtus peculiaris, sed quicquid in ea est supra simplicem, & vulgatem castimoniam, est innocentia illa, quam constat augmento intensiuo non perfici.

Circa pannos quibus puellus mox ab ortu inuolutus, quid aliqui minus stolidè excogitarint.

Clica infantem, cum è materno vtero fusus est, & pannis inuolutus priusquam in præsepio reclinaretur, fuerunt qui piæ matris sollicitudinem extollerent, asserentes eam sibi detraxisse, velum lineum oblongum quo plebeiæ mulieres caput obtegunt. Quod enim ex improuiso, cum Bethleëmi esset, fœtum fudisset, nec pannos queis obuolui infantes ex vsu est, secum intulisset, adactam dicunt capitis sibi operimentum detrahere: non illud arctum immediatè comæ appressum, quod *Riccinium* vocant, sed aliud externum tegmen quod inuoluendo puero adhibuerit, quod ex quadam reuelatione adducit sanctus Bonauent. in meditat. vitæ Christi cap. 7. idem esse beatæ Veronicæ reuelatum, scribitur ab Isidoro de Isolanis l. 4. de vita illius beatæ c. 2. adeo tamen ista sibi non persuasit, vt etiam rideat Ioannes Tiepolus l. de expectatione partus Deiparæ cap. 13. statuens vt certum beatam Virginem non fuisse improuiso partu redactam ad angustias illas: imò diuinitùs illustratam, & partum, & eius adiuncta omnia prospexisse; ideoque priusquam Nazaretha digrederetur, præsciam ex diuina destinatione, se Bethleëmi quoad profitendum tendebat, parituram, pannos ad finem obuoluendi infantis necessarios præparasse, secumque tulisse. Hæc aliter abique afflicta Deiparæ grandi socordia dici posse censuit Ioannes Bollandus ad caput illud a vita vetsx. Ex quo præuio Deiparæ studio, per se concidit aliorum paupertatis specie indecora pietas, qui imaginati sunt pannos quibus infans Deus est obuolutus, veteres, ac laceros extitisse, vt refert Adamus Hontzen in cap. 2. Lucæ ad vers. 7. q. vnica §. 6. qui benè monet nihil tale ex textu haberi: σπάργανα, qua Lucas vsus est, fascias sonat, quas nouas esse nihil vetat, sicut vox ῥάκη, quam Suidas de his agens adhibuit, non est arctanda ad pannos detritos, cum possit nouos quoque, & integros designare. & verissimum profecto est, beatam virginem multò ante diuinitùs edoctam, pro suo erga filium studio, noua, & pura tegmina filio nascenti deproperasse, vt sicut iuxta sanctum maximum vterus è quo tunc Christus fusus est sepulchri in quo mortuus iacuit, antistrophus fuit; ita tegmina munda, quibus à Iosepho Arimathia obuolutus est mortuus, hisce tegminibus responderent, & quamuis vltrò dandum sit, non fuisse pannos contextu aut materia pretiosos, quales Regum, ac Principum cunæ excipiunt, tamen non videtur ambigendum, quin fuerit nitentes, ac talis matris in talem puerum studio digni.

***

Ex

Explosa cum detestatione humilitas Henrici Stephani circa asseruatas infantis Christi fascias, & flatum.

MAlè habuere Sectarios Sacræ reliquiæ, sed nominatim (purum Hæreticum Henricum Stephanum vt nominatim, vt religiosæ cultui reliquiarum sacrarum illuderet, & sanoris simplicium eas exponeret obiecit fames quibus Christus pusio inuolutus est, ostentari pro reliquiis obiecit, insuperque lac B. Virginis vbere de cœlo pleno instillatum infanti, nec non pixydem flatus Christi Domini iacentis in cunis quam occlusam, & ita vt aperire nefas esset allatam Behtleëmo, & à Genuensi à Sacerdote exhibitam garrit nefandi operis de præparatione ad Apologiam pro Herodoto l.1. c.38. Sed scurra, & planus improbissimus quoad fascias Christi natalitias, & infantiles pannos, Constantinopoli Romam aduectos, & ex parte Romæ ad S. Mariam Maiorem asseruatos, vt est apud Attilium libro de septem, vrbis Ecclesiis, ex parte Oueri apud asturos, vt notat Lucius Marianus l.3. de rebus Hisp. ex parte denique Duaci apud Belgas teste Locrio l. 5. Mariæ Augustæ cap. 45. explosus merito est alibi. Quoad pyxidem vero continentem flatum Christi exsufflandus est tanquam insignis propela mendaciorum in res sacras quascumque, ac speciatim in sacras reliquias. Nullus enim fide dignus testis tale quid retulit, sed solus iste nugi nendus, vt effunderet contemptionem super quascunque exuuias Sanctorum, ridiculè, imò malignè, ac detestabiliter commentus est quod ex eo retuli.



PVNCTVM VIII.

Gesta Virginis Christo infante, ac puero.

1 EDITVM illæsa Virginitate infantem, lactabat Virgo mater. Id quidem negarunt insani quidam Sectarij, quos è se auditos Tolosæ, scribit Cathar. l. de consumata Christi, & SS. gloria, *ferè initio*. Et eorum argumentatio erat, quia id in scriptura directè proditum non est, nec nisi indirectè apud Lucam verbis illis, admirabundæ mulierculæ proditum, *& vbera quæ suxisti*, quæ & negari salua fide possent, cum pleraque Falsa dicta referantur ab Euangelistis, & æquè possent cadere in vbera nutricis distinctæ à matre. Sic inquam sectarij prædicti. Tamen spectata traditione Patrum, dubitare non licet, quin B.Virgo Christum lactauerit. Ita Nyss. hom. de natiu.Deip.Aug.serm.9.de temp. & Rupertus l.7.in Cant. Nec spectato amore Deip. in filium, fas est ambigere quin ipsamet cum lactare voluerit. Non enim eram de dimidiatis illis matribus in quas conclamat apud Gellium Phauorinus l. 12.c.1.& Clem.l. 3. prædag.c.4.ac ex variis Tiraq c.10.de nobilit.

Quomodò lac Virgini, absque viro matri. *Pars I. Punctum 8. Gesta Virginis Christo puero.*

2 LActabat autem Virgo Christum, vbere de cælo pleno: non quod id esset nouum miraculum, & distinctum à beneficio conceptionis actiuæ, (naturaliter quippè fœmina, ex quo concepit & peperit, lac habet) sed quod attenta radice, & prima origine copiæ lactis, idest conceptione miraculosa, quam partus, & lactis copia est consecuta, referri ad cœleste donum debeat, quod Virginis vbera lactè manarint. Et hoc pacto accipiendum est, illud S. Damasceni carm. de Annunc. [Quonam modo lac profundas, ô casta Virgo, mortalis lingua eloqui non potest. Noua enim naturæ res ostenditur. [S. item Athanasius serm. in descriptionem. [Vbera B. Virginis, naturæ consuetæ radicem non habuerunt, longeque à naturali consuetudine, & lege, fuere aliena. Lac nouo, & peregrino fluxit modò. [Mempè radicaliter, spectata origine prima affluentis lactis, quæsita est in conceptione. At supposito conceptu & partu; naturale fuit lac affluere. Quare non approbo. Quod tradit Theodorus Merochitæ in Historia Roman. *pag* 11. vbi hæc verba habet. [Lac nouo modo fluens exhibuit Maria, mammamque à pastu naturali alienam, cum præberet vber nato, neque tamen venis quicquam detraheretur.] Hoc postremum, non dicitur solidè. Si enim sensus sit, lac Deiparæ non fuisse confectum ex sangine intra venas condito, reiiciendum est. In omni quippè muliere, lac eo modo è venis detrahitur, nec est cur in B. Virgine comminiscamur aliam rationem proliciendi lac ex massa sanguinea, quàm per venasà sanguinis officina pertingentes ad vbera. Et cum venæ illæ idcirco impleantur, vt depleantur, liquet detractum esse aliquid venis, vt esse, vnde mammam Christo lactenti Virgo lactans porrigeret. Quare videtur Metochita velle, lac in B. Virginis vberibus abundasse per miraculum. At hoc sine fundamento asserit vt præmisi. Item non approbo, quod aliqui apud Salmeronem tomo 3. tract. 33. censuerunt B. Virginem, eo quod absque viro per miraculum concepisset, non potuisse naturaliter lac habere. Probatior tamen doctrina fert, etiam secluso partu, & conceptu posse naturaliter lac reperiri, ita vt vetus illa ratiocinatio *lac habet, ergo peperit*, vel *lac habet ergo concepit* cui Cagnolus ad l. *si pregnantem* ff. de reg. iuris, & Mascardus de probat. volum. 3. conclus. 1208 num. 10. tanquam certo grauiditatis signo nituntur, non sit tenera vniuersaliter certa; quandoquidem iuxta Hippocratem sect.5. Aphoris. 39. lac etiam in iis quæ nec conceperunt, nec pepererunt reperiri naturaliter contigit. Annuunt. Iorebertus l. 5. de error. popular. cap. 3. Laur. l.8.annot. q.3. & Nancel. in annal. Microc. l. 4. cap. 5. Alfonsus Caranza lib. de partu naturali cap. 1. sect. 1. num. 30. Idipsum Paulus Zacchia in qq. Medico legalibus l.b. 1.tit.3.q.1.num. 20.ex Auicenna asserit. Et addit visos sibi mares quibus in mammillis lac suppeterer; id quod ex Aristotele, & Auicenna, Mercuriali, Siluatico, & Schenchio, confirmat. Quibus addo, idem se expertos testantes, Vesalium lib. 5.cap. 18. Cardanum lib. 12. de subtil. Leuinum Lemnium lib. 2. de complex.cap.13. Dandinum lib. 4. de corp. cap. 19. Itaque non rectè authores illi quos ex Salmerone referebam, negarunt potuisse B. Virgini naturaliter lac suppetere post conceptum & partum: eo quod supra naturam concepisset, & peperisset. Ea enim supernaturali operatione sup-

posita, potuit B. Virgini lac affluere naturaliter; cum etiam iis (quæ nec conceperunt nec pepererunt, plerumque affluat citra miraculum.

Repudio item quod in hanc rem ex Guilielmo Paruo refert Delrius in cap. 4. Cant. sectione 1. vers. 10. §.4. [Quid negas, ô stulta mundi sapientia partum Virgineum? Deus nascebatur. Et quid item negas, lac Virgineum? Deus pascebatur. Non potuit Deus in salutem hominum corporaliter nasci nisi partu virgineo; nec decuit eum pasci nisi lacte Virgineo. Nec minùs habet miraculi pectus virginis lactescens, quam venter partu grandescens. Propterea filio Virginis non tantùm dictum est *beatus venter qui te portauit*; sed & adiunctum est, *& vbera quæ suxisti*, & quidem pulchræ sunt mammæ Virginum, quia virgineæ; sed dum virgineæ sunt, lactescere nesciunt. Ideò simpliciter pulchræ sunt; sed de illis non potest dici, *Quàm pulchræ sunt*. At B. Mariæ mammæ, non tantum virgineæ fuere, sed etiam ad singulare miraculum lacte virgineo tumuerunt. Ideò cum admiratione gratulatoria vult dici; *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ*. Planè specie & pulchritudine sua, sanctos Angelos oblectabant, cum ab eis penderet speciosus præ filiis hominum, Dominus Angelorum, minoratus paulo minùs ab Angelis, propter similitudinem carnis peccati.] Repudio inquam, quod hic author miraculum, & quidem æquale, agnoscit in lactatione per Virginem, ac in conceptione per eam. Id enim contra Physicorum & Medicorum principia, de naturali lactis origine post partum quomodocunque partus acciderit, saltem dummodò fœmina quæ peperit, non sit anus, sed vegeta: Saram enim, & Elizabetham, & huiusmodi alias mulieres miraculo in senectute grauidas, non habuisse lac quod paruulis suis immulgerent, nisi speciali, & nouo miraculo, saltemque continuatio à principio conceptionis, verius videtur: quia Deus non ita vegetauit illas ad concipiendum & alendum in vtero fœtum, vt restitueris vigorem ætatis plus quàm in ordine ad hunc actum lactãdi; alioqui longè diutius protraxissent vitam, quàm reuera protraxerunt. Sanctam quoque Virginem Liduvinam, & alias quasdam in nocte Dominicæ Natiuitatis, lacte redundasse, habent acta eiusdem Liduvinæ lib. 2. cap.4. In vita B. Gertrudis ab Oosten. cap. 3. ista leguntur, de ea meditante natiuitatem Christi. [Cœperunt ipsius Gertrudis Virginis vbera tumescere, lacteque manare: sicque per singulos dies à festo Dominicæ Natiuitatis, vsque ad festum Purificationis, non cessauit exitus Virginei lactis ex vberibus Virginis, & satiabatur illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilij diuini super salute generis humani. Prædictum miraculum tanto mirabilius, quanto rarius. Sed credent faciliter qui legerint, & crediderint, S. Lambertum nutritum Virgineo lacte cuiusdam Virginis cœcæ; Sed per idem lac virgineum, sicut ab Angelo Virgini prædictum fuerat, illuminatæ. Nam secundùm Hieronymum, omnes veræ Virgines, sunt Domini nostri I E S V matres, si tamen fecerint voluntatem Patris cœlestis.] De lacte quoque ex vberibus Virgin. Christinæ mirabilis manante, testis est eius vitæ author capite 4. Clarum vero est quod tametsi interdum lac naturaliter aliquibus Virginibus obrigit tamen prædictis sanctis Virginibus vber fuisse de cœlo plenum. Suppeditauit ergo illis lac Deus supra naturæ debitum, & efficacitatem, quod, in Virgine non fuit verum.

Suauitas considerationis, lactati Christi.

3 HIc locus plenissimus est suauitatis; attentè meditantibus. [Iacet (inquit Petrus Damiani serm. 1. de Natiu. Virg.) intra materna viscera paruulus, qui cum coæterno Patre rerum omnium iura gubernat immensus. O beata vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum, hominum pascunt. Exiguum exprimunt liquorem, & mundi reficiunt Creatorem. Qui suæ virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram innumeris vbique fontibus irrigat, raras de Virgineo pectore guttas lactis expectat. Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris Hic dilectissimi fratres mei, hic rogo, perpendite, quàm debitores simus huic Beatissimæ Dei Genitrici, quantasque illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus Christi, quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod in fasciis cinxit, quod materna cura nutriuit: illud inquam, absque illa dubietate, non aliud, nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in sacramentum nostræ redemptionis haurimus.] Rursus serm. 3. in eodem festo. [Creatus est ex ea quam creauit, portatus est manibus, quas formauit; suxit vbera quæ repleuit. Puellæ confouebatur in gremio, quem vastissima cœli non recipit latitudo. Puerilibus fasciis cingebatur, qui immensitatem orbis terræ pugillo complectitur: Matris patebat arbitrio, qui omnium rerum iura suo gubernat imperio. Vagiebat in cunabulis, qui Angelorum gaudium erat in cœlis: vilibus tegebatur crepundiis, qui electos suos stola induit immortalitatis. imperabat illi puella, cui cuncta obtemperant, & obediunt elementa.]

[O res mirabilis (exclamat Lucas Tudensis l.2. contra Albig. cap. 16.) ô charitas ineffabilis. Ille idem Deus fortis, & terribilis, qui in monte Sinai igne, & tonitruis fulgurabat, nunc in puellæ Virginis matris gremio suauis, & amabilis, virgineo lacte nutritur, & humanis blanditiis confouetur. Concupiuit Deus speciem Virginis. Dilexit Gigas pulchritudinem mulieris, & captus est Leo vinculis nostræ carnis.] Nec aliter Damasc. orat. de Dormit. Deip. [O singularem Dei bonitatem! O charitatem eiusmodi quæ nulla ratione indagari possit! Is qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, is qui cœlum & terram implet, cuius cœlum thronus, & terra pedum scabellum est, ex ancillæ suæ ventre latissimum sibi domicilium fecit, absque in ea mysterium nouorum omnium nouissimum conficit. Nam qui Deus erat, homo efficitur, atque modo naturam superante, partus tempore procreatus, ac vuluam ita aperit, vt virginitatis claustra minimè labefactet: vlnisque terrenis, ille gloriæ splendor, ille character paternæ substantiæ. qui omnia verbo oris sui fert, infantis instar gestatur O verè diuina miracula! O mysteria, natura atque cogitatione præstantiora! ô virgineas prærogatiuas humana conditione sublimiores! Quodnam ingens hoc ô sacra mater & Virgo, mysterium te circunstat.]

Matris

Matris dulcedines in Christi lactatione.

5 ATtigi nostram ex tantæ rei consideratione suauitatem. quis vero explicet, quanta lactationem infantis Dei in Virgine matre vbertas gaudiorum supernaturalium affectabatur? Ropertos quidem l.1. in Caot. ad illud *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, Virginem inter lactandum amaritudine perfusam videtur propoocre? Vnde eam sic inducit affantem suos. [Nolite solum attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehensum malè tractari; scilicet illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle, & aceto potari, lanceari, mori, & sepeliri: Nam quidem tunc gladius animam meam pertransiuit: sed antequam sic pertransiret, longum per me transitum fecit. Prophetissa namque eram, & ex quo mater eius facta sum, sciui cum ipsa passurum. Cum igitur carne mea taliter progenitum, talem filium sinu meo fouerem, vlnis gestarem, vberibus lactarem, & talem eius futuram mortem semper præ occulis haberem, & prophetica, imò plusquam prophetica mente præuiderem: qualem quantam, quam prolixam me putatis maternі doloris pertulisse passionem? Hoc est quod dico, *Fasciculus Myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*: O commoratio dulcis quidem, sed plena gemitibus inenarrabilibus. Ad vbera de foris stringebatur, & eisdem lactabatur vberibus, simulque inter vbera intus in corde futurorum præscio, semper patebat, quasi esset morte moriturus.] Sed addit mox Rupertus ea eiusdem Virginis ore, quod hunc mœrorem matris inter lactandum dilueret. [Veruntamen (inquit) & illud sciebam, quod esset resurrecturus. Huius rei præscientia dulcis erat. Igitur dilectus meus mihi & fasciculus myrrhæ, quia moriturus, & botrus Cypri erat, quia resurrecturus, & vltra non moriturus. Botrus inquam, Cypri videlicet terræ, vel insulæ botros perdulces, vinumque optimum afferentes, quia non qualecunque, sed optimum est vinum resurrectionis.]

Ipsi per se talis filij complexus & oscula, matrem perfundebant summa dulcedine. Hoc illis lactea dulcedine refertissimis verbis expressit apud S. Cyprianum Author sermonis de Natiu. Dom. [Non recesserat à venerabili pectore Matris Spiritus sanctus, ad verbum Gabrielis elapsus. Possidebat domum suam; & templum quod sibi consecrauerat, adornabat. Seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat: lætificabant consolationes, huiusmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiscentiarum ludibria adigebat: legem mentis, lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritus affligebat. Paruulus sugens vbera, pura alimonia vtebatur; & fons sacri pectoris, defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor matris, quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum imbuebant; eratque vtrinque mira iucunditas, cum pia sanctæ matris, & deuota humilitas, & sancti sanctorum immensa benignitas, confœderatis affectibus mergerentur.]

Audi quoq; Gisdelbertum in alterca c. 7. affantem Virginem. [O mater matrum, Virgo Virginum, stella stellarum, dulcedo Maria credentium animarum, quomodò, quo affectus occursu suscepisti creatorem tuum; Nuncia vitæ audisti, corde credula filium Dei concepisti, sacrarium facta es Spiritus S. Christum ergo factorem creaturarum, noua, munda; vnica vnicum genuisti, stupenda dulcedine fouisti, lactasti splendidis vberibus, nutristi paruulum, & magnum, læta de paruulo, tremebunda de magno, vestisti, cibasti; tam auida iuuentæ sapientiæ conscrmandæ, quam peregrina, & aliena totius corporalis, vel spiritualis maculæ. O Virgo florentissima, fructu speciosissima; vita, & moribus præcellentissima, quo charactere signabimus, quantis delicijs spiritualibus susceptus sit à te Patris æterni Filius? Hic lingua non explicat, quod mens de hac susceptione mirando pertractat.]

Part I. Pastum 8. Gesta Virginis Christo puero.

6 Rupertus in ipsa meta libri Tertij in Canti mellitissimè in hanc rem differit, inducens Christum ipsum matri loquentem, vsurpatis verbis illis ex c.1. Cant. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor Thuris*, quæ verba sic glossat Rupertus in Christi persona. [Parum erat quod dixi supra, *& eloquium tuum dulce*, quia omnis parum est, dulcedinem in eloquio habere, nisi dulce sit etiam cor. Tu dulcis in ore, dulcis, & in corde. Hoc est quod nunc dico, *Fauus distillans labia tua*, subiungens; *mel, & lac sub lingua tua*, idest *mamma tua*. Ibi tibimet ipsi dulciter sapit fauus eloquij tui, fauos distillans à labiis tuis, labiis gratiosis. Fauus tuus ego sum, quia Deus tuus, & filius tuus ego sum. Hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labia. Aliud loqui non potes, quam id quod in pectore habes. Ex abundantia cordis labia tua loquuntur. Et si aliàs pro tempore tacuisti, mihi tacere non potuisti. Ex quo me natum vidisti mecum dedicata es fauo dulcis eloquij, simúlque osculo oris mei, osculo oris tui & satisfactum etiam est sic fidei tuæ, spei, & dilectioni tuæ: Fidei per dilectionem dicentis, *osculetur me osculo oris sui*. Quid de pannis dicam quibus me inuoluisti in præsepio reclinatum? nimirum id quod verum est, quia odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Omnium namque vestimentorum scilicet bonorum operum tuorum, quæ in me materna, & plusquam materna charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta quæ tunc in me, vel propter me operata es, de magno, & valido charitatis igne cum suauitate humilitatis venerunt, rectè dixerim ego, rectè consenserim amici, quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris: Sic enim in omnibus famulata es mihi Mater, & Virgo fidelis, tanquam Deo cui soli debetur odor Thuris sacrificio suo, quamuis essem ego paruulus tuus, paruulus homo.]

Benè item sanctus Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 4. [Dum illum qui sibi hæc miranda fecit, paruulum inter manus suas versari, & ad verba sua pendere, & ad parui, & teneri corporis lasiones paruulorum more vagire conspiceret quo precor affectu piissimus eius animus mouebatur, quovè studio ad occurrendum cunctis, quæ incommoda illi fore timebat, parabatur castissimum corpus eius. Deus fili huius felicissimæ matris, qui es virtus & vera sapientia summi Patris, oramus te quatenus ipsa misericordia, qua factus es homo pro nobis insinuare digneris cordibus nostris, quo animo, qua cogitatione ferebatur hæc dulcissima tua mater, cum te, inquam talem, ac tantillum in brachiis suis exultans, & læta teneret, cum tibi infantulo dulcib osculis & frequentibus congauderet, cum te lacrymantem super genua sua, quib. poterat modulis consolaretur, cum denique aliis studiis, ad quæ ipsam materna pietas informabat: tibi pro qualitatum vicissitudinibus, sedula blandiretur. Doce inquam nos, vel

paululum mente percipere affectum ipsum, quo replebatur cor illius, vt si eum peccatorum nostrorum squalloribus obruti, quantus fuerit plenè non meremur contingere; saltem pauca mereamur in nostris ærumnis aliquatenus respirare: nec putetur ab aliquo contemnendum, vel parum quid sentire quemlibet in se, de affectu illius matris in filium suum.]

7 Guerricus Abbas serm. 2. de Assumpt. ingeminata studiosè matris basia, leniter arridenti paruulo, sic describit ex ipsiusmet Virginis ore. [Cum paruulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum forma præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat. Nunquam faciem auertebat, nunquam matrem repellebat. Et si fortassis impatientia desiderij etiam nimia, ipse tamen more suo, morem matri gerebat. Gaudebat eam replere gratia quæ diffusa erat in labiis eius, & dulcedine qua totus erat plenus, totus concupiscentia, & desiderium castarum scilicet animarum. Vnde sicut ipse de se confitetur, *qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*, quanto gratiam oris illius gustaui suauiùs, tanto repeto nunc ardentiùs.]

Suauissimè denique Amedeus Lausan. hom. 4. [Videbat oculis & manibus tractabat verbum vitæ. Felix cui præstitum est fouere eum, qui fouet ac nutrit omnia, portare portantem vniuersa, lactare filium, qui lac ipsis vberibus infudit, pascere cuncta pascentem, & escam auibus administrantem. Pendebat in collo eius, Patris sapientia, & in humeris eius virtus mouens cuncta residebat. Stabat in sinu materno paruulus Iesus, & in gremio quiescebat virgineo sanctarum requies animarum. Aliquando subnixo capite, læua dextraque tenentem, vultu placidissimo, genitricem aspiciebat, quam desiderant Angeli videre, & blando murmure vocabat genitricem, quam omnis spiritus appellat in necessitatibus. At illa repleta Spiritu sancto, sanctum pectus suo pectori copulabat, & faciem illius faciei suæ applicabat. Nonnunquam osculabatur manus, & brachia, & materna confisa licentia, ab eius ore sacratissimo dulcia oscula carpebat; Non satiabatur visu, nec implebatur auditu, quia illum videbat, & audiebat, quem multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt, & audire & non audierunt.] Habet ibidem plurima, de studio & cura matris in lactando infante, quæ citra in nostros cedit vsus: vt propterea S. Germanus in rerum Ecclesiasticarum Theoria agens de mystica significatione Craterum; eos interpretatus, mammas Deiparæ Christum lactantis, dicat, fuisse eas, [salutare lætitiæ poculum, & tutelare ac conseruatorium totius generis mortalium.] Salutare omnino, fuit vniuerso generi humano lac Deiparæ. Nam si lac B. Ciliniæ, matris S. Remigij, pijssimum Monachum Montanum, cæcum factum, luce redonauit, ex quo guttis aliquot illius lactis, vti prænunciarat, perfusus est, quod scribit Flodoardus l. 1. hist. Eccles. Rom. c. 10. quanto magis salutare lac Deiparæ quod oculis omnium planè mortalium collyrium fuit.

8 Igitur, (vsurpabo enim Augustini verba serm. 9. de tempo.) [cum gaudio dicamus sanctæ Virgini Mariæ Matri Domini nostri Iesu Christi; dicamus, & non confundamur; Lacta mater Christum, & Dominum nostrum, & cibum. Lacta panem de cœlo venientem, & in præsepi positum velut piorum cibaria iumentorum. Illic enim cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepè Domini sui: Circuncisio scilicet & præputium, cohærendo lapidi angulari, quorum primitiæ fuerunt pastores & Magi. Lacta eum qui talem fecit te, vt ipse fieret in te, qui tibi, & munus fœcunditatis attulit conceptus, & donum virginitatis non abstulit natus.]

Vberum Virginis decora, præsertim quia spes nostra, à Christi per matrem lactatione.

9 Laudationem Deiparæ ex hac lactatione pangit Dyonisius Cartus. l. 1. de laud. Deip. art. 18. amplexus pueri & fixa illi per matrem basia suauissimè recolens. Et optimè art. 23 qui totus est de laude vberum Virginis ex lactatione Saluatoris. Et patet sanè campus magnus in ea vberum Deiparæ laudatione excurrere volenti, siue originem lactis quo turgebant attendere placeat, siue eum in cuius bonum pretioso illo lacte differta sunt Virginis vbera, qui Christus ipse fuit, Deus verus, qui paruo lacte pasci sustinuit, per quem nec alea esurit. Terræ vbera seu mammas celebrat Philo lib. de plantat. Noë, *initio*, & in Cosmopæia, quod stirpes rigent & omnibus animalibus eandem beneficentiam præbeant. Et intelligit per eas terræ, matris fœcundissimæ mammas, amnium fluenta, fontiúmque Habet idipsum S. Chrysostomus in Psalmum 9. inde celebrans has terræ mammas, quod accurrant ad nutritios, plantas inquam, & animantea, extendatúrque quaquauersum: secus quàm mammæ muliebres ad quas oportet infantes accedere si sint lacte rigandi. Verùm quid stirpium, & brutorum rigationi, per similitudinaria terræ vbera, cum cibatione ipsiusmet Dei, escam omnibus suppeditantis, per Virginis sacra vbera? Hoc enim est, quod cœlum, & terram iusta admiratione possit defigere, quòd Deus qui omnibus affluenter præbet escam, & potum in tempore ad necessitatem fruendi tantula esca per creaturam suam suppeditata, deduci voluerit, indéque sustentari. Cuius diuinæ demissionis non ignara B. Virgo; vltrò, & sedula ad infantulum priusquàm ea aduocaret, quantum humana ferebat diligentia, accedebat porrigens vbera: ingens sibi visa operæ pretium facere, (vt reuera faciebat) si officiosissima adesset paruulo, & munus ad quod delecta erat diuinitùs, exequeretur cum omni adoratione & digna tantæ soboli, talique parenti pietate. Nec dubium (quæ eximia est huius lactationis prærogatiua,) quin intendens in illam Deus, insignes, & corporis, & animi dotes contulerit Virgini. Quod enim experimento certo liqueat, pueros cum lacte quod in prima ætatula sugunt, & corporis, & animi affectiones varias combibere: inde efficitur, vt cum Regio infanti nutrix prouidenda est, quæ ei lac immulgeat, conquiratur, benè corpore valens, non morbosa & scatens corruptis humoribus, itémque animo quantùm assequi licèt optimè affecta. Hoc studium, & amoris erga infantem suum nobile argumentum, à se desiderari nequaquam passus est Deus: quæ est (vt dicebam) prærogatiua lactationis huius permagna.

10 Video item passim DD. merita Virginis apud Deum, ex hac Christi lactatione extollere. Nec desunt qui hoc meritum anteferant merito Martyrum ex Sanguinis pro Christo effusione: quod habet Hailgrinus Cardinalis ad illud 4. Cant. *meliora sunt vbera tua vino*, cui ad eundem locum inhæret Bessonus, & Salazarus l. de concept. c. 11. t. 2. Adæquat duntaxat Martyrum merito, Damianus Perrotus in opere de annulo matri virginali tract. 5. c. 5. Quæ nunc tantum profero, vt appareat quantopere DD. meritũ laudationis Christi per Deiparã magnificant.

Sed illud maximè patefacit lactati Christi per Deiparam, meritum, quod eo maximè titulo, dicitur aduocatam nostram apud Deum agere, exhibendo vbera. Arnoldus bonæ Vallis in encomio Deip. egregiè id docuit. [Securum (inquit) accessum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ filium habet ante patrem, & ante filium matrem. Christus nudato latere, Patri ostendit latus, & vulnera. Maria Christo pectus & vbera; nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt, & orant omni lingua disertiùs, hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.]

Adamus de Perse adductus in Allegoriis Tilmanni ad c.24. Ecclesiastici eodem actus spiritu, ait. [Quid dulcius quàm Verbi interesse cunabilis? quàm indiuersorio Christi feriatum, & liberum esse, & infantiæ colludere tam felici? Ignoscite quæso, ignoscite puero, si vbera de cœlo plena non deserit, si sacro sanctum pectoris Virginalis sacrarium non dimittit. Ad incontaminata vestigia Virginis, piscina posita est pietatis vbi pueri balneantur. Nostis ætatem huiusmodi frequentiori lauacro indigere; facillimè sordes contrahit, & opus est vt materna sollicitudine, consuetiori balneo diluantur. Proinde à contubernio sacræ Virginis, longè procedere, tutum non arbitror. Quis enim mihi prouideret in talibus, si indulgentissimæ matris misericordiam elongarem? Tenebo illam, non discedam ab illa, quia si misericordiæ eius sollicitudo defuerit, facilè fecero abortiuum.]

Pulchrè item Rich. à S. Laurentio l. 2. de Deip. particula 1. causa 18. [*Delectabitur* ineffabiliter *infans*, idest Christus *ab vbere* matris ei repræsentato. Sequitur, *super foramina aspidis, & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*. Christus enim, vt dictum est, delectatus ab vbere matris, tendit manum gratiæ ad malos, qui priùs fuerant foramina aspidis & cauerna reguli.]

11 Alter Richardus suo c.23. in Cant. duo Virginis vbera interpretatus pietatem in peccatores ac iustos, spem misericordiæ ex lactatione Christi per Deiparam sibi pollicetur, sic eam alloquens. [A Deo pietate replentur vbera tua, vt alicuius miseriæ notitia tacta lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subuenire. Et quid mirum, si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in te Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent. Cum enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ vbera accepisti. Et sicut carnem nostram in te sumpsit, & Spiritum sanctum suum nobis dedit. Cum materiale lac ex te Deus suxit, spirituale pariter Filiis Dei per te fluere cœpit. Ex eo miserorum mater facta es, & miseros alere misericordiæ lacte cœpisti. Et cum misericordia Dei sit ab æterno, amplior esse cœpit ex tempore. Et cum ex te cœpit initium, eius quoque largitas per te sumpsit augmentum. In te ergo concreuit lac diuinæ misericordiæ, & ex te nobis profluxit. Ipsa priùs repleta es, & ex te nobis descendit hæc abundantia. Vnde quia lacte hoc inebriaris, & lac istud nobis fundis, & per mundum pietas tua currit, & miseris occurrit, & subuenit, meritò hinnulis cōparatis, & lactentibus hœdis, pariterque currētibus assimilaris. Sugunt enim lac istud in diuina fruitione, & nobis occurrunt charitate, & subueniunt meritis, & intercessione.] De hoc toto argumento, post hæc pridem vulgata prodiit lucubratio Damiani Petratij, cui titulus est, *Annulus Matri virginalis*; quinque Tractatibus comprehensa.

Infantis Circuncisio curante matre, non exequente.

Pars I. Punctum 8. Gesta Virginis Christo puero.

12 Interea ventum est ad octauam à natiuitate diem, & puero ex legis præscripto cui subiacere vltrò voluit, circuncisio à matre curata est, ibidem in stabulo in quo editus erat, vt S. Epiphanius hær. 20. affirmat: consentitque Tol. in c. 2. Lucæ annot. 30. Imo per dies illos 40. qui erant designati ad purgationem puerperæ, hæsisse matrem cum filio in stabulo, censet Suar. t. 2. 3. p. d. 15. s. 1. *in fine*. Nec moueor prætensa reuelatione qua Isidorus, de Isolanis l.4. de vita B. Veronicæ c.3. scribit, manifestatum esse illi Virgini, quod Christus sit in templo circumcisus à Sacerdote annoso. Id enim non cogimur admittere tanquam verè reuelatum; sicut neque illud quod ibidem additur, de duobus columbarum paribus, itémque binis paribus turturum oblatis seni Sacerdoti qui infantulum in vlnas suas acceperat, astante Anna vidua, cum se ad peragendum circuncisionem attingeret; quæ est manifesta confusio Mysterij Circumcisionis ac Præsentationis in templo, vndecunque sit profecta confusio, hoc est siue à Benedicta Amanuensi Veronicæ, siue ab ipsa Veronica, siue ab Isolano. Multa item alia eo maximè libro quæ solidus Theologus non probarit, tanquam reuelata prodidit, cuiusmodi cultro facta sit Christi Circuncisio, nihil occurrit speciale: quanquam Compendij, lapideus culterque peracta sit Christi circumcisio, asseruatum in templo SS. Cornelij, & Cypriani, vt scribit V. Cl. Andreas Saussayus in Martyrologij sui Gallicani supplemento. Quid præputio abscisso factum, vetus quæstio est vt videre est apud Titum Bostrenum. Actum de ea plenè l. 2. de Christo sect. 3. cap. 3. Ministrum Circuncisionis Christi fuisse Iosephum, affirmat S. Ephrem orat. de Transfig. & S.Bern. serm. 1. de Circuncis. & subscribunt recentiores quas adducit, & sequitur Morales l.5. tract. 3. n. 8. Alij ipsam Virginem filium circumcidisse meditantur. Neque enim nouum est, vt matres natos suos circumciderint, quod de Sephora habetur. Exodi 4. & de aliis matribus 1. Machab. 1. & 2. Machab. 2. sed id factum duntaxat videtur à matribus, necessitate quapiam vrgente. Certè exempla proposita eiusmodi fuerunt, vt matres necessitate adactæ, illam teneræ prolis lanienam obiuerint, quæ commodiùs patri vtpotè robustioris animi videtur assignanda, si aderat; vt ferunt exempla Abrahami Genes. 17. & 21. & Actuum 7. Nec Virgo tametsi robore mentis infracto ad omnes Dei voluntates exequendas, recedere ab eo vsu voluisse, censenda est. Quare Circuncisionem ab ea permissam Iosepho, haud grauatè concedo. Nisi si sacerdoti, aut Leuitæ ad id euocato ex oppido peractam Christi Circuncisionem dicere placeat, cum Cornelio Lucæ 2. v. 21.

Nominis IESV impositio. Delibata eius decora.

13 Idem Iosephus infanti super Circuncisionem, prout ab Angelo monitus erat, augustissimum IESV nomen imposuit, non exclusa Virginis opera, cui æquè ab Angelo dictum fuerat, *vocabis nomen eius IESVM*. Et rationem nominis imponendi notatione eius nixam, præbuerat Iosepho Angelus

Angelus adhibita causali particula, *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Astruit eam notationem nominis luculenter. Franc. Lucas ad cap. 1. Matthæi vers. 21. refellens nugiuendos quosdam, qui supra Angelum periti, IESVM voluere dictum, quod ab eo quod est *saluum esse*, aut *saluum fieri*. Angelus item Caninius de locis noui Testamenti c. 1. refellit *Iehosua*, vel *Jehesua*, Osiandrianum quod omnia alia sonat quam quæ diximus signari hoc nomine stuporem quoque Osiandri ea in parte reuincit Serar. in c. 2. Iosue q. 10.

Non est autem quod de ornando; & illustrando tam augusto nomine satagam, cum in eam rem tam multi incubuerint magna cum laude. Præter Lucam Tudensem l. 2. contra Albig. c. 16. cuius minutiloquium minus placet. Videsis Alphonsum Mendozam quodlib. 10. posit. Toletum in c. 1. Lucæ annot. 85. & 86. & in c. 1. Ioann. annot. 74. Iustinian. Philip. 2. vers. 10. consaluum Ponce de Leon l. de sodalitate nominis Dei c. 19. Serarium in c. 2. Iosue à q 10. Magalianum in eundem librum, & prolus. 9. Isagog. in librum Iudic. Suarem, t. 2. 3. p. d. 15. s. 2. Nigronium ad initium regularum communium societatis, qui alios innumeros proferunt, à quibus hoc nomen super omne nomen, ac super ipsum etiã *Dei* nomen, quippè significantis duntaxat naturæ authorem, venerabilissimum in cœlo, & in terra demonstratur. Posse certè eandem huic nomini, ac imaginibus Christi adorationem deferri, non videtur ambigendum, cum æquè sit aliquid Christi, ac imago. Vnde sicut cultus imaginis non sistit in imaginis materia, vel externa forma, sed spectat coniunctionem eius cum prototypo; ita & cultus nominis IESV. Non dico eum cultum huius nominis, directè, & immediatè tendere in solum Christum, vt visum est Gabrieli Vasquez 3. p. d. 108. c. 11. & Molano sect. 3. de imag. c. 1. ac Soto l. 2. de Iustitia q. 4. art. 2. Contrarium enim rectè tradunt Corduba l. 1. q. 5. dub. 4. art. 2. Suarez. t 1. 3. p. d. 54. sect. 6. Magal. prolusione 9. in Iudic. à n. 34. Quod igitur dico de coniunctione huius nominis cum prototipo dum colitur, eò pertinet, vt tota ratio venerandi nomen in se spectatum, sit aliquid refusum à prototypo, vt de imaginibus quoque dicitur, secundum veram de earum adoratione sententiam. Et hinc etiam stabilitur magis, quod de pictura nominis IESV, adhibitis circum radiis à S. Bernardino vsurpatum, nec nisi nouitatis specie à Martino aliquando improbatum, scribit S Anthonius 3. p hist. tit. 24. & 5. §. 2. in quam rem videndus Molanus l. 3. histor. imag. c. 1. & 18. & Lucas Vadinghus in Minorum annalibus cum S. Bernardino.

Hoc nomen in Christo non esse vacuum qualia sunt mortalium nomina, sic tradit Petrus Cellensis epist. 31. [Vnus est, & secundum non habet cui dicitur, *Secundum nomen tuum Deus, ita, & laus tua in fines terræ.* Quod hoc nomen, IESVS; quę ista laus, *saluabis populum suum à peccatis eorum.* Reuera hic IESVS in cuius manu salus nostra est, hic nomen habet, quod est super omne nomen. Hic denique virtutem nomine suo non inferiorem implet, quinimò, & tempore, & pondere excellentiorem. Parum dixi tempore, melius enim dictum æternitate. Virtus hæc ab æterno, nomen hoc ab æuo. Virtus sine tempore, nomen ex tempore. In pondere nihilominus omnia virtus diuinitatis operatur, ipsum quoque nomen IESV. ô pondus nominis IESV, quis appendere, quis dinumerare, quis æstimare valeat hoc nomen in puluere; nunquam sine pondere nominandus est IESVS. Ponderé vtique sanctuarij, quia nemo potest dicere Dominus IESVS, nisi in Spiritu S. Et in lege Moysi sic dicitur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Paulus Apostolus ne in vanum curreret, vt potuit in vinculis, & in catenis per passiones quotidianas hoc nomen semper apposuit, & apprehendit. Hoc enim est quod ait, non sunt condignæ passiones huius &c. Et aliàs de eodem pondere, Stigmata (inquit) D. IESV, porro in corpore meo. Alibi dicit, *Dedit ei Pater nomen, quod est super omne nomen.* Præponderat hoc nomen, quodcunque creaturæ nomen est.] Mellitissimè idem argumentum versat S. Bernardus serm. 15. in Cantic. sed diffusius quàm vt hic exscribi possit. Summa est, hoc nomen esse oleum effusum, est in triplici qualitate respondere Deo, quod lucet, pascit, & vngit: atque adeo lux est, & cibus, & medicina. Quæ omnia mysticè præstari per hoc nomen, elegantissimè prosequitur. Inde tantus omnium piorum affectus erga hoc dulcissimum nomen. An tamen quæ de hoc nomine exarato aureis litteris in corde Ignatij Theophori posterioribus sæculis iactata sunt, incomperta veteribus admittenda sint, legesis Molanum l. 3. de imag. c. 7. qui hortum allegoricè accipit. Quis vetet de hoc sanctissimo nomine ad veritatem dicere quod falsò Poëta adulator de Earini Eunuchi nomine dixit l. 9. epigr. 12.

Nomen cum violis rosisque natum:
Quo pars optima nuncupatur anni;
Hyblam quod sapit Atticosque flores,
Quod nidos olet alitis superbæ,
Nomen nectare dulcius beato, &c.
Nomen nobile, molle delicatum.

Quod Græcis ἔαρ *ver* sonet, nomen vernum Earini concelebrat. Christus ver sacrum est, quo veniente flores apparuerunt in terra nostra. Itaque cadit in illum iustius appellatio *Earini*, & omnia eius nominis encomia nomini IESV ritè aptantur, vt & illa de eodem Earini nomine apud eundem Poëtam Epigr. ibidem 14. vnica voce commutata.

Nomen habes teneri quod tempora nuncupat anni;
Cum breue Cenopiæ, ver populantur apes.
Nomen Acidalia meruit quod arundine pingi,
Quod Cytherea sua scribere gaudet acu.
Nomen Erythræis quod littera facta lapillis,
Gemma quod Heliadum pollice nita notet.
Quod penna scribente grues ad sydera tollant,
Quod decet in sola numinis esse dono.

Nemo enim præter Christum Deum & hominem, & qui de eius dono fuerunt, idest Sancti, & iusti, hoc IESV nomen aliquando tulit non modo in Testamento, in quo hoc nomen factum est incommunicabile, sed etiam in antiquo, Propheta Origenes tract. 35. in Matth. ad illud: *Quem vultis dimitti vobis IESVM, an Barrabam*, expungi velit corruptam aliquorum lectionem quæ habeat, *quem vultis dimittam IESVM Barrabam*, an *IESVM Christum.*

Adoratio Magorum, & quid per eius tempus, Virgo mater.

14 HÆrenti adhuc in stabulo puerperæ, cum infante Deo, affuerunt Magi. Eos enim Christum in spelunca adorasse, non alibi, vt habet S. Epih. hær. 51. & Theophilactus in c. 2. Math. post

Post S. Chrysostomum ibidem homil. 8. ad illud, *& intrantes domum*, disertè affirmat S. Hieronym. epist. 17. & epist. 27. in metrico S. Paulæ Epitaphio, ac pulchrè his verbis ipsemet (si tamen ipsemet) S. Epiphan. sub finem orationis Deip. [Apparet stella Magis, donec venisset supra infantem in stabulo, vel potiùs in cœlo. (Vbi enim Christus, ibi, & cœlum) nam stabulum, visum est esse cœlum in terra.] En disertè Christum à Magis in stabulo repertum, deducente stella, affirmat. Quæ discrepantia, non improbabilem facit sententiam Deltij, qui Commentario in Cantica, Orationem illam de Deipara tribuit Epiphanio iuniori. Vt vt sit, de germano illius Orationis parente, aduenientibus Magis Virginem cum puero adhuc hæsisse in stabulo: quod ea Oratione traditur, confirmant alij quos iam adduxi, insupérque S. Bernardus serm. 1. de Epiph. qui in hunc modum Magos compellat. [Quid facitis ô Magi, quid facitis? Lactentem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergóne Deus est iste? Deus certè in templo sancto suo, Deus in cœlo sedes eius, & vos eum quæritis in vili stabulo, in matris gremio. Quid facitis quod, & aurum offertis? Ergo Rex est ipse? Et vbi aula regia, vbi thronus, vbi curiæ regalis frequentia? Numquid aula est stabulum, thronus præsepium; curia frequentia, Ioseph, & Maria? Quomodò ita insipientes facti sunt viri sapientes, vt adorent paruulum despicabilem tam sua ætate, quàm paupertate suorum?] Et mox. [Nonne timendum erat fratres, ne scandalizarentur viri isti, & illusos se crederent, cum tanta indigna viderent? A regia ciuitate, vbi Regem quærendum coniectabant, ad Bethleëm villam paruulam diriguntur. Ingrediuntur stabulum, inueniunt inuolutum pannis infantulum. Non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia, procidunt, venerantur vt Regem adorant vt Deum.] Rursúsque serm. 2. eiusdem argumenti, benè oculatam, & Lynceis instructam luminibus fidem celebrat, quod vt Latro per eam, pendentem in patibulo, & clauis confixum Christum conspexit, sic per fidem Magi in stabulo, pannis inuolutum ac lactentem, Dei filium esse cognouerint, & adorauerint. Eo toties, *in stabulo*, repertum à Magis Christum statuit, id quod etiam affirmat. Iust. cum Tryphone, Nyss. orat. de Christi Natio. Chrysost. hom. 7. in Matth. Isid. Pelus. l. 1. epist. 378 Consentiúntque Franc. Lucas Matth. 2. vers. 11. & ex variis Patribus Castro in histor. Deip. cap. 8 num. 9. & fusè quoque Suarez t. 2. 3. p. disput. 14. sect. 4.

Adeò receptæ apud Patres doctrinæ inhærendum est, nec audiendus Bollandus qui in fronte Februarij contendit ad orationem Magorum factam esse Februario mense. Argumentũ eius est, quod non sit credibile, Magos diuino monitu nocte intẽpesta, summo silentio, deuio itinere abiisse, & in speluncа postea à S. Theodosio Cenobiarcha inhabitata ad medicam quietem latuisse, & dein Deiparã per dies viginti septem, secutè Bethleemi substitisse, Hierosolimamque venisse, ac Filium in templo Dei obtulisse tanta cum celebritate vaticiniorum. Inde infert author, prædictus, ad orationem Magorum cõtigisse post præsentationẽ Christi in templo, moxque ex Magis & Regi nouo indictum esse Regifugium. Ita quidem ille. Sed nõ video fundamentum solidum huius narrationis, omnibus retrò Patribus, ac Interpretibus incompertæ, nec satis cohærentis cum sensu Ecclesiæ Latinæ quæ constanter Epiphaniam assignat diei sextæ Ianuarij. Communis item sensus Patrum fert Christum esse à Magis adoratum Bethleemi, siue id factũ sit spelunca in qua Christus natus erat, siue in domo aliqua eiusdem vrbis, qua in re variatur sententijs. Nam Herodes de sententia Scribarum misit Magos in Bethleem. Iuxta nouam verò sententiam, Christus infans, nõ fuisset quærendus à Magis in Bethleëm, sed vel Hierosolimis, vel Nazarethæ, aut in via Nazarethea versus, quæ omnia sunt inaudita. Vt verò dicatur Christum post oblationem in templo reductum esse Bethleemum, & ibi inuentum esse à Magis, non est vnde astruatur. Longè igitur verius videtur, post adorationem Magorum peractam silentio & vix vllo præter Deiparam & Iosephum conscio; Herodi visa esse delirationes quæ Hierosolimis audierat à Magis; nec discussisse eam suam falsam existimationem nisi post auditum Simeonis, & Annæ in templo sensum de Christo corã multis Iudæorum, & tunc Magis iam procul digressis exacuisse furorem suum in Christũ infantẽ, & eius occasione in Bethleemiticos infantes, Christo Angeli monitu tempori subducto.

Pars I. Punctum 8. Gesta Virginis Christo puero.

15 In stabulo igitur, Deiparæ supplices ad genua acciderunt magnis pro filio delatis muneribus, [Magi de successoribus filiorum Abrahæ ex Cetura, habitantes in partibus Arabicis Magudiæ regionis.] Verba sunt S. Epiphanij sub finem Panarij. Vulgò *Reges* dicti, laxè accepto *Regis* nomine, pro quouis Toparcha; quem esse scripturæ vsum, latè prosequitur Sheilogus tom. 1. in Cant. anteloq. 5. n. 118. Planè multorum testimonio eam persuasionem quod Magi fuerint Reges, astruit Canus l. 11. de locis c. 3. argumento 4. (nec retractat c. 4. ad illud quartum argumentorum) quibus addendus Martinus Cantapretensis lib. 8. Hypotipos. c. 5. & Galesinius 5. Ianuarij, ac Petrus Simonia Tract. de Epiph. c. 4. Castigans Caluinum arguentẽ Papistas magnæ cæcitatis, quod Magos Euangelicos habeant pro Regibus, quos hic Caluinus è contrario, habet pro tenuibus personis quibus non erat ad æquos toro iniocere habendos satis, sed adacti sint redire pedites. Quæ est mera capitositas, imò vecordia huius blateronis, talis effutientis absque vllo prorsus fundamento tantùm vt contradicat sensui contrario Catholicorum manifestè innixo scripturæ memoranti Magorum thesauros. Videndus Caluinum hac in parte contendens Feuardentius l. 9. Theomach. Caluinist. cap. 11. Æquè Theodorus Beza ad c. 2. Matth. Regiam horum Euangelicorum Magorum appellationem, & eorum nomina, ac corporum translationem Coloniam, calumnio infrunito exagitat, exsibilari dignior quàm discuti, adeò inanis sunt quæ adducit. Stabulum ergo subiere Reges in ea nomina nonone quam proposui, & ibi Christum adorarunt. Quod autem S. Matthæus, Matrem cum puero inuentam dicat, domum ingressis Magis, dictum est, ex vsu Hebræorum, quibus solemne est, quamcunque mansionem, ac vel passerum nidum, *domus* nomine insignire. In ea igitur domo quam dixi, inuenta est cũ infante Deo puerpera, à Magis, quos ipsa afflante Deo optimè animatos, confirmauit, & illustrauit vberiùs, ne humili ac vili specie infantuli auerterentur, & eum quem stella similitudinaria ex aëre per Angelũ formata domui incubans ipsis signarat, non refugerent Deum agnoscere. Ingestum ab ea Regibus filium ad adorandum, habet S. Ambr. ser. 1. de Epiph. Colloquia Virginis ac Magorũ, longa oratione descripsit Card. Vigerius Chorda 4. decachordi c. 18. & 19. Gaudia verò matris in tanta cunabulorum Christi gloria, & manifestato hac die Christi super Rege regno, sicut hac ista die, Augustus primo Monarchiam vniuersalem iniuit, vt habet Oros. l. 7. hist. & ex eo Abelardus serm. de Epiphan. Lætitiæ, inquam quibus mater sanctissima incessit, declarato per hoc veluti sanguine, Christi principatu, & harũ Ethnicismi primitiarũ

tam illustri tam diuina conuersione à simulachris, ad Deum viuum, non est difficilè coniectura assequi.

Nemo tamen satis assequatur, potentiam Verbi corporati in extorquenda sine vi, principium huius mundi demissa fide, & reuerentia, ad infantem pauperem in stabulo hærentem. [Non dixerunt (inquit Hesychius orat. 1. de Deip.) his quos interrogabant, quomodo fit conceptio diuina, quomodò vterus sine semine, quomodò Partus incorruptus, quomodo mater post partum est Virgo, quomodò subiicitur annis, qui prior illis est; quomodo est in tempore, qui est ante sæcula? quomodo natura vteri comprehendi potuit eum, qui est incomprehensus? quomodò is qui est incorporeus, sine conuersione factus est caro, quomodò Deus Verbum seipsum exinaniens in vtero virgineo, cùm esset insignis, & gloriosus, instar serui, modo indicibili ex eo incarnatus est; quomodò id quod est perfectum, infans esse potest, quomodò lac sugit, is qui nutrit? quomodo is qui tegit, & complectitur vniuersa, continetur in vlnis? quomodo Pater futuri sæculi, fit infans? quomodo sursum, & deorsum est? quomodo is qui est in cœlis, est etiam in terra, quomodò Pannis inuoluitur, qui auriga est Cherubicorum curruum? quomodo iacet in præsepio, qui est in sinu Patris? quomodo fasciis continetur, qui eduxit vinctos in fortitudine; & cuncta alia quæ vel referre horrescimus. Sed cum taciturni peruenissent ad stabulum vbi inquisierunt, decentem cultum exhibuerunt Regi & Deo cum muneribus.] Hæc ipsa munera mysticis significationibus grauida Magorum fidem bellè patefaciunt. Iuuencus Presbiter à sancto Hieronymo collaudatus Matth. 2. munerum mysteria expressit eo versiculo; *Aurum, Thus, & Mirrham Regique, Deoque, hominique dona ferunt.* Ita legitur apud ipsum iuuencum lib. 1. histor. Euang. Nam apud sanctum Hieronymum malè transposita est pars versiculi. Sic enim refertur dixisse Iuuencus. Aurum, Thus, & Myrrham, Regique, hominique Deoque: At eo pacto euertitur correspondentia munerum, quorum primum hoc est Aurum Regiæ dignitati; secundum fuit Thus, Deitati; tertium, siue Myrrha mortalitati hominis correspondet. Iuxta lectionem verò à S. Hieronymo adhibitam, thus homini aptaretur, haud quaquam profectò congruè. Munera ergo ex mente Iuuenci accommodata, aurum Regi, thus Deo, myrrha mortali homini fidem Magorum egregiè aperiunt. Quanta ergo fides fuit Regem agnoscere misellum in stabulo natum in summa Ægestate, nullo stipatum satellitio, omnibus destitutum humanis commodis, grauatum incommodis omnibus; hoc auri munus insinuauit regiam Christi dignitatem, nec qualemcunque, sed qua absolutè & simpliciter Rex erat, Rexque Regum præ se ferens. Datur Regibus aurum tanquam egenibus, & reuera vt vt sentiant mortales, omnium egentissimis, quia spectatis infinitis causis expensarum innumerabilium, egentiores sunt, quam plerique in tenui fortuna, exiguo instructi censu, sed paucis grauati oneribus quæ censum quantumuis copiosum exorbeant. Christo Regi datur aurum, contestans eius Regiam maiestatem, sola tamen vltronea egestate circumseptam. Quantæ item fidei fuit oblato thure quod Deo soli adoletur, agnoscere Deum in pusione latitantem, & mundum sibi in ea humilitate reconciliantem? Denique quantæ fuit fidei supremo cultu afficere eum quem diuina reuelatio pandebat in ea ipsa carne, quę conspicua erat mortem passurum? Eximia ergo atque præcellens fuit Magorum fides eamque oblata per eos munera insinuabant.

Micabit porrò luculentius fides Magorum, si verum sit quod contendit Petrus Simonis tractatu de Epiph. capite 3. eos non vt habet multorum sensus, fuisse ex posteris Balaam Hariolum, & perspectam habuisse prophetiam eius numero 24. consignatam verbis illis: *Orietur stella ex Iacob, & & exurget homo ex Israel, & dominabitur omnium gentium.* Ideóque in eius stellæ expectationem suspensos nitentes, & ad primam illius apparitionem dedisse se in viam, & ad Christum venisse. Negat hæc omnia author ille, affirmans post S. Augustinum, Magos stellæ exorituræ nequaquam conscios ex solo Spiritus sancti efficaci afflatu, & vberi luce diuinitùs affusa accurrisse sequentes stellam sibi obuersatam. Quod si verum est, micat luculentius Magorum fides, vt præmisi. Eorum meritum, (sed fidei maximè) duobus insignibus miraculis à Deo honestatum legere licet apud Erardum Vnchemi. Carthusianum in sacrario Coloniens. cum agit de Ecclesia Cathedrali pag. 30. & 31.

16 Harum Gentilitatis ad Deum conuersæ primitiarum, erga Christum, & Deiparam studia, sic delibasse contentus; missa facio quæ ad eas præterea pertinent ab hoc instituto extranea, de quibus copiosè interpretes Matth. 2. Illud tamen obiter notare iuuerit, quos passim *Gasparem, Melchiorem, atque Baltazarem* audire constat, ab Ebrardo, eiusvè locupletatore, l. contra Valdenses c. 12. aliter nominari. Additio quippè ad oram capitis apposita, quæ vel ipsius Ebrardi est, vel antiqui librarij sic habet. [Quos Græci Philosophos, hos Persæ Magos appellant. Eorum nomina *Appellius, Ametus, Damascus.* Hebraicè *Galgalad, Magalad, Serachim.* Hi successores fuerunt Balaam, qui stellam nouerant eius vaticinio.] Sic author ille propugnans exemplo Magorum peregrinationes sacras, à Valdensibus infrunitè impetitas. Et idem legitur apud Zachariam Chrysopolitanum periapta his nominibus fœdata referet. At nonnullis Græcis iidem Reges, nominantur, *Ator, Sator, & Paratoras*? addito nouæ fabulæ superstitioso superpudio, quod scilicet si ea tria nomina in die Epiphaniæ, capiti sitalthough nouæ inscribantur, plena liberatio à quantumcumque venenati serpentis morso consequetur. De Magorum numero anceps hæret Petrus Simonis tract. de Epih. c. 4. Author imperfecti operis in Matth. mox adducendus cum alia speciem fabulæ præferentia de his Magis, & stella habet, tum illud nominatum fuisse numero duodecim. Quod amplecti videtur Abelardus serm. 4. S. Leo tres tantum numerat in multis sermonibus de Epih. & est communis sententia Patrum, atque Doctorum vt videre est apud Suarem t. 2. 3. p. disp. 14. sect. 2. & apud Hermanum Combusspisso de Magis Euangelicis volumine. Præterea illud quoque videtur non omittendum iuxta authorem imperfecti operis in Matthæum ad illud, *& intrantes domum inuenerunt puerum*, & iuxta Hesychium proximè adductum, Magos Christum reperisse, & adorasse in præsepio. Ita enim verba illa Hesychij sonant in Magorum persona; *quomodo iacet in præsepio, qui est in sinu Patris.* At S. Chrysost. homil. 8. in Matth. disertè ait, adoratum Christum à Magis, in B. Virginis gremio. Id quod minus mirum est sensisse Chrysost. qui domum quam intrasse Magos, prodit Matth. non existimat fuisse stabulum in quo Christus natus erat, sed domum eo digniorem nomine, quæ dilapsis breui hospitibus, diligentia Iosephi, paruit illuc digredienti cum infantulo Deo, sacræ puerperæ. Mihi, tametsi Chrys. sententia quoad domum in qua Magi Christũ cũ matre repererunt, superius est improbata,

tamen

tamen quoad rem de qua nunc agimus, non displicet eius opinatio. Est enim satis pium, ac verisimile, B. Virginem, satiandis sanctissimi illius pignoris, & visu, & attrectatione per sacra oscula Magorum desideriis, puerum gremio suo impositum exhibuisse adorandum. Neque tamen euanescunt cogitationes quas, Magis ab Hesychio iniectas vidimus, quoad collocationem Christi in præsepio. Indubitanum quippè videtur, B. Virginem non celasse Magos, demissionem Verbi Dei vsque ad præsepe, in quo ipsamet aliis destituta cunis, recens vtero fusum reclinasset. Sic igitur auditam Christi in præsepio reclinationem, recogitare, & stupore inde deligi potuerunt Magi, quamuis Christum non in præsepio, sed in Matris gremio, ab eis adoratum, placet asserere.

Demissio Deiparæ, in diebus purgationis, ac muneribus subiunctis.

17 EXactis deinde diebus purgationis, venit Deip. Hierosol. *Dies purgationis*, non est, quod quis existimet dictos, ab expiata vlla vel animi vel corporis macula: quandoquidem & vita, & nominatim partus Virginis, ab omni inquinamento carnis, ac spiritus, abfuit quàm longissimè: sed dicti sunt *dies purgationis Mariæ*, quos purissima Virgo pro more cæterarum exegit, vt legi satisfaceret, [quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc operatio similis.] Verba sunt Authoris sermon. de Natiuit Dom. apud Cypr. qui tamen iure contestatur, Deiparam (quippè purissimam in conceptione & partu,) legi de purificatione puerperarum non fuisse obnoxiam. Eadémque est vox Patrum cæterorum apud Toletum in cap. 2. Lucæ annot. 35. & disertè S. Cyrilli lib. 2. de fide ad Reginas *parum à principio*. Pulcherrimè autem Hildephonsus l. de Virgin. & parturit. B. Mariæ retundens quod aliqui sordes Deip. in partu affricabant, ex eo quod dicta sit implesse dies purgationis. Hoc vt seruiretur consuetudini, ac humilitati, ab ea præstitum, tradit S. Hildeph. monstrans exquisitum eius, & corporis, & animi nitorem. Vnde concludit, [& ideò alia erat purgatio illa fæminarum, in qua purgabantur non minùs delicta animorum, quàm vitia corporum, & alia purgatio Mariæ, in qua non aliud quàm pro mysterio, consuetudo legis seruabatur, quia nullis egebat purgamentis, quæ Dominum de se omnium purificatorem, genuit incarnatum. Porrò completio dierum purgationis eius, nulla alia causa est, quàm expletio, & consuetudo legis. Purgatio verò, & separatio reliquarum fœminarum, multis ex causis est, in qua & vitia purgantur animarum, & vitia corporum. Vnde septem deputantur dies immundi, quibus sedere iubetur mulier in sanguine immundo immundissima iuxta dies separationis eius & triginta tres dies, vt sedeat in sanguine puro. Omnibus tamen diebus istis mulier immunda erat, & sordida multis ex vitiis, donec redintegraretur status totius corporis, & sanarentur tori, sanguisque cessaret à feruore vitiatus, sicque emundatis sordibus, mulier diuinis purgaretur hostiis & muneribus. Sed B. Maria non talibus eguit sacrificiis quæ sanctam de se genuit hostiam, per quam mundus purgatus est.]

18 Itaque suspicienda prorsus est in hoc facto, Deip. demissio: tametsi ea longè inferior qua Christus à lege circumcisionis immunis, tamen eam tenellæ carnis suæ laniena subire voluit, séque legi velut pædagogo obnoxium, atque adeò directoria indigum, & in speciem, erroris capacem prohiberis cum esset ipsa via, veritas, & vita. Hanc humilitatem æmulata pia mater, se gessit perinde, ac indigam purificationis, vt S. Bern. rectè admonuit serm. 3. de Purif. Illud item humilitatis Deip. in hoc facto specimen insigne fuit, quod cum esset lata lex Leuit. 12. vt in sacrificium pro purgatione immunditiarum puerperæ, offerenda esset, vel agni qui carius venit, vel auiculæ vilioris pretij, cum facilè potuisset ex collatis per Magos pretiosis muneribus aliquid ad eum vsum reseruare, tamen omnia effundens propter Deum, & paupertatem, (quod à Richardo de S. Laurentio l. 4. *pag.* 280. benè expensum est,) non erubescens, quam Deus ipse quæsiturus in terras venit, auiculæ oblatione contenta, maiorem hostiam quæ diuitum propria erat, non vsurpauit. Nec verò vsurpare potuit; Nam si potuisset, stetisset haud dubiè cortici legis, quæ ferebat vt quæ posset offerret agnum, quæ verò præ inopia non posset, offerret auiculam. [O amplectendum (exclamat in hac in hanc rem S. Eligius hom. 2.) fidelibus animis exemplum spontaneæ paupertatis? Benignus Deus, & Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, qui dat omnibus affluenter, non improperat, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo in terra, pauper & humilis pro nobis fieri dignatus est, vt nos sua paupertate, & humilitate excelsos faceret, ac diuites; hic quidem in fide, & spiritualium diuitiarum (id est sanctarum virtutum) libertate, in futuro autem hæredes regni, quod repromisit diligentibus se.] Sic ille à matris paupertate quam ex hac tenuium oblatione collegerat, ad Christi voluntariam paupertatem qui matrem pauperem elegerat, transitum faciens. Quod item pulchrè facit Origenes hom. 8. in Leuit.

Part I. Pandam 8. Gesta Virginis Christo puero.

Decora oblationis Christi per matrem.

19 OBlationem hanc humilem, fecit longè pretiosissimam, adiuncta, verè in hoc negotio primaria filij per matrem oblatio, ex syncerissimo, & diuini honoris studiosissimo pectore profecta, ingentique mista gaudio; quod is Deo sisteretur, qui Deū sisteret. Longè autē Deo acceptior fuit hæc oblatio, quàm ea qua Anna obtulit Samuel exonerata Scapha, (vt Chrys. loquitur orat. 3. De Anna,) Deo exhibens munus; vel qua S. Nonna Naz. mater filios suos necdum editos offerre Deo solita erat, vt scribit idē Naz. orat. 19. aut quæ Aleydem S. Bern. matrē idem circa natos suos præstitisse, habent acta S. Bern. aut denique qua S. Elisab. Hungarica, vt habetur in eius vita c. 7. nudipes, & cum eximiis exquisitæ pietatis argumentis, infantes abs se editos cum primùm progredi ad templum licebat, sistebat Deo in altari. Et superuenerunt, matris gaudium & oblationis maiestatem luculento testimonio ornantes, testes locupletissimi duo; Simeon & Anna benedicentes nato, ac matri, & hanc contestantes Deip. illum verò Messiā, tam cupidè expeditum, tam anxiè per tot iam sæcula expectatum, salutare Dei, lumen ad reuelationem gentium, gloriam, ac Regem Israël. [O quam pium spectaculū (exclamat Ambr. Ansbert. serm. de Purific.) quo non nisi pij delectari probantur. Stat hinc Virgo & Mater, non cuiuscunque, sed Dei. Suscipitur hinc infantulus, paruulus, Virg. Filius, cuius diuinitatē non capit mūdus. Occurrit hinc inde Propheta, atque vterque sexus de puero prophetat. Offertur oblatio pro puero, non quæ delicta emundet, sed quæ sacram. declaret.] Prophetas vocat Simeon.

& Annam, quia de Christo diuinitùs præcognito, & futuris eius gestis pleraque pronūciauerunt insignes omninò personæ, quas in primos publicos Christi testes sui ac indices delegit Deus. Simeonem laudat, Timot. Presbiter Orat. de Simeon. & Cyrillus Hierosolymitanus orat. de occursu. Eiusdem canticum ac verba in hoc negotio præclarè expendit Gregor. Nyssenus orat. de Hypapante. De eius tunc in Christum affectibus planè S. Cyrillus orat. illa de occursu, ac Methodius serm. de eodem occursu, siue de Hypapante. Et benè quoque Ambrosius Ansbertus ad calcem sermonis de B. Virginis purificatione. Affectos porrò illos prædulces Simeonis, etiam Ethnicis innotuisse monstrant litteræ Hormisdæ Persæ ad Heraclium, repræsentatæ à Sancto Nicephoro Constantinopolitano in historia ad annum 628. cum filium suum, pecuniis copiosis, ac muneribus exquisitis instructum, ad eum allegaret, litteræ sic habebant. [Quemadmodum Deum vestrum dicitis seni cuidam Simeoni in vlnas datum; ita ego seruum tuum filium meum tuas in manus committo. Norit Deus quã tu illum honestè sis habiturus.] Nec Heraclius defuit officio, & Simeonem se exhibere Hormisdæ filio sategit. Fueritne Simeon Sacerdos, variant sententiæ. Asserunt Cyril. Hieros. orat. de concursu Dom. Athanas. l. de commu essentia Patris & Filij Epiph. l. de PP. vet. Testam. Leo imperat. orat. de præsent. Christi, & ex posterioribus Lyran. Rikel. Caiet. Tolet. Franc. Luc. vt alij plerique ad c. 2. Lucę & Canis. l. 4. Marialis c. 10. Merè laicum statuunt, nec benedixisse, vt Sacerdotem, sed vt senem, aiunt Euthymius, & Theophilactus, & ex posterioribus Iansenius & Barradius Lucæ 2. vt vt autem de hoc problemate statuatur, constat fuisse virum insignis authoritatis, & ideò iure delectum vt Christo testimonium perhiberet. Annam celebrat egregiè Amphilochius orat. de occursu Dom. In hac biga, pręsignatum esse vtrumq; populum, legem decrepitam, & gentilitatem viduam Christo occurrentes, insigniter monstrat Method. dicta orat. de Hypap.

Herodis furor, Christi cum matre secessio in Ægyptum, cædes infantum.

20 HÆc tam magna, tam apertè palam in templo quo omnes conueniebant Iudæi, à personis spectatissimæ virtutis, & authoritatis apud omnes summæ, enunciata vrbem Hierosolimitanam vniuersam mox compleuerunt, peruenitque sermo ad aures Herodis Regis, qui primus deficiēte sceptro de Iuda, & Duce de femore eius, intrusus fuerat in regnum Iudææ. Vt autem audiuit disseminatam de nouo Rege famam, recruduit in eo plaga quæ in aduentu Magorum illata, iis verò præ pudore, (vt putabat) clam digressis, obducta erat; vt optimè expendit Beda Matth. 2. post Augustinum l. 2. de consensu Euang. cap. 11. Quare multo quàm ante sollicitior de firmando sibi Regio Throno, depellendoque instante successore, actus in rabiem, nihil siue diligentiæ, siue crudelitati per se, ac suos ad auertendū maturè malum impendens, deesse passus est omnium facinorosorum crimina, in hac re supergressus, vt ait Orig. hom. 3. in diuers. de furore, & truculentia Herodis luculenter disputans.

21 Vix autem Iosephus, & Maria cum infante Iesu, mox ab expletis, sacris circa puerum, & matrem ritibus omnibus, remigrarunt in Galilæam, & vrbem Nazareth; (quod disertè videtur habere S. Lucas, c. 2. vers. 39. tametsi S. Aug. l. 1. de consensu Euang. c. 5. & 18. Iustinus cum Triphone, Beda, Lucæ 2. adstipulante latè Ioanne Seruio c. 13. Concord. not. 5. migrationem illam in Galilæam, & Nazareth longè post accidisse existimant:) cum trux illa bestia, præ metu, ne hic ipse verè esset quem Magi stella duce quæsierant Rex Iudæorum, stimulante festino digressu tam celebrati publicè, & confestim clam dilapsi infantis, ita occultati, vt vltra non compareret; immissa militum manu in Bethleēm, ac ne aberraret à scopo in omnes etiam fines eius, quo abductum puerum censebat, grassatus immanissimè est in paruulos omnes, iis quos dixi finibus contentos qui bimatum attigissent. Quod quamuis non ita pridem inclaruisset ortus infantis Regis à quo sibi timebat, tamen in re tanta, securè agendum, & transiliendos terminos iusti timoris arbitraretur. Demessi sunt infantes 14. millia, vt habet Græcum Calendarium 29. Decemb. & Liturgia Æthyopum. Describunt hanc carnificinam egregiè Orig. supra, Nyss. orat. de nat. Dom. Aug. serm. 10. de Sanctis. Sed Deus ante cuius oculos frustra iacitur rete, monito per Angelum Iosepho, cui matris, ac nati curam, ac tutelam crediderat, festinam illi secessionem cum filio, & sponsa in Ægyptum indixit. Cur Christus in eam regionem deferri voluerit, præclarè his verbis attigit S. Leo serm. 3. de Epiph. c. 3. [Ille qui sanguinem suum pro mundi redemptione fundendū in aliam differret ætatem, Ægypto se parentum ministerio subuectus intulerat, repetens scilicet Hebręę gentis antiqua cunabula, & principatum veri Ioseph. maioris prouidentiæ potestate disponens, vt illam ditiorem omni inædia famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ, & cibus rationis auferret: nec sine illa regione pararetur singularis hostiæ Sacramentum, in qua primum occisione Agni salutiferū Crucis signum, & Pascha Domini fuerat pręformatum.] Hac secessione, Deus delusū spe sua Herodem, vno qui quærebatur tot inter funera tempori subducto, & immanissimæ carnificinę prouidentissimè subtracto, dimisit. Et euasisse quoque eadem prouidentia duce, Baptistam qui item ad necem quærebatur, ob vulgatam de eo famam, notat Ioan. Geometra in Catena Corderij Lucæ 11. numero 73. Terminum secessionis fuisse Heliopolim inter ac Babylonem, loco quem *Maturea* incolæ nominant, prodit Burchardus in descriptione terræ sanctæ, & Iansenius cap. 11. Concord. Ex quo de peregrinationis longitudine pronunciandum est, quod facit non indiligenter Matthias Nanens orat. 15. de S. Ioseph.

Qua mater, & infans in Ægyptiaca statione.

22 IN Ægypto, quæ, & quanta operatus sit etiamnum infans, matre lactante, & fouente Dei filius, dimissis eis, quæ Iacobus de Valentia in Cantic. Deip. ad vers. 5. *sub finem*, ex Saracenis libris prodidit, legere licet apud Baronium anno Christi 1. à num. 1. Obiter tantùm attingo rigato aquis fonticuli in quo B. Virgo pannos Christi, ipsumque etiam Christum abluebat, traditur à Petro Martyre libro 3. suæ legationis Babylonicæ, ac Ægyptiacæ, obitæ anno 1501. nec non à Brendebachio Decano Moguntino in Hodoeporico Hierosolymitano, quo describit suam peregrinationem anni 1483. insuperque à Nicolao Christophoro Radziuilio, Olikę Duce qui anno 1582. eandem peregrinationem obiuit, & Ægyptum quoque lustrauit. Suffragatur Petrus Bellonus libro secundo, obseruationum capite quadragesimo. Aiunt ergo balsamato illi ex rigatione per aquas ablu

ablutione Christi ; & pannorum eios sanctificatas, accessisse vim supra oarutam ad multiplicem medelam corporibus quibus balsamom illinebatur coocilsandam, & tempore quidem Brendebacbij quod signabam annó à oariuitate Domini 1483. adhuc odoratus ille liquot ex perfractis, aut concisis ramis, noo secos ac ex vitium putaturis lacrymales guttæ perstitias legebatur, sed desierat fluere plantis emortuis cum illhuc post annos vndeuiginti appulsus est Petrus Martyr, qui in eaponenda emortuarum arbuscularum causa, multos est. Eámque causam non omisit, qua id adscriptum est impietati votua Iudæi qoi cum vxore, & filiolo locum illum ingressus, ablutis in Christi contemptum eo ipso in fonte in quo panni Christi abluti fueraot, pusionis Hebræi linteis aquas inquinauit. Hæc de balsameto beneficium ab aquis Christo inibi abloto saoctificatis, adepto, non carent verisimilitudine, traduntúrque etiam à Brocardo io fioe descriptionis terræ sanctæ. Cœtera de miris operibus à Deipara ibidem commoraore editis, quæ è cœnosa Alfaquini cuiusdam Scrobe à Valentia loco annotato, & aliis proferuntur, malo prætermissa, vt ea proferam quæ sunt huic loco congruentiora.

In com igitur Matanez locum à Cayro Vrbe decem circiter passuum milibus abiuncto, venit cum Filio, ac Iosepho Deipara. Ibi paruulo seosim crescenti, & confortato, vt Lucæ verbis vtar, pia mater vestem paruulam Iosephi tonica polymita longè prætiosiorem; non quidem ratione formæ, aut materiæ, sed ratione opificis & fiois ad quem referebatur, filio confecisse proditur. Lineam Christi pueri subuculam, à Deipara, (vt aiunt) coofectam è crassiore lino, asseruat lipsanotheca Romana Lateranensis. Dedisse enim operam ei opificio B. Virginem, & quæsisse lanam, & linum, vt operaretur consilio manuum suarum, quod io fortis mulieris laudibus à sapieote est repositum; argumento est, qood ἄτρακτον eius siue quem pollice torquens libratum tereti versabat turbine fusom, S. Pulcheria referente Nicephoro l. 14. c. 2. io templo Virginis, Odigetriæ collocauit. Glomom item eiusdem Virg. filo sacris digitis diducto coostantem, in oppido Aduaticorum Huo, etiamnum seruari, audio. Itaque verisimile esse potest, quod de tunica inconsutili, Christo paruolo confecta à matre referebam. Idque in hunc modum cecinit Baptista Mantuanus.

Cum primum dulces infans proferre loquelas
Cœpit, & aduersis vestigia figere plantis;
Mater ei tunicas habiles ordita, nouúmque
Vestis opus, niuee puerum velauit amictu:
Suspiciensque peles, inquit; Date numina vesti
Incrementa mea, pueri cum corpore semper
Crescat, & ad sanctos vltrò se accommodet artus:
Non gladium tineámvè ferat, non trita senecta
Cedant, & hac nostri durent monumenta laboris.

Quod iste Poëticè, optanti matri tribuit, aliqoi tanqoam cootiarem gestam retulerunt, aientes hanc Christi paruoli tunicam fuisse illam ipsam tunicam incoosutilem, quam parte soper eam iacta, Christo confiao sorti sunt milites. Eam eoim Christo paruulo aptatam, crescentl Christo concreuisse dixerunt; quod tanquam ea Apocryphis petitum, dimittendom pronunciauit Card. Vigerius tract. de instrumentis Dominicæ passionis, & comparatione ferri Lanceę cum tunica iocoosutili §. *rationes pro dignitate inconsutilis tunica.* De his, & aliis per reliquam vitam Christi vestibus, à SS. ma-

tre confectis ex Eutymio Matth. 27. & aliis, pereruditè disserit Ribera Ioan. 19. ad illud, *acceperunt vestimenta eius.*

Pars I. Punctum 8. Gesta Virginis cum Christo puero.

23. Resumo Ægyptiacam stationem. Iuxta Baronium anno Christi 8. n. 9. annuente ferè Soare t. 2. 3. p. d. 17. l. 8. hæseront io Ægypto mater, ac filius per aooos octo. Et pretiom excepti hospitio infantis Dei, extitit sanè luculentum. Quod S. Chrysost. hom. 8. in Matth. his verbis exhibet. [Ægyptus suscipit, ac tuetur insidias fugientem Tyranni. Namque tactu ipso Domioi, gostum quoodam sanctificationis adipiscitur; vt cum illum audierit ab Apostolis prædicari, huius qoasi priuilegij honore decoretur, quod Dominom prima susceperit. Et certè solius hic Palæstinę videbatur esse primatus, sed facta est postea ista feruentior. Denique si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso quouis omnem illam videbit eremum digniorem, & innomerabiles Angelorum cætus in corporibus fulgere mortalibus, & populos Martyrum, & choros Virginum: Et omnem quidem tyranoidem Diaboli dissolutam, Christi autem regoum coruscans: Et illam Poëtarum, & Magorum quondam, ac Philosophorom parentem, & cuiusque generis imposturarum repertorem, quæque etiam cæteris propria inuenta tradiderat, videbit modò piscatorum magisterio gloriaotem, & contemptis omoibus iam illis repudiatisque, publicanum vbique, ac sutorem pellium circumfereotem, atque ad maximam fidei gloriam, crucem Domini præferentem. Et hic omnia bona, non in vrbibus solom, sed etiā in desertis magis florēt locis quam ipsis vrbibus. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitom Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cælestium conuersationem in terris micantem. Atque hæc non in viris solum, sed etiam in fœminis splendere conspicias. Nam illę qooque, non minore quam viri virtute decorantur, &c. Non ita variis astrorum choris cœlū refulget, vt Ægypti eremus inoumeris Monachorum ac Virginum distinguitur, ac illustratur habitaculis. Siqois illam Ægyptum veterem nouit rebellē Deo, ac magnitudine superstitionum furentem, adorantē irrationales animantes, porros etiam cepasque pauitaotem, hic optimè Christi potest nosse virtutem, per quā facta est tam admiranda mutatio.] in eandē sent. præclarè disserit Euseb. l. 6. de demoostr. c. 20.

Regressus ex Ægypto, Pueri duodennis, amissio.

24 Exactis annis 8. cōmoratioois in Ægypto, & anoo Christi 9. ineunte (tametsi aliter statuit c. 12. hist. o. 7. aiens id factū Christo aonos 7. oato;) factus est matris cum filio regressus in Galilæam inferiorem positam in tribu Zabolon, circa Tyberiad. & stagnum Genesareth: cuius tractus oppidum fuit Nazareth, Christi ibi conceptione, & eiusd. paruoli, & B. Virg. illhuc ex Ægypto diuertentium, diuturna habitatione celebre. Vnde factum, vt & Christus Nazarenus haberetor, & Christiani olim Nazarei, aut Galilæi per ludibrium denominarentur.

Ex eo oppido, secuodum coosuetudinem diei festi, adita à Virgine Ierosolyma orationis causa, habetur ex iis quæ Lucæ 2. narrantur versu 41. & ex ibidem narrata, triduana secessione Christi pueri à Matre, & Iosepho, io ea peregrinatione, cum factus esset anoorum 12. magna iisdem doloris seges, non quod se grauari in eo facto culpa graoi agnoscereot, vt mentiuntur Hæretici apud Canisium 4. Mat. capite 15. vndecunqoe captantes prætextus in peccatis ad vellicandam Virgioem: rati plurimū

I 3 defore

defore ad plenam, & coagitatam suæ iniquitatis mensuram, nisi in arcam Dei viuentis, effundant malignitatis virulentiam:) sed ob amissionem Filij dulcissimi, eiusdémque Dei corporati, cuius præsentia, & consuetudine frui, suauissimum, priuari asperrimum, & acerbissimum. Itaque die tertio ab amissione, conquisitum omni studio puerum inuenerunt, Doctoribus legem diuinam exponentibus aurem dantem; humi in pauimento marta strato sedentem, vt mos discipulorum ferebat. Quod Lucas expressit per consessum in medio Doctorum.

Lenissimè autem de secessione rogatum; (non enim increpitum, vt blasphemant sectarij apud Caorsium l.4. de B. Virg c.17.) reduacte Nazarethan; vbi Christus Matri, & ob matrem Iosephi sponso, per inauditum, nec vllis vnquam verbis assequendum demissionis miraculum, subditus habitauit. [Quis quibus? (ait S. Bern. hom. 1. super *missus est.*) Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus, & potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige quid ampliùs mireris; siue filij benignissimam dignationem, siue Matris excellentissimam dignitatem. Vtrinque stupor, vtrinque miraculum. Et quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo? & quòd Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, *quòd sequuntur Agnum quocumque ierit.* Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit?] Rectè omnino Bernardus vtrinque stuporem ac miraculum esse agnoscit. Nam si stupendum est, Matrem parere Verbum Dei corporatum, éstque ea sublimitas supra omnem comparationem; eadem opera cum citur, stupendum omnino esse, & supra omnem proportionem, & comparationem luculentem humilitatis exemplum, quod Deus homo exhibuit præbens se subditum.

Demiratur hoc ipsamet Deipara apud Rupertum lib. 1. in Cant. ad illud, *Dilectus meus mihi.* Inducit enim Rupertus, B. Virginem de ea Christi ad ipsam subiectione philosophantem, quod quodammodò non considerans quod ipse esset Deus, matrem sibi superiorem arbitraretur; quippè qui in disciplina humilitatis, totum principatum possideret: quod erat sanè humillima Virginis admiratione dignissimum. Demiratur item hanc Dei ad parentes subiectionem idem S. Bern. serm. 3. de resurr. & serm. 19. in Cant. Habitauit ergo Christus subditus illis vsque ad dies ostensionis suæ in Israël. *Et mater eius* (subdit Lucas) *conseruabat omnia verba hæc in corde suo:* dicta inquam factáque pueri IESV omnia, hactenus narrata, magno studio in pectoris sinu condebat. Ab ea certè Apostoli, ab ea ipse Lucas, quicquid de Christo infante ac puero proditum est, didicerunt. Vt etiam quæ ab anno 12. ætatis Christi ad 30. acciderunt, prodidissent; quando id in tanto Euangelistarum silentio, Spiritui sancto visum non est, optare non licet.

Furfur doctrinæ: Tres Magi, Enoch, Elias, Melchisedech.

25 NOn sunt passi, desiderari in hac quoque de quibus hactenus, Virginis vitæ gradibus, fucati honoris materiam, & ementita decora, qui eorum studio capiuntur. Est qui ad Virginem in stabulo cum Deo pusione hærentem aduocet, non tres Idololatras Magos, quod hactenus est creditum; sed tres viros sanctissimos, quorum aduentus longè honorificentior Christo, Matri autem sanctissimæ, quæ cum eis colloquia miscuit, etiam longè suauior fuerit. Ægre à me impetro, vt quod integrum volumen hoc anno 1638. editum, ad omnes vulgauit, his chartis illinam. Magos à S. Matthæo memoratos, hic author ait esse *Enochum*, *Melchisedecum*, & *Eliam Thesbitem*; Magnos vtique æuo suo viros, quorum appulsus ad stabulum, longè pluris esse meritò debeat, quàm appulsus siue Arabum, siue Persarum, malis ante hac artibus addictorum. Probationes inauditi huius ante hoc tempus placiti, alias toto opere non deprehendo, quàm auctius Christi, & Deiparæ decus, ea hac tantorum hominum ad eos aditione, in quos bellè cadere viderentur, quæcumque de Magia Christo, & Virgini in stabulo supplicibus, probati authores prodiderunt. Nam, & sapientissimi sunt, & supra Reges quoscunque magnifici, thesaurísque abundantes; & ab Oriente venerunt; quippè incolæ terrestris paradisi, in quo non modò Enoch, & Elias, vt fert penitissima persuasio, sed Melchisedec quoque, homo immortalis, nec Adamicus, (vt iste author coram operis appendice contendit,) vitam exigunt; indéque euocati diuinitùs sunt, ad gloriam puerperij Deiparæ, & Christi cunabula honestanda. Quod autem passim tres Magi dicantur *Melchior*, *Gaspar*, & *Baltazar*, subsannante licet Sectario Casaubono; ita retineri posse censet hic scriptor, si dicamus tres illos viros sanctissimos, fuisse binomios, non secùs ac Daniëlem, & tres pueros in fornace Babylonica probatos. Itaque Melchisedeco nomen *Melchioris* adscribit; (& idem sanè est vtriusque nominis initiale elementum;) Enocho Gasparis, Eliæ Baltasaris. Argumentum denique ex feruaria Coloniæ SS. Magorum corporibus, damnat fabulositatis, tota parte 4.

26 Non placet hærere circa hæc somnia vigilantium, quæ vel ipse Magorum Euangelicorum somnus redarguit, cum in Eliam, & Enochum non cadat vltrà somnus, vt docent qui de eorum statu disserunt. Dormiuisse autem Magos post adoratum Dominum, testatur Matthæus. Obiter itaque tantùm dico, dimissis innumeris quæ proferri possent circa hanc nouitatem nullo rationis vel authoritatis suffragio munitam, nec apud Coloniensea citra periculum à sandaliis & sputis mulierculatum vulgandum; dico inquam, perspicua temeritate non vacare, quod contra innumeros Patres asserentes, Magos fuisse primitias gentium (aliquos signat Petrus Simonis tract. de Epiph. c. 12.) dicantur Hebræi, vt Elias de Melchisedec. ac Enoch, homines Sancti de nulla Gentilitatis labe polluti, esse illi Magi Euangelici qui Christo infanti acciderunt. Item plusquam temerarium est, quod Melchisedec dicatur viuus perstare, & mortem non obiisse: tantùm quia Apostolus de eo dixit, *nec finem vitæ habens*; idest vt Patres, ac interpretes omnes tradunt, sub nomine Melchisedeci, non est consignatus in Scriptura eius obitus vt neque initium dierum. Iam verò initio dierum caruisse re ipsa Melchisedecum, quod iste author affirmat error est exploratus, pugnans cum definitione Ecclesiæ, quæ omnia infra Deum agnoscit habere initium ita vt nihil sit re ipsa æternum, præter Deum. Nec ille minùs patens error est, imò manifestissima hæresis, quod Melchisedec non sit ab Adamo. Nam certum est, ac de fide, Melchisedecum fuisse verum hominem, vt Patres constanter tradunt, imitati scripturam, quæ de eo agit vt de vero homine. Ideóque Hilarius Diaconus, qui Melchisedechum esse spiritum sanctum effutiuit in opere de mirab. sacræ scripe.

passim

passim notatur hæresos, ea in parte, à Doctoribus, post S. Augustinum. Atqui de fide est omnes veros homines esse ex Adamo prognatus, vt disertè habet Apostolus actor 17. dicens *fecit ex vno omne genus humanum*. Igitur hæreticum est, dicere Melchisedecum talem esse, qualem sibi comminiscitur author de quo agimus. Quare B. Virgo honores ab huiusmodi Magis, aut nato, aut sibi delatos, non admittit.

Item Virginis iam matris, sepositio ab aliis matribus, in templo.

27 IN Virginis ad templum aditione in his punctis aliquoties memorata, illud non pauci ad eius honorem, ac decora inculcant, quod non cum mulieribus virum passis, (tametsi de eius partu constaret,) sed in loco Virginibus ad orandum destinato, precaretur. Erat enim apud Iudæos certus in templo locus Virginibus addictus, in quem non viri modò, sed ne aliæ quidē mulieres commearent, vt notat Origenes tract. x6. in Matth. & Gregor. Nyssenus orat. de Christi Natiu. Similemque vsum in antiqua Christiana Ecclesia viguisse, scribit Ambros ad Virgin. lapsam cap. 6. Qui etiam notat illud ex 1. Cor. 7. fuisse parieti adscriptum, *diuisa est mulier: Virgo quæ non est nupta, solicita est quæ Domini sunt. Parietem* vocat, ligneum septum, seu tabulas, vt ibidem loquitur, & expressit optimè Chrysostomus hom. 74. in Matth. qui addit accepisse se à senioribus, talem vsum initio non viguisse, vt viri à mulieribus inter orandum ligneo septo secernerentur: tanto minùs virgines à mulieribus non integris. Sed contrarium profectò ferunt antiquissimorum Patrum testimonia, quos ne extra locum hîc euager annotant Steph. Durant. l. 1. de ritibus cap. 18. num. x. & 3. & Baron. anno Christi 55. num. 124. In eum igitur Virginum locum, adactam Virginem tametsi iam matrem, orasse scribunt permulti: eamque fuisse causam dicunt, cur Zachar. Baptistæ pater, qui Virginem ad id inuitauit, imò modestè renitentem adegit, occisus sit inter templum & altare, vt habetur Lucæ 11.

28 Non eget Virgo his honoribus, quos apocryphorum somnia, (vt rectè dicit S. Hieron. in capite 13. Matth.) illi detulerunt. Non inficior adhærens Hieronymo, illum Zachariam qui occisus est inter templum & altare posse meritò videri patrem Baptistæ. Id enim adiuncta quædam verborum Christi insinuant; vt benè expendit Toletus in capite 11. Lucæ annot. 100. & suffragantur multi Patres, quos proferunt qui in hac parte à S. Hieronymo dissident Baron. anno Christi 1. à numero vigesimo sexto, Delrio in Threnos capite 2. ad vers. 20. Castro capite vndecimo, histor. Deip. numero vndecimo Francis. Lucas in capite 11. Lucæ vers. 51. & Matth. x3. vers. 35. Hoc igitur non inficior, tametsi naque prorsus repudio aliorum sententiam, quia illum Zachariam, contendunt cum Hieronymo, esse Zachariam illum filium Ioiadæ, de quo 2. Paral. x4. Neque item prorsus abiicio placitum eorum, qui tertium Zachariam agnoscunt, in quem Christi verba cadant, vt contendit Ribera in capite 1. Zachar. num. 1. Horum nihil, ad rem præsentem refert. Quod igitur contendo, illud est, non eam fuisse causam occisionis Zachariæ Patris Baptistæ, (dato quod is fuerit de quo Christus loquitur,) quod Virginem iam matrem orare voluerit in septo Virginum. Qua in parte plerique recentiorum, quos retulimus, sensisse verba Christi proposita cadere in Zachariam Patrem Baptistæ, dant manus; meritò arbitrari, non esse verisimile quod Virginitas Deiparæ diuulgata sit, superstite, & illi conniuente Iosepho marito. Neque item verisimile est, ante Christi baptismum, & tempus ostensionis eius ad Israël, (quæ facta est sub annum Christi 30.) innotuisse quis esset Christus, aut eius mater, quam alij nonulli proferunt, causam summi honoris à Zacharia delati B. Virgini, ob quem delatum, sit occisus à Iudæis tanquam blasphemus. Has duas, & aliam insuper necis Zachariæ Patris Baptistæ causam, ex antiquis scriptis profert (citra adscriptioné tamen suam,) S. Eustach. comment. in Hexaëm *pag.* 74 Mihi satis est, negare Zachariam Baptistæ Patrem, (si is est qui cæsus fuit inter altare & ædem,) cœsum fuisse ob delatum Deip. locum inter Virgines, quem petiisse constabat; vel ob eam prædicatam Dei matrem. Non poscit sibi Virgo hos splendores, cum optimi senia quem cognatione coniunctum habebat, tanto dispendio.

Pars 1. Pusillum 8. Gesta Virginis Christo puero.

Commenta circa causas, & magitudinem doloris, ob amissum Filium duodennem.

29 DE anxietate, & dolore Virginis ob amissum filium duodennem, non satis honorificè censuri visi sibi sunt quidam, nisi eum supra modum amplificarent, dicentes, Deiparám plus doluisse de Christi amissione, quàm aliquis martyr dolorem sentiat de animæ, & corporis separatione. Primò quia maternis affecta visceribus, cum lamentis dolorosam inquisitionem faciebat. Non enim fides qua sciebat eum esse Deum, tollebat ei veram maternam affectionem. Secundò quia dubitauit ne ad cœlos redisset vnde venerat: ex quo oporteret ipsam eius præsentia carere. Tertiò quia dubitauit ne ab Herode inuentus fuisset, qui in eius pueritia eum ad perdendum quæsierat. Ergo & propter maternam affectionem, & propter eius absentiam, & propter Herodis perfidiam, B. Virgo fuit amarum mare in filij perditione. Exscripsi Augustinum de Ancona lect. 3. Super *Missus est*, art. 4. cum explicat eam nominis *Maria* notionem qua dicitur sonare *amarum mare*.

Sed cum alia in propositus verbis peccantur, tum circa dolorem, & modum dolendi Deiparæ, minùs seruitum est eius honori quàm intendisse author videtur. Omitto notionem aut notationem nominis *Maria*, *amarum mare*, Hebraicè peritis minùs probatam, tametsi est non paucorum apud Pozam l. x. tract. 17. capite 12. Illud quia excuset, quod Deipara dicitur timuisse Herodem Christo infanti insidiatum, qui ante egressum ex Ægypto, mortem oppetierat? Nec timor de regressu Christi in cœlum, iustus fuit, aut B. Virgine dignus; etiamsi ea temperatio adhibeatur, quam Orig. hom. 19. in Lucam apposuit, quod scilicet timeret regressum temporarium Christi ad cœlos. Nouerat enim Deipara, regressum illum cum scopo Incarnationis optimè sibi perspecto, non cohærere. Tandem quod dolorem de amissione filij, exprometer Virgo per dolorosa lamenta, & eiulatus inconditos, qualea edunt inconsultæ matres, ad leues quoscunque casus filiorum, non consentaneum grauitati, ac dignitati, & sapientiæ matris Dei: quæ etiam dici non potest perpessa in hoc euentu dolorem maiorem, dolore ex quo martyr quisque mortem obiuit,

Sic enim maximum miraculum admittendum esset, in ternata vita Virginis, ad tanti doloris incursum. Itaque ad populum phaleras. Fuit dolor Virginis in hoc euentu, dignus amore quo talis mater talem filium prosequebatur. Sed cum ea temperatione, & ad diuinam prouidentiam conformatione, quæ matrem Dei decebat, nec superaret mali grauitatem. Timotheus quidem Hierosolym. orat. de Simeone, hunc putat esse gladium, quem Simeon, pertransiturum Virginis animā prædixerat, & quibus potest coloribus hunc dolorē Virg. exhibet. Concludit tamen cautè Simeon. & ex eo Euangelistam, non dixisse *vinces?* aut *dominabitur gladius*, sed *transibit*: hoc est, (inquit,) parumper dolebis, & affligeris; ac statim dolore, & afflictione liberaberis.

Somnia de cogitationibus Deiparæ circa Christi amissi ascensum in cælos.

INiecit de illis Deiparæ, ac Iosephi cogitationibus mentionem Origenes homil. 19. in Lucam, & annuit Aelbredus author homiliæ de puero Iesu duodenni inserta operibus S. Bernardi. Insulsius etiam aliqui quas his verbis refert Amedeus Franciscanus raptu 8. suæ Apocalypsis. [Aliqui dixerunt postquam IESVS disputauit anno 12. Iosephum defunctum, & Mariam intrasse in Templum Domini, & Locum tenuisse Annæ Prophetissæ, IESVM verò ascendisse in cœlum, & cum Patre, ac Spiritu Sancto vsque ad 15. annum imperij Tiberij Cæsaris superiùs mansisse, & ciuitatem Beatorum construxisse. Vnde ipse dixit, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Et ita credunt, Christum bis in cœlum ascendisse.] Hoc somnium quantum attinet ad regressum Christi in cœlum à B. Virgine cogitatum, refellit efficaciter Toletus in cap. 2. Lucæ annot. 71. Nec eget longa consutatione cum per se pateat regressum esse fabulosum, æquè, ac distensionem Christi in cælo per tot annos quot excurrunt ab anno Christi 12. ad 30. quo concepta est Ioannis prædicatio anno Tiberij 15. Ciuitatis item structura per Christum eo tempore per se concidit, cum cœlum Empyreū quod est sedes beatorū sit ab orbis initio constructum. Detergenda verò est est labes quam Bzouius anno Christi 1471. Amedæo inspersit, faciens illum fabulæ prędictæ authorem. Qua ratione S. Lucas quia retulit blasphemias Iudæorum de Christo posset allegari vt earum author Amedeus ergo loco qui ex eo allegabatur postquam præmisit verba quæ retuli, subdit. [Sed firmiter credendum est, Christum in cœlum corpore non ascendisse vnquam, nisi die quadragesimo post resurrectionem suam. Tamen illo tempore mysticè fuit in cœlo, quia apud Patrem pro nobis operabatur, & merebatur: Et opera eius atque merita non agnoscebantur apud homines, sicut postea fuerunt agnita quando publicè prędicabat, & miracula faciebat; & se Deum publicabat. Semper ergo ipse, ciuitatem supernam, pro nobis hominibus construebat meritis suis præclarissimis.] Eo Bzouij fidem cum agitur de Fratre Minore.

PVNCTVM IX.

Viduitas Deiparæ, & reliqua de ea, ad Filij vsque Ascensionem.

VT de Christo ab anno ætatis 12. ad 30. altum vbique silentium, ita de matre. Nam ex quo Lucas cap. 2. repertum in templo puerum duodennem, & reuersum cum parentibus Nazareth, eisque subditum retulit; nihil vltra, siue de matre, siue de filio prompsit, (quod item à cæteris Euangelistis seruatum,) vsque ad Christi Baptismum. Nec necessarium est, quæ Spiritus sanctus pressa voluit, scrupulosiùs rimari. Quæ ex S. Birgittæ commentatus reuelationum fusè in hanc rem describit Dyonisius Cartus. l. 1. de Laud. Deipa. art. 30. eiusmodi non sunt, vt hic adscribenda videantur.

Mors Iosephi, & Deiparæ viduitas, Christo circiter pubere.

ILlud tamen de matre sub Christi pubertatem, asserere posse haud inani coniectura ducti videmur, eam Iosepho tunc vita functo, factam esse viduam. De Iosephi morte sub illud tempus, imò mox à regresso Nazaretham, post repertum in templo puerum duodennem, testes sunt S. Epiphan. hær. 78. & Ioannes Thessalonicensis sub finem orationis de Christi resurr. Cedrenus in compend. histor. Quanquam rationes quæ proferuntur, non transcendunt vim coniecturarum. Nimirum quod nullam vltra illud tempus de Iosepho mentionem faciant Euangelistæ, tametsi se daret occasio vt Matth. 13. cum Iudæi super Christi sapientiam attoniti, aiebant matrem eius, & fratres, ac sorores, apud se esse: Iosephum autem patrem superesse, non memorabant. Et aliquoties dicuntur venisse ad Christum, mater eius & fratres: de patre altum silentium. Non videtur igitur vixisse tempore prædicantis Christi. Nec est quod suadeat eum superstitem fuisse, Christo facto iam pubere. Iosephus enim ascitus erat B. Virgini sponsus, & maritus, ad pudoris duntaxat, & famæ tutelam, ac subsidiorum vitæ comparationem, præsertim in Ægyptiaco secessu. Ex quo igitur Christus nonnullis quâ maternis facultatibus quâ Iosephi reculis, ad victum tenuem cum matre instructus, per ætatem non vltra eguit adiutore parandorum vitæ subsidiorum, sed ipse, vt Iosepho superstiti collaborauit in fabrili opere, teste S. Basilio in const. mon. cap. 5. & Iustino in Tryphone, ita potuit ad ea sufficere labore manuum suarum, quem insinuant illa de eo Iudæorum verba Marci 6. *nonnè hic est Faber*, ex quo item Virginis famæ, per longum Iosephi, cum ea conuictum à conceptu & partu, satis consultum est, necessaria vltra non fuit, siue Christo, siue matri opera Iosephi. Itaque non inuerisimiliter creditur, esse tunc vita functum, & Virginem factam esse tunc viduam.

a Tempore certè passionis, non superfuisse Iosephum, videtur omnino verum, vt rectè statuit S. Hieron. l. contra Heluid. & post eum Laurentius Iustin. libro de triumphali Christi agone c. 18. *sub finem*, nec non Benzo. in psal. 86. c. 40. tradit. 20. &

Petrus

Petrus Nannius in schol. ad epist. 79. S. Ambrosij, ac Petrus Comestor in histo. c. 38. videtúrque euinci argumento S. Epiphanij hær. 78. nimirum quod Christus nunquam matrem commendasset Ioanni, si sponsus illi fuisset superstes. Vel si adeò tunc senex fuisset, iuxta quorundam opinionem, vt B. Virginem iuuare non posset, quæ ideò alteri commendanda fuerit; oportuisset æquè Christum, tot Iosephi officiorum memorem, referre ei in extremis illis ætatis lineis gratiam, commendando eum Ioanni.

Scio veterum plerosque, superstitem tunc Iosephum agnoscere: sed tamen asserere commendatam à Christo matrem alteri quàm Iosepho fuisse, vt constaret omnibus, defuisse inter Iosephum & Mariam, carnis commercium. Ita Author Serm. de pass. Dom. apud Cyprianum, Chrysost. hom. 5. in Matth. & habetur c. *si enim* 27. q. 2. Ambros. epist. 79. & l de instit. Virg. c. 6. August. serm. 81. de tempore, Arnoldus bonæ vallis ad illud Christi verbum, *mulier ecce filius tuus*, Et perpulchrè in laudatione B. Virginis *sub finem*, cum agit de commendata Ioanni B. Virgine. Hæc tamen probatio infirma est. Nam coniuges non debent sibi vitæ subsidia vi carnalis commercij, sed vi fœderis coniugalis, quod matrimonij rati celebratione continetur. Itaque cum Ioseph, matrimonij rati perfecti vinculo coniunctus esset B. Virgini, nec diuortium interuenisset, vt fabulatur Glossa ad c. *si enim* 27. q. 5. (absit id vel cogitare, de tam Sanctis támque concordibus coniugibus;) omnino ad præstanda coniugi subsidia astrictus fuisset Iosephus, si superuixisset, etiamsi deesset inter eos, (vt reuera semper de fuit,) carnale commercium. Non fuisset ergo Deipara, alteri quàm Iosepho commendanda, si mansisset in viuis: ac proinde cum sit alteri commendata, iam tunc obierat Iosephus. Et ita rectè Castro in hist. Deip. c. 13. n 9. Baronius anno Christi 12. Salianus anno mundi 4065. n. 4. Franc Lucas Matth. 13. vers. 55. & Ioan. 2. vers. 1. & ex antiquioribus Comestor in Schol. histor. Palud. in 4. d. 30. q. 2. artic 2.

Obiisse Iosephum sanctissimè, quæ de eius sanctissima vita, & eximiis prærogatiuis supra attigimus, tractantes Virginis desponsationem, dubitare non sinunt; Virginem autem iam viduam, sicut virginibus in omni vita coniugibus verò in suo coniugio, ita, & viduis exemplo vitæ, sanctissimæ formam factam, & exemplar Christianæ, ac perfectæ viduitatis, certus est, quisquis tantam Virginem vel tenuiter nouit, nec est quod ea in re teram operam.

Prædicationis Christi exordia. Primi miraculi exoratio per matrem, indiuiduam prædicantis filij comitem.

3 EXegerat Christus in summa humilitate, & obscuritate, inter mortales, annum vitæ trigesimum; quæ meta ætatis, ad fungendum sacerdotis, Doctoris, ac Prophetæ muneribus exigebatur, vt Hebræi tradunt, & ex 7. Paral. c. 13. colligitur. Cum igitur non modò sapientiam & sanctitatem quæ illi à prima vita erant insignes, ac summæ, & incapaces ètementi, sed etiam per ætatem idoneus esset ad magisterium, Deúsque illi hos obscuræ vitæ fines fixisset; audita fama quæ pridem, (post per tres quatuórve menses,) increbuerat de Ioanne prædicante, & baptizante, Christus post matrem, de diuino circa se consilio, & instante promulgandi Euangelij tempore, commonefactam, abiit in Bethabara, siue Bethaniam, (non illam Christi hospitio nobilem, sed aliam trans Iordanem,) ad Ioannem, baptismúmque eius percepit annos natus triginta expletos, vt disertè habet S. Ignatius epist. ad Trallianos. Inde quadragenaria inedia, & tentationibus, in diserto interiore quo concesserat exercitus, ad matrem Nazaretham reuenit, quod habet nominatim S. Epiphan. hær 51. sensimque asciscens discipulos, disseminandæ Euangelicæ doctrinæ fecit initium; tunc maximè cum in Cana Galilææ, vocatus cum matre, & discipulis ad nuptias personatum quas necessitudine contingebat, (Ioannem Euangelistam, & Mariam Magdalenam fabulantur aliqui, apud Molanum l. 4. de imag. c. 20.) vinum ex aqua factum exhibuit, instante matre vt quæ tot miraculorum officina fuerat iuxta Damascenum, primi miraculi administra, & interpellatrix existeret.

Pars 1. punctum 9. Deiparæ viduitas Christo nondum digresso.

4 Et initio quidem, vt constaret, huiusmodi opera non esse humanæ naturæ quam à matre habebat, visus est Christus matrem repellere; & vt hæretici falsò addunt, perperam & inopportunè petiti miraculi insimulare; vt latè versat Vasques 3. p. d. 110. c. 4 & diligenter quoque prolatis Sectariorum locis Adamus Gontzen. Ioan. 2. versu 4 q. 1. Hoc hæretici blasphemè, & impiè de more. At verè S. Greg. l. 8. epist. 42. [quia mater Virgo, cum vinum defuit, per eum, miraculum fieri volebat, statim ei responsum est; *Quid mihi, & tibi est mulier?* Ac si apertè diceret: Vnde facere miraculum possum, hoc mihi ex Patre, non ex matre est. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura Patris miracula faciebat. Vnde, & in cruce positus, eandem matrem moriens recognouit, quam discipulo commendauit, dicens, *Ecce mater tua.* Ait ergo: *Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Quod est dicere: In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minimè matrem recognosco, sed cum hora mortis venerit, cognosco te matrem, quia vnde mori possum, hoc ex te habeo.] Seruitum præterea esse profectui nostro docet Guerricus serm. 4. de Assumpt. iungens hunc locum cum illo alio qui item à quibusdam Sectariis in Deiparæ à filio contumeliam trahitur, cum dicenti cuipiam *Ecce mater tua*, reposuit Christus, *quæ est mater mea?* In vtroque facto, & responso Christi, nos instruebamur, non tam verbis quàm exemplis; sed in secundo nominatim erudiebamur iuxta Guerricum, quod circa primum quoque monstrat S. Bernardus serm. 2. de Domin. 1. post Epiph. nempè vt carnalium affectibus necessitudinum non solum Dei præponamus dilectionem, sed etiam eorum qui Dei faciunt voluntatem. De cætero [Absit (inquit Guerricus,) vt matrem aspernatus sit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit. Absit inquam vt in terra fastidierit matrem, cuius de cœlo concupiuit decorem.] Estque id manifestissimum, in ea vt videbatur Matris per Christum reiectione circa primum miraculum. Nam minimè repulsam esse à Christo matrem ex indignatione, argumento est, quod eius precibus, & charitati in egentes sponsos, vino ad conuiuij vsum carentes, paulo post cessit, & vinum subministrauit, ex aqua pluribus hydriis ingesta, factum. Eo autem miraculo, Christi gloria manifestata est, & discipulis firmandis in fide de Christo Messia, potens argumentum exhibitum.

5 Successit publica Euangelicæ doctrinæ disseminatio, variis per vicos, & castella peregrinationibus peracta, matre administrandum indiuidua Christi comite, & se ab eius præsentia, ac diuinis sermonibus auelli non sustinente, quod docent varia

Euangelij

Euangelij loca à Gersone tract. 21. super *Magnificat*, signata, & diligenter à Poza l. 1. tract. 15. c. 1. *& seqq.* Idem apertè tradunt Epiph. hæresi 78. Metaphrastes orat. de vita, & dormit. B. V. Guerricus serm. 4. de Assumpt. S. Hildephons. serm. 5. eiusdem argumenti, August. ser. 18. de temp. Arnoldus Abbas in Encomio Deip. & passim alij. Ipsa baptismum Christi, cum primùm institutus est, & in vsum admissus, accepit conferente suis manibus Christo, vt infra sect. x. dicemus. Denique toto tempore Euangelicæ prædicationis, optima mater, quacunque ratione licuit filium iuuit ac fouit, vt accuratè notat Author sermonis de Assumpt. omnia vulgata misericordiæ opera à pia matre Christo exhibita, persequitur sigillatim Richardus à S. Laurentio l. 4. de Deip. titulo *de excellentia B. Mariæ pag.* 219.

Virgo Christum comitata ad finem vsque perfossa doloris gladio.

6 SEd vt in aduersis manifesta fit amicitiæ synceritas, & soliditas, sic nusquam magis maternus Virginis in Christum affectus apparuit, quàm in extrema Christi vita. Affuit enim patienti, cum suprema illi instarent mala. Et Cardinalis quidem Vigerius Chorda 7. c. 29. censet Deiparam cœnæ vltimæ interfuisse, & communicasse, ac bibisse de sacro calice: tametsi fatetur, ad decoris indemnitatem, non fuisse ei ablutos pedes cum viris. Contrarium verò quoad hæc omnia statuit Henricus Institor Tractatu de quatuor erroribus circa veritatem Euchar. parte 1. serm. 10. & Vvalterus de triplici cœna Christi p. 3. cap. 11. Alium enim omnium retrò doctorum silentium; ita suadet: nec obscurè suffragantur verba Euangelistarum cœnam vltimam describentium, ad eos solos directa, qui cum bibissent, ordinati sunt sacerdotes, & iussi facere quod Christum viderant facientem. At Deiparam non fuisse sacerdotio initiatam, extra dubium est. Verisimiliùs Metaphrastes orat. de vita Deip. quam Surius 15. Aug. exhibet, existimauit Deiparam in eadem domo, sed in diuerso cænaculo, cum mulieribus alijs quæ Christo de facultatibus suis ministrarant, nec tunc aberant, cœnauisse cœnam legalem. At assumentum merum, & voluntaria diuinatio est, quam addit Bartadius to. 4. l. 1. c. 17. *in fine*, & Glossator orationis Georgij Nicom. de statione S. Mariæ ad crucem num. 2. nempè ad B. Mariam, & mulieres sic seorsim comedentes, missam esse Eucharistiam per S. Petrum Quidni enim potiùs per Iacobum, & Ioannem nepotes Deiparæ, missam finxit, si missam fingere libuit? Fateor eam Bartadij sententiam, (quoad submissam matri & mulieribus Eucharistiam) insinuari à Georgio Nicomediensi orat. de assistentia B. Mariæ ad Crucem: Ait enim de Christo cœnam vltimam cœnante; [solos secum duodecim, fecit recumbere. Matrem autem iuuit habere curam mulierum quæ ministrabant, ac eis præesse; Eiusque opera, suo eas conuiuio vicissim impertiuit.] *Suum hoc conuiuium*, videri potest esse Eucharistia, qua per matrem cœteras mulieres refecerit Christus: non quod Deipara confecerit Eucharistiam, sed quod transmissam à Christo distribuerit. Verba tamen adducta, nec ea Interprete, nec ex Græco Codice, ferunt quod propositum est. Potest enim sensus esse, quod Christus curauerit, mulieres seorsim cœnare cœnam suam legalem. Si tamen verè sensisset Georg. quod proponebatur, non videretur audiendus, ob rationes prætactas. Et idem dico de Metaphraste qui orat. de vita de obitu S. Mariæ, clariùs id dicit quàm Georgius.

7 Affuisse Deiparam vniuersæ Tragœdiæ apud Annam, Caiphan. Pilatum, & Herodem, affirmat eadem Oratione, Georgius Nicomediensis Affuisse prætetea flagellationi Christi, & abductioni ad crucem, ait S. Birgitta l. 1. c. 10. Item affuisse pendenti in cruce, fides docet. Id enim disertè verbis illis expressum est ab Euangelista, *Stabat iuxta Crucem Iesu mater eius.* Vbi aliqui expendunt proprietatem verbi *stabat*, quod adhibitum ab Euangelista dicunt, quia Crucifixi lugeri non poterant, & ideò qui astabant eis, sedere non poterant; quia sessio, positura est lugentium iuxta illud, *quomodo sedet sola ciuitas.* Threno. 1. Et illud Isaiæ 47. *Descende, sede in puluere, Virgo filia Babylonis, sede in terra.* Ac denique illud Ierem. 13. *Dic Regi, & dominatrici; humiliamini & sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ.* Ea ea ergo lege apud Hebræos vigente, de non lugendis iis qui fixi in ligno pendebant, aiunt aliqui, B. Virginem dictam esse *astare cruci*, non *assidere*. Rectè tamen Delrio in cap. 2. Threnor. v. 10. negat, hanc obseruationem solidam esse. Vnde enim constat, fuisse apud Hebræos, legem ne quis crucifixo homini assideret. Sanè ea lex visa esset imputabilis, plerisque pondere doloris oppressis. Milites Matth. 27. sedisse coram crucifixo cum latronibus Christo, referuntur. Et Respha 1. Reg. 21. supra petram strauit sibi cilicina (sanè ad insidẽdum) cum lugeret mortuos suos. Stabat ergo Deipara; non quod lex aliquas corã crucifixo sedere aut iacere vetaret, sed erectionẽ animi inter astandũ patienti filio proderet. Ei autem compassa tantoperè est, vt scribat S. Anselmus l. de excell. Virg c. 5. alloquens ipsam Virginem. [Verè pertransiuit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cuiusuis passionis corporeæ. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit; aut potiùs nihil, comparatione tuæ passionis; quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. Et vtique pia Domina, non crediderim te potuisse vllo pacto, stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus scilicet dulcissimi tui Filij, pro quo moriente conquerebatis, tantoperè torquebaris, te confortaret, te consolaretur; te intus doceret, non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subiicientem; quod in ipso fieri coram moribundo videbas.]

Audi, & Origenem; qui tametsi alicubi, B. Virginem insimulare alicuius infidelitatis videtur; tamen loco quem profert Corderius in Catena ad c. 2. Lucæ vers. 35. nitentissimè exposuit dolorem B. Virginis, absque vlla infidelitatis macula [Beatissimæ (inquit) ac semper Virginis Mariæ animam, gladius pertransiuit sub ipsam salutarem Christi passionem: illâ nusquam diffidentibus cogitationibus concussâ non infidelitatis iaculis vulneratâ, nec pro iis quibus gauisa fuerat in dolorem mutatâ, sed permittente viscera materna crucifixo filio, agere quæ propria sunt insitæ compassioni. Quid enim mater non passa sit, videns suum filium, eúmque maximè qui humanâ erat naturâ sublimior, maleficorum supplicia sustinentem? Hæc vtique passio Verbi immaculatissimæ matri quouis gladio acutior acerbiorque accidit. Tãmetsi enim multa habuerit argumenta, vt sciret filium suum esse Deum incarnatum: attamen non in omnibus soluit naturæ leges, sed intra honestatis limites, naturæ, quæ illi propria sunt indulsit. Quocirca passionem horribilem cernens maternis oculis propositam,

situm spectaculo, quasi plaga gladij eius anima concidebatur, atque diuidebatur.]

8 Subtiliter Guerricus Abbas ser. 4. de Assumpt. [Nec procella (inquit) persecutionis, nec horrore supplicij à consectatu Filij, & Magistri potuit absterreri. Stabat (inquit) iuxta Crucem I E S V, *Maria mater eius*. Planè mater, quæ nec in terrore mortis filium deserebat. Quomodò enim morte terreri poterat, cuius charitas fortis vt mors, imò fortior quam mors erat? Planè iuxta Crucem I E S V stabat, cuius mentem dolor Crucis simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confessum corpus Filij cernebat vulneribus.] Duos simul in vna Christi Cruce confixos, Matrem & filium agnoscit. Nec iam Crucem duntaxat animæ, patibulum spiritus (vt infra cum Arnoldo loquemur) B. Virgini immanens agnoscit, sed illam ipsam externam Crucem in qua Christus pendebat, Matris item Crucem fuisse, & ibi confixam hæsisse, videtur statuere. Non dissimiliter, ac Origenes homilia 8. in Iosue, agens de ligno gemino in quo suspensus est Rex Hay, Satanam in ipsamet Christi Cruce confixum fuisse, & letho datum annotauit, docens idcirco lignum illud patibulare, dictum esse lignum geminum. Sat minutè Virginis Cruciatus per totum passionis Christi decursum, repræsentat Georgius Nicomedensis serm. 8. Sed nominatim ex quo comitatam Christo Deiparam in Caluariam vsque descripsit; addit. [Tunc ditior in Mariam gladius adactus, est tunc doloris in eam rectâ ibant spicula. Quo autem modo anima non à corpore recessit? Quomodò non fuit diuulsa illâ eius coniunctione? Quomodò ferre potuerũt oculi, cum suũ lumen viderunt conscendere Crucem? Quomodo pupille non diffugerunt cum intemeratas palmas parricidis sponte manibus expotrectas, aspicerent? Quomodò non sunt dissolutæ compages, confixis Cruci, eius membris qui vniuersum continet. Proh quomodò clauus manui infigebatur eius autem cordi impingebatur plaga lethalis? Quomodò dum interim singula membra perforarentur, miserabilius animo sauciabatur? Quomodò stillabant è vulneribus guttæ sanguinis, acerbiores autem ab oculis, lacrymarum riui fluebant; Quibus oculis dum corpore suspensum, aspiciebat, qui Deitate lumen induit sicut vestimentum? Quomodò eas vestes quas suis ipsa manibus fecisset, vtque intemeratas, ac Dominico corpori quondam adhærentes venerationi haberet, profanas sibi, ac sacrilegas manus, sortito diuidentes cernebat. Quomodò contueri potuit expansum in Cruce corpus, lenissimum in ipsam, ac vniuersos aspectum, mansuetudinem illam, ac alienum à vindicta animum in eos qui illudebant, atque blasphemantem latronem vnà cum eo Cruci affixum.] Hæc & alia de Martyrio Deiparæ concomitante Christi Martyrium Georgius; qui addit inferiùs. [Quæ porrò certamina Martyrum, quæ membrorum diuisiones, quæ concisiones corporum, quænam subtili inuenta arte carnificinæ instrumenta, graui adeò cruciatu Mariæ animam potuissent afficere, vti eam innumerabiles Domini, ac Filij passionem enses diuisere, inque dolorem immensum coniecere? Sic planè tot modis scissa anima, haud quaquam in corpore remansura erat, nisi ipse qui patiebatur retinuisset, nisi suo Deus nutu, eius constantiam adiuuisset.]

Optimè planè in hanc rem Philosophatus est B. Virginis vbique studiosissimus Amedeus Lausan. hom. 5. de Deip. vbi cruciatum Virginis in filij cruciatibus & (vt vocat) *mentis martyrium* describens; [Quanto (inquit), cunctis vicinior, tantò cunctis gloriosior, venerandæ cruci Dominicæ passionis inhæsit, hausit calicem, bibit passionem, & torrente doloris potata, nulli vnquam similem potuit perferre dolorem. Currit post Iesum, non tantùm in odore vnguentorum sed in multitudine dolorum. Non solùm in gaudio consolationum, verùm, & in abundantia passionum. Cernebat verùm Salomonem mater eius in diademate, quo coronauerat eum nouerca Synagoga; & ipsa coronata corona tribulationis post eum incedebat. Stabat autem iuxta Crucem vt illud dulcissimum caput nati, vnctum oleo iustitiæ præ participibus suis, arundine percussum; & spinis coronatum, tristi spectaculo videret. Aspiciebat specioso forma præ filiis hominum, non esse speciem, neque decorem; excelsum super omnes gentes, despectum, & nouissimum reputatum, sanctum sanctorum cum sceleratis, & iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, & ceruicem sustinentis omnia humeris inclinatam pendere; serenissimam faciem Dei emarcuisse, & decorem vultus eius absconditum. Hinc illi per Prophetam dicitur. *Vere tu es Deus absconditus*.] Et inferiùs. [Quid ageret cum in Caluariæ consisteret loco, & videret crucem, clauos, vulnera morientis innocentis, nec tamen exsatiatam immanitatem Pharisæi furentis inuidia? Pendebat ille luens nostra, non sua delicta; & Pharisæi cum Scribis illudentes, percutiebant caput eius, offerebant acetũ felle mixtum ori eius, vt impleretur Prophetia Dauid dicentis ex persona Christi. *super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Inter hæc Dei genitricis consternebatur animus, & dolores, vt parturientis, apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi singultus, ibi suspiria, ibi mœror, ibi dolor; ibi agonia, ibi æstus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, vbi vita non tollitur, & mortis angustia toleratur. O veneranda, & plena deuotionis, & lachrymarum memoria! recordari, qualiter sancta illa anima gloriosè passa sit, quásue pertulerit de Christi morte angustias! Pallidus vultus I E S V, exanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde passa est. Denique contumeliæ, opprobria impiorum, in capite materno redundabant. Mors domini, illi amarior morte fuit.] Cui hæc ad efformandam aliqualem dolorum Deiparæ ex filij cruciatibus notionem satis non fuerint, recolat quanta dolorum materia piis viris sit etiamnum, fueritque iampridem, cogitatio iam olim transactæ Christi passionis vt quod de Beata Maria Oegniacensi ad passionis Christi recogitationem deficiente scribit Card. Vitriacus, nec dubitant quàm auctius virgo sanctissima, eademque parens, immanem Filij innocentissimi lacerationem suis ipsa vsurpans oculis, condoluerit patienti.

9 Causas tanti ex filij cruciatibus, ac morte doloris in matre, fusè rimatur & prosequitur Carthusianus libro 3. de Laud. Deip. artic. 23. Ego pauca de eis repræsento ex eiusdem Amedei ibidem doctrina. [Effugit (inquit) omnem sensum, humanos intellectus exuperat, concepta de passione Nati tristitia. Nulla huc similitudo, nulla ad tantam mœroris acerbitatem accedit comparatio. Quæ enim Mater dilexit filium suum, vt ista? Non enim fortuitò concepit, vt cæteræ mulieres; sed vnicus Patris, pia electione, gratuita bonitate, matris visceribus influxit; hoc est vnde magis diligebat. Neque verò, vt cæteri offensam in vita sua matri

tetti

Pars 1. punctum 9. Deipara viduitas Christo nondum digresso.

terulic, sed gratiæ gratuitatem infudit dicente de eo scriptura; *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Item ait de gratia. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Hoc est vnde magis diligebat. Eumdem quoque habuit Deum, quem & filium, quia *homo natus est in ea; & ipse fundauit eam altissimus*, & hoc est vndè magis incomparabiliter diligebat. Sola enim à sæculo meruit habere, eundem filiúmque, & Deum. Ergo abysso abyssum inuocante, duæ dilectiones in vnam conuenerant, & ex duobus amoribus factus est amor vnus, cum Virgo mater Filio diuinitatis amorem impenderet, & in Deo amorem nato exhiberet. Quo igitur magis diligebat, plus doloris, & amoris magnitudo, attulit somentra passionis

Concidit minutiùs hæc montua doloris Deiparæ, variis eorum adiunctis expensis, Cardinalis Vigerius Chorda 7. à cap. 10. & latè etiam Clictouæus l. de doloribus Virg. per octo prima capita, ac Toletus in capite 2. Lucæ annot. 37 *sub finem.* Et qui post hæc pridem edita prodiit Gaspar, Tausch. in opere de S. Mariæ dolorosa. Quod autem Albertus, quem descripsit Carthusianus supra art. 25. summum hunc Virginis dolorem, cum summo gaudio ex fructu passionis Dominicæ coniunctum fuisse dicit, non est admittendum. Præoccupata enim tanto felle Virginis voluntas, mella illa non gustauit, etiamsi fructus illius recogitatione se solaretur, atque firmaret in Dei beneplacito. Benè Arnoldus Abbas tract. 4. de verbis Dom. alloquens Christum. [Intuetur te illa in mulieribus benedicta, & confixis in te oculis, vulnera tua materna pietate considerat. Et licet non ignoret quid boni conferat mundo passio tua, tamen parentis affectu commouetur, & pectus maternum immanitate doloris arctatur. Suspirat introrsecùs, & erumpentes reuocat lachrimas: & eo ampliùs anxietas intumescit, quo prohibetur egredi, & per luctus lamentaque dissolui. Emergebant quidem aliquandoquando gemitus, sed increpati reprimebantur, reuertebanturque in sinum mentis, de quo prodibant, & collidebat se ad inuicem introrsùs: eratque in anima illa tempestas valida, occurrentibus sibi procellis, & quasi in sartagine frixis medullis ebulliebant amaritudines, quas excoquebat, & coagulabat exacerbatio perseuerans. Imperabat quippè dolori silentium formido, & rigentium Iudæorum toroi in eam oculi, illos turbines suffocabant. Verùm illa tantarum procellarum salsaginem ebibebat, (& quod difficillimum erat,) moriebatur, & mori non poterat: & clauso tanti doloris tormento intrinsecùs alium vultum palam exhibebat: nec poterat ex facie colligi Crux illa animæ, & patibulum Spiritus, in quo erat hostia viua; beneplacens Deo, & medullatum holocaustum: quo cum ipsa incenderet, tantum conscientiæ ministerio vtebatur: ipsaque sine strepitu seipsam mactans in altario interiori, & ligna, & flammas, & latices congerebat. Nimirum in tabernaculo illo, duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi: Christus carnem, Maria immolabat animam.] Eius threnos exhibet S. Ephrem in lamentatione Virginis, & alij quos ibi signat Vossius. Fuerunt tamen cuiusuis absurditatis species; Deipara siquidem magna fide, & constantia, Filio patientia affuit vt piè monstrat S. Ambrosius l. de Instit. Virg. capite septimo, & Philippus Abbas l. 4. in Cant. cap. 30. Certantes in eius pectore, affectus doloris, amoris, admirationis, superante dolore, pulchrè exhibet Laurent. Iustin. de triumph. Christi agone cap. 18.

Deipara Ioanni, à pendente Filio, commendata.

10. EX illo crucis throno, commendata à Christo Ioanni optima parens & vicissim Ioannes matri, verbis illis, *mulier ecce filius tuus*, in quæ verba & Virginis ad ea percepta sensum, piè admodum, disserit Laur. Iustinianus, loco proximè annotato. Sic à Christo commendata mater, accepta à Ioanne est *in sua* fuitque illi deinceps Ioannes *nouus in carne Angelus*, vt ipsa Deipara apud Guerricum loquitur serm. 5. de Assumpt. Curam inquam illius deinceps gessit, perinde ac si esset eius filius, habuit eam apud se, nec vllum vel officij vel obsequij genus prætermisit, quo subleuare sanctissimam viduam, Dei sui matrem, posset. Hic Ioanni potior quouis censu, thesaurus. Nam & Virgo thesaurus est locupletissimus, quod plenè versat Rich. à S. Laurentio lib. 4. de Deip. *pag.* 281.

Commendandi causas, sic expressit Chrysostomus t. 6. Græcol. serm. in Ioannem Theologum, vrbi Ephes. valdè gratulatus tantum Magistrum cui nullus Ioannes in toto orbe terrarum æquatus est. [Is cui mentes hominum sunt perspectæ, qui cordis norit occulta, cum talem eum offendisset, sanctum & impollutum, ratione vitæ sublimem, corde purum, castitate decoratum, in charitate perfectum huic tanquam inter omnes fideli credidit matrem suam, tradiditque columbam immaculatam, agnam impollutam, vitulam incorruptam, eam quæ inter homines incomparabilis, quæ omnibus est excelsior creaturis, quod alij nulli sanctorum est creditum.] In eandem sententiam, sic disserit Arnoldus Bonæ vallis in laudatione B. Virginis. [Magnum quidem est, quod latroni conceditur venia: sed & hoc stupendum, quod consummata dispensatione Incarnationis, capitatutus Iesus matrem tanto affectu honorat, victor suppliciorum, & quasi sui immemor, ad matrem de cruce conuertitur, & colloquitur, intimans quanti apud eam meriti esset & gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret, cum iam capite vulnerato, fossis manibus & pedibus, in vltimis esset. Mouebat enim eum matris affectio, & omnino tunc erat vna Christi & Mariæ voluntas, vnumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.] Expressis ex parte S. Ambrosius Epist. 25. quæ est ad Vercellensem Ecclesiam *in fine.* [Ioannes (inquit) docuit quod alij non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellauerit, pluris putans quod victor suppliciorum pietatis officia in matrem exhibebat, quam quod regnú cœleste donabat. Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia, multo vberioris est pietatis, quod à Filio mater tanto affectu honoratur. *Ecce,* (inquit) *Filius tuus.* Et *Ecce mater tua.* Testabatur de cruce Christus, & inter matrem, atque discipulum diuidebat pietatis officia. Condebat Dñus non solum publicum sed etiam domesticum Test. & hoc eius Testam. signabat, Ioannes dignus tanto testatore testis. Bonum Testamentorum, non pecuniæ, sed vitæ æternæ, quod non atramento scriptum est, sed Spiritu Dei viui. Videndus item de hoc Testa. concinnè disserens Guerricus serm. 4. de assumpt.

11. Commendationis huius adiuncta, optimè sic expressit sanctus Paulinus epist. 41. Eandem B. Mariam astantem cruci suæ, Dominus non morientis infirmitate trepidans consolatus est, sed ipsam

quam

quam obibat volens, in potestate habens mortem, plena virtute viuentis, & constantia resurrecturi de cruce admonet, dicens de beato Apostolo Ioanne: *Mulier ecce filius tuus*, itémque illi ibidem consistenti; *Ecce mater tua.* Iam scilicet ab humana fragilitate, qua erat natus ex fœmina per Crucis mortem demigrans in æternitatem Dei, vt esset in gloria Dei patris delegat homini iura pietatis humanæ, & ex discipulis suis adolescentiorē eligit, vt conuenienter assignet Virgini Apostolo, Virginem Matrem; duo pariter in eadem sententia docēs, formam pietatis relinquens nobis, cum est de matre sollicitus, vt quam relinquebat corpore non relinqueret cura: Sed nec corpore relicturus, quia quem videbat morientem, mox erat visura rediuiuum. Et illud quod ad fidem omnium pertineret, salutiferum pietatis suæ sacramētum, arcana diuini ratione consilij, sub hac voce designans, vt & alij matrem delegaret pro matre habendam, & vice sua consolandam; atque illi vicissim nouum filium vice corporis sui traderet; imò, vt ita dixerim, gigneret; quo ostenderet eam præter se, qui ex ea Virgine natus esset nec habuisse filium nec habere: quia nec Saluator tantoperè curam desolationis habuisset eius, si illi vnicus non fuisset.] Videndus in hanc rem Sophronius serm. de Assumpt. t. 9. Hieron.

Officia Virginis erga latronem, & Christum mortuum.

12 IVuisse Deiparam latronem sanctum suis apud Deum precibus ex quo prima eius in Christi fauorem vox erupit, verisimile est: & asserunt, ac plures etiam adduni, nonnulli quos refero in tract. de S. Latrone cap. 6. num. 15. Demum functo vita dulcissimo filio, suprema officia cum Iosepho ab Arimathia, & Nicodemo persoluit. Depositum de Cruce sacrum corpus lachrymis proluens, & post suauissima oscula sepulcho intulit. Ecepisse sinu sacrum corpus in loco passus tredecim dissitu à loco in quo Crux fuerat fixa, scribit Adrichomius in descriptione vrbis Hierusalem num. 255. Fixisse oscula sacro corpori sic tradit S. Germanus Constantionopol. [Maria Virgo deposito Christo de Cruce osculata est os eius plusquàm mille vicibus: nec non osculabatur benignum caput eius, spinis coronatū, faciem eius liuoribus plenā. Osculabatur frontem, & collum, & mentum eius Osculabatur manus clauis perforatas. Osculabatur brachia & pectus Lancea transfixum. Osculabatur pedes clauis perfossos. Lauit & rigauit lachrymis vniuersa eius vulnera, & plorans acerrime super singulis amplexabatur caput eius, comprimens ad vbera sua.] Hæc ea fide Ioannis Carthagenæ homil. 20. de B. Virginis lamentat. S. Germanus. Alia petere licet ex Metaphraste orat de vita Deip. Trithemio l. 1 de mirac. B. Virginis in Viticeto cap. 10. ac Emerico de campo tract. de Imag Christi è Cruce depositi, & in sinu matris funerali linteo innoluti. Ac ne ex mera coniectura, & ex vsu matrum in simili euentu scripta quis dicat quæ retuli legendus insuper qui ea matris erga filium studia, non malè ex Euangelica historia eruit Castro histor. Deip. c. 16. num. 12. & 13. Sepulti autem desiderio, in magno luctu spe certa temperato, hæsit per triduum mortis Christi, donec aspiraret dies, & depulsis tenebris lux optata reueniret Vacauit porrò variis Doctoribus quærere, an per triduum mortis Christi, B. Maria dici posset mater Christi, vt latè refert

Cordoba l. 5. q. 49. Sed videtur quæstio otiosa, & de vocibus. Nam quamuis certum sit tunc Christū non fuisse ac proinde relationem matris quæ terminum actu existentem connotat, euanuisse; tamen si sensus sit, (vt sanè, est,) hanc mulierem, genuisse aliquando filium nunc non existentem, verum est etiam in tridun, B. Virginem fuisse & dici potuisse, Christi matrem. *Pars I. Punctum IX. Deipara viduitas Christo nondum digresso.*

Prima vidit rediuiuum. Coniectura de eius tunc gaudiis.

13 TRiduo exacto, quæ fuerat mœroris participū prima, ac princeps; prima facta est cōsolationis socia. Rediuiuum enim Christum, primò se matri videndum exhibuisse, indubitatum est: tametsi silentibus Euang. quod eas tantùm appariciones scripto consignarint, quæ stabiliendæ veritati resurrectionis Christi, inseruire possent. At maternum testimonium, nemo à Christo alienus, duxisset idoneum. Præterquàm quòd superfluum videri potuit sacris Scriptoribus, prodere hoc piissimi filij in matrem pro eo afflictissimam, studium de quo vix vllus nisi in Caucaso natus, possit ambigere. Notauit hanc rationem prætermissæ ab Euangelistis apparitionis Christi ad matrem Ansel. l. de excell. Virg. cap. 6. Priorem verò adhibuit Ropertus l. 7. de offic. c. 25 Quamuis autem Euangelistæ, ob has aliásve causas de Christo rediuiuo matri primùm apparente siluerint; Patres tamen id expresserunt: apud quos hæc traditio adeò perspicuè consignata est, vt dubitare de ea non liceat. Non dico quidem esse de fide, vt videtur velle Catharinus initio libri de consummatā Christi, & Deip. gloria; aio tamen, rem esse de qua vt ait Ludolphus 2 p. de vita Christi c. 70. adducens Ambros. & Ansel. nemo pius, & prudens dubitet. Esse communem sententiam obseruat Iacobus de Valentia in Cant. Deip. vers. 4. dignitate 8. Vide quos proferunt Canis. l 4. de Deip c. 28. Henriq. l. de fine hom. c. 55. n. 7 *littera C.* Molanus l. 4. de imag c. 13. Bonifac. l. 1. histor. Virg. c. 17. Baron. anno Christi 34 n. 168. Suarez t. 2. 3. p. d. 49. s. 1. Benzon. in psal. 86 c. 40. traditione 22. Delrio multos adducens, lectione sacra 14. *sub initium*, Castro in histor. Deip. c. 17. n. 2. Ribera Ioannis 21. cum Ambrosio, & Nicephoro, quorum tamen probationes meritò reijcit. Explicatissime hanc sententiam tradit nec inualide confirmat Georgius Nicomediensis orat. 9 Expositis enim ardentissimis per triduum mortis Christi desiderijs Deiparæ de Filij resurrectione, subdit] Hoc modo, diuinorum Magistræ, ac vnguentiferæ Virginis laudanti, ac supplicanti, primæ, Filios resurrectionis claritatem ostendit; vtque licebat doceri matrem, ac honorari, apparitionis suæ primā præsentiā honorat. Quamquam enim scriptum est, primum apparuisse Magdalenæ; ita tamen intelligas, vt quod ad Apostolos, aut mulieres alias vnguenta afferentes spectat sanè cum Virgo parens, ante etiam Spiritalem Angelorum initiationem; Nati ex se mysteria peruidet. Supra omnes enim desiderio deflagrans decertansque, ac perseuerans, sola prima quoque condigna recipit munera. Par quippè erat, vt omnium prima, mundi totius acciperet gaudium, quæ eius nobis tantæ lætitiæ plenitudinis causa extitisset; cui soli arcana credita essent, quæ innumerabiles passionis perpessa esset gladios. Par erat, vt quæ sola tristium Filio socia fuisset, sola quoque prior omnibus voluptatem illam perciperet.]

Non hic vnus adscribitur huic sententiæ, sed omnes simul Græci disertè in Pentecostario, cum de die Paschæ [primùm resurrectio Dei Matri manifestatur.] Eóque refert Rupertus l. 7. de offic. cap. 25. quod ex ordine Romano in die Paschæ, statio est ad S. Mariam Maiorem, vt prima statione adeatur Deipara, eique congaudeatur ob filij regressum ad vitam cuius ipsa prima perdulce alloquium particeps fuit. Eademque ex causa, imitatione Romanæ Ecclesiæ, processionem matutinam in die Paschæ, obiri solitam ad altare, aut ad sacellum Beatæ Mariæ, quod ei primùm credatur Christus apparuisse, testatur Iacobus Eueillon. l. de process. Ecclesiast. post Ludolphum de vita Christi, parte 2.c. 70. *in fine*. [Itaque B. Virginem vidisse primam Christum rediuiuum, extra dubium esto.] Dubitauit quidem, vel etiam timidè opinatus est Petrus Blesensis epist. 50. Christum primò Magdalenæ, etiam ante Deiparam apparuisse. Sed rectè ibi reiicit Busæus, & contrarium piè esse credendum, admonet Clyctoueus ad librum 4. de Fide S. Damasceni cap. 15. *in ipso fine*. Itaque repudio quod apparuisse Christum Magdalenæ ante Deiparam, vult Estius Mat. 15. cum Hesselio vacillat Iansenius c. 45. concord eo quod non fuerit necessarium, subitò Christum apparere Matri, quam sciret in fide Resurrectionis non vacillare. Verum non fuit adæquata causa apparendi, confirmatio in fide; sed vt participes essent consolationis, qui fuerant mœstitiæ. Itaque sicut Deipara præ omnibus in Christi morte doluerat, ita par fuit primam lætitia perfundi eo ad vitam redeunte.

14 Gaudium matris in Filij apparitione, supra omnem æstimationem nostram, esse debere rectè pronunciat S. Anselmus l. de excell. Virg. cap. 6. [Perpendere gestit, (ait Rupertus supra,) Christiana deuotio, quantus torrens gaudij repentè innundans, locumque vulneris replens, animam eius ferro doloris confossam inebriauit; cum rediuiuus filius, illi ante omnes fortasse mortales, materno virginem non defraudans honore, victoriam suam annunciauit, & dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam peperit deosculanda præbuit.] Benè nonnulla de eo matris SS. gaudio cõiectauit Amed. hom. 6. de Deip. his præter cætera. [Tempus gaudij, & tempus mœroris, ait Salomon. Mœror abiit, gaudij tempus aduenit, verũ gaudium quod de Christi Resurrectione prouenit. Surrexit enim, & erexit animum matris suæ. Iacebas illa velut in quodam arctissimo mœroris tumulo, donec Dominus iacuit in sepulchro. Illo namq; resurgente, reuixit Spiritus eius, & quasi de graui somno euigilans Solem iustitiæ, & radios resurgentis, in luce matutina respexit. Intuita est ortum surgentis auroræ, & præcedentem in filio futuram carnis resurrectionem. Pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis, & mente cernebat gloriam diuinitatis, vt intus & foris egrediens & ingrediens, frueretur pascuis veræ, sempiternæque felicitatis. Facta igitur extra se, suique oblita præ gaudio, adhæsit corde lætissimo Patri spirituum, & conglutinata Deo in illũ tota efferebatur, in cuius amoris immensitate, tota refundebatur. Domine in virtute tua lætata est valdè, & super salutare tuum exultata est vehementer; desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eam. Et in calce homiliæ, alloquens Virginem. [Tu gloriosa, natum ab inferis ascendentem vidisti. Nati gloriam beatissimis oculis aspexisti, vidisti & defecisti. Defecit caro tua & cor tuum, liquefacta es, vt vocem dilecti filij tecum loquentis audisti. Factum est verbum eius, quasi ignis flammigerans in ossibus tuis. Ergo diuinis ignita colloquiis, tota effecta es velut ignis, teque holocaustum Deo suauissimum obtulisti, O Phœnix aromatisans, gratiùs cinnamomo & balsamo, & nardo suauius legem in aspectu tuo delectans!]

15 Penè exciderat, (quæ tamen admodum huic loco opportuna est, & vehementer placet) Ruperti meditatio, qui l. 14. in Ioan. ad illud, *Ecce mater tua*, obseruat, in B.V. cruci astante, locum habuisse illud Christi, *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius*. Tunc enim B. Virgo Christum parturiuit, experta dolores quibus in partu Bethleëmitico caruerat, defectu voluptatis in conceptu Christi. Nam tantùm ad crucem parturit Christum B. Virgo, iuxta Rupertum, sed etiam nos omnes, quorum spirituali editioni instabat, pia planè & Christi & nostrum omnium mater, vt Rupertus pulchrè disserit; qui addit: [Cum autem hæc hora præterierit, cum totus iste gladius parturientem eius animam pertransierit, iam non erit memor pressuræ propter gaudium, quia natus erit homo in mundum, quia declaratus erit nouus homo, qui totum renouet genus humanum, totisque mundi sempiternum obtineat imperium, natus inquam, id est, immortalis atque impassibilis factus, & angustias vitæ huius æternæ patriæ amplitudine, supergressus, mortuorum primogenitus.] Nos item omnes cum eo, in spe & in radice nati sumus, vnde immensa lætitia communis nostræ omnium matris, prout Rupertus B. Virg. nuncupat: lætitia inquam commensa prioribus angustiis, atque doloribus. Non enim assentior Richardo à S. Laurent. l. 3. priuileg. 10. qui consolationem B. Virg. de Christo rediuiuo, negat æquasse dolores de Christi passionibus: argumento ducto ex eo quod dicatur in persona Deip. *Vadam ad montem myrrhæ*, passionem scilicet, *& ad collem thuris*, consolationem nimirum pro rediuiuo Christo, quæ tanto minor fuerit doloribus, quanto mons collis. Hæc interpretatio est voluntaria, & respuenda: quippè quæ pugnat cum diuinæ iustitię legibus, & Christi erga matrem charitate. Secundum multitudinem ergo dolorum in corde suo, consolationes lætificauerunt animam eius.

Virginis à Christo abeunte, benedictio, & lætum vale.

16 TEnuit ea lætitia ad 40. illos dies quibus Christus rediuiuus super terram remansit, matrem identidem reuisens, & gaudiis cumulans, ac replens bonis pro diebus quibus viderat mala. Nec imminuta, imò magis accessionibus perfecta est ea lætitia, Christo in cœlum progrediente; pręmissa singulatim in choros omnes, sed pręcipuè, ac primò pro matre, (quam affuisse benè probat Vossius, ad serm. S. Chrysost. mox citandum,) benedictione speciali, & omnis suauitatis refertissima allocutione, quam Card. Vigerius Chorda 9. c. 8. tentauit exprimere. At tentauit tantum non etiam expressit S. Chrysost. ser. 6. de Ascens. illud Christi ad matrem alloquium, his verbis exhibet. [Conuersus ad matrem Dñus dixit, Pax tibi ô mater. Ne contristeris quia ascẽdo ad Patrem meum. Non te relinquam quæ splendor es, ac fenestra mundi? Non te relinquã habitaculum meũ omni fuco, ac dolo carens? Non te relinquã templũ meum sanctum: Non te relinquã quæ fidelis inuenta es per vniuersum mundum: Non te relinquam arcam meam sanctam & indissolubilem: Non te relinquam mater mea Virgo: Quin & quãdo emigratura es de

corpore

corpore, non Angelum, neque Archangelum miſſurus ſum; ſed ego ipſe veniam, tuámque animam Sole ſplendidiorem excipiam. Noli ergo contriſtari Virgo mater mea, quia aſcendo ad Patrem meum: loco enim meo, habes Ioannem Virginem. Nonne quando in Crucem aſcendi, te illi commendaui, dicens Ioanni; *Ecce mater tua*: Tibique dixi, *O mulier, ecce filius tuus.* Et nunc vice mea, ipſe ad pacem tibi erit ô mater mea Virgo. Nihil pertimeſcas, nam tecum ego ſunt.] Noluiſſe Chriſtum ad Patrem remeare niſi priùs velut exorata à matre licentia? vt ſicut cum eius aſſenſu in mundum venerat, ita cum eiuſdem voluntate regrederetur ad Patrem, latè meditatur Gulielmus patuus Cant. 8. ad illud, *quæ habitas in hortis, amici auſcultant fac me audire vocem tuam.* Exhibens Virginem in ea facultate concedenda cunctabundam, & Chriſtum pro ea matri inſtantem. [Quid me retentas (inquit) ô pia mater ne me recipiam in dexteram Patris; ne me recipiam in hortos illos cœleſtes vbi habites mecum, & perennibus deliciis affluas? Scio quod tenera charitate rudes meos diſcipulos diligas ſed attende quid amici Angeli optent atque expectent, qui profectò norunt, quod te inuita nolim reuerti ad Patrem. Quia ergo amici auſculrant, dic quod dictura es: fac me audire vocem tuam, ideſt da Filio ad Patrem redeundi licentiam.] Habet alia in eam ſententiam, accomodata ad piam de hoc Chriſti à matre digreſſu, commentationem. Tametſi B. Virginem in ea quam Gulielmus commentatur Angelorum, & Diſcipulorum controuerſia, veluti arbitram, aliquandiu pro Diſcipulis ſtetiſſe, Chriſto regreſſum cogitanti inieciſſe remoram, minus veriſimile videtur.

Furfur doctrinæ; ac primùm circa adiuncta mortis Ioſephi.

17 IN punctis de quibus nunc egimus, multiplex inconſultæ pietatis fermentum, admiſtum eſt. Ad primùm circa Deiparæ viduitatem, & Ioſephi obitum, riſu potiùs, quàm valida confutatione digna ſunt, quæ ex vita S. Ioſephi ſecundùm Orientales ſcribit Iſolanus p.4. operis de S. Ioſepho c.9. Non enim viſus eis eſt vir ſanctus ſatis piè exceſſurus, & conuenienter honeſtatus à Chriſto niſi pleriſque ineptiis extremam eius vitam contaminarent. Exhibeo plagulam. [Senuit Ioſeph, & proceſſit in diebus ſuis: non tamen debilitatum fuit in viribus corpus eius; non obfuſcatus eſt viſus oculorum eius; nec computruit dens aliquis oris eius. Sed erat in tanta ætate completus in omnibus viribus ſuis, & fortis in omnibus membris ſuis, ſicut in iuuentute ſua.] Subduntur ibidem multa, de immenſo timore viri ſancti, inſtante obitu eiuſque ad Chriſtum obſecratione, ne reminiſceretur voluntatis quam conceperat de occultè dimittenda Deip. cum primùm apparuit prægnans. Tandem deſcriptio eius obitu, 20. Iulij Chriſtum inter, ac matrem ad caput, ac pedes morientis aſtantes; additur loco, & mandato familiaribus corpore Ioſephi, affuiſſe ad Chriſti nutum multitudinem Angelorũ, quorum duobus edixerit Chriſtus, vt corpus Ioſephi ſtola candida amicirent, quod feciſſe produntur. Chriſtum verò perfuſo lachrymis ſuis corpori eius, benedixiſſe ne putreſceret: Iis item benedixiſſe qui die qua recoleretur eius memoria, offerrent ſacrificium: Et de iis qui erga Ioſephum pij forent, déque eo cogitarent frequenter, tuliſſe edictum, vt excedentium è vita labes eluerentur; & peſtis; ac mors ſubita, exularent ab ea domo, quæ Ioſephi memoriam frequentaret.

18 Hæc Iſolanus, electa abs ſe, tanquam vera, aut probabilia profitetur, reciſis aliis, quæ negat probatum iri Romanæ Eccleſiæ. Sed nemo non videt, quàm iſtorum quoque veritas nutet, magna ſaltem ex parte. Et vt omittam diem exceſſus è vita, quem Eccleſiaſticæ tabulæ conſignant 19 Martij, non 20. Iulij; perſpicuum videtur, prærogatiuas corpori eius ſub mortem aſſignatas ex dotibus corporeis quas Scripturas in Moſe, & Calebo commendat, eſſe conſarcinatas. Immenſus verò timor iudiciorum Dei, & inſidiarum Satanæ in exceſſu è vita, & deprecatio voluntatis innoxiæ dimittendi coniugem, non conſentiunt cum innocentiſſima Ioſephi vita, eáque placiditate qua Deus videre facit in die nouiſſimo, quos habet amiciſſimos. Cæteræ prærogatiuæ, vt ſine teſte proferuntur, nec muniuntur ſolido fundamento; ita facilè repudiantur; eáque nominatim, qua Chriſtus benedixiſſe dicitur celebrantibus ſacrificiũ in die B. Ioſephi. De quo enim ſacrificio, accipi id debet? Chriſtianum nondum erat inſtitutum, quia ex lachrymis Chriſti ſuper cadauer Ioſephi poſtquàm exceſſit, conſtat obitum Ioſephi agnoſci ab his Bambalionibus, ante Chriſti paſſionem. Vt autem Chriſtus benedixerit ſacrificantibus ea die ritu Iudaico, non ita multo poſt antiquãdo, nemo ſanus affirmarit. Quare meras nugas in his omnibus, non Oedipus modò quiſpiã, ſed vel Dauus deprehendat. Diploma verò (vt ſi dicam) immunitas à pœna æterna, nec non à ſubito interitu, ac lue; citra aliam expenſionem, redolet manifeſtam fabuloſitatem. Nam tametſi B. Ioſephi, ad exorandas à Deo immunitates illas, patrocinium, iugij ſancti viri memoria, & aſſidua frequentatione comparatum, permagni eſſe apud omnes cordatos debere, extra controuerſiam eſt: tamen nemo ſibi ex vllo patrocinio ſecuritatem omnimodam, qualem ſpõdet hęc narratio, polliceri prudẽter poteſt, vt dico in heteroclytis ſpiritualibus, cum de Electione SS.

Pars I. Punctum I X. Deiparæ viduitas Chriſto nondum digreſſo.

Adhæc, circa reſponſum Chriſti ad matrem in Nuptiis Cana.

19 REſponſum illud Chriſti ad matrem de pudore nubentium ſollicitam deficiente vino, pleriſque omnibus, ſubacidum, & tantiſper ſalitum eſt viſum, ſolemnéque eſt Doctoribus in eum locũ incidentibus, laborare, ne quid honoris optimæ Matri à Chriſto vt potè Filio debitum, videatur detritum, vt petulanter cõtendunt Sectariorum plerique, præſertim Caluinus, & Beza primarij haræ Gebennicæ ſubulci. Nuper verò vnus aliquis, tantum abeſt vt inhonorationem aliquam optimæ Matris ab optimo Filio agnouerit, in illis Chriſti verbis, *quid mihi, & tibi eſt mulier?* vt potiùs inſignem, & ſupra quàm credi poſſit, vel etiam debeat, exaggeratum B. Virginis honorem, inibi deprehenderit. Putat enim, ſenſum illorum verborum eſſe, *Quid mihi, & tibi in reparanda hominum ſalute, non commune ô mulier,* Additque idem Author, Chriſtum eo reſponſo ſic concepto, expreſiſſe affectum admirantis, & ſponte inclinantis ad tantæ Matris voluntatem; imò ſe dedentis ad omnes eius nutus, quos repelli par non ſit. Videſis plura ex eo ipſo authore in hanc ſententiam recitata, l. 5. de Chriſto ſ. 5. c. 15. excludendo participationem rituli Redemptoris à ſanctis omnibus etiã à Deip. cui Author iſte communem cum Chriſto redemptionem humani generis, per prædictum Chriſti reſponſum, ſignificari, eſt arbitratus.

Sed profectò admodum insulsè, & absque omni prorsus fundamento. Vtenim taceam neminem siue Patrum, siue sacrorum interpretum accepisse ea Christi verba in illum sensum, quis non videt prorsus esse affinitatis, aut cohæsionis, inter responsum illud Christi, & subiectam ei ab hoc authore notionem? Quid verò ad rem de qua agebatur referebat, respondere Christum, *quid mihi, & tibi non commune in reparanda hominum salute, ô mulier?* Neque enim de salute hominum reparanda quæstio erat, sed de vini defectu cui prospectum volebat Mater consulens sponsorum verecundiæ ea eo egestatis argumento. Et quamquam placeret gratis fingere, mentionem salutis hominum reparandæ non fuisse extraneam à petitione Matris, possétque Christus ab incongruitate responsionis liberari, tamen nō parum furfuris, aut corrupti fermenti subesset ei Christi responso si sensus eius esset, *quid mihi, & tibi non commune in reparanda hominum salute ô mulier?* Multum enim per omnem modum, Christus in reparanda hominum salute à Matre differt, nec tantum habet circa illud reparandorum hominum negotium, non omnia communia, sed nihil planè, omninò inquam nihil cum Matre, vllavè pura creatura commune habet in redemptione mortalium. Itaque ad populum phaleras. Nullum in proposito Christi responso mysterium, quoad matris honorem per redemptionis humanæ participationem, latet.

Item circa dolores piæ Matris astantis Cruci.

10 Circa dolores Virginis ob Passionem Christi prænunciatam à Simeone in Christi præsentatione inepiuerunt iam olim aliqui adducti a D. Thoma opusc. 12. q. 5. referente, fuisse qui dixissent, ex quò B. Virgo illa verba à Simeone audiuit, *Tuam ipsius animā pertransibit gladius*; Eam quolibet die naturali vsque ad Resurrectionem Christi, septies illud dictum recoluisse cum dolore vehementi. Quod D. Th. tanquam ineptum, & nulla fultum authoritate, contemnendum decernit. Itaque in huius insulsitatis discussione non hæreo. At circa dolores Deip. patiente Christo, multi ea suo sensu Deiparam metientes, dum in magnum eius decus cedere existimant quod dolori impar fuerit, exhibent eam iuxta Crucem semimortuam & exanimatam, vt habet S. Brigitta l. 1. c. 10. Carthus. in c. 19. Ioan Ludolphus 2. p. vitæ Christi c. 64. Bonau. c. 77. medit. Pseudo Anselm. dialo de passio. Bern. tract de lament. Virg. Hic est quem alij vocant *spasmum B. Virg.* quem primùm Deiparæ accidisse volunt, cum Christus crucem sibi baiularet, & oppressus onere cecidisset, ita vt angariandus fuerit Simon Cyrenæus ad subleuandum illum. Id enim conspicatam Deiparam, spasmo occupatam cecidisse dicunt; inque eius casus memoriam, varij authores qui de terra Sancta, aut vrbe Hierosolymitana scripserunt, produnt ædificatum esse eo loco templum, nomine *S. Mariæ de Spasmo.* Nec dubium quin aucto doloris obiecto, nempè Christo clauis confixo, reuenerit spasmus: quem proinde fuerunt qui cuperent, & à Pontifice exposcerent, festa die speciali, cum octaua, à Dominica passionis ad Dominicam Palmarum quotannis recoli.

Sed siuè spasmus propriè sumatur, nempè pro dira contractione neruorum, & languore corporis illam consequente; siue sumatur populariter, nempè prò syncopa seu cordis defectione, neuter spasmus Deiparæ tribuendus est, vt benè argumentatur Caietanus t. 2. opusc. tractatu 13. & Mallonius ad cap. 16. Palæoti de sacra Syndone, post num. 18. Nam spasmus propriè dictus, est ægritudo non modica: at Beata Virgo non fuit morbo vlli obnoxia, per totam vitam. Quomomodò dici potuisset, stans iuxta crucem, quæ diram contractionem neruorum proximè passa esset, & ea terriore doloris obiecto, pati denuò, vel etiam perpetuò deberet? Spasmus autem vulgariter acceptus, quamuis minus indecorè tribueretur Virgini tamen meritò ei abrogatur à Caietano, eam ob causam, quod remouendi sint à Deipara, corporei illi defectus, qui plenitudinem gratiæ, & perfectionem eius impediunt. Atqui defectio illa animi, quæ populariter *Spasmus* appellatur, cum excludat vsum rationis, tollit aduertentiam ad ea quæ consideranda occurrerent; estque argumentum animæ mollioris, & minus firmæ. Vnde in Christum tametsi vehementissimè tristatum non nō cecidit. Neque igitur æquum fuit; vt caderet in Deiparam, quam tunc temporis Christo condolere, ac diuitias bonitatis Dei in genus humanum suspicere, & attenta meditatione perpendere par erat. Neuter itaque spasmus, in Beatam Virginem cecidit.

In hanc rem sapientissimè philosophatur Card. Vigerius Chorda 7 cap. 13. Et tametsi meritò dat, (quod nos quoque supra admisimus, nec vlla ratione negari potest.) B. Virginem acerbissimo dolore affectam esse patiente filio; veréque iuxta Simeonis prænunciationem, transfixam doloris gladio, vt quod parienti defuerat tristitiæ nascente filio, rependeretur eo moriente in matris oculis, atque conspectu: negat tamen aliquid fortitudine inuicta anima, & robore cœlesti virginei pectoris indignum egisse. Vnde statuit exsibilandos esse quosdam, quos dixisse ac prædicasse refert, B. Virginē in morte filij vnguibus ac digitis genas sibi lacerasse, capillos vulsisse, pugnis contudisse pectus, omnia inconditis questubus, & insanis vociferationibus complesse. Huiusmodi pleraque haberi in libro Græcorum cui nomen *Paracletice*, monstrat signatis variis locis Leo Allatius dissertat. 2. de libris sacris Græcorum pag. mihi 349. In Iudæos, in Iudam, & quoscunque Christi morti cooperatos, multa inueritsisse, quod postremum cadit in Maximum Planudem orat. de Christi sepulc. & Virginis lamentat. qui fusè eas Virginis nænias prosequitur; & æquè explodendus est ac Ioseph ille quem Menæa 10. April. in Staurotheotochio post Od. 3. referunt affingentem Virgini quod genas suas ad crucem lacerarit; cum τα̉ ὡς σπαράττουσαν, illam exhibuerit. Sapientius in iisdem Menæis 1. Aprilis in Vesperis. leguntur ista. [Cruci tuæ, intaminata Virgo astabat. Et lachrymis illa quidem manantibus, hymnum tamen laudis concinebat tibi ô amator generis humanæ.] Et illa itidem congruentius dicto à Michële Psello orat. de passio. Dom. [Verbi mater, animatum illud virtutum exemplar, indolet quidem supra quâm dici potest, simulque eodem tempore contabuit; Spiritus ipse in naribus vagatur, & tantùm non vitam deposuit: retinet tamen grauitatem in ærumnis anhelat illa, sed remissè; suspirat, sed intimè, & ita vt auribus non audiatur. Stat nihilominus concinnè seipsam componens, & in intima animæ, mentem dirigens, neque ad filium aspectum erigit, neq; occulos aliò auertit. Illud enim ingentem dolorē hoc factū non approbare indicat. Videtur etiā

inter

inter ſe neſcio quid occultè latenterque meditari. Oculi ſiquidem illius, in cogitationes quæ verbis explicari non poſſunt detinentur cum anima intus examinet quæ prius poſſideat, & quibus nunc malis diuexatur, & vtraque ſimul veluti in examine libret, & melioribus vincit. Attamen mortem admiratione non proſequi, aut quanam ratione Filius illi non denegauit.] Similia Georgius Nicom. orat. in illud *Maria ſtabat*.

21. Æquè explodendos ſtatuit Vigerius. alios qui matris ſtudia efferebant, pro filio à paſſione & ſubeunda cruce auertenda. Deſcribebant eius ſupplices voces ad Iudæos pro eruendo à morte filio, oblationem ſui in locum filij, vt pro eo moreretur; diſcurſitiones ſemianimis Virginis, & oberrationes per vicos & compita, nec ſine deliquiis dum pro filio ſatagit. Has & ſimiles inſanarum matrum pro filiis in pari cauſa intemperias homines parum attenti, ad ſacrarium Spiritus ſancti, transferre non ſunt veriti: cum tamen Deipara, pro ſua ad Dei voluntatem ſubiectione, & omni ex parte ſancto amore quo erga filium feruebat; plena item ſui à commodis omnibus non ſecundùm Deum expoliatione, adeò ſedatè, in ſumma licet acerbitate ac exquiſito doloris ſenſu, tulerit necem filij, vt quod ex S. Anſelmo refertur à S. Antonino 4.p. Summæ Theol. tit.15.c.4.§.1. ipſa ſuis manibus, ſi oportuiſſet, ad explendam Dei voluntatem filium crucifigere parata fuiſſet; quandoquidem non erat virtute & obedientia inferior Abrahamo, ſubſcribitque S. Bonau. in 3. d. 48. q. vltima.

Perſpectum habebat Virgo, hanc eſſe debitam Deo ſatisfactionem, pro exſolutione humani generis: nec aliam ob cauſam deſcendiſſe Verbum Dei in terras, & carne indui voluiſſe, quam vt per ignominiam, & ærumnoſitatem crucis, eriperet è captiuitate vinctos ſpei. Itaque conformabatur agnitæ Dei voluntati: tantum abeſt, vt de ea euertenda, eſſet ſollicita. Hoc fuit ordinatam habere charitatem, quod ipſa de ſe Deipara profitetur apud Rupertum l.1. in cant. *ſub finem*, vbi ſic loquens inducitur. [*Ordinauit in me charitatem*, id eſt, intelligere me fecit, ſe ad hoc veniſſe, vt humani generis aquaticam infirmitatem in ſuum vinum, id eſt, in ſuæ immortalitatis conuerteret fortitudinem, & quod affectibus meis diuinam voluntatem præferre deberem. Hoc eſt enim ordinatam habere charitatem; optare quidem vt non moriatur talis dilectus; ſed ampliùs deſiderare totius humani generis ſalutem. Inordinata & adhuc ordinanda erat charitas Petri, qui aſſumens illum, *abſit*, (inquit) *Domine non erit tibi iſtud*. Dixerat enim quod tradendus eſſet in manus hominum, & occidendus. Iamdudum docuerat me charitatis ordinem, vt dolorem quidem, & iuſti doloris gladium in mente vel anima portarem; non tamen auerti propoſitum Dei cuperem, proventurum ipſi ad gloriam & honorem, & humano generi ad perpetuam ſalutem.]

Firmant hæc pluribus. & non eſſe commendandam Virginem à dolore rationem opprimente ac immoderato, fusè proſequuntur Can. l.4. Mar. c.28. Gerſo tr. 2. de cant. decach. Abul. q.14. prolog. Mart. Delrio lect.4. de paſſ. Tolet in Lucæ annot. 57. Ianſ. in Concord circa illud Ioan.19. *Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius*, & ad eundem locum Palac. Suar. t.2. 3.p. d.4. ſect.3. *ad tertiam obiectionem*, & d. 41. ſ.2. *ſub finem*, Medin 3.p. q.27. art.4. Benxon. in Pſal.86 c.40. traditione 19. Salaz. in c.8. prou. à n. 71.

22. Qui verò contrarium aſſeruiſſe ſunt viſi, vel exponendi ſunt de ſummo dolore, citra Syncopen, & indecoros quoſuis motus, cum aliquo tamen virium marcore; ita vt niſi reſumpſiſſet, & vegetaſſet ſpiritum ſuum, ſuſtinere ſe ægrè potuiſſet: quo pacto S. Brigittam exponit ſupra Malonius. Nec aliter acceperim Laur. Iuſtinian. l. de triump. Chriſti agone cap.21. ac S. Bonauent. in Officio de Compaſſione B. V. Vel ſi plus voluerunt, modeſtè, deſerendi ſunt, præſertim cum nullius eorum qui proſeruntur in contrarium, tantum ſit pondus authoritatis, vt ſuccumbere ſit neceſſe. Nam quæ loca ex Bernardo & Anſelmo ſignantur, deprompta ſunt ex ſuppoſititiis fœtibus illorum Patrum. Videſis quæ dixi in ſyntaxi quartæ partis operum Sancti Anſelmi ad Dialogum de Paſſione Dom. Sancti vero Antoninus, & Bernardinus, tametſi non ſunt contemnendæ authoritatis, ad Patres tamen non accedunt: Itaque non eſt quod tanquam Patrum pronunciata allegentur, quæ vterque dixit de ſummis Deiparæ doloribus in morte filij. Anthonius quidem 4. p. tit.15. c.44. §.1. quod nullus vnquam Martyr tantum dolorem in paſſione ſua ſuſtinuerit, quantum Deipara ad crucem filij. S. autem Bernard. t.1. ſerm.61. art.3. c.2. quod tantus fuerit dolor Deiparæ in paſſione filij, vt ſi in omnes creaturas, quæ pati poſſunt diuideretur, omnes ſubitò interirent. Hæ auxeſes ac ſimiles non leguntur apud Patres, vt neque quod de paſmo Deiparæ à quibuſdam eſt proditum. Quare neſcio quorſum Ribera Ioan. 19. ad illud, *Stabat iuxta crucem*, etiamſi ob rationes ſubſcribit ſcientiæ noſtræ, tamen ob authoritatem Sanctorum hæreat anceps, velitque expectari iudicium Eccleſiæ. Ex his porrò quæ contra ſpaſmum Virgini à doloribus, patiente Chriſto inuectum, diximus, perſpicuum eſt, impegiſſe molto abſurdiùs recentiores illos quos Tol. in cap. 2. Lucæ annot. 57 & Benzon. in Pſal.86. c.40. trad.19. docent aſſeruiſſe, B. Virginem præ doloribus, patiente filio vere mortuam fuiſſe.

Pars I. Paſſtum I X. Deipara viduitas Chriſto nondum digreſſo.

Necnon circa ſanguineas eiuſdem lachrymas.

23. EOdem iure, quo ſpaſmus & intemperiæ propoſitæ, à Deipara cruci aſtante ſunt ablegatæ, ſunt quoque ab ea remouendæ ſanguineæ lachrymæ, quibus eam ex acerbiſſimo dolore fleuiſſe, authoritate S. Germani, (loco non deſignato,) confirmat Malonius ad Paleoti librum de ſacra ſindone c.13. num.10. Rurſuſque ex Theophili cuiuſdam fragmentis in hiſtoriam paſſionis dominicæ; idem recitat ad cap.5. num.16. Idem ex eodem Theophilo prodit Collius l. 3. de ſanguine Chriſti diſp.5. c.3. & confirmat, certiſſima (vt ait,) narratione mulieris Luſitanæ, quæ marito orbata lachrymis ſanguineis mortem eius defleuit, vt ſcribit Suarez Conimbr. Epiſcopus tract.225. in Lucam. Notum ſibi quoque, in ſororis non vnicæ funere, lachrymas ſanguineas fudere, teſtatur Delrio Polemica 5.

Verum non eſt quod labor inſumatur in monſtranda ea lachrymarum ſanguinearum profuſione per quoſdam in nonnullis euentibus. Cum enim fuerint qui corpore toto ſudarint ſanguine, quidni ex oculis ſtillare cruor ſanguineus potuerit? Hoc ergo non reuocatur in dubiû, ſed quod id acciderit Deip. & ita circumferatur, vt à dolorum acerbitate celebretur, vacat fundamĕto: præſertim cum lacrymę illæ ſanguineæ in exemplis prolatis, per morboſitatē ſic lacrymantiū ſint emiſſæ; vt in ſimili dictū eſt de ſanguineo quorundā ſudore Morali diſt.3. n.384. Nā m

Christo qui morbosus non erat, sudor sanguineus, non ex tristitia sanguinem potius ad cor reuocatura, sed ex hærnico conflictu audaciæ cum metu, ad tantam molem tormentorum ostentatam, ortum habuit: vt ibid. monstratum est n. 385. Quæ causa sanguinearum lachrymarum absuit à Virgine, quam ij cum quibus agimus, ita lachrymatam ex mœrore contendunt. Non est quod Virginis tristitiam pro filij cruciatibus inde extolli censeamus, quod coniuncta fuerit affectui, causæ benè affectum Virginis corpus planè dedecentis.

Aut è contrario circa saxeam matris duritiem moriente Filio.

24 SEd quid aliis facias, qui è contrario, inde Deiparæ gloriam augere tentarunt, quod in filij passione, nullomodo doluerit: quasi dolor quilibet, etiamsi moderatus, ex commiseratione, & alieno malo diuinitus illato aut permisso profectus, eam dedeceret, & à tam sancta matre etiam in acerbissimo, & indignissimo vnici nati funere, fuerit alienus? Vix à me exoro, vt tam absonam decorum Virginis captationem, cuiquam in mentem venire potuisse existimem; cum Christus ipse qui B. Virgine supra omnem comparationem sanctior, & perfectior fuit, dolores immensos subiuerit; disertéque ipsa Deipara ex minore doloris argumento se doluisse pro filio, testata sit cum dixit filio, *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Eique etiam Symeon gladium, non materialem, (vt infra dicetur,) sed spiritualem, hoc est acerbissimum dolorem animam transfixurum prænunciauerit. Hæc cum adeò sint explorata, vix (vt dicebam,) adducor vt credam, fuisse qui in Virginis honorem adeò desipere voluerit, quasi valdè extollatur, & honoretur, si perinde ac saxea fuisset, dicatur rigiisse ad filij patientis conspectum, nec vllo tacta esse dolore. Locuples tamen testis Clictouæus libro de doloribus Deiparæ in passione filij extat in volumine sermonum ipsius Clictouæi, ad calcem sermonum de sanctis; prodit fuisse suo tempore, hoc est superiore sęculo, qui ita delirarint. Eos ipse, priore opusculi parte per octo prima capita, omni argumentorum genere infectatur: duodecim rationibus, ex sacris literis in hanc rem productis, nec non totidem Patrum testimoniis idem fefentibus. Quæ breuiùs proposuit ad librum 4. Damasceni de fide c 15. Premit eosdem multipliciter Delrio lect. 4. de passio. n. 17. Quod mihi ferè frustra fieri videtur, ne error oppositus existimetur videri cuipiam potuisse credibilis. Et certè si Deipara fuit vera Christi mater, de quo nemo Christianus ambigit; si item saxea stupiditas, & imperturbabilitas Stoicorum, iure vitio vertitur; vt ratum est apud Christianos omnes, ac ferè etiam cunctos Philosophos, quis possit suspicari, matrem sanctissimam de tam atrocibus talis filij cruciatibus nullo fuisse dolore tactam, & in viscerum suorum laniatione sensum omnem commiserationis exclusisse.

25 Rationes quibus hanc stupiditatem Deiparæ, (imò patronorum huius dementiæ,) stabilitam fuisse refert Clictouæus ibid. à c. 9. ad 14 sunt prorsus euanidæ. Colligebant enim B. Virginem pro filio patiente tristatam, & miseratione commotam non esse, quia erat plena gratia: quam plenitudinem affectatur affluxus, & vbertas spiritualis dulcedinis, dolorem, & commiserationem prorsus excludens. Deinde quia dolor est fructus peccati, quo Deipara prorsus caruit. Insuper quia B. Virgo exultauit æquè ac Abraham videns diem domini, & gauisa est. Illud enim de Abrahamo dictum, spectasse ad passionem Christi, quæ virum sanctû diuinitus de ea edoctum perfuderit gaudio, testantur Patres, Chrysost. hom. 54. in Ioannem, & ibidem Theophilactus, ac Euthymius, S. Ambros. l. 1. de Abraham. c. 8. Prosper. de prædict. p. 1. cap. 17. passimque alij. Multo igitur magis Deipara, videns arietem hærentem cornibus exultauit animo, & gauisa est. Non igitur doluit. Quid quod rationes probant eam in partu dolore caruisse, idem probât de reliqua vita? Et cum Paulus in cruce Domini glorietur, non decet, matrem Christi de ea tristitiam fateri: periclitabitúrque alioqui dictum Christi, qui profitetur per Prophetam, se solum calcasse torcular, nec inuenisse qui simol contristaretur, ac condoleret. Dicitur item B. Maria *Mulier fortis*, iuxta multorum Patrum explicationem, ad illa verba Salomonis, *mulierem fortem quis inueniet?* Ita enim S. Bern. hom. 2. super *missus est*. Blesensis serm. 1. de aduentu, & Richardus suo c. 26. in Cantica. At quomodò fortis, si soluta est in lachrymas, & emollita per tristitiam? Tandem cum ea immensa charitate ea qua Virgo astabat cruci, non cohæsebat commiseratio, & dolor: cum charitas omnia, indulceat, & omnem abigat molestiam atque dolorem, authore D. Augustino lib. de bono viduit. c. 21. Id quod maximè valebat in Deipara, quæ sciret, Christum velle propria sua incommoda; nolle autem tristitiam matris.

26 Horum firmamentorum infirmitas, tanta est, vt monstrari non debeat. Nam omnes rationes prolatæ, æquè probarent multo magis defuisse Christo tristitiam, vt eam applicanti patebit: Et tamen de atrocitate dolorum Christi patientis, sumus certi ex fide. Quare abiiciamus hanc dementiam, quæ per speciem honoris, Deiparam spoliat sensu veræ matri debito; eóque rigore animi donat, quo meretrix illa Salomonis Iudicio correpta; vt scilicet absque sensu doloris, contenderetur dissecari prolem. [Ecce (inquit Clictouæus libelli citati c. 8.) in quod impietatis barathrum incidunt aduersarij; qui dum gloriosam Virginem Mariam volunt extollere egregio titulo, per abnegationem doloris, & compassionis in morte filij sui, veram ab ea tolluut maternitatem, atque ad suam positionem consequenter coguntur admittere hanc absurditatem, quod B. Virgo Maria non fuit vera mater Christi, quo nihil magis impium, & execrabile de dignissima Dei parente dici posset.]

Item circa tunc superstitem in ea sola, fidem, & Ecclesiam.

27. FVerunt qui aliundè, gloriam B. Virgini circa tempus patientis Christi captarent. Nimirum dicendo, fidem, etiam æternam, atque adeò Ecclesiam, per illud tempus mansisse in sola Virgine. Quod censuerunt confirmari ritu illo Ecclesiastico, quo in officio maioris hebdomadæ, omnes candelæ, vna dempta, extinguntur. In hunc enim sensum eam ceremoniam accipit Turrecremata, & Durandus in Ration. l 4. c. 7. n. 3 2. qui eodem refert causam cur sabathum sit specialiter addictum cultui Deiparæ Id quod etiam legere licet apud Authorem tract. de pass. Dom. tributi S. Bernardo, in fine capitis secundi, nec non apud alium æquè eidem Bernardo tributum opusculum, de lamentatione Virginis.

Hoc tamen Deiparæ decus esse commentitiû nec fidei professionem, & Ecclesiâ in ea sola perseuerasse patiente Christo, multi recentiores monuerunt: vt Canus 4. de locis c. 5. & lib. 6. c. vltimò, Hieron. à Rua contr. 7. Scholast. Suares disp. 9. de fide s. 5. n. 7. &

& Duuallius tract. de Pontif. parte 4. quæst.6. sanè piæ mulieres quæ Virginem tunc assectabantur, non possunt cum fundamento dici amisisse fidem, præsertim Magdalena. Sed neque Apostoli facti tunc sunt infideles, saltem Ioannes, qui ante crucem perstitit sub Christi mortem. Quin etiam S. Petrus, iuxta veriorem sententiam, non amisit fidem, vt sentiunt Roffensis ad art 25. Lutheri. Turria.l.2. de Ecclesi.c.9. à Rua controu. illa 7. propos. 2.quamuis rectè fateantur eius constantiam fuisse turbatam, & peccasse contra externam fidei confessionem; sed salua fide, quæ sola positiua infidelitate excluditur, idem de aliis Apostolis qui defecisse visi sunt, affirmat Suarez loco allegato num.8. Neque verò Christus rediuiuus, omnes suos de incredulitate reprehendit, sed aliquos tantùm durioris ceruicis. Quid quod præter Apostolos & Christi discipulos piasque mulieres domino viuenti famulatas, multi & Iudæorum,& gentium, nondum promulgata lege Euangelica retinebant veram fidem, & in eis persenerabat Ecclesia? Itaque euanescit decus quod B.Virgini affingebatur, ob perseuerantiam fidei in ea sola, patiente Christo.

Nec id significat, vel candela quæ sola seruatur in Officio Ecclesiastico maioris hebdomadæ, vel sabathi addictio ad cultum Deiparæ. Nam candela seruata, Christi gloriam aduersùs omnes fremitus, deuictis tenebris superstitem signat, vt Gol.Dur. alio loco tradit: nempe l. 6.ration.c.72.num.26.& esse sanè idoneum hoc Symbolum Christi, Iulius Firmius l. de error. profano c. 20. vsum quendam Ethnicum referens demonstrauit. Causam sabathi Deiparę dicati Petrus Damiani Opusc.33.c.4.refert ad quietem, *sabathi* nomine expressam, qua Deus qui creauit Virginem, in eius tabernaculo requieuit; non autem ad causam quæ proferebatur. Durandus in rationali l.4.cap.1.n.31.causam sabathi Deiparæ dicati, refert ad miraculum quoddam circa imaginem Deiparæ, Constantinopoli honoratam.

Item circa reales relationes Filij & matris, in Ioanne & Virgine.

28. EX verbo Christi ad matrem stantem iuxta crucem & ad Ioannem matri astantem, peculiare nouum Virginibus decus intulit Nicolaus de Orbellis, nimirum vt realem relationem ambo acquirerent; Beata Maria veræ maternitatis erga Ioannem; hic verò realis filiationis erga Beatam Mariam. Et quanquam non esset id magnum decus Deiparæ in omni rigore loquendo, quæ filij Dei vera mater est; præ quo titulo, quid est esse matrem S.Ioannis Euangelistæ? Tamen si verum esset exorreasse eam relationem, dici posset esse decus aliquod.

Cæterùm hoc decus qualecunque esse diceretur, si vero fundamento niteretur; reipsa tamen est planè inanè,& meritò illud explodit Maior Matth 27.circa illa verba, *mulier ecce filius tuus.* Impossibile quippe est, relationem filij exurgere in aliquo, quin præcedat ratio fundandi nempe generatio. De intrinseca quippe ratione filij, vt filius est alicuius, est processio ab eo in similitudinem naturæ. Igitur vbi hoc deest, impossibile est, per extrinsecam duntaxat Dei voluntatem exurgere filiationem & maternitatem. Ac proinde impossibile est, B.Virginem esse factam realiter matrem S. Ioannis; & hunc factum esse realiter filium B. Virginis à qua non dependit physicè in acceptatione sui esse.

Incidi nuper his pridem editis, in plenum indicem Scriptorum de Deipara, concinnatum ab optimo Patre, & magnæ matris studiosissimo Hippolito Marrauio, vbi sic legi. [Ioannes Ecoot. Anglianus, scripsit contra Nicolaum Bonetum, & Franciscum Maytonis, asserentes Ioannem Euangelistam, verum fuisse ac naturalem Virginis Deiparæ filium; idque per transsubstantiationem D. Ioannis in corpus Christi.] Idem referunt in eodem opere Bibliothecæ Marianæ V. *Ioannes Tinctor*, qui eosdem Minoritas impugnauit. Vix adduci possum, vt credam illos Theologos ordinis minorum, Maytonium præsertim, eò progressos esse, vt transubstantiationem illam B. Ioannis inueherent, quæ adeo monstrosa opinatio est, totque absurdissimis nouitatibus illicò per se manifestis differta, vt non sit cur refellatur. Per idem tempus de eadem S. Ioannis filiatione, tractatum conscripsit Dominicus de Dominicis Brixiensis Episcopus, Venetiis editum anno 1557. quo an contra delitam illam transubstantiationem disputet, affirmare non possum, cum liber ille in manus meas non venerit. Sed siue alicuius reuera fuerit ea exertatio, siue ex malè intellectis subobscuris alicuius de ea filiatione verbis, sit afficta, est prorsus repudianda, ac ne illa quidem quam referebam filiatio Ioannis per solius relationis accidentariæ filiationis physicæ diuinitùs factam productionem in in Ioanne agnosci debet. Admitti tamen potest filiatio quædam adoptiua Ioannis ad Deiparam, quæ visa Christi extrema voluntate, vt Ioannes esset el in filium lubentissimè acceptauit quod verba Christi de Ioanne ferebant, atq; ita duo admisit in filium sed affectu; & adoptione electiua, non natura. Non plus voluit Petrus Damiani serm. 2. de S. Ioanne Euangel. cuius verba quædam principio plus sonare videntur, sed ipse plus satis se explicat his de Ioanne verbis. [Quousque humana possunt merita prouehi, quasi meta virtutum factus, indesinenter exercuit. Neque enim illa verba quæ Saluator noster in cruce positus protulit, *Mulier* (inquiens) *ecce filius tuus*; Ad discipulum autem, *Ecce mater tua*; sic simpliciter sunt accipienda, vt humana tantum videantur more prolata, sed prorsus efficacia sunt, & diuinis virtutibus fulta, atque ineuitabili veritatis authoritate subnixa. Illud enim vnicum Patris Verbum, quod in cruce pendebat, substantiuum, & consubstantiale Patri, ac sempiternum est: atque idcircò verba quæ locutus est, quia spiritus, & vita sunt, inaniter transire non poterunt. *Cælum* (inquit ipse pius IESVS,) *& terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Sicut enim dixit Matri, *hic est filius tuus*; ita dixit discipulis, *Hoc est corpus meum.* Et tantus fuit in illis verbis effectus, vt illicò panis ille quem dabat, dominicum fieret corpus. *Dixit enim, & omnia facta sunt, mandauit, & creata sunt.* Ex quadam itaque similitudine, si dicere audeamus, & Beatùs Ioannes non solum filij potitus est nomine, sed propter verba illa dominica; quoddam maius necessitudinis Sacramentum apud B. Virginem meruit obtinere. Consideremus itaque dilectissimi, quantæ gloriæ magnus vir iste credendus est, qui per quoddam adoptionis arcanæ mysterium, & filius Virginis, & frater est Saluatoris.] Postrema hæc verba, effundunt lucem anterioribus monstrantque, Ioannem iuxta Petrum Damiani, non reali relatione filiationis naturalis, sed adoptiua; fuisse à Christo donatum, significante Christo placere sibi, vt quem Deus in filium titulo gratię adoptarat, ipsa item in filium admitteret, affectu, & adoptione, idquod Virgo illicò ratum habuit. Inde tamen non habetur, nisi purè extrinseca denomi-

Pars 1. punctum 9. Deipara vidulitas Christo vendum digresso.

natio filij in Ioannem, respectu Deiparæ, qualis est denominatio amici respectu puræ creaturæ amantis alium; vel hominis alium aliquem adoptantis in filium. Hæc adoptio quantas connexerit B. Ioanni prærogatiuas, legere est in Psalmo deaologico præfixo commentariis Tirelmanni in Ioannem, & in præludiis Cornelij ac Iustiniani ad Epistolam s. Ioannis.

Tandem circa exoratam Latroni à Virgine, conuersionem, & inclinationem capitis morientis Christi in matris gratiam.

29 AD extremum aliqui inter decora Virginis Christo patienti astantis, numerant impetratam conuersionem S. Latronis. Quod ex nonnullis retuli in Tract. de S. Latrone c. 6. n. 12. quibus nunc addo postea editum. Nouarinum in vmbra Virginea à n. 713. & idem habet Auendanio serm. de Assumpt. Virg discursu 3. sed præter meram, & voluntariam diuinationem, nihil video vnde habeatur, conuersionem S. Latronis esse referendam ad preces Deiparæ. Quidni enim æquè dici posset eos qui percutientes pectora sua reuertebantur, id accepisse à Deo, Deiparæ precibus? Vel quidni Centurio, qui exclamauit, *verè filius Dei erat iste*, similiter dicitur id obtinuisse interuentu precum B. Virginis? Extendique adeò poterit hic interuentus, vt omnia alia signa, & prodigia per tempus passionis Christi patrata, referantur ad preces Deiparæ, ea exposcentis vt Christi gloria illustraretur. Nemo non videt, quàm sine fundamento, & absurdè hæc iactarentur; cum nullum extet eorum vestigium, siue in scriptura, siue apud Patres Et tamen non firmiùs furtiúsvè stabilitur, quòd de conuersione boni Latronis per preces Deiparæ, à nuperis illis quos retuli, gloriæ Virginis non secundùm scientiam æmulatoribus, obtruditur.

Eatenus tamen dicere quis posset bonum Latronem esse fructum Deiparæ, quia ipsa est mediatrix omnium peccatorum, in sensu quem his verbis tradit Rich. à S. Laurentio l. x. Deip. particula 1. causa 56. [Sicut filius est mediator Dei, & hominum 1. *ad Timotheum* 2. Sic, & ipsa, nostra ad filium est mediatrix: quâ scilicet mediante, venit ad nos filius Dei; & qua mediatrice, ad filium peruenitur. Ad quod innuendum, Christus moriens ipsam habuit ab Aquilone, quo significantur peccatores; quasi hoc ipse diceret, quod ipsa mediante, dexteram suæ propitiationis extenderet peccatoribus congelatis: quod, & ipse facit adhuc nobis peccatoribus, prout significat imago Crucifixi.]

Neque extremam Christi vitæ lineam, vacare nouitate circa B. Virginem, monstrandum superest. Nouum sanè Deiparæ decus excogitauit hac in parte qui scripsit, eam capitis inclinationem quam Ioannes c. 19. morti à Christo præmissam retulit, tribuendam esse precibus B. Virginis. Idcirco enim censet Christum etiamnum superstitem caput inclinasse, ne ea inclinatio tribueretur morti, quæ tribuenda erat Mariæ precibus. Flexit ergo Christus caput in matris gratiam. & vt innueret se eius meritis, & oratione, peccatoribus parciturum; statimque colligeremus, quam potentem apud Deum mediatricem haberemus. Innuebat plenè eo capitis habitu, Mariam suis precibus Deum flexisse, (caput enim Christi Deus,) vt humano generi parceret, & nocentibus occurreret ac ignosceret. Ita commentatur Nouarius in Vmbra Virginea num. 470. Fauétque Richardus à S Laurentio libro 2. loco proximè allegato, agens de eo motu capitis Christi. Nec sanè negare licet, quin ea capitis inclinatio in Christo ante mortem, aliquo pertinuerit præter communem morem. Qui enim morte defunguntur, tum demum caput inclinant cum animam efflarunt, iuxta illud Nasonis.

Sic corpus moriens iacet; & defecta vigore,
Ipsa sibi est oneri ceruix, humeróque recumbit.

Christus autem non post mortem, sed adhuc viuus inclinauit caput, & postea emisit spiritum, vt notant Chrysostomus, & Theophilactus Ioan. 19. Videtur quidem S Cyrillus 12. in Ioan. aliud innuere, cum ait. [Inclinauit igitur caput. Accidit enim morientibus, vigore carnis iam consumpto, & anima quæ corpus retinet abeunte, inclinatio capitis. Quamobrem verbis hoc modo abusus Euangelista est.] Quasi diceret, quod Ioannes scripsit, κλίνας τὴν κεφαλὴν *cum caput inclinasset*, per catachresim dictum esse, pro eo quod *est inclinans emisit*. Nihilominus alij Patres proprietatem vocis retinent, quæ fert, inclinationem capitis præcurrisse emissioni spiritus: proindéque ea inclinatio, non potest referri ad defectum animæ sustinentis. Quin potiùs moribundi, vt expendit Franc. Lucas Ioan. 19. capite erecto, aut nictabondo esse cognoscuntur: mortis enim, & spiritus egredientis vis, caput violenter erigit. Quo ergo potiùs Christus Dominus, extremum illum nutum retulisse dicendus est, quàm ad honorem dilectissimæ Matris, & significandum se eius postulatis annuere?

Hoc est decus Virginis merè confictum, absque vllo prorsus fundamento. Quidni enim si ea inclinatio capitis pro nutu accipienda erat, ad Deum Patrem referebatur; dicendo, significasse Christum annuere se, quando ita ferebat voluntas Patris morti subiacere, vt sic mors per Adamum illata depelleretur, & vita reuocaret? Idipsum sanè est, quod Author qq. ad Antiochum, figuratè expressit, cum dixit q. 76. [Mors adhuc restabat, atque hæc metuens appropinquare non audebat. Ideò Christus, inclinato capite vocauit eam. Antequam enim inclinasset caput, propiùs accedere verebatur.] Eodem reuoluitur quod communiter dicunt Patres, & interpretes, nempè Christum ea capitis inclinatione significasse, se spontè ponere animam. Hæc de ea capitis per Christum inclinatione paulo ante mortem, Patres, & Doctores, sapienter. Quod autem Christus eam capitis inclinationem retulerit ad annuendum Matri est planè voluntariè confictum, præter mentem Patrum, nullatenus suffragantibus Euangelistis. Nam quamvis referant, Christum de cruce Matrem Ioanni, & Ioannem Matri commendasse, tamen neque ea commendatio fert quod isti cum quibus agimus, de hoc Christi capitis motu diuinant; neque motus ille siue inclinatio, immediatè subsecuta est colloquium cum Matre, vt possit nexus aliquis inclinationis illius, & commendationis excogitari: sed interiacuerunt pleráque alia quæ apud Ioannem oculatum testem c. 19. legere est. Itaque facessant commenta. Deipara satis per se micans, huiusmodi decoribus non eget.

PVNCTVM X.

Altera Virginis viduitas, Digresso ab ea in cælum sponso animæ, Christo Domino, per totam reliquam Virginis mortalem vitam producta.

VIDVITATEM Deiparæ, sponsi Iosephi morte contractam, hactenus prosecuti sumus. Nunc aliam Virginis viduitatem quam Christo in cœlum digresso incurrit, & ad finem vsque vitæ B. Virginis protracta est, restat exponere. Fuisse enim Christum B. Virgini sponsum, æquè ac animabus quibusuis iustis, frequens est apud Patres, vt infra dicam agens de Virginis sanctificatione, & plenè Richardus à S. Laurentio lib. 6. de laud. B. Virginis *à pag.* 408. Nec quia B. Virgo mater est Christi, Christus verò eius filius, cogitandæ hîc sunt incestæ Magnsæorum, & Persarum nuptiæ cum matribus; cum nihil hîc nisi spirituale, & quoad animam, inter Christum, & matrem inuehatur.

Quorsum prolongatus digresso filio incolatus matris, & quæ eius tunc studia.

Digresso igitur in cœlum Christo, B. Virgo vidua mansit, factúmque est eius ab hoc altero sponso diuortium. Quæ in re difficultatem non modicam, scitè omnino aperuit Amedeus Laus. hom. 7. de Deip. soluit autem, [quoniam ista dilatio, discipulorum Christi non minima consolatio fuit. Ista dilatio matri nil minuit, & mundo contulit remedia salutis. Voluit enim Dominus Iesus, vt ipso ad Patrem reuertente, Apostoli materno solatio, & eruditione fruerentur. Qui quidem licet edocti essent à Spiritu, ab illa tamen poterant edoceri, quæ mundo iustitiæ solem edidit, & fontem sapientiæ ex prato virginæo, intemerato nobis aloeo produxit. Mira denique pietate primitiuæ Ecclesiæ prouisum est, vt quæ Deum in carne hac præsentem iam minimè cerneret, matrem eius visu iucundissimo recreata videret. Quid enim tam iucundum, quid tam decorum, ac delectabile, quàm Matrem Psalmatoris, & Redemptoris omnium, videre? Nam si sepulchrum eiusdem nostri Redemptoris, quod extat vsque hodie, ita visui desiderabile est; si lapis in quo requieuit stirps sancta Iesse, tanta est expetibilis celebritate, vt affectus, & animos cunctorum prouocet in se, & quadam pietatis arte trahat ad se omnia; quæ vel qualis erat Dei genitricem cernere lætitia, donec eam diuina pietas, communi sorte degentem nobiscum concessit in terra?]

2 Mansit igitur in terris vidua Virgo, sed non desolata. Tantis enim ex summa cum Deo coniunctione cœlestibus deliciis affluebat, vt vitam potiùs Angelicam, quàm humanam viuere videretur. Vixisse tenuem vitam, sic scribit Isidor. Thessalon. orat. de dormit. Deip. præfatus tenuitatem vitæ à Christo adamatam, in terris, fuisse à matre, digresso Christo, & mortuo Iosepho, expressam. [Sacra Virgo & mater, sequuta eadē vestigia, nullum adorauit fastum: nullo sibi ancillarum comitatu, nullo prorsus adito famulatu more dominarū: sed tenuem vitam degebat, se vna vetus domi sibi ministra. Ad vsos verò rerum exteriorum, opera longè optimi, & discipuli super omnes dilecti Ioannis Virginis, quem Opifex sicut purissimæ parentis filium se mira nouitate constituit, cum ob alios eius lepores, tum etiam propter pulchritudinem Virginitatis; ita eiusdem puritatis gratia filium substituit Virgini. Ducebat ergo illa cœlis sublimior imò verò, & ipsis Seraphim longè excellentior, vitam ab omni fastu alienam, & quauis inani gloria; tenui, viliquè gaudens victu.] Hæc generatim de ratione vitæ Deiparæ in statu de quo agimus, dicta sufficiant. In particulari autē, quid ageret, quibuscum degeret, quo iret, nemini mortalium compertum esse, statuit S. Hildef. serm 5. de Assumpt. Sed generatim tantùm cum eodem S. Hildefonso, & cum Sophronio serm. de Assumpt. dicere licet, B. Virginem egisse vitam, partim orando domi, partim sacra loca Christi mysteriis veneranda, præsertim, quæ profuso inibi sanguine erant consecrata, frequentando non sine incensissimis affectibus; vt piè admodum meditatur Cartusianus l. 3. de laud. Deip. art. 7. Dolores tamen ac cruciatus quos passam Deiparam recolendo mysteriis vitæ ac mortis Christi arbitratur Sophronius sermone prædicto, non admitto. Sic enim affabatur Moniales ad quos scribebat. [Cogitate attentiùs & perpendite diligentiùs quibus afficiebatur Beata & intemerata Virgo Maria doloribus post Christi ad cœlos ascensum, expletis omnibus quæ de ipso erant ab Angelis prædicata, & à Prophetis multifariè multisque modis præsignata, diuinis declarata oraculis, virtutibus exhibita, & quæ humanitatis sunt ostensa præsagiis. Quæso si qua sunt in vobis viscera pietatis considerate quo cruciabatur amore quo desiderio æstuabat hîc Virgo, cum reuolueret animo cuncta quæ audierat, quæ viderat, quæ cognouerat. Puto quod quicquid cordis est, quicquid virtutis humanæ, si totam adhibeas, non sufficit vt cogitare valeas quanto indesinenter cremabatur ardore pij amoris: quātis mouebatur repleta Spiritu Sancto cœlestium secretorum incitamentis, quia etsi diligebat Christum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute, nouis tamen quotidiè inflammabatur præsentia absens desideriorum affectibus. Tanto siquidem validius, quanto diuinis illustrabatur iugis visitationibus quam totam repleuerat Spiritus S. gratia, quam totam incenderat diuinus amor, ita vt in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris. Nam & Christus ab omnibus est amandus ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus maximè tamen ab ea ardentiùs cuius, & Dominus erat, & filius.] Addit præ amoris æstu iuisse Deiparam verisimiliter, ad loca passionis, sepulturæ, Resurrectionis, & Ascensionis Christi, vt eorum locorum contuitu Christum suum quasi præsentem recoleret, & amoris sui ardoribus satisfaceret. Annuo quod omnia prædicta, nisi quod amorem Deiparæ in dies flagrantiorem, non admitto cruciasse illā vel doloribus affecisse, sed dulcissime potius recreasse, & gaudio insigni perfudisse, intentam in bona inde consecutam, & gloriam Christo refusam præ tanta in locis illis dilectione. Frequentabat ea ergo loca Deipara, & partem temporis quod supperebat, piis illis visitationibus, & peregrinationibus impendebat sed sine cruciatu. Apostolis quoque instruendis, & confirmandis in Christi fide, & amore discipulis, egregiam nauauit operam, quod præclarè tradit Gulielmus Paruus in c. 5. caut. ad illud, *aperi mihi*. Audi S. Anselmum l. de 4. virtut.

Pars 1. punctum 9. Deipara viduitas Christo nondum digresso.

virtut. B.Mariæ c.5. [Memoriæ erat tenacis, & vnicæ, omnia quæ sola de filio sciebat, secretiori consilio, sibi tantùm cognita coaceruans in cumulum, conscientiæ inculcauit hominum. Vnde de ea dicitur. *Maria autem conseruabat omnia verba hec, conferens in corde suo.* Debet ergo ei totus mundus salutationis suæ plenam notitiam, quæ plenissimæ cognitionis Apostolis non inuideret scientiam. Quapropter quia ad exiguum boni increscerct processus Euangelij, nisi cognosceretur tenor principij, meritò illa dicitur, & Apostolorum Apostola, & Euangelistarum Euangelista, per quam principalis, ipsis fidei principibus, illusit doctrina.]

3 Consulebatur ab Apostolis in quibusuis suborescentibus difficultatibus, fideles erudiebat. [Quamdiu filius hominis, (inquit Rupertus l.1. in Matth. ad illud. *per aliam viam reuersi sunt.*) manere debuit minoratus paulo minùs ab Angelis, ferè tamdiu fuit Beatæ Virgini tempus tacendi, & tamdiu tacuit, tamdiu in silentio fuit, velut hortus conclusus: Hortus, inquam, conclusus, fons signatus: quo accedere, cuius secretum audire, nullus meretur nisi cognitus, nullus cui talis hortus, talisque fons, clausuram vel signaculum oris sui, aperire indignum arbitraretur, vbi autem gloria, & honore coronatus est filius hominis resurgendo, & in cœlum ascendendo, vbi sedet ad dexteram Patris, ex tunc eidem Beatæ Virginis fuit tempus loquendi; & hoc amicis; id est, sanctis Apostolis, & talia loquendi, qualia priùs portare non potuissent: Quod sciens filius ipse hominis, dixerat quodam loco; *Adhuc habeo multa vobis dicere; sed non potestis portare modò.* Vbi venit spiritus veritatis, primus quidem, & princeps ipse illos omnem veritatem docuit: sed & ipsa Beata Virgo, testimonium suæ vocis adhibuit, & taliter locuta est auribus fidelium, vt proinde rectè dicat dilectus eius Deus *Fauus distillans labia tua, mel, & lac sub lingua tua: Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, Cyprus cum nardo, nardus, & crocus, fistula & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani, Mirrha & aloe cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Eadem optimè tradit lib. 1. in Cant. vbi Deiparam idcirco nominat, *magistram magistrorum*, & minur ùs l.5. eiusdem operis.

4 Affuit, cum Spiritus S. visibili specie, demissus est è cœlis: Itaque nō possum non mirari stuporē Theodori Bezæ, qui in c. 2. Actor. prurigine calumniandi Catholicos sugillat picturā descensus Spiritus sancti, Virgine media inter Apostolos sedente, quasi Antistita Apostolici Collegij principe Talem enim à Catholicis fingi censet B. Virginem. Sed nemo Catholicus figmento illi inhæsit vllámue iurisdictionem Ecclesiasticam B.Virgini arrogauit. Affuisse tamen cœtui Apostolorum, consilio, & doctrina, nemo prudens negarit. Et affuisse quoque in descensu Spiritus sancti, vt exploratum pono. Nugatur enim Beza cum solos Apostolos tunc simul fuisse imaginatur. Ex verbis enim Lucæ, (vt benè expendit Molanus l.4. histor. imag.c.15) apertè liquet, alios quoque quàm plurimos affuisse, atque adeo etiam Deiparam cuius cum illis aliis in limbo anterioris capitis à Luca memoratis, mentio expressè erat facta. Itaque ratum esto, inter eos omnes qui erant pariter in eodem loco, & Spiritum sanctum acceperunt, fuisse B.Virginem, & quo capacius ac nitidius erat sanctum illud vas, eo pleniùs se illi ac lubentiù infudit gratiæ fons viuus, Spiritus sanctus, vt meritò Dionys. Carthus. l.5. de laud. B. Virginis art. 26. extra omne dubium ponat, quod plus gratiæ acceperit in illo Spiritus sancti delapsu, & veluti diluuio gratiæ mundum vniuersum eluente, quàm quiuis alius è sacro illo cœtu primorum fidelium. Cum iisdem porrò frequentasse exercitia pietatis, & Sacramenti Eucharistiæ vsurpationem, insinuat Lucas Actorum 2. Siquidem de iis ipsis quos c. 1. memorauerat adunatos, & vna cum eis Deiparam, subdit in fine capitis secundi, eos frequentasse Eucharistiam. Sic enim *fractionem panis* illic memoratam, intelligunt Sanctus ibidem, & optimi quique interpres. Quanto denique vsui, & commodo esset omnibus fidelibus prolongatio incolatus Deiparæ, præter iam dicta, paucis monstrabunt quæ habet Amedeus Laus. hom.7. [Virgo mattem (inquit,) omnium in se charism. um commercia describebat. Prima namque visione scintillans sacri amoris ignibus, proximorum pectora suauiter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, honestatem venustabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem Virginitatis, ferebat nouale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, & præferens indicium veritatis. Splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardescens à facie eius. Fluuius igneus, rapidúsque egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos confoueret; iuuaret proximos, concremaret inimicos. Fertur ab iis, qui norunt naturam animantium, quod solo visu, & flatu mortifero, vicina quæque sibi Regulus venenatus interimat. Sic illa è regione ignis diuini, calore vehementer accensa, & verbi flammigerantis sparsa incendiis, odorem resuscitantis gratiæ, iis qui longe, & iis qui propè commanebant, exhalabat. Et aliis quidem, id est, aduersæ partis, erat odor mortis in mortem; aliis verò, id est, credentibus in filium suum, odor vitæ in vitam.] Addit in eam rem permulta, & suauissimè & piissimè. Nec pauca Carthusianus l.2. de laud. Deip. art.5. & 19. qui etiam art.21. distentam regimini eorum viginti sacrarum Virginum per hoc tempus Deiparam, repræsentat. Viderit vnde id habeat. Ego id cribrabo inferius.

Fidelium ad Deiparam, & ipsius ad certa loca, peregrinationes.

5 ADiram à plerisque per hoc tempus Deiparam, susceptam ad eam visendam peregrinationem, multi testantur, adducto nominatim exemplo S.Dionysij. Et sanè habet hic multo magis locum, quod S. Paulinus epist.36. ait, de meritò visendo Sene Valgio, cui naufraganti, nunc ipsemet, nunc per S. Felicem astiterat; eumque mulserat manu, & sinu exceperat. [Si ergo (inquit) religiosa cupiditas est, loca videre in quibus Christus ingressus & passus est, & resurrexit, & vnde conscendit, & aut de ipsis locis exiguum puluerem, aut de ipso crucis ligno aliquid saltē festucæ simile, sumere & habere, benedictio est; considera quanto maior & plenior gratia sit, viuum senem vel testimonio diuinæ veritatis inspicere? Si præsepe nati, si fluuius baptisati, si hortus orantis magistri, si atrium iudicati, si columna districti, si spina coronati, si lignum suspensi, si saxum sepulti, si locus resuscitati, euectique; memoria diuinæ quondam præsentiæ, celebratur, & veterem veritatem præsenti fide comprobant in rebus exanimis viua documenta; quàm religiosè aspiciendus est hic, quem alloqui Dei sermo dignatus est? cui se sacras diuina non texit, nunc Martyrem suum, nunc semetipsum Christus ostendit?

ostendit? In cuius viuente terra, Dominici corporis videmus impressa vestigia, si fidelibus oculis & acie spiritali, quod in eo sinus Christi, quod manus contigit, perlegamus; & canitiem quæ sæpè super Domini genu iacuit, sæpè Domini sinu tepuit, nostra manu sæpè mulcentes, & auriculam sæpè palpantes, quam cœlestes digiti domino iacente traxerunt.] Hæc multo magis visendam fuisse Deiparam, suadent. Nec quod nos faceremus si facultas suppeteret, omisisse credendi sunt, primi illi perferuidi Christianæ fidei cultores.

6 De variis Deiparæ per hoc tempus peregrinationibus, multa habet Poza, l. 1. tract. 16. & 17. Illa maximè repudianda non est, qua Ephesum migrasse aliquando dicitur, cum Ioanne Euangelista. Nam quamuis S. Epiphanius hær. 78. dicat, cum B. Ioannes profectus est in Asiam, nusquam haberi in scriptura, quod adduxerit secum S. Virginem; tamen hoc non probat, B. Virginem eo non concessisse, quamuis literis non sit proditum. Non enim omnia, consignata sunt scriptis. Itaque cum Concilium Ephesinum tom. 2. editionis Peltani, cap. 26. in epist. Synodica ad Clerum Constantinopolitanum testetur, Deiparã quandoque cũ Ioanne incoluisse Ephesum; ambigendum non est, quin traditione apud Ephesinos inclita, constiterit Concilio, ita factum esse. Alterius verò rationis fuit, quod Deipara per id tempus videndam obiecisse se dicitur S. Iacobo in Hispania degenti, vt Sancius tract. 2. de aduentu S. Iacobi in Hispaniam cap. 8. Castro in histor. Deip. c. 18. num. 7. passimque alij cum rerum Hispaniæ scriptores, tum decorum Deiparæ illustratores, confirmant. Tametsi enim eam traditionem conuellere prudentis non est, tamen ea præsentia absque Virginis peregrinatione est exhibita, vt notum est si fuit tantum præsentia obiectiua, quali plerique cœlites se alicubi videndos proponunt, absque vero descensu è cœlis, & peregrinatione in terras. Et de ipsius Christi apparitionibus impersonalibus, iustam lucubrationem dedit Thyræus. Si autem αὐτοπροσώπως B. Virgo illic apparuit, vt de SS. mortuorum apparitionibus sæpè statuendum, affirmat Mendoza q. 5. Scholast. à n. 7. & de hac ipsa B. Virginis apparitione idem habet n. 14. vt & Suares l. 6. de Angel. c. 21. n. 15. neque hoc pacto per profectionem, & peregrinationem migrasse in eum locum, censenda est; sed Deus eam per reproductionem ibi sistit, ad breue tempus. Et sic accipiendum est quod aduentum B. Virginis in Hispaniam, omnium concordi sententia ratum esse, scribit Ioannes, Tamaius ad carmen Arch. Hali de aduentu S. Iacobi ad vers. 360

Datæ ad varios literæ.

7 SCriptas itidem per hoc tempus, à B. Virgine ad varios epistolas, quibus eos ad Christi amorem, & in fide eius constantiam hortaretur, multi referunt, quorum piam existimationem sollicitare non placet. Epistolas quidem S. Ignatij ad B. Virginem, agnouit S. Bern. serm. 7. in psal. 90. Eóque ipso, adiunctam Deiparæ ad Ignatium responsionem, videtur habuisse pro germana, vt & Gerso tract. 9. super Magnificat partitione 3. *in fine*. Easdem latè tuetur Melchior Incofer. loco mox allegando c. 25. Florentini aliam ad se datam epistolam à Deipara gloriantur, quam exhibet Canisius l. 5. de Deip. c. 1. & Castro in historia Deip. c. 25. aliam quoque adiungens datam ad Messanenses, pro qua iusto opere pugnanit Melchior Incofer. Non abhorret à flagrantissimo Zelo tantæ Virginis, vt sicut præsentes alloquiis, ita absentes literis, ad viam salutis capessendam, & Christum, sine quo non est salus, verum Deum agnoscendum, iuuare voluerit. Nam & Christus ipse, literas ad Abagarum Regem dedisse proditur, quas Eusebius recitat. 1 histor. c. 13. verásque pronunciat S. Ephrem in suo Testamento, & Darius Comes scribens ad S. Augustinum epist. 263. inter Augustinianas; tametsi à Gelasio Papa, in decreto de libris apocryphis, ablegentur à serie librorum authenticorum, quod sacris Euangeliis non sint insertæ, nec Ecclesiæ suffragatione inter scripturas Canonicas annumerentur. Quia non constat Ecclesiæ quod verè sint scriptæ à B. Virgine. Nam si constaret, haberentur Canonicæ. Qua eadem ratione, prædictas Deiparæ literas, dicere liceat apochryphas, hoc est non susceptas ab Ecclesia, nec in ea veneratione habendas, quæ defertur Canonicis scripturis, tametsi non propterea improbabile haberi debeat, quod aliquæ epistolæ, verè sint à B. Virgine fideles confirmante, aut consolante, exaratæ. An tamen quæ propositæ sunt, haberi debeant genuinæ, nunc non moror. In posterma certè, quædam pugnantia obseruat Castro supra *in fine*, reprobans item eas quæ datæ ad S. Ignatium iactabantur.

Pars I. Punctum X. Viduitas Virginis. Christo digresso.

Felicissimus obitus,

8 IN his piis erga Deum ac proximum studiis, consenescentem Deiparam, mors occupauit post annos ætatis 72. iuxta verisimiliorem sententiam, Baronij anno Christi 48. num. 5. & Suaris t. 2. 3. p. d. 21. sect. 1. Castri in historia cap. 20. nu. 19. Nam quamuis S. Epiphanius hær. 78. anceps videatur, num Deipara mortem obierit; tamen indubitatus Ecclesiæ sensus fert eam verè obiisse, iuxta generales scripturæ locutiones, quibus omnibus filiis Adæ, moriendum esse denunciatur. Nec habet in in hac parte locum, restrictio quæ circa similes locutiones, de peccato per omnes Adæ filios in conceptione contracto, adhiberi solet. Dedecebat enim, matrem Domini vllo peccato sordere; non dedecuit autem eam, mortis oppetitio; cum ipse Christus mortem oppetierit. Consentiunt vnanimiter hac in parte DD. Catholici, apud Canisium, l. 5. de Deip. cap. 2. & 3. & apud Coccium t. 1. l. 3. art. 3. [Transiit in visione Dei, (inquit Amedeus Laus. hom. 7.) & beatissimam illam animam sole clariorem, cœlo excelsiorem, Angelis digniorem, Domino exhalauit. Enim verò in transitu eius gloriosa, illustratur mons Sion, vbi prouecta dierum, decessit in senectute bona. Ibi expleuit munus vitæ, dans plenam atque perfectam virtutum omnium consummationem. Ibi orienti magis quam morienti, & abituræ plusquàm obituræ, occurrunt castra Dei, & ruunt obuiam ei exercitus militiæ cœlestis: O quàm pretiosa in conspectu Domini mors Genitricis suæ! Quæ vita adæquabitur morti eius? quæ gaudia funeri eius? Addas licet mundanos honores; addas conuiuia, ac festa trophea; addas omne quod demulcet, & quod delectat vniuersum; his tamen omnibus iucundior, atque suauior est. Est enim absolutio à carne, vis ad vitam, nil habens doloris, acerbitatis nihil, nihil formidinis. Fouet autem pro dolore, delectat pro acerbitate, & pro metu firmat in littore fidæ stationis. Nec tenebras inducit, quæ lumen æternum aperuit, nec vitam tollit, quæ dirigit ad authorem vitæ. Hac morte gloriosa migrauit, si transitum ad vitam, mortem liceat nominare. Imo, (vt verum fatear,) vita est, vbi sola

mors

mors moritur vbi corpus mortis exuitur, vbi vita carnis pia quiete defuncta, fœnore multiplici in posterum reſeruatur. An non vita, cum itur ad fontem vitæ & vita æterna à vita perpetuo meatu hauritur?] Alia in hanc rem ſuppeditat author homiliæ de aſſumptione B. Mariæ, tomo 9. Hieronymi, quam à Monacho quodam Corbeienſi proſcriptam defendit Hincmarus Remenſis, aſſereos (inquit Flodoardus l. 3. hiſt. c. 25.) [Eandem à S. Hieronymo Catholicè dictatam, ſicut & ſtylus, & cautela ſenſus, & intellectus, & alia certa indicia monſtrant; & certæ perſonæ per quas de partibus Orientalibus tempore certo delata ad regiones noſtras peruenit, fidem faciunt.] Eiuſdem Hincmari ſtudium in curanda illius homiliæ concinna deſcriptione, & Codicis pretioſo tegumento, ibidem legere eſt cap. 5.

9 Genus mortis, conſtat ſiccum, (vt ita dicam.) fuiſſe: hoc eſt, non obiiſſe gladio, quicquid in contrarium ſenſerint aliqui vt refert Timotheus Presbyter Hieroſol. homil. de Simeone, & non nemo apud Iſidorum l. de vita, & morte ſanctorum c. 68. ac apud Bedam Lucæ 2. Sed impoſuit illis, verbum Simeonis ad Deiparam, *tuam ipſius animam pertranſiuit gladius*; quod tamen myſticè accipiendum eſſe, pro grauibus doloribus, & acerbis animæ cruciatibus, conſentiunt omnes; Et vt benè expendit Timotheus homilia citata, non dixit Simeon, gladium tranſiturum corpus Deiparæ, ſed animam, quæ gladio materiali mortem inferre idoneo transfigi non poteſt. Accedit quod non modò in omnibus hiſtoriis altiſſimum de huiuſmodi Deiparæ cruenta morte ſilentium eſt, vt ea S. Ambroſio ſcribit S. Auguſtinus ſerm. 35. de Sanctis. Sed etiam apud S. Dyoniſium, extat luculentum teſtimonium de eius fœlici obitu, in pace & abſque gladio. Nam de B. Virgine accipiendum eſſe illum Dyoniſij locum, (non de ſepulchro Christi, vt latè contendit Biuarius anno Christi 48. ambigitque Cartuſ. l. 4 de laud. Deip. art. 5.) docet, & multis euincit Petrus Halloix in S. Dyoniſij Areopagitæ vita c. 5. eique capiti ſubiectis annotationibus. Itémque Card. Baronius anno Christi 48. & Perlinus de concept. diſtinct. 7. c. 1. n. 23. ac Benzonius in pſal 86. c. 40. traditione 31. Et ex eo item Dyoniſij loco habetur, Ss. Apoſtolos, omnes vndecunque conueniſſe ad Deiparam ſub eius mortem, eique defunctæ, iuſta, & honores funebres perſoluiſſe. Id quod etiam ex Iuuenale Hieroſolimitano ſcribit Damaſc. orat. 2. de aſſumpt. & Euthymius l. 3 c. 40. ac Nicepho l. 2. c. 23. qui Iuuenalis orationem coram Marciano Auguſto habitā recitat. Confluxiſſe porrò ad funus Deiparæ Apoſtolos abſque miraculo, quæcunque demum ſtatuatur periodus ætatis B. Virginis, affirmat Turrianus l. 2. contra Magdeburg. cap. 16. Sed eſt difficilis aſſertio, vt bene cenſuit Maſſutius lib. 14. de vita Pauli cap. 17. & paſſim ſacri Doctores contrarium ſtatuunt agnoſcentes miraculum in eo Apoſtolorum confluxu ad Parentis ſanctiſſimæ exequias. Adducit pleroſque Chryſtophorus Caſtro cap. 20. hiſtor. num. 7. Videndi vero nominatim Damaſcenus orat. 2. de dormit. Deiparæ, ſanctus Germanus Conſtantinopol. orat. 2. de eadem dormit. Gregor. Turo. l. de glor. Mart. cap. 2. & ferè quotquot hunc confluxum Apoſtolorum attigerunt; negant hoc miraculum Baron. anno 48. & Suarez t. 2. 3. p. diſp. 21 ſect. 1. ſed ægrè euitari poteſt, quin admittatur in tanta vocum diſtantia omnium propè Apoſtolorum præterquam Ioannis, Iacobi, & Matthiæ. Nec oportet eſſe paucos congruentium miraculorum, quando de Deipara agitur, cum conſtet hunc fauorem ſubitæ tranſlationis alicuius perſonæ in gratiam ſancti ad extrema deducti, aliis pleriſque inferioris notæ Sanctis obtigiſſe.

10 Omnes Angelos affuiſſe morienti Deiparæ affirmat Suarez l. 6 de Ang. cap. 10. *in fine*. Et idem tradit Damaſc. orat de dormi. Deip. aſtantes Angelorum claſſes, Virginis è vita diſceſſum expectantes deſcribens. Mox etiam Angelos partim præcurrentes, partim comitantes, partim ſubſequentes nullum officij genus erga Dei ſui matrem prætermiſiſſe, teſtatur. Et orat. 2. cum deſcripſiſſet conuentum Apoſtolorum & veterum Iuſtorum ac Prophetarum ad Virginem, ſubdit. [Quin & Angelorum quidem caterua, huius cœtus expers erat. Quantumcunque enim ſummo Regi voluntate paret, ob idque dignum eſt quod ipſi adſtet, id nimirum ipſius quoque iuxta carnem matrem, illam inquam beatiſſimam, & omnibus generationibus, atque adeò omnibus rebus conditis excellentiorem, ſtipare oportebat. Huic omnes aſtabant, ſpiritus fulgore collucenti, ſplendidiſſimiſque radiis eos illuſtranti, qui cum pudore ac metu, & conſtanti cupiditate, purum in eam mentis oculum defigebant.

Ipſum verò Christum affuiſſe morienti matri, recta cum variis quos profert, ſtatuit Alfonſus Mendoza q. 5. Scholaſt. num. 27. conſentitque Caniſius 5. Marial. c. 3. & præiuerat his verbis Damaſc. orat. de dormit. [Sanctam illam animam ab eo tabernaculo quod Deum ſuſceperat, ſeiunctum, ſuis manibus ille omnium rerum parens & effector excipit, legitimè nimirum eam honorans quam matrem effecit.] Idem. [Rex ipſe ad ſuam matrem venit, vt diuinis ſuis, & puriſſimis manibus, ſanctam, & puram labiſque expertem ipſius animam ſuſciperet. Atque ipſa quidem, vt à vero non abhorret, dixit; In manus tuas commendo ſpiritum meum: Animam meam tibi charam accipe, quàm à peccati labe puram ſeruaſti, *&c.* Transfert me ad te, vt vbi tu viſcerum meorum fœtus es, illbic quoque tibi contubernalis ſim. Ad te enim propero, qui ad me deſcendiſti] Subdit reſponſum Christi. [Veni in requiem tuam benedicta mea mater. Surge veni amica mea, pulchra inter mulieres. Ecce enim imber tranſiit.] Negat hunc Christi deſcenſum ad matrem morientem Gabriel de Euhuo exercit. 18. emp. ſect. 4. à num. 59. nixus variis ſcripturis & Patrum locis quibus dicitur Christum non deſcenſurum à cœlis antequam orbem iudicaturus deſcendat; quamuis poſtea n. 66. ob Patrum authoritatem admittat dici poſſe Chriſtum ad B. Virginem morientem deſcendiſſe, contendit tamen ſaltem per illud tempus non deſeruiſſe cœlum, ſed ſimul fuiſſe in cælo, & in terra. Accipio quod tandem hic author dat, nempè Chriſtum corporaliter matrem morientem viſiſſe, & ad illud quamuis multum noſtra non refert, negari tamen facilè poteſt, nec efficaciter euincì monſtratur, quæ adducit Suar. t. 2. 3. p. d. 51 cert. 4. Quod ſi morienti matri affuit optimus Filius, eiúſque è corporis ergaſtulo prodeuntem animam accepit, vt agnoſcit Damaſcenus, planè eandem in cœlum officioſus deduxit. Nam puriſſimam illam, & vſquequaque nitentem animam, illico in exitu à corpore, cœlo iam à Chriſti morte patenti, inferri neceſſe fuit cum nihil in ea ſupereſſet ignibus emendatoriis detergendum aut defricandum. Itaque comes illi cœlos adeunti Chriſtus fuit.

Et hinc glorioſiorem Chriſti aſcenſione fuiſſe Deiparæ aſſumptionem, monſtrat Petrus Damiani ſerm. de ea. [Aſcendenti quippe Domino, egreſſa eſt obuiam omnis illa beatorum ſpirituum glorioſa ſocietas,

societas quando naturæ superiori prætulit inferiorem, & inconuertibili Sacramento, susceptum hominem in ipsa diuinitatis clausit identitate. Occurrentibus autem Angelis, electorum animas, quas secum educebat adiunxit, & sic vtrorumque triumphali pompa deductus ad Patrem, sedet ad dexteram Maiestatis. Attolle iam oculos ad assumptionem Virginis, & salua filij maiestate, inuenies occursum huius pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippè Angeli Redemptori occurrere potuerunt; Matri verò cœlorum palatia penetranti, Filius ipse cum tota curia, tam Angelorum quam Iustorum solemniter occurrens, euexit ad beatæ consistorium sessionis.]

Moriendi causa, & modus, ac vitæ meta.

11 VErùm qua ex causa moriendum fuerit Virgini sicca morte prout diximus, obscurum videri potest. Non enim ex morbo corporeo qui quidem rationem morbi haberet, & ex humorum intemperatione proueniret obijsse dici potest: cum ratũ sit apud omnes, Deiparam æquè ac Christum, nulli vnquam morbo fuisse obnoxiam, vt supra vidimus, debetque esse extra dubium contra Guerric. serm. 2. de assumpt. Abucara opusc. 37. interrogante Barbaro, an Deipara mortua sit, an viuat, respondet viuere nunc Deiparam, atque adeò mortuam nunc non esse existimandam, hinc tamẽ morte emigrasse, & quasi in somno leuissimè animã Deo tradidisse, ad eum modum quo Adam dormiens, costa spoliatus est. Subscribo si sensus sit, Deiparam diuinitùs præmunitam de instante morte, non tam vi morbi, aut senij, vel naturalis debilitatis, corpus ad animæ conseruationem indispositum reddentis, vt ait Suarez t. 4. 3. p. disp. 43. sect. 2. *in fine*. quam diuina voluntate, cum post porrectam à Christo ipso communionem, (vt Gerson coniectat tract. 9. super *Magnificat*, partitione 1.) se ad orandum composuisset, inuitatam à Deo, Spiritum emisisse. Qua æterna specie obijsse Paulum primum Eremitam, scribit Hieron. tametsi hic ex morbo, aut senio; Virgo iubente, & ad se illam ducente Deo, vt Moysi contigit. Ioanni Euangelistæ iuxta Bedam serm. de eo. Abbatem Pambo non dissimiliter obijsse narrat in Lausiaca Palladius c. 10.

12 Sunt in hac sententia sic exposita, Molanus l. 3. de imag. c. 32. qui adducit Ioannem Echium & Clyctouæum, Cuolencusque Poza l. 3. tract. 16. c. 5. iuxta quos Virgo non decubuit in lecto. Vel si id demus Andreæ Cretensi orat. 2. de dormit. Deip. S. Hildephonso sermone 1. de Assumptione, Gregor. Turonensi l. 1. de gloria Martyrum cap. 4. & Damasceno orat. 2. de Assumpt. Deip. lectum in quo Deipara moriens iacuit memorantibus: non languore, & præuia virium prostratione fuit decubitus; sed vt communi more, singularitatem deuitans, excederet è vita quæ semper fastum omnem, & singularitatis speciem declinauerat. Dilectus sanè discipulus, quem speciali gratiæ matri, fuisse in morte consimilem scribit Nicephorus l. 1. histor. c. 35. ad eum ferè modum mortuus, refertur ab eodem Nicephor. l. 2. c. 42. Et hanc leuissimam mortem, veluti ad somnum se componentis, obtigisse B. Ioanni æquè ac sibi, prodit ipsa Deipara, apud B. Virginem l. 4. reuel. cap. 23. causam assignans ingentem vtriusque dolorem in morte Christi, quam oculis hauriebant.

Nec quæ in contrarium obijcit Benzonius in Psal. 86. c. 40. trad. 30. reuera vrgent. Assumit enim, vt certum, Deiparam obijsse sublata debita dispositione naturali, vi causarum naturalium. At hoc probandum fuerat, non gratis assumendum; cum sit idipsum de quo agitur.

Pars I. Paulum X. vita Virginis Christo digressa.

Anima in cælum subitio corporis tumulatio, & Epitaphium.

DEmortuæ Virginis anima, in mortis puncto, gloriosissimè cœlis illata est, eo gloriæ munerata cumulo quem infra attigemus, & luculenter prosequitur Canisius libro quinto, Mar. cap. 4. Non me latet Andream Cretensem, orat. 8. de dormit. Deiparæ, referente, nec improbante Glycæ epistola 42. tradere, animam B. Virginis illicò à disiunctione à corpore, ad inferos descendisse. Verba Glycæ sunt. [Etsi in infernum quoque beatam illam animam descendisse, tradat diuinissimus Andreas Cretensis, vt scilicet mysteria à Christo ibi peracta addisceret; & quomodo deuicerit, & quanam ratione vectibus illis fractis resurrexerit, ne hoc tibi admirationem concitet, neque rem esse peregrinam existima; fieri non posse inquiens, eam in manibus Domini deponi, & in infernum descendere. Quemadmodum enim Dominus dicebat, *In manus tuas, Pater, commendo Spiritum meum*, nihilominus in inferna tunc descendebat, eodem modo & res Virginis diiudicandæ sunt.] Non de sola Deiparæ anima, sed de quibusvis iustorum animabus tametsi nitentibus, nec vlla reatus residui fuligine sordentibus; idem pronunciat Andreas Cretensis, cum oratione de sanctissima Deipara, tum oratione de vita humana, ac de dormientibus: Et ex eius pronunciati fundamento patet, quod tantum voluerit B. Virginis animam corporis nexu solutam, adiisse limbum Patrum, vt coram spectaret locum in quem anima Christi descenderat, & quomodò ibi vicerat, & vectibus illis confractis resurrexerat. Nec hanc aditionem illius sedis antiquorum Patrum, omnibus item animabus iustis quantumuis nitentibus communem, voluit Andreas Cretensis fuisse nisi transitum per breuem. Eodem ferè modo S. Ambrosius serm. 20. in Psal. 118. ad versum 5. & Eucherius homil. 3. de Epiph. & alij plerique Patres apud Bellarminum l. 2. de Purg. c. 1. excedentium transitum per purgatorium agnoscunt, non ad purgationem, quæ animabus nullo reatu sordentibus non est necessaria; sed vt sistantur ei veluti probatorio, & quasi telonearijs cœli, illicò abituræ immunes, ac indemnes si nulla in eis supersit rubigo detergenda, vel defricanda per otium si sit quod extergi deposcat. Quam sententiam Bellarminus loco allegato ita refert, vt nec approbare audeat, nec damnare. S. Hilar. in Psalm. 118. ad illud, *Concupiuit anima mea desiderare iudicia iustitiæ tuæ*, nominatim de B. Virgine, affirmat quod cœlum subitura, per ignem transierit in sensu prædicto. Sed quamuis propter tot Patrum authoritatem, sententia proposita non sit obelo erroris transfigenda, tamen sine fundamento inuehi videtur transitus ille animæ sicut per limbũ Patrum, ita etiam per purgatorium, cum nihil insit animæ indignum purgatione. Atque adeò ratum esto quod diximus, Virginis animam in puncto dirempti cum corpore nexus, cœlos subiisse.

Obiter de nonnullis Deiparæ reliquiis.

ILlatæ cœlo Deiparæ reliquias in terra relictas, forsitan quis quærat, si de corporis partibus sit sermo,

mo, cum surrexerit perfectum, & integrum. Quamquam pilos aliquos supereſſe vt habet Nicephorus l. 2. cap. 23. fertque non vno loco pia à multis annis traditio, nihil eſt quod prohibeat aſſentiri cum pili non ſint, partes corporis niſi ſecundùm quid. Itaque reliquiæ B. Virginis quæ hic ſupereſſe poterũt, ſpectant ad eius recvlas, puta veſtes, calceos annulum, pectinem, Zonam, & ſi quæ alia ad eam attinuerunt. Lac quod alicubi monſtratur, iam ſupra notatum eſt quale ſit, nimirum non lac vbernm vt vulgus arbitratur, ſed materia candidiſſima ex ſpecu in quem B Virgo ſubiuit peregrinans in Ægyptum, vt Chriſtophorus à Caſtro in Deiparæ hiſtoria annotauit. De fuſo, & glomo B. Virginis dictum eſt ſuperius parte 1. punct. 8. num. 22. Pectinem aſſeruari Treueris ſcribit Midendorpius l. 5. de Academiis, agens de Treuerenſi Annulum pronubalis Peruſiæ aſſeruatur vt integro Opuſculo teſtatur Baptiſta Lancius, dixique ſuperius parte illa 1. puncto 4. initio vbi memini alterius item annuli Deiparæ quem exhibent Aquicinctini. De Zona Deiparæ Conſtantinopoli aſſeruata, extant orationes S. Germani Conſtantinopolitani, & Euthymij Monachi quas Surius t. 4. repræſentat, vltimo Auguſti. Veli Deip. meminit Gabr. Barius l. 2. de antiqq. Calabriæ. Camiſia B. Virg. de qua in act. B. Ioan. Monialis Carmelit. quæ nata proditur anno 1428. non erat veſtimenti pars, puta ſubucula vel indũſium, ſed ſic appellabat pia illa Virgo certam ſummam precum quam Deiparæ pendebat cũ aliquid vellet exorare: Recitabat enim quindecim millia ſalutationum Angelicarum, addita ad cuiuſuis centenarij calcem Antiphona *Salue Regina* ac demum ſepties recitato Hymno *Aue maris ſtella* vel Hymno *O glorioſa Domina*. Hoc illi placuit *Deipara Camiſiam*. nominare. De calceis Deiparæ qui in oppido S. Zachariæ propè S. Magdalenæ ſpecum, & ad Belliquadrum in Ollitanæ finibus monſtrantur, nihil habeo dicere Tunicam Deiparæ in templo Blachernenſi depoſitam ſub Leone, & Verina. AA. exornauit longa oratione Theodorus Syncellus, ant vt alij habent Georg Nicomedienſis Et inter alia mira de ea veſte, teſtatur, eam perſtitiſſe incorruptam: ita, vt cum purpura & ſerica veſtis qua erat obuoluta diffluxiſſet, tameo lanea hæc tunica perſtiterit illæſa, & prorſus incorrupta; & cuiuis morborum generi præſentiſſimum remedium fuerit. Corpus non ita multo poſt à morte, ſepulturæ traditum eſt, ve ex antiquiſſimis ſcriptis monſtrant Baron. anno Chriſti 48. & Coccius, tom. 1. l. 3. art. 3. art. 5. Præmiſſas per Apoſtolos lauda tiones funebres, obiter tangit S. Dionyſius cap. 3. de diu. nom. expandit verò Andr. Cretenſ. orat. 2. & 3. de Aſſumpt. Quod corpus examine iu nubε ſublatum eſſe in cœlum ibique ſuſcitatum, ſcripſit Abelard. ſer. de Aſſumpt ex Gregorio Turonenſi lib. 1. mirac. c. 4. fabuloſũ eſt, & ablegãdũ. Abiectis itaque figmentis demortuum Deiparæ corpus poſtquam aliquandiù in feretro iacuit, illatum tumulo eſſe, certa traditio eſt, vt vero res habuerit conſulendus Nicephorus l. 2. hiſt. cap. 22. & 23. notatque Adricomius in ſua Hieruſalem num. 198. hoc ſepulchrum fuiſſe in valle Ioſaphat, iuxta villam Gethſemani ad pedem montis oliueti. Illud poſtea S. Helena magnificentiſſimo templo circumdedit, quod nunc, quoque, non Chriſtianorum modo, ſed etiam Saracenorum veneratione frequentari ait idem Adricomius, & quamuis quando extincta eſt aliam haberet poſituram, non tamen quadraginta octo gradibus ad eum deſcendi obſeruat, cogitantem Andream Cretenſem Epitaphium, pro ſolemni vſu magnopere qui fuere in terra ſepulchro appetere, ſanctus horror abſteruit. [Spiritus contrahens (inquit) ac timore honorem ſacramentũ habens cum vocaliſſimo Prophetarum Iſaia pronuncio, ô miſer ego, quia compunctus ſum : quia homo cum ſim, & immunda labia habens, de munda illa, & immaculata, ac totius ſanctitatis pleniſſima, audeo aliquid loqui, eamque præſumo Epitaphio poſito celebrare, cuius quidem contemplandę aſſenſum nubes in circuitu prohibent quædam autem nebula ſpiritualis, rationalibus eos circumfuſa gyris, haud quaquam ſinit, vt inuoluta Sacramenti comprehenſio clarius explicetur. Poteſt ſolus Deus pro meritis laudare qui is quibus nouit ipſe rationibus, mira illa opera in ea effecit. Tantũ verò abeſt, vt id conueniat mihi humi deiecto vixque ea quæ ſunt in pedibus, bonæ voluntatis defectu, perſpecta habenti: Num ergo quæ mentem ſuperant erubuero dicere, qui neque ea poſſum dicere quæ pro merito videntur? Enim verò cum neque ſit reſpuendum quod ſit ex facultate Deo conſecrans diſſertationem, ſermone ſilentium repellam.] Non ſeruauit Andreas, quod nunc quidem ſpopondit; nam ibi ſermonem abrupit. Suppleuit tamen poſtea orat. ex qua hoc lemma ſepulchro inſcribendum decerpo.

[Hic teſtamentorum conditorum à Deo terminus.
Hæc coronis oraculorum diuinorum.
Hoc arcanum ignotiſſimumque præterna Deitatis in hominum genus conſilium.
Hę primitię communionis neceſſitudiniſq; omnium conditoris Dei ad proprium figmentũ.
Hæc diuinorum contractuum ſubſiſtens veraque ſponſio.
Eximia pulchritudo, ſculptáque à Deo ſtatua.
Diuini archetypi egregię expreſſa imago.
Totius contemplationis, atque aſſenſus ad diuina fulcimentum.
Creatoris omnium Tabernaculum ſanctiſſimum.
Inæuacuabilis ſapientiæ orator, Deum conceptaculi inſtar ſuſpiciens.
Inuiolabile vitæ penu.
Diuinorum ſplendorum fons inexhauſtus.
Inconuſſum robur.]
Hic quam nihil infra Deum ſuperat, ſed nequa æquat, MARIA.

Furfur doctrinæ; Virgo Præſes Concilij Hieroſolimitani.

13 SIc terminatur vita Deiparæ. Statim enim à morte fuit in termino, & comprehenſoribus eſt annumerata. Quare nos quoque hic concludemus priorem hanc partem Tractationis, vbi cribium admonuerimus quo excutiantur ementita decora, quæ oεc in hac parte vitæ B. Virginis, deſiderari paſſi ſunt nonnulli. Quod diximus, Deiparam Apoſtolorum poſt Chriſti ad cœlos abitum egiſſe Magiſtram, vſque eò amplificauit Rupertus l. 1. in Cant. *ſub medium*, vt dixerit, eam in Concilio Apoſtolico de conceſſione legalium, principem fuiſſe, & omnem ſoluiſſe quæſtionem, factámque eſſe Magiſtram Magiſtrorum, id eſt Apoſtolorum, iuxta illud, *fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano.* Quæ verba Amicus quidam in opere quod de Deipara edidit, in eum ſenſum accepit, vt ſignificare voluerit Rupertus, Deiparam fuiſſe Concilij illius præſidem, id quod ratum habet, is quem dico Scriptor nouus, in ſuo Deiparæ Chronico, & à

Benzo

Benzonio lib. 1. in Canticum Deip. c. 13. tribuit Ruperto, atque Canisio.

Hoc tamen, nec in decus Virginis reuera cedit, nec a Ruperto asseritur. Ruperti quippe sensus duntaxat est, Apostolos, & vniuersum illud Concilium consuluisse super ea controuersia Deiparam, & mentem eius exquisiuisse; eisque respondentem Deiparam, licet è Concilio absentem, direxisse omnia, & omnem soluisse quæstionem: Ita tamen, (ait Rupertus,) vt non clamaret neque contenderet, nec audiretur vox eius foris. Hæc verba satis insinuant, Ruperti mentem non ferre, quod Deipara Concilij Præsidem egerit: tametsi consulta, (vt est profectò verisimillimum, benéque censuit Castro c. 19. hist. n. 8.) mentem suam aperuit & sicut exemplo vitæ, ita etiam consilia & directione præsedit Collegio Apostolico, vt loquitur Flau. Dexter anno 34. n. 7. Nec aliud voluit Canis. lib. 5. Marial. c. 1. cum visus est dicere B. Virginem præfuisse publicis conuentibus. Cæterum cuiuscunque fuerit ea opinatio, quod B. Virgo præses Hierosolimitani Concilij fuerit, parum aptum est inde exornare Deiparam. Neque enim plus inde ornatur, quippè ementito, & falso priuilegio, quàm si diceretur, sortita potestatem consecrandi sacros ministros, vel conficiendi corpus Christi. Non his prærogatiuis à sexu fœmineo alienis, decorauit Christus matrem suam, nec in eo Concilio quod veluti forma Conciliorum omnibus deinceps Christianis sæculis futurum erat; consultum fuisset, statuere exemplum quod Elisabetha quæpiam peruersè æmulata, traheret ad confirmationem hæreseos de monstroso fœmineo capite Ecclesiæ. Quo ipso incommodo adductus, firmaui meam hanc assertionem, cum à F. Vincentio candido ord. Prædicat. repelleretur tanquam deterens Deiparæ decora. Nec eminentissimus, Cardinalis Vanciculus apud quem causa disceptabatur, offecisse me Deiparæ iuribus existimauit; abrogato B. Virgini eo titulo qui eidem præter Christi voluntatem arrogabatur, nec congruit reuera sexui fœmineo cuius est in publico Ecclesiæ cœtu tacere, nedum Conciliis præsidere sapienter Ioannes Molanus l. 4. historiæ Imag. cap. 15. adducto Hæresiarcha qui ex pictura pentecostes, media inter Apostolos Deipara colligebat Catholicos opinari Deiparam, præfuisse collegio Apostolico, & principatum, ac regimen in eos, & in Ecclesiam exercuisse: ait, crassam hãc esse calumniã, nec Catholicos tale quid censere verũ etiãsi Deip. sanctitate, & gradu eminẽtię supra ipsos Angelos locatã esse pro cóperto habeãt. Quare apagè tale decus Deiparæ. [Ne loqui quidem in Ecclesia mulieri, aut in viros authoritatem habere, sacræ literæ permittunt.] Ait S. Epiphanius de ipsamet B. Virgine agens hær. 78. Et inferiùs disertè ait, non esse collatam ei facultatem, vt in terris præesset. Quod fortiter probat, & eruditè suo more illustrat Sanderus l. 6. de Claue Dauid. cap. vnico §. 4. Quid verò iis facias, quos Perlinus l. de concept. distinct. 7. c. 1. n. 28. refert (nec improbat,) dixisse, in illis verbis decreti Apostolici *visum est Spiritui S. & nobis*, nomine *Spiritus S.* intelligi B. Virg. Hæc insulsitas, ne refelli quidem debet, adeò monstrosa est, & Monstri Authoris geniũ redolens.

Virgo, 150. Monialium Carmelit. Antistita.

84 AD hoc tempus vitæ B. Virginis, pertinet fastidiosum negotium quo eam implicuit Carthagena lib. 17. de Arcanis homil. 5. allegatis Richelio, & Eisengrenio ac Bergomensi qui tamen non omnino idem dicunt. Potuere etiam allegari Laur. Bicleenck lib. 16. Theatri vitæ hum. in Elogio Carmelitanorum §. *à patrocinio B. V.* & latius in quem bis pridem editis nunc incido Marcus Antonius Megre præambulatione 21. ad paradisum Carmelitici decoris. Ait ergo Carthagena, B. V. instituisse Monasterium Monialium quarum ipsa curam haberet. Et quia corruptela, corporum regularium per sæcularia capita specie commendationis exsugendorũ, nondum inualuerat; sequitur B. V. fuisse Abbatissam titularem, atque adeò monialem. Non decuisset autẽ, tam sanctam, támque industriam Antistitam, paucis monialibus regẽdis incumbere. Itaque cũ Richelius centum ei ac viginti Nonnas subiecisset, Carthagenã ad 150. eas amplificauit, addens, eas Moniales fuisse Carmelitanas, quia nullum tunc temporis vigebat religiosum institutum, præterquàm Carmelitanarũ. Ex quo habetur, B. V. fuisse Carmelitanam, & Carmelitanarum siue Abbatissam, siue Priorissam, aut quomodolibet aliter earum Antistitam nominare placeat. Fauet quod Honor. in Gemma animæ l. 1. c. 139. vestẽ & cõuersationem Sanctimonialium à B. V. sumpsisse exordium profitetur. Verùm de B. V. Monachatu post Christi Ascensionem, altissimum est apud omnes retrò Patres silentium. Plerique omnes, eam vt exemplar Virginum, ac coniugatarum, & viduarum proponunt. Nemo statuit vt monacharum exemplar homogeneum, (vt sic dicam,) siue in ratione Monialis. Quod addo, quia quæ S. Ambros. in Opere de Virginibus, (quod ad Moniales directum esse S. Aug teste alibi confirmo,) de B. V. nitentissimo Virginearum virtutum speculo tradit; non possunt trahi ad hoc negotium. Nam etiam Aldelmus l. de laude virginitatis, scribens ad Moniales, plerasque Ss. Virgines, illis proponit tanquam illustria virginalium virtutũ exẽplaria, quas tamen constat non fuisse Moniales. Quare mens S. Ambrosij tantùm fuit, Deiparam statuere tanquam luculentum exemplar virtutum Virgini pię consentanearum, in quocunque demum statu viuat. [Itaque B. V. fuisse Nonnam, & Nonnarum Præfectã, planè latuit Patres; imo, & posteriores omnes, demptis pauculis quos signauimus. Et mirum esset, Robertum de Abruscellis clarum sua ætate Theologum, S. Bernardo familiarem, & à Petro Cluniacensi l. 3. epist. 17. valdè laudatum, cum Monasterium fontis Ebraldi, in quo fœmina, etiam viris præest, in tractu Pictauiensi institueret, ex illis Christi verbis *Mulier ecce filius tuus, & ecce mater tua*, institutionis suæ originem rationemque petiisse, non etiam quod multum interfuisset,) allegasse munus Antistitæ, quod B. Virgo obiisset. Quare ignotum Roberto fuit, hoc eius decus. Sed & prouidendum est Carthagenæ, ne quem Parthenonem Robertus instituit, superiorem esse fatendum sit, eo quem B. Virgo fundarit, & rexerit. Nam in Monasterio fontis Ebraldi non ita multò post ab eius ortu visas à se Moniales circiter quinque millia, scribit Sugerius Abbas ad Eugenium Papam. Refert epistolam Sirmundus ad Goffridum Vidocinensem l. 4. epist. 32. cum tamen Abbatia B. Virg. non nisi 150. Moniales numerasse dicatur, ac ne de eo quidem numero constare potest Carthagenæ, cum Richelius quem exscripsit ne viginti duntaxat supra centum numerarit: propè dixi, diuinarit. Nam Patres qui de Parthenone illo prorsus siluerunt, numerum Virginũ ei adscriptarum non prodiderunt. Tabularium autem Monasterij, ante tot sæcula per Agarenos euersi, in manus Carthagenæ vel eorũ per quos profecit, peruenisse non scribitur. Quæ ratio, apud nimis credulã

Pars I. Punctum X. vita Virginis Christo digressa.

lectorem, æquè vocabit in discrimen, instituto cetiū, cui Carthagena adscribit Monasterium B.V. ex principio quod Beatam quoque Martham Christi hospitam in extrema vita, eidem Ordini adscriptam concescetet: Sicut, & Saphyram, quam plerique vere: ū Euangelica consilia professum prodiderunt. Vtrumque autem, ignotum omnibus, hactenus fuit. Quidni verò, quando B. Virginem Monialibus conserere fixum erat, decus illi fundatricis noui Ordinis, multo iustius quàm sanctis plerisque Heroinis est attribuendum? præsertim cum habeat hic locum illud veluti effatum, Carthagenæ prope perpetuum, nullam prærogatiuam esse B. Virgini negandam, qua alma quispiam Sanctorum aut Sanctarum, sic exornatus. Nec certè par fuerat B. Virginem alterius insistere vestigiis, & alium à Christo, instituti quod profitebatur, Ducem, aut Ductissam agnoscere. Videndum denique erit Carthagenæ, ne B.V. (horrendum dictu!) defectionis ab instituto labem illinat, eámque etiam tetro proprietatis vitio contra Monasticā regulam sorduisse sit ipsi fatendum. Nam Nicephorus, qui ex antiquioribus, Deiparæ extremam vitā, & mortem descripsit, testamē eam vna dūtaxat, & altera muliercula comite, quas Testamento secularum fuarū hæredes constituit, ad Filium abiisse; nullis Monialibus, quæ piæ Matris suprema verba, & faulā comprecationem exciperent, abeunti astantibus. Fatendū ergo esset, B. V. obiisse extra Monasterium suum, & Testamentū condidisse contra Monasticos Canones. Quare Carthagena consultius fecisset, si è primis suis Franciscanis, testem optimum B. Ægidium audiuisset, à quo ea in eius actis referuntur. [Illustrissima Dei parens Virgoque perpetua, nata quidem ex peccatoribus, & peccatricibus, sed absque culpa originis non fuit vitam professa monasticam, & tamen id est quod est.] Ita ibi c. de vita monastica eiusdem Francisc. ord. tatum lumen S. Antoo. de Padua serm. in Domin. 15. post Trinit. disertè negat B. Virg. fuisse monialem, dissimulaui quod Carthagena supponit vt indubitatum, etiam ante Christum, Deip. in Carmelo, & Palæstina fuisse Monachos, quod discutiendum aliis remitto. Sanè Baronius aliter sentit anno 328 & ei inhærens Laureotius Laud 1 1. de vetere Clerico, & Monacho p. 2. c. 3. v gens præsertim locum S. Hieron. in Hilar. affirmantis ante eum non fuisse in Syria monasteria, nec vllum in Syria Monachum. Multo itaque minus Moniales: nam etiam ex iis quæ pro antecedentib. I. Euang veris Monachis tria substantialia Religionis vota professa certant, aliqui Moniales serius exortas fatentur, nec nisi post Christum ita disertè Manuel. Rom. in elucid. antiquit. Carmel. tr. 3. c. 1 2. ex authoritate Ioan. Hierosol. & Thomæ Valdensis, & aliorum qui fassi sunt primam omnium mulierum, quæ castitatem voto adixerunt Deo, fuisse B. Virg. Serius igitur exorta sunt Christiana mulierum sacrarum monasteria quā virorum: & tamen hæc non fuisse in palæstina vbi B. Virgo degebat ante SS. Anton. & Hilar. fatetur rerum Palæstinæ scientissimus S. Hieronymus.

Subitio mortis indebita.

15 IN extremas item lineas vitæ mortalis, à B.V. exactæ, irrepserunt nonnullæ gerę & per pietatis larnam, & speciem honoris erga Deipar. Fuerunt enim qui negarent, B.V. fuisse morti obnoxiam. Refere quippe Clichtou Opusc. de doloribus Deiparę in pass. Christi c. 14. illos ipsos quos ibi exagitat, inficiatores dolorum B.V. consequenter ad firmamenta quibus paradoxum illud stabiliebant, asseruisse, B.V. non soluisse mortis debitum, quia nihil morti debebat. In quæ verba Clichtou. distinctionem adhibuit. Sicenim sentiri sic, B.V. non soluisse debitū mortis, vt est pœna repensa peccato originali contracto; vel irrogata cuilibet ex obligatione primorum parētum in quibus deliquit; sic verū est, B.V. nihil morti debuisse, nec soluisse mortis debitū, cū fuerit prorsus expers peccati, etiam originalis. Si autem sensus sit Deiparam non soluisse debitū mortis, vt est cōditio naturæ humanæ, compositę ex sensibilibus contrariis in se inuicēcōtinuè digladiantibus, & enutritæ cibis inducentibus corporis alterationem; sic ait Clichtou. B V. soluisse mortis debitum, & mortuam esse ex eo debito; quod à se plenius discussum ait tr. de concep. immacul B. V. lib. 2. *in dissolutione quartæ obiectionis.* Mihi tamen qui in hunc alterum Clichtouæi librū non incidi, scrupulus contra priùs cōstituta insigitur ex hac doctrina. Iuxta eam siquidem haberi videtur, Deiparam ex morbo obiisse, & labornisse infirmitate illa, quā cibi corpus alterantes, & corporis humores ac qualitates pugnātes, inducūt antecedēter ad mortem. Quare planiùs, & expeditiùs dicetur B. V. etiamsi à peccato prorsus immunem, tamen quia filia Adæ erat, pœnalitatibus nostratibus, quæ ipsam non dedecerent, inter quas est mors, fuisse obnoxiam, atq; adeò mortis debitum soluisse, & mori debuisse: eamq; esse pœnā peccati quod Adamus actualiter admisit, & in omnes posteros, quantumuis ab omni culpæ labe puros, infœliciter diffusa est, nihil vetat affirmare.

Mors ex amore.

16 CIrca causam mortis Deiparæ, vulgaris est existimatio, fuisse ardentissimum amorem erga Deum; ex quo, quippe incendissimo actu veluti liquefactam defecisse volunt, & auulsa à corpore anima, exspirasse. Ita Albert. super *Missus est* c. 171. Suar. obiter. t. 2. 3. p. disp. 2 c. f. 1. Bonzon. in Psal. 86. c. 23 Cartus. l. 4 de laud. Virg. art. 5. & passim qui dicūtur contemplatiui, qui B. V. in morte inde maximè celebrant, quod non ignauà, & vt solent mortales, nihil diuinum cogitantes, ac præ morbi grauitate absorpto tanquam vsu obierit; sed negotiosissima, & tum maximè in Deum æstuans excesserit, non ferente corporis imbecilitate, ardorem illum, & vehementiam amoris ex quo tamen negāt infertū dolores mortis in Virgine mortem opperente. Nam amor S. Dionys. extasim facit. Passa igitur ex vehementi amore extasim B. Virgo, abstracta est à sensibus, nec sensit angores quibus præmuntur morientes. Nam neque Paulus per extasim abductus à sensibus, 2. Cor. 12. dignoscere potuit quæ circa se fiebant: quod multo iustius de profundiore & sublimiore B.V. extasi, cogitabimus. Ratiocinatio est Mag. Alber. super *Missus est*, c. illo 171. & fauet S. Brigit. l. reuel. c. 62.

17 Sed non est quod hinc magnificetur obitus Deiparæ; meritóque eam causam mortis, inficiatus est Poxa l. 5. tract. 16. c. 5. & subscribit Nouarinus in vmbra Virginea numer. 1714. Nam amor quo Deipara in Deum ferebatur, præcipuè erat is qui subiungitur scientiæ infusæ, longè superiori luminę fides, & independenti prorsus à corpore. Fides siquidem, tametsi quoad iudicium est assensus supernaturalis, tamen ratione notionum simplicium quas importat, supponit notitiam sensitiuam, & cooperationem phantasiæ, ac proinde eius exercitium fatigat corpus. Præterquam quòd appetitus qui phantasiæ subordinatur, commouetur à præluceente phantasia, vnde per sympathiam agitatur corpus, vt experimento quotidiano est compertissimum.

mum. Tanta verò potest esse commotio, etiamsi circa rem sanctam, vt mors consequatur. At scientia infusa, cum à sensibus hausta non sit, nec phantasiæ cooperationem deposcat; nequaquam fatigat corpus. At proinde eum amor quo præcipuè feruebat Deipara, iussset qui splendidiori eius de Deo notitiæ, atque adeò scientiæ infusæ subnectebatur, dici non potest quod is amor, Virgini languorem intulerit, eámvè (quod morbosus amor præ impotentia præstat,) viribus prostrauerit. Quid, quod rarum ferè apud omnes est, beatam Virginem nunquam ægrotasse, ac ne sub mortem quidem, dedecuit enim animam vndecumque innoxiam corpori aliquatenus morboso censeri, vel vas illud totius sanctimoniæ, nulla vnquam labe maculatum morbi totoriis quassari. Atqui æstus ille amoris, & incendium flagrantissimum, ex quo mortuam volunt B. Virg. ob planè exhaustum corpus, & animales, ac vitales spiritus absumptos, membráque exsiccata,& quasi tosta; non posset non esse morbus; imò superaret ardores febriles æstuosissimos. Fatendum igitur esset, B. Virginem ex febris vehementia decessisse, quamuis adderetur febrem illam ortam esse ex amoris vehementia, vt certum est, in plerisque Oesto vitiosi amoris percitis accidisse. At constat refugere illos ipsos qui dicunt B. Virginem præ amoris vehementia expirasse,si vnum demas Carthagenam l. 12. de Deip. hom. 4. sibi apertè contrarium; cum ibidem tanto studio omnem morbum à corpore Virginis ablegat. At nonquid febris, morbus? Tandem si ita esset periclitaretur Virgo audire biothanata,sïque homicida. Nam iuxta sententiam Toleti in c. 1. Lucæ,annot. 74. B. Virgo habuit sub dominio liberæ suæ voluntatis omnes affectus;ita vt rationem non præuerteret,sed ad eius edictum exurgeret. Et quicquid sit de affectibus appetitus sensitiui, amorem tamen supernaturalem valdè perfectum, fuisse Beatæ Virgini liberum, constare videtur ex eo quòd alioqui non fuisset meritorius. Si igitur B. Virgo spontè, ac liberè addixisset se amori adeo violento, vt animam è corpore exturbaret, homicida sui ipsius dicenda esset. Tantum igitur abest, vt honor Deiparæ accedat, ex obitu per amorem adeò validum, ac turbidum, qui corporis, & animæ diuortium inferat, vt potius cedere in contrarium videatur.

Triduana anima iam gloriosa, citra vinculationem, infossio in corpore.

18 AVdiui ipsemet, & iterum mirabilis rium diuini verbi tractatorem, de sacro suggesto ad concionem plenissimam prærogatiuas obitus Deip. exponentem cum alia quæ ad calcem operis quoad gloriam animæ, & corporis referam effutiuisse, tum illud nominatim quod est huius loci proprium; nempe in morte B. Virginis per triduum illud, vel vt alij statuunt per quadragenam, qua corpus in sepulchro bæsit, in fossam corpori fuisse animam, tametsi disrupta iam vita aurea; hoc est vnione corpus & animam prius colligante, per mortem intercisa, verum esset animam non vltra agere partes animæ, nec animare materiam cui insidebat, sed ei merè astitisse. Qua ratione, animas mortuorum, quandoque obsidere viuorum corpora, exemplis compertum est. Fundamentum porrò totum huius prærogatiuæ, ex qua is quem dico Christianus Orator, Virginem in obitu celebrabat, ea iis verbis Isaiæ petebatur. *Erit sepulchrum eius*

Theophili Raynaudi Marialia.

gloriosum, quæ de sepolchro Virginis accipiebat; nec potuisse gloriosius alia ratione fieri, demonstrabat. Nequis mihi per immemoriam aliquid nunc excidere, aduertas hoc Virginis decus suspicetur quàm tunc audiuerim; telega quæ illo ipso tempore in sacculis ad Idiotam n. 20 in hanc rem notaui, & circa memoriam ista nunc referentis, non hærebit. *Pars I. Punctum X. Viduitas Virginis, Christo digresso.*

19 Video prudentem lectorem, non tam de mea fide sollicitum, quam rei indignitate commotum, succensere; non tam ob falsitatem, & absurditatem insulsitatis propositæ, quàm quod inde gloria & honor B. Virginis aliquando sit captata. Quid enim ad gloriam obitus Deiparæ refert, quod anima hoc illove loco fuerit, dummodò beata fuerit, vt sane illeo fuit? Christi anima è corpore excedens, in infernum migrauit, qui confestim, abiecto priore nomine, ex illata illhuc beatitudine, dictus est, *Paradisus* vt B. Augustinus epist. 57. pulchrè eruit ex Christi ad latronem oraculo. Vbilibet igitur fuisset anima Deiparæ post excessum è corpore, quia beata erat, & Deo fruebatur, erat in paradiso: ac proinde nullus ei locus esse poterat non gloriosus. Cur igitur cœlo exclusa, vbi solummodò magnificus est Dñus Deus noster, corporis ergastulo retenta fingitur, citra vineulationem, vt gloriosius expiatur, & quidem in sepulchro, quasi esset animæ sepulchrum necessarium non autem corpori? Vt enim locus Isaiæ, qui centum iugis boum colligatis, (vt cum Caietano iocemur,) nunquam ad hoc negotium traheretur, posset cum aliquo colore huc aptari, dicendum esset, animam Deiparæ fuisse corpori pro sepulchro, sicque fuisse sepulchrum Deiparæ gloriosum Sed ohè iam satis est gerratum atque nugatum, quoad rem quidem propositam. Qui corpus exanime B. Virginis asportatum esse in cœlum empyreum, vt ibi Virgo tanquam in nobiliore loco resurgeret, concinnè fabulati sunt. Videndus Gabr. de Eubab. in Empyreol. exerc. 13. sect. 5.

Resurrectio solius Virginis in sexu fœmineo.

20 PErtinet ad tempus in quo versamur, priuilegium quod nonnulli B. Virgini concessêrunt, vt sola in fœmineo sexu resurrexerit, cæteris mulieribus in sexu virili resurrecturis. Neque enim B. Virgo, denuò resurget in mundi clausula; cui mox ab obitu, obtigisse resurrectionem ad vitam immortalem, negari absque temeritate non potest; vt rectè statuit Suar. tom. 2. 3. p. disp. 21. sect. 2. Itaque priuilegium quod extendendum proponimus quicquid sit de verbis, aut etiam de mente Authorum qui illud inuexerunt, referendum est ad tempus quo B. Virgo paulo post mortem resurrexit, ita vt eo tempore B. Virgo surrexerit in fœmineo sexu, cum cæteræ omnes mulieres, in sua resurrectione hoc est in anastasi generali, habituræ sint sexum virilem. Tribuit B. Virgini hoc priuilegium, Scotus, in 4. d. 20. q. 2. vt quidem Scotum refert Cornelius in c. 4. ad Ephes. vers. 13. ad illud *in virum perfectum* Molina item disp. vltima Cosmop. *in fine*, quamuis an Scotum obscurè loqui, tamen addit videri Scotum id voluisse.

Nihilominus, & ipsa sententia falsa est, (imo erronea, Scotoque afficta; & quamuis admitterentur vacare errore & falsitate, non contineret tamen priuilegium, vllum aut decus Deiparæ, sed potiùs dedecus & imperfectionem. Et falsitatem quidem resurrectionis muliebris, (deinceps Deipara,) in sexu virili;

virili, perſpicuè tradunt S. Hieronym. epiſt. 27. & 61. Auguſt. 22. Ciuit. cap. 17. & Tertullianus de reſurr. car. cap. 60. Fuiſſeque ita definitum in V. Synodo contra Origenem, refert Nicephor. 17. hiſt. cap. 28. Scripturas in eam rem profert Caſtro V. *reſurrectio* hær. 5. Nec obeſt quod Apoſtolus Epheſ. 4. agnoſcat, omnes reſurgentes occurſuros Chriſto *in virum perfectum*. Senſus enim eſt, neminem fore deinceps puerum ſenſu, & cognitione paruulum, (ſub quo typo exhibetur ſtatus huius vitæ 1. Cor. 13.) ſed omnes tunc fore perfectos notitia rerum diuinarum, & euacuaturos quæ erant paruuli. Item non obeſt, quod aliqui Patres negant in reſurrectione fore maſculum & fœminam, vt Macar. hom. 34. & Athanaſ. ſerm. 3. contra Arria. Hoc inquam non obeſt, quia hi Patres intendunt duntaxat remouere præſentem finem diuerſitatis ſexuum, (quod Matthæi 22. dicitur, *non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei*;) ſalua tamen identitate corporum, quæ depoſcit identitatem partium quibus diuerſitas ſexus conſtituitur, vt omnes Scholaſtici agnoſcunt in 4. d. 44. quibus miror obſtrepere Cauellum, ad locum Scoti allegatum; inde argumentantem, quod nonnullæ perſonæ, ſalua identitate indiuidui, euaſerint in alium ſexum, fœminæ ſcilicet in mares, vt videre eſt apud Plinium l. 7. c. 4. & Authorem qq. vet. ac noui Teſtam. in 15. Verùm in illis euentibus, nulla noua partium conformatio facta eſt, ſed quæ præerat & latebat, foras ſe dedit, vt tradunt Mercur. 6. Var. c. 20. Laur. l. 7. Anato. q. 8. & Delrio 2. Mag. quæſt. 21. Itaque identitas ſexus, tametſi non eſt aliquid ſpecificum, tantúmque pertinet ad conditiones indiuiduales, tamen eſt neceſſaria ad identitatem corporis, ac proinde omnes reſurgent in illomet ſexu in quo vitam exegerunt.

Quamuis autem gratis daremus, identitatem ſexus, non requiri ad identitatem corporis reſurgentis non eſſet tamen B. Virginis priuilegium, reſurgere in eodem ſexu, ſi aliæ fœminæ reſurgerent in ſexu virili. Id enim idcircò de aliis fœminis inuectum eſt, quia fœmineus ſexus continet imperfectionem, quæ in reſurrectione tolli debet. Quidni ergo ea imperfectio, tanto magis eſſet remouenda à B. Virgine, quanto præ omnibus decet eam omnis perfectio? Quare ſexus fœmineus, tametſi per comparationem ad ſexum virilem dicitur imperfectus, tamen in ſe & ſimpliciter ſpectatus, non eſt imperfectio, ſed naturalis conditio indiuiduorum muliebrium, quæ ſtatum quoque innocentiæ, & terreſtrem Paradiſum non dedecebat; ac proinde cæteras quoque mulieres reſurgentes non dedecebit, ſi à B. Virgine rediuiua non abhorruit. Cæterùm quod inſulſum hoc placitum de ſolius B. Virginis reſurrectione in ſexu fœmineo, tribuitur Scoto, Cauellus, indigentiæ, tribuentes arguit, contendens ideſſe aſſumentum ad Scotum. Quod tametſi admitto, ſitque veriſimillimum ex tam multis aliis aſſumentis quibus ſæpè Scotus in poſterioribus editionibus occurrit ſuffarcinatus; tamen arguendi potiùs fuerant Cauelli domeſtici, qui grauem Scriptorem ſuis ineptiis onerarunt, quàm qui tanquam ab eo ſcriptum allegarunt, quod in eius contextu legerunt.



PARS

PARS SECVNDA.

ABSCONDITVS CORDIS HOMO, in Beata Virgine.

OMNIS gloria eius filiæ Regis ab Intus, iuxta Dauidicum oraculum. Quia enim apud Deum pretiosiora sunt interiora, quàm extrinseca ornamenta; & animi bona longè præstant quibusuis foris apparentibus; idcircò certum esse debet, Christum Dominum, B. Virginem, & magnis bonis in exteriori homine exornasse, quantum decebat Dei matrem, & virtutis congrua exercitatio postulabat: maximis verò, & incomparabilibus cumulasse in interiori homine. Sicque mulier fortis, (quam non pauci Deiparam interpretantur, ac nominatim S. Bernardus homil. 2. super *Missus est*, & Richardus suo capite 26. in Cant.) Lana & lino conuestitur; hoc est (interprete D. Augustino serm. 217. de tempo) externis, ac internis ornamentis, quorum ista per linum quod corpori ad cutem admouetur, illa aptè signantur per lanam, quæ supponitur, & extrinsecùs adiacet. Eo item pertinebat iuxta Philonem lib. de nom. mutat. tentorium duabus contextum extremitatibus; arca auro intus, & extra refulgens; binæ Pontificis tunicæ, intima vna è lino, extima altera variè acu picta cum toga talari. Addit lib. de Temulentia binas aras; ad suffitus interiorem, ad victimas verò exteriorem. Quæ omnia symbola fuisse docet, consociationis internorum externorúmque ornamentorum, in persona Deo grata. Itaque cum hactenus, de externis, & foris conspicuis Deiparæ ornamentis sit disputatum; ad interna progrediendum est, eo ordine quem Apostolus seruauit, orsus à radice bonorum omnium internorum; nempè à prædestinatione, & per intermediam iustificationem, prouectus ad gloriæ adeptionem.

PVNCTVM I.

Virginis prædestinatio, ac electio æterna in Dei Matrem.

1 BENE S. Bernardus homil. 2. super *Missus est*, ait Virginem nec fortuitò nec fortuitò inuentam, sed à sæculo electam, ab altissimo præcognitam, & sibi præparatam; Vtique in prædestinatione æterna, ad quam aggredimur. Duplex autem veluti persona in B. Virgine secerni debet. Spectari namque potest, & vt priuata, (vt sic dicam, & vt Dei mater, orbisque per filium Regina. Quamuis enim duæ illæ rationes, ac veluti personæ in eam concurrant, tamen diuelli sine dubio potuissent, nec nisi per accidens iunguntur, atque adeò merè concomitanter se habent. Sanè si Christus non venisset; vt profectò non venisset, si peccatum fuisset seclusum;) B. Virgo in ratione personæ instæ, cum Christo nequaquam tunc nectendæ fuisset prædestinata ad certam gratiam, & gloriam, nec tamen fuisset electa in Dei matrem. Sicut Apostoli, si Verbum non descendisset ad nos nequaquam fuissent electi in Apostolos; & tamen fuissent prædestinati sub alia ratione; siue quatenus iusti priuati. Nunc ergo per accidens est, quod prædestinatio Virginis, & electio in Dei matrem simul concurrant; ac proinde meritò secernimus eas considerationes, vt euinci videtur ea ratione, quæ in negotio decretorum diuinorum solemnis est; nimirum quod pro inconnexione obiectorum, ac eorum vel simultate, vel præsuppositione, & prioritate, aut posterioritate, varietas quoque, & prioritas, ac posterioritas, in diuinis decretis ad ea terminatis statuatur.

Virginis, vt persona priuata prædestinatio, simul, & vniformiter facta cum prædestinatione cæterorum.

2 PRædestinatio itaque Virginis, siue electio talis personæ tanquam priuatæ ad certam gratiam, gloriam gratiæ illi commensam, in eodem signo facta est, & per ordinem ad eadem media, in quo electorum omnium prædestinatio. Tametsi enim non defuerunt Theologi, quibus visum est, aliquos electos in vno signo, alios in posteriori electos esse, & aliquibus per merita, alius absque meritis fuisse decretam gloriam. Tamen vera sententia cui subscribo, planè fert electionem omnium qui quandoque assequentur gloriam; nec hominum duntaxat, sed etiam Angelorum, fuisse & in eodem signo peractam, & vniformem.

Et simultas quidem, ac vnitas signi rationis, in quo omnes quandoque beandi sint à Deo electi; inde obiter perspicua esse potest, quod in diuina intentione ad plures naturas, ac personas terminata, si ex parte Dei spectetur, nullus est ordo prioris & posterioris; sed tantùm si inter prædicta obiecta

intercedat aliqua causalitas vel præsuppositio. atqui inter quoscunque electos, siue Angelos, siue homines, nulla est præsuppositio propter quam hi priùs quàm illi dicantur ad gratiam, & gloriam electi, vel è contrario. Omnes igitur simul electi sunt, tanquam eiusdem Reipublicæ membra, & futuri incolæ eiusdem ciuitatis cœlestis. Hoc de Angelis ad homines comparatis, haud grauatè admittitur; & innuitur à D. Augustino 15. ciuit. capite primo haud obscurè agnoscente, homines cum Cum Angelis vnam ciuitatem Dei ex æquo constituere: sequitúrque ex eo quod apertè tradit S. Anselmus libro 1. Cur Deus homo capite 18. nempè quod homines non sint electi ad gloriam occasione peccati Angelorum, & vt implerent ruinas eorum. Quod si de Angelis ad homines comparatis, verum est eos simul electos esse ad finem vltimum, quem æquè per se primò respiciunt; idem multo magis verum haberi debet, quoad quosuis homines puros; ita vt nulli sint ante alios electi cum nullius electio pendeat ab alterius electione; quamuis aliqui absque præsuppositione vlla causali, præuideantur esse futuri tempore priores aliis, quod ad rem non pertinet. Quare fixum esto, B. Virginem, vt priuatam personam, & absque maternitatis titulo, non fuisse electam in signo aliquo ante alios electos, sed vnà cum ipsis.

3 Iam verò vniformitatem electionis Beatæ Virginis, ac cæterorum electorum, inficiati sunt Ochamus, & Gabriel in 1. disputatione 41. quæst. vnica *litera D.* & Catharinus toto lib. 3. de prædestinatione, & in capite 1. ad Ephes. ad illud, *ante mundi constitutionem*, digress. de prædestinat. vbi adultos eximiæ dignitatis electos, & nominatim B. Virginem contendunt electos fuisse, absque vllis meritis ex mera Dei benignitate efficaci & absoluta. Latè hoc refellunt Soto in cap. 9. ad Rom Vasquez 1. p disput. 90. cap. 2. & Perer. in capite 8. ad Rom. disputatione 25. Breuiter autem contrarium statuo, ex eo quod omnes electi sint æquè ciues cœlestis Hierusalem; nec scriptura diuerso modo necessitatem gratiæ pro omnibus, & Dei in quoscunque miserationem, exponat. Quare nihil hic quoque peculiare habet Beatæ Virginis electio. Nec dissentit Valentia 1. p. disputatione prima, quæstione vigesima-tertia p. 4. §. 2. & p. 6. tametsi affirmat Beatæ Virginis prædestinationem fuisse singularis cuiusdam præcellentiæ quoad media. Hoc enim non excludit vniformitatem electionis quoad motiuum, & modum quo peracta est; sed tantùm fert ordinem ad præstantiora, & efficaciora media: quam præcellentiam nunc non diffitemur, sed eam tantùm quæ propositam vniformitatem excluderet. Itaque Beata Virgo, ad gratiam, & gloriam sibi vt priuatæ personæ respondentem, electa est eodem modo generali, quo cæteri electi ad suam gratiam, & gloriam. Nempè ad gratiam quidem, spectando totam seriem iustificationis, ex pura Dei misericordia: ad gloriam verò per merita iuxta sententiam probabiliorem, quæ communiter circa omnes electos alibi stabilitur.

Electio Virginis in Dei matrem, cæterorum electione posterior.

4 PErgo ad electionem B. Virginis in Dei matrem, cui annexa fuit electio ad vberiorem gratiam quam esset obuentura vi electionis terminatæ ad Virginem provt personam priuatam. Quis enim credat B. Virginem (& idem est de Præcursore ac Apostolis, si non veniente Christo, non fuissent ad hæc munera destinati;) quis inquam sibi persuadeat B. Virginem tantundem gratiæ ac gloriæ fuisse habituram, etiamsi non fuisset electa in Dei matrem? Non esset ea prouidentiæ ratio, digna Deo; vt videtur per se manifestum. Electio igitur Virginis in matrem Dei, annexam habuit electionem ad illud gratiæ & gloriæ superpondium, quod erat tantæ dignitati consentaneum, supra sortem priuatæ conditioni congruentem. Et de hac electione, duo controuerti video inter DD. nempe 1. in quo signo rationis sit facta: puta an æquè primò ac electiones cæterorum electorum ipsiusque etiam B. Virginis, vt priuatæ personæ? 2. an sit facta ex pura Dei misericordia, excluso ordine ad merita: an verò per ordinem ad merita Virginis præuisa, eique obuentura vi electionis provt priuatæ personæ?

5 Prior dubitatio expedienda est, dicendo B. Virginem fuisse electam in Dei matrem occasione peccati ad cuius excidium venturus decretus est Christus, alioqui minimè venturus, vt suppono ex dictis lib. 3. de Christo sect. 1. c. 4. si enim Christus non erat venturus secluso peccato hominis, certè neque prouidendum ei erat de matre, quæ ob solum aduentum Verbi in carnem, opportuna erat. Igitur B. Virgo non est electa in Dei matrem, nisi in signo posteriori quàm cæteri electi. Nam Deus eos quos præsciuit & prædestinauit, non elegit dependenter à peccato, siue primi hominis, siue alterius cuiuspiam electio quippe Adami V.G. non est facta post absolutè præuisum eius peccatum, quin potiùs permissio peccati est effectus prædestinationis, iuxta veram sententiam Molinæ, 1. p. q. 23. art. 5. disp. 3. Intenditur enim à Deo, ob fructus optimos ex ea permissione prouenientes. V.G. vt grauius periculum ex superbia timendum submoueatur, iuxta doctrinam S. Augustini 14. Ciuit. c. 13. & l. de natura & gratia c. 24. & 25. & S. Bernardi serm. 54. in Cant. Vel certè vt homo deinceps sit cautior, & sollicitior pro se ipso, ac in Deum erectior: quod ex peccati permissione consequi, notatur apud Anselmum in Elucid. *circa medium*; significatúrque à Climaco apud Anastasium q. 8. in Scriptura docente spirituales diuitias per vitia parari: vtique occasionaliter, Deo ex prolapsione hominis libera à se permissa, eruente bonos illos fructus, qui ad hominis salutem maximè conducunt; atque adeò non possunt non esse effectus prædestinationis.

6 Si igitur electio Adami, atque adeò etiam cuiusuis alterius peccatoris, facta est ante præuisum absolutè eius peccatum, multo magis electio cuiusuis prædestinati, facta fuerit ante præuisum absolutè cuiuscunque alterius peccatum, à quo neque vllam habet dependentiam, neque eius occasione facta est. Cur enim Fateor, interdum attendendo euentus temporales in quibus vnus electus reprobo cuipiam succedit, dici solere hunc electum non fuisse venturum, nisi reprobus abiisset in locum suum: qua ratione in Martyrio 40 militum Cappadocum, dici solet quod carcerarius non venisset, nisi miles transfuga

fuga defecisset. Tamen electio Dei fuerat directè, ac per se terminata ad carceratum. Et idem dicendum est ad Scripturas, & Patres, à quibus substitutio electorum in locum reproborum significatur; vt videre est apud Suarem in illis exponendis laborantem l. 1 de prædest. cap. 12. à num. 14. Interdum quoque D. Augustinus ait electos eximi de massa perditionis originalis, in qua reprobi relinquuntur: non quod electionem statuat posteriorem peccato Adami, sed per anticipationem; quia qui eliguntur, futuri postea sunt in massa perditionis. & inde diuinitùs extrahendi per remedia vi anterioria electionis conferenda.

Necessariò hæc obiter præmittere oportuit, aduersus sententiam eorum, qui homines tantùm electos esse voluerunt post præuisum Adami peccatum, quod sensit Bellarm. l. 2. de gratia & liber. abit. c. 9. & Beccanus 1. p. tract. 1. cap. 14. q. 5. Itémque aduersùs eorum opinionem, qui aliquos homines, electos tantùm esse censent post præuisum absolutè aliorum peccatum, quod peccatum, quod habet Alcaz. Apocal. 3. *versu* 11. Hæc inquam præmittere obiter oportuit, vt statuere liceret nullius hominis electionem factam esse occasione vllius peccati, siue alieni, siue proprij.

7 Cum ergo B. Virgo sit tantùm electa in Dei matrem occasione peccati manifestè sequitur, eius electionem, fuisse factam in posteriori signo, quàm electiones cæterorum hominum, ipsiusque etiam B. Virginis, prout personæ priuatæ. In quo dissidemus à Suare t. 2. 3 p. d. 1. s. 3. ac Benzonio in psal. 86. cap. 10. aliisque, statuentibus electionem B. Virginis in Dei matrem fuisse anteriorem præuisione peccati. Ita quippè sentiunt quoad B. Virg. quia statuerunt Christum esse electum independenter a peccato: Nos autē quia sensimus Christū secluso hominis peccato non fuisse venturū, atque adeò non fuisse eligendum, ac prædestinandum nisi homo peccasset, cogimur idem asserere de electione B. Virginis in Christi matrem.

Comparatio duplicis electionis proposita.

8 HÆc porrò electio, spectato nostro concipiendi modò fuit disjuncta à priore, qua B. Virgo, vt persona priuata, electa est ad certam gratiam, & ei correspondentem gloriam; nec habuit cum ea nexum, nisi quem habet id quod aliud consumat, cum eo quod per illud consummatur, atque perficitur: sicut verè ea prior B. Virginis electio, perfecta & consummata est in posteriori signo, in quo posita est electio eiusdem mulieris in matrem Domini. Nam Deus in primo electionis æternæ signo, non statuit absolutè de B. Virg. per vnicum quasi actum spectato nostro modo concipiendi. Sed primum quidem, in primo signo rationis, illam elegit cum cæteris quandoque beandis, elegit inquam ad certam gratiæ, & gloriæ mensuram, proportionatam non muneri maternitatis, sed diuinæ erga eam fœminam beneficientiæ, præcisè à Christo: quæ mensura ex mero Dei beneplacito, & absque intuitu ad maternitatem huic subiecto conferendam, potuit esse longè auctior, quàm cæterorum electorum: sicut neque nunc, mensura donorum eis promissorum qui nullo munere cum Christo connexionem habente funguntur, æqualis est; sed in nonnullis ex mera Dei benignitate, præcisè à quouis munere, est longè auctior. Actui porrò quo Virgo quatenus priuata persona sic eligebatur ad certam gratiam, & gloriam, adhibita est in altero signo conditio; quod scilicet hæc personæ, præter gratiam, & gloriam ad quam tunc absolutè eligebatur, euehenda deinceps esset ad maternitatem Christi eique debitam vberiorem gratiam & gloriam si contingeret, Christum occasione peccati decerni venturum. Christo siquidem qui in eo signo nondum decernebatur absolutè, non potuit absolutè decerni mater; sed tantùm sub conditione quod per occasionem peccati venturus esset, mulier ista, cuius tanta sedulitas ne deesset gratiæ Dei primo illo decreto destinatæ præuidebatur; electa est in eius matrem, & ad id munus, eiúsque consentaneas appendices, superpondium inquam illud gratiæ & gloriæ, quod dicebam, conditionaliter est destinata dependenter ab anteriore merito, atque adeò in altero signo posteriore.

Part II. Punctum I. prædestinatio B. Virginis.

9 Mox autem in alio signo vlteriore, ea conditione præuisâ, & Christo ad remedium peccati absolutè præuisi prædestinato, consummata est electio Virginis quoad maternitatem, & accessiones gratiæ ac gloriæ, tam sublimi muneri tantæque dignitati consentaneas. Vnde electio B. Virginis in pluribus signis, & per actua veluti plures, est consummata. Neque enim Suarez, eiúsque patriarij, qui omnes electos simul & semel, etiam quoad gradum gloriæ electos fuisse contendunt, hunc eligendi modum quoad Virginis maternitatem, & ei subiuncta dona duplici quasi actu, & in pluribus signis consummatum, possunt defugere. Nam ipse quoque Suarez l. 1. de prædest. cap. 10. num. 7. admittit, gloriæ appendicea supponentes peccatum, non potuisse cadere sub primam illam Dei intentionem, qua destinat electos ad tantam gloriam, sed hanc accessionem, ait postea aduenire, præuiso peccato. Idem ergo contigit circa B. Virginem, quoad maternitatem Dei, eiúsque corollaria, quia supponunt peccatum. Quod apertè docet Rich. à S. Laurentio l. 4. de Deip. cum ait. [Possunt ei dicere peccatores, quod propter ipsos, facta est ipsa mater misericordiæ, Nisi enim homo peccasset, non incarnaretur filius Dei nec ipsa fieret mater Dei: Restat ergo &c. Propter hoc curialiter dicit ei quidā versificator

Festina, miseris misereri Virgo beata,
Nam si te recolis miseri fecere beatam.
Ergo bea miseros, quorum te causa beauit.

Addit etiam alium, eidem placito, æquè metricè suffragantem, in hunc modum.

Nec abhorre peccatores,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna filio.
Si non essent redimendi,
Nulla tibi pariendi
Redemptorem ratio.]

Modus quo peracta est electio Virginis in Dei Matrem.

10 IAm quomodò hæc secunda Deip. electio facta sit, an scilicet absque meritis, & ex mera Dei misericordia, an verò per merita, longus pateret ad excurrendū campus, nisi tractando causam meritoriam Incarn. l. 3. s. 2. c. 1. exspatiati latè in eo essemus. Breuiter autē resolutio est maternitatē Dei nō cecidisse sub condignū meritum B. Virg. cecidisse tamen sub congruū, quale mox opponemus. Meritū condignū maternitatis Christi iure abrogari Deip. inde perspicuū est: quod maternitatis sit circūstantia Incarnat.

At

At circumstantiæ cum spectent ad eundem ordinem cum substantia Incarnationis cui adiacent, sunt præmia extra omnem ordinem gratiæ, & veluti extranea actibus hominis; ac proinde non ceciderunt sub meritum condignum, simpliciter dictum est, vllius puræ creaturæ; atque adeò neque B. Virginis.

11 Sicut tamen nonnullæ aliæ Incarnationis circumstantiæ, cadere potuerunt sub meritum congruum purarum quarundam creaturarum, ita & ista circumstantia, potuit cadere sub meritum congruum B. Virginis. V.G. antiqui Patres permulti, qui in id flagrantiùs, & sollicitiùs incubuerunt, vt Daniel, meruerunt accelerationem aduentus Christi: non condigno, quasi ea vi votorum, & operum id suo quasi iure possent reposcere; sed cõgruè duntaxat, quia decuit tantã eorum circa Christi aduentum sollicitudinem, donari à Deo remuneratione. Similiter ergo, congruentissimum, ac decentissimum fuit, B. Virgin. quæ muneribus, & gratiis vi primæ lectionis acceptis, corresponsura præuidebatur, adeò nauiter, exornari insuper prærogatiua maternitatis, & vbertate illa donorum quæ maternitati adiuncta erant vt consentaneè quasi stiparetur, & decoraretur. In quo video interuenire rationem aliquam meriti, non quidem condigni, quod ex iustitia exigit præmium saltem supposito pacto; sed congrui, & indecente prouidentia fundati. Quod addo, quia ne illud quidem meritum congruum in hac parte comminiscendum est quod cerneretur inter hominem inæquale quid Deo offerentem, & ipsum Deum pro sua charitate, homini quod potest præstandi benignè indulgente, reponeret illi quod expeteret. V. G. peccatoris actus, est inæqualis gratiæ primæ sanctificanti obtinendæ, quantumcumque ea gratia actuali sit conceptus, & pretiosus. Et tamen Deus misertus peccatoris reuenientis ad cor, intuitu illius qualiscunque mercis, rependit de congruo gratiam sanctificantem, ex conuentione generali Deum inter, ac peccatores inita, de rependendo tali munere peccatori ingemiscenti. Nulla talis conuentio, siue generalis, siue particularis, in hoc negotio interuenit, quæ Deum congruè moueret ad decernendã B. Virg. maternitaté.

Dicitur tamen Deip. congruè meruisse maternitatem, quia per cooperationem in præuisione Dei præstitam benedictionibus dulcedinis quibus decernebatur præuenienda, occurrit diuino obtutui tanquam maximè idonea, quę in habitaculum verbi quandoque incarnandi deligeretur. Sicut Rex appellatio aliquam vrbem, quamuis ex nullo pacto, aut vi iuris cuiquam ciuium competentis, obstringatur ad aliquem diuertere; tamen congruum est, vt adeat potiùs ad eum qui ob eximias dotes, & obsequia, ac officia insignia ergs Rempublicam, aptissimus censetur qui domi suæ Regem excipiat. In hunc sensum accipienda sunt varia Patrum dicta, quibus pronunciatur, B. Virgin. dignam fuisse quæ eligeretur in Dei matrem. Varia protuli c. illo 2. & pleraque etiam habet Canisius lib. 2. Marc. c. 18. An verò merita quibus Virgo se vtcumque aptauit ad maternitatem, collata ei fuerunt dependenter à Christo, & quomodò, cum Christus sit ea posterior, discussum non indiligenter est loco annotato, & tractando de Christo capite.

Fursur doctrina; Virgo prædestinatorum prima post Christum.

12 EX dictis deprehenditur heteroclisia, quam in electionem Deip. intrusit aliquantũ pietas, tam insignem se prærogatiuam, & honorem eximiũ deferre B. Virg., asserendo eam esse electam omnium primam post Christum. Ita Suar. t. 2. 3. p. d. 1. s. 3. Spinell. in Throno Dei c. 14. Magal. in c. 5. iud. *versu* 7. annot. 8. Feru. in c. 29. Genes. sect. 8. n. 11 Salaz. l. de concept. c. 2. Iacob. de Valent. in Cant. Deip. *ad vers.* 4. in prima dignitate Virg. Ioan. de Carthag. l. 1. de B Virg. hom. 2. Qui ita ratiocinantur, vt quemadmodùm Deus constituit ex vno Adamo fieri omne genus hominũ, eique primo loco, & ante omnes mortales ex eo educendos constituto, adhibuit sociam ex latere eius formatam; ita in ordine supernaturali, Christum caput super omnem Eccl. primo loco elegerit: proximè verò post ipsum, elegerit B. Virg. quę proinde omniũ prima post Christum, in serie prædest. sit collata. In quam rem laudant, cùm alios, tum S. Greg. in l. 1. Reg. *initio* Rupertũ l. 2. in Cant. S. Bern. t. 2. serm. 51. art. 3. c. 4. S. Anton. 4. p. tit. 15. c. 14. §. 3. Idémque significare visus est S. Bernard epist. 174. vocans Deip. [electam ex omnibus, prælatam omnibus.] Adducunt etiam suffragium Rabbinorum apud Franc. Georg. in Harmonia mundi Cant. 10. tono 5. c. 6. vbi refert, inter mysteria Hebr. celebrari, vnam esse omnium purarum creaturarum primam Messiæ matrem, nomine *Mariam* cognamento *Metatrom*. Ita denique sonare putant illud prouerb 8. *Ante omnes colles, ego parturiebar*. i. ante omnes Angelos, & sanctos prædestinabar: *nondum erant abyssi*. i. nondum intelligebatur peccatum originale, & massa vniuersorum hominum per illud fermentata. *& ego iam concepta eram.* Accedit & illud ex c. 24. Eccles. quod Eccl. æquè accomodat Deip. *Ab initio, & ante sæcula, creata sum.* Idest in prædest. Dei, post Christum in summo vertice locatum, constituta sum prima, & ante omnes planè electos, quorum electio in posteriori signo est subsecuta.

13 Hunc honorem B. Virg. malè deferri, constat ex antedictis. Vel enim B. Virgo spectatur vt mater Dei, vel vt priuata persona. Iuxta primam considerationem, non potuit esse prima prædest. Nam si ipsemet Christus posteriùs ratione electus est quàm cæteri, quippè duntaxat electus per occasiõné peccati: quanto magis B. Virgo prout mater dicenda est electa in posteriore signo? Atque adeò vt sic, non potest esse prima prædest. post Christum. Quod si B. Virgo, spectetur vt persona priuata, & præcisè à Christo; sic electa ante Christum, in eodem planè signo cum cæteris omnibus electis, tum Angelis tum hominibus. Quod autem B. Virgo Prou. 8. iuxta sensum accommodatitium ab Eccl. tacitè receptum, & à multis DD. approbatum apud Canis. l. 1. de Deip. c. 11. dicatur *professa* fuisse *à Deo initio viarum suarum*; & Eccles. 24. dicatur *creata ante sæcula*; non est sensus, eam fuisse primã inter prędestinatos prioritate præsuppositionis, de qua nunc agimus: sed tantùm sensus est B. Virg. secundum Christum fuisse inter electos primam ordine dignitatis, quamuis posteriùs ratione prædestinatã in Dei matrem sicut Christus ipse, qui posteriùs ratione quàm cæteri, & solùm peccati occasione electus est, tenet tamen super omnes primatũ, éstque totius Eccl. ex hominibus, & Angelis constientę, supremũ caput, ac vertex, & apex prædest. Nec aliud voluerunt, siue SS. Greg & Bern. qui in contrariũ malè adducebantur, siue Rabb. illi

Christo

Christo anteriores, qui de B. Virgine tam honorifice locuti referebantur, haud dubiè ex instinctu, & motione Spiritus sancti, quodum tunc ablato ab ingratissimi populi Magistris cœlesti afflatu. Fateor Rupertum, ex sententia de Christi prædestinatione independenter à peccato, delapsum esse in hanc æquè falsam sententiam circa Dei matrem: sed is non est tanti, vt alio loco monstrare memini, & latè prosequitur Ioannes Hesseltus tract. de Innocat. sanctorum, & in probatione veritatis Eucharistiæ c. 81. *sub finem*. Minoris verò etiam sunt cæteri qui pro hoc ementito Virginis decore proferebantur. Quare aliunde eam celebremus.

Alius prædestinationis Deiparæ primatus, æquè inanis.

14 SVnt qui primatum prædestinationis B. Virginis præ aliis electis, fateantur non fuisse in instanti rationis *in quo*; dicant tamen fuisse in instanti *à quo*: ita vt quamuis Christus, & Deipara, omnesque electi; prædestinati sint in eodem simul signo rationis, tamen omnes electi sint prædestinati propter B Virginē tanquam finem: tametsi ipsa postea sit propter Christum, sicut Christus propter Deum. Ita Perlinus in Apolog. pro Concept. distinct. 4. cap. 14. num. 2. & quod ad mundi fabricam Fernandius in cap 1. Genes. sect. 1. num. 5. ex variis Rabbinis quos adduxerat ante eum Galatinus l. 7. de arcan. cap. 5. Fauet quod B. Virgo nonnullis Patribus appellatur *negotium omnium sæculorum*; item *scopus & finis consiliorum Dei*, quo pacto eam nominat S. Germanus orat. de præsent. Deiparæ. Explicatissimè Bernardus serm. 5. super *Salue Regina*. [Vt breuiter concludam, de hac, & ob hanc, & propter hanc, omnis Script. facta est, propter hanc totus mundus factus est, & hæc gratia Dei plena est, & per hanc homo redemptus est Verbum Dei caro factum est, Deus humilis & homo sublimis.] Supergressus omnes videtur Isidorus Thessalonic. orat. de Natiuit. B. Virginis, & orat. de dormitione eiusdem, sed diffusius, & cum multis singularibus Orat. de Annunc. sic enim scribit de Deipara. [Propter ipsam initio creatus homo est, & exteosum cœlum, & terra & quicquid productum est propter hominem. Nam si præuiderat quidem Deus Adæ lapsum, haud verò creasset non prædestinata simul recreatione; medela autem per Virginem parabatur: liquet hominem etiam esse propter ipsam; & quicquid propter illum fuit, ante & post illum.] Et mox, præmissa necessitate creandæ Virg. quæ quasi Deus, (quippè in qua sola comprobatur illud faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram) operanti Deo suam operam præstans, nobili creaturæ homini posset dare salutem; subdit Isidorus. [Licet igitur ex his etiam inferre, quod ab initio diuina bonitas non fuisset diffusa, nec vlla creaturarum, Dei gloriam enarraret; si multitudo decorum Virginis non priùs emicuisset in mente opificis. Neque enim Deus illud creasset quod ad meliorem sui statum quoad eius fieri posset pertingere non valeret. Cum ergo nemo alius], aut hominem erexisset, aut Angelos illustriores reddidisset, aut quamuis aliam rem in formam Hilarionem perduxisset, præter celeberrimam, sublimissimam, diuinamque Virginem liquidò constat, Deum esse creatorem propter ipsam datoremque omnium quæ bonitatis eius pelagus destinat nobis. Nec verò ea tantum ratione Verbi creatoris est mater quod eum peperit, sed etiam veluti Creatoris eius bonitatis mater vt porè argumentum, & causa manifestandæ bonorum effectricis potentiæ. Ita si licet audacter loqui, concreatrix Dei fuerit, etiam antequam orta esset in terra, & comproductrix visibilium, & inuisibilium, ad hunc mundum creaturarum: quemadmodùm, & vbi Virgo apparuit, varietatis, & decoris ante contexti pepli, vniuersi huius modi conformatrix, & coronatrix. Nec solùm presentia propter ipsam habuere ortum, sed quicquid etiam illustre futurum est, beneficio ipsius erit. Siquidem & illa propter nos, & nos propter ipsam vt probatum est.] Hactenus Isidorus, qui iustius postremò dixisset, *vt dictum est*, quàm *vt probatum est*. Asseruit etiam, non probauit, mundi vniuersi, quoad ordinem naturæ, & gratiæ productionem propter Deiparam. Ab aliis verò idem opinatis, quos magno numero addensare & sequitur Hippolitus Maraccius ad orationem Isidori de Natiuit. num. 7. argumentum ad hoc decus Virginis stabiliendum, profertur ex 2. Timoth. 2. vbi dicitur, *omnia propter electos*. Hoc si ita est, (vt sanè est, quidni dicamus, omnia quoque esse propter Beatam Virginem omnium electorum præstantissimam secundùm Christum? An non regina cœli, regina mundi, & totius gratiæ mater suauissima, vocitatur?

Pars II. Punctum I. prima Virginis sanctificatio.

15 Hoc Virginis decus est commenticium. Nihil enim suppetit, ad affirmandum Beatam Virginem esse finem electorum omnium. Nam quod dicta est negotium omnium sæculorum, & scopus machinationum Dei omnipotentis, non pertinet ad eam nisi vt Christo grauidam, atque adeò non nisi vt Christi ex illa procreandi. De Virgine autem seorsim à Christo spectata, nemo Patrum dixit esse scopum rerum omnium, & omnes electos ad eam referri, tanquam ad finem: Quæ videtur propria, & peculiaris prærogatiuá Christi Domini ob quam illi assignandum diù multùmque certatum esse in Tridentina Synodo, notauit Vega qui aderat libro septimo, in Conc. capite vigesimo. Tantum abest, vt venerit illis Patribus in mentem, idem decus alicui alteri quàm Christo, competere. Quod si omnia dicuntur esse propter electos, id quod de cursu rerum temporalium, & conseruationis mundi, dictum ab Apostolo est, non sequitur omnia esse peculiariter propter Virginem, sed propter chorum totum electorum; alioqui quilibet electus, potiretur hac ipsa prærogatiua, quam aduersarius ex eo Pauli loco Virgini arrogat, quod nemo finxerit. Denique est quidem Deipara, Regina cœli, & orbis, & mater gratiæ, quia Christum peperit sed quid hęc omnia ad illam finalem caussalitatem Virginis in vniuersum ordinem naturæ, & gratiæ præ omnibus electis inferioribus? Itaque valeant falsi tituli, verorum abunde est.

* * *

PVNCTVM



PVNCTVM II.

Virginis sanctitas ab vtero, imo & à conceptu.



Consvmmatam occasione peccati præuisi electionem B. Virginis ad maternitatem,& consequenter ad tantam gratiam,& gloriam, quantam Dei matrem decebat,accepit in tempore opportuno,prima gratiæ sanctificantis infusio;quæ quando cœperit,& cuiusmodi fuerit,vestigandum est.

Virgo Sancta,antequàm nata.

Statuendum verò in primis est tanquam inter Catholicos planè certum , eam gratiæ , infusionem,non fuisse dilatam vsque ad Virginis natiuitatem ex vtero matris:ita vt contrarium,(quod Sectarij affirmant, nominatimque Pomeranus in c. 1. lectem.)meritò censeatur explodendum , vt rectè statuunt Vasq.3.p.d.114.c.1.& Val.disp.2.q.1.puncto primo:vixque adduci possum,vt existimem,Gulielmum Parum censuisse B. Virginem non fuisse sanctificatam ante Verbi Incarnationem , quod ei tribuit Delrio in cap.6. Cant.sect.1. *in mixta interpretatione.* Est enim id adeò absurdum , vt homini illi Virginis studiosissimo non videatur potuisse excidere;sed tantùm puto voluisse significare excellentem sanctificationem tunc à Virgine comparatam.

Habet verò hic inte locum illud principium ex S.Bernardo aliàs adductum;nempe quod omnis perfectio ad sanctitatem animæ pertinens, alicui puræ creaturæ concessa,non sit neganda Deiparæ. At constat Ioannem Baptistam repletum fuisse Spiritu sancto,adhuc ex vtero matris suæ:idque multi Patres disertè aradunt,quos appendunt , Tol. Lucæ 1. annot.25. Canisius l.1. de S. Ioanne c.1.& Castro c. 6.histor. Deip. n. 4. Optimè S.Gregorius 3. moral. c.4.& S Bern.epist. 174. & Author sermonis 4. super Salue regina apud eundem Bernardum Nec desunt,qui Hieremiam aliósque multos in matrum vtero sanctificatos obtrudant;verùm, & cum fundamento discutiu agens de præpropera iustificatione sanctorum.Vt vt sit,Ioannem Baptistam in matris Elisabethæ vtero sanctificatum esse , indubitatum est.D.quidem Augustinus epist. 57. dubius in hac re videtur ; verba tamen Euangelij,omnem in hac re dubitationem præcludere,affirmat S.Thomas 3.p.q.27. art.6. Multo itaque magis ea prærogatiua Deiparæ concedenda est,quæ differentius præ illo nomen hæreditauit Author sermonis 4.super Salue Regina apud Bernardum,latè & fusè hoc confirmat Locum infra dabo.Idem vt fidecredendum statuit Richardus à S Laurentio l. 1.de Deip. partic. 5. *initio* & Corduba l.1.q.44.concl.5.Tametsi eius sententia de tacita huius veritatis reuelatione , facta Ecclesiæ extra scripturas , & traditionem,reijcienda est.Sed si placeat id de fide censere , nitendum est traditioni.

An in momento creationis animæ, infusa Virgini gratia expellens peccatum.

2 Hoc cum apud Catholicos sit extra controuersiam,non est tamen inter eos planè tatum, an Deipara eam primam sanctificationem sit adepta in primo momento temporis,quo anima eius creata est,& conserta corpori intra matris vterum, tum primum perfectè,& vltimò dispositu ad animæ receptionem. In quo momento,omnes nascimur, & formamur filij iræ,ac sordentes originali peccato , vi generationis ex Adamo per viam seminalem ordinario modo peractæ. Non est tamen dubium , quin Deus potuerit in ea generali lege dispensare cum aliquo ; & peccatum in quod aliqui vi generationis incursurus esset, potuerit remouere ab anima tunc primùm creata,infundendo ei vnà,cum esse naturali, gratiam sanctificantem cum qua peccatum mortale,(cuiusmodi est peccatum originis,)est omni modo incompossibile. Ridiculè enim aliqui quos refert Aug. Anconit.lect.2.super *Missus est* , dub. 4. imaginati sunt, in eodem temporis instanti sub diuersis signis, posse simul esse peccatum , & gratiam sanctificantem. Hoc meritò ridet Augustinus Anconitanus, ac etiam Dur.in 3.d.3.q.2.n. 6. & Mayro in 3.d.3.q.1.artic.4.Nam signa illa,non sunt instantia minora aliis vulgo dictis instantibus minimis;sed à nobis sunt excogitata,ad designandam dependentiam vnius ab alio; vel cum de decretis diuinis agitur, ad insinuandam præsuppositionem obiectorum, in quæ decretum nostro modo concipiendi multiplex,tendit.Cũ ergo quantacunque,vel signa,vel instantia naturæ subdistinguantur in vno instanti temporis, absit tamen inde omnis duratio, nec interueniat nisi vnum momentum quoad durationem prorsùs infectile;Fieri autem non possit, (saltem de potentia ordinaria, & vt existimo,nulla prorsus vi,)vt simul, & semel idẽ colluceat gratia sanctificante, & tenebrescat mortali peccato ; simul inquam , sit inquinatum,& mundum apud Deum;simul iustum, & iniustum; ac ne transeunter quidem , quod contra inconsultam Petri Lorcæ opinionem Theologicam de transeunti cohæsione gratiæ,& peccati , ex malè intellecta philosophica sententia de duorum expulsione formali, alibi monstratum est.sequitur fatendum omnino esse , peccatum originis si primo momento creationis animæ interueniat , non posse eodem temporis momento,vel expelli per gratiam sanctificantem,(sic enim esset simul, & non esset,) vel cum ea cohærere. Et qui in Virgine , ita de facto contigisse censuerunt, nec virginis honori consuluerunt , quam falsi sunt fuisse in primo momento inquinatam,nec formalem pugnam & incompossibilitatẽ lethalis peccati,& gratiæ,introspexerũt.

Quare supposita possibili dispensatione alicuius humanæ animæ ab incursu peccati originalis , in momento generationis hominis, per speciale Dei priuilegium,immittens sanctificationem cum ea labe incompossibilem , videndum restat, an illud priuilegium sit concessum B.Virgini, ac proinde anima eius in primo momento suæ creationis habuerit gratiam sanctificantem ; ipsa verò Deipara in primo suæ conceptionis momento sancta fuerit Neque verò superuacaneum aut negatiorum est , hanc quæstionem agitare, vt pronunciatum est à Baptista Mantuano in sacris Festis mensis Decembris , cum de B Virginis conceptione. Propositis enim ipso carminis principio,duabus pugnantibus de hac re sententiis,subdit.

Duo

Dua veniunt ista in certamina secta,
Nonnunquam magno implentes subsellia risu:
Æquanimes autem volumus si vera fateri;
Vanus vterque labor, pietas temeraria, praceps
Religio, leuitas velata scientia amictu.
Nec natura potest illhuc extendere visum;
Nec Deus hoc docuit, nec re dependet ab ista
Nostra salus. Qua nos igitur dementia torquet,
Vt studeamus in his consumere litibus annos.

Inferius agit in hoc studio dominari ambitionem, & iactantiam tumidis verbis pugnantem: Ait hæc esse insomnia, & ridiculas gerras, ac figmenta relinquenda, & nugas, ac litem perniciosam è grauium virorum cureis abigendam. Hæc à Mantuano licenter nimium, effutita, non dubitabit quisquis considerauerit hoc opus Mantuani longè post Sixtum IV. esse exaratum; quippè quod dicatum est Leoni X. At Sixtus IV. liquidò sanxit pium esse, ac probabile agnoscere B. Virginis Conceptionem passiuam fuisse immaculatam: estque id singulare Virginis decus, & planè eximium: quippè continens peccati mortalis à primis parentibus contrahendi exclusionem. Vocare itaque gerras nugas, figmenta perniciosa, quod Pontifex agnoscit pium, & sanctum, magna haud dubiè temeritate sordet, ne quid addam: Quare cum B. Virginis anima in primo suæ creationis momento pura, & nitens fuerit cum laude, & vtilitate maxima quæritur: Est quidem verum, salutem nostram non verti in assensu piæ sententiæ de nitenti conceptione Deiparæ, quia nec definita est, vt fide diuina, à Catholicis tenenda, nec etiamsi definiretur, esset aliquid ex necessitate medij, aut præcepti explicitè fatendum. Hoc igitur verè affirmauit Mantuanus, sed inde perperam intulit, studium pro alterutra parte controuersiæ esse improbandum, cum sit valdè laudabile, ac meritorium pro tam singulari Deip. prærogatiua satagere. Rixas quidem, & æstum inconditum etiam pro piis sententiis rectè damnaret Mantuanus; sed vt Pia quoque sententia premerur improuidè expetiit, eamque probris valdè inconsultò respersit. Eius itaque iudicio stare non possumus; tametsi enim vir insignis fuit, hic tamen dormitauit, imò impegit. Nec me fugit quas illi laudes panxerit author Bibliothecæ Marianæ vocans eum Trismeg. cunctis seculis memorabilem, & admirabilem, cuius sanctos mores, sapientiam, pietatem, doctrinam, Doctores maioris notæ sint venerati. Magna sanè sunt hæc elogia, sed audi quod ibidem additur. [Vir cunctis sæculis memorabilis, & admirabilis, Quo metro Virginum Celeronem Prosa æquauit, ne dicam superauit.] Hæc hyperbole nimium quantum à verò aliena, & facilè æquans, ne dicam superans, omnem iudicij recti oblæsionem, quam temperatè accipienda sint reliqua elogia, apertè insinuant. Itaque sit Mantuanus cœtera pius; nec ineruditus, & in crassitie æui sui non planè impolitus, & in soluta, & in adstricta scriptione eius tamen iudicio de hac controuersia stare nec possumus, nec debemus. Nec aliter statuimus de Erasmo, quem similia de hac re cum Mantuano proloquium; castigat meritò Catharinus toto propè libro primo de immaculata conceptione, accuratè, & latè prosequens quantæ sit vtilitatis hæc disquisitio: quem poterat audire Canus qui lib. 7. de locis capite tertio, æquè, ac Mantuanus, & Erasmus nugatoriis, ac nullius momenti disputationibus idem annumerauit, non alio consilio, quàm vt pax esset domui suæ, & vt saluo ordinis honore prætenso quod Catharinus obiecit, Virgo Mater, in hominum mentibus, inhonorata persistatet. Quare amantes decorem magnæ Matris, connitamur è contrario veritatem in controuersia proposita penitissimè persuadere, & an in primo suæ animationis momento Beata Virgo Deo grata, & sancta fuerit vestigare. *Pars II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.*

Pars negans.

5 NEgant Thomistæ, prætendentes esse sententiam Diui Thomæ, tertia parte, quæstione vigesima septima, articulo secundo. Negant item veteres quidam Scholastici in 3. disputatione 3. vbi Durand. quæstione prima, numero decimo, Gregorius in 2. disputatione trigesima, quæstione secunda, Augustinus de Ancona lectione secunda super *Missus est*. dub. 1. Ægydius Romanus quodlib. 6. quæstione vigesima. Consentit Henricus quodlib. 15. quæstione decima tertia, quamquam nisi pro solo primo momento creationis animæ: nam illicò post censet aduenisse gratiam, & abactum peccatum. Contendunt porrò Thomistæ, sanctum Thomam hac parte, à Scoto & eius asseclis dissentire quoad rem ipsam, & non tantùm quoad verba: nec admittunt conciliationem vtriusque luctoris Patriciarum familiarum (vt cum sancto Ambrosio loquar) Diui inquam Thomæ, & Scoti adductam à Constantino Samano in opere de conciliatione horum Doctorum. Ait enim sanctum Thomam admisisse peccatum originis in Virgine quoad debitum: at Scotum expulisse à Deipara idem peccatum agendo tantùm de facto. Non inquam admittunt Thomistæ hanc distinctionem, quia censent reuera Diuum Thomam non exclusisse de facto peccatum Originis à Deipara, nec nisi in hoc sensu certant Thomistæ cum cæteris, opinio enim eorum qui negamnt Beatam Virginem subiacuisse debito peccati originis est admodum nouella, vt infra videbimus. Certamen autem circa Conceptionis nitorem omnimodum per exclusam de facto ab ea maculam culpę orignalis efferbuit iampridem inter Thomistas, & Scotistas. Parum ergo apta est conciliatio à Samano proposita, nec eam admittunt Thomistæ, omninò persuasi B. Virg. & secundum veritatem, & secundum S. Thomam contraxisse de facto peccatum originale quoad maculam peccati: Et quamuis bona fuerit mens Samani in plerisque talibus conciliationibus, redolentque eam bonitatem quam Ludou. Viues l. 5. de tradendis disciplinis laudat in Adriano Florentino omnia benignè interpretante, nec vnquam vllius Catholici dicta reprobante, sed conciliare satagente; tamen præstat modestè reticere, quam tentare conciliationem per ineptas obtusiones dictorum alicuius Doctoris à sensu Peculine quem in hoc Regno Thomistæ contendunt ferre, quod B Virgo de facto, & non tantum quoad debitum contraxerit peccatum originale; congerunt vero pro sic intellecta, sua, & D. Thom. sententia Thomistæ, plurimos Patres. Capreolus in 3. d. 3. profert 40. Caiet. t. 2. opusculorum in 1. c. 4. ad c 5. se restrinxit. Addendi iisdem, qui verè id tenent Philip. Abbas l. 6. in Cant. c. 40. & Richard. à S. Laurent. passim nominatimque l. 7. *pag. 465.* hoc ait esse quod dictum est; *tenebra erant super faciem abyssi*. Nec non Petrus Cellensis l. 6 epist. a 3. qui B. Virg. in peccato originali esse conceptam, censet esse sententiam omnium retrò Sanctorum. Vnde ait. [Prouerbium est, nō sunt dimittendæ veteres

via, propter nouas: Quis sanctorum, quis antiquorum, non ambulauit semitam nostram? Credo, & verè fateor, si in hoc errassent, & hoc eis Deus reuelasset. Quibus enim sua tam familiariter reuelauit consilia, vt etiam ad supplementum Euangeliorum, Epistolarum, & prophetarum, perpetua stabilitate canones, & decreta statuerint, pari penè obseruantia tenenda cum Euangelio, hoc solùm eis tacuisset, si periculosum esset?] Honorius item Augusto. in Sigillo c. 5. agnoscit B. Virginem benè viuendo peccata declinasse, licet natam in peccatis, plurali nomine *peccatorum*, designans Originale peccatum, quia virtualiter est omnia peccata. Vnde etiam pueri qui hoc vno peccato sordent, dicuntur baptizari in remissionem peccatorum. Et Dauid ex legitimo licet thoro satus, se in peccatis conceptum dixit. Natam ergo in vtero siue conceptam in peccatis tradens Honorius, conceptionem illam perspicuè agnoscit peccato originis inquinatam. Conceptionem quoque Virginis peccato oblitam, agnoscit Guliel. Parisis Cant. 6. ad illud, *vna est columba mea*. Vide an non idem velit Ferrandus in Epistola ad Anatolium num. 4. cum dixit. [Caro Christi de matre sumpta est: ideò amplius vera est, sed planè Sancta est, quia diuinitatis adunatione mundata est. In carne Christi natura est nostræ carnis, sed non reperitur culpa naturæ. Sic caro Christi, carni Mariæ, & similis est, & dissimilis; similis, quia inde traxit originem; dissimilis quia non inde contraxit vitiatæ originis contagionem. Similis quoniam licet voluntarias, tamen veras sensit infirmitates: dissimilis quoniam nullas penitùs, neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates.] Non potuit clariùs B. Virginem à Christo seiungere quod conceptionem in Christo nitentem, in matre inquinatam. Sicut reliquam vitam in Christo purissimam admitto, in Deipara non item, quicquid Achilles Starius margini in contrarium illiuerit. Et multo minus cogitauit Ferrandus de subtilitate noui Scholiastæ; qui ex eo quod subiungat ibi Ferrandus Christi carnem fuisse mortalem quia natus erat de carne eius cui potuit inesse peccatum, collegit B. Virginem iuxta Ferrandum ne debitum quidem peccati originis contraxisse, cuius dicti ne vmbra quidem ibi comparet, imo potius diserte contrarium. Quid enim est Virginem potuisse habere peccatum, nisi saltem habuisse peccati debitum, & per se non fuisse à peccato immunem. Itaque frustra Ferrandus qui vitiatam originem Mariæ paucis ante lineis agnouit, trahitur nunc ad assertionem in altero extremo sitam. quod non contraxerit debitum originalis peccati, quia dixit, B. Mariam potuisse habere peccatum. Hæc sunt argumenta ab authoritate, pro inquinata B. Mariæ conceptione.

4. Additur etiam ratio, fundata in scripturis, quæ docent omnes in Adamo peccasse, & quotquot ex Adamo via ordinaria generantur, incurrere peccatum originis, quod Concilia Africana necessitatem baptismi paruulorum astruentia, contra Pelagium infinities confirmant. Ab ea autem generali regula, silentibus scripturis & diuina reuelatione indubitata, quemquam eximere, & arbitrari mundum esse, ac nitentem iam ex primo momento, de immundo conceptum semine; Sanctus Thomas quæstione quarta de malo, articulo sexto, damnat erroris. Denique certum est B. Virginem subiacuisse morti, quæ est effectus originalis peccati. Habuit ergo etiam huius effectus causam; nempè peccatum ipsum originis: Et alioqui non esset à Christo redempta, quod tamen indubitatum esse debet, & extra controuersiam Cum enim indubitatum sit, B. Virginem numquam subiacuisse vlli peccato actuali, quantumlibet leui; certè si fuisset exors peccati originalis, non incurrisset vllam captiuitatem è qua redimi posset. Ne ergo euacuetur crux Christi, & vniuersalis omnium hominum redemptio ab eo facta euertatur, admittunt hi authores, B. Virginem, saltem in primo momento sui esse, subiacuisse originali peccato. Et ita fuisse reuelatum B. Catharinæ Senensi colligunt ex limbo cuiusdam orationis quæ apud eam legitur; sententiam verò contrariam qua ea Virginis omnimoda puritas admittitur, Bartholomeus Spina Ord. Prædicat. ad tractatum Turrecrematæ de concept. damnat hæreseos.

Eligitur pars affirmans.

5. Contraria sententia, quæ affirmat, Deiparam in primo momento sui esse, accepisse gratiam sanctificantem, atque adeò caruisse peccato originis, est mihi planè vera. Eam ego sic intelligo, vt B. Virgo ex vi quidem generationis suæ ordinario modo peractæ, contrahere debuerit peccatum originis, ideoque rectè dicatur peccasse in Adamo: reipsa tamen non contraxerit peccatum originis, ob interpositam diuinam præseruationem, per infusionem gratiæ sanctificantis, factam illo ipso instanti, quo anima fuit creata, & quo aduenturum illi erat peccatum originis, nisi gratia illud inhibens, fuisset immissa. Quia enim peccatum originis est priuatio gratiæ sanctificantis, quæ fuisset collata in generationis momento, nisi primus parens peccasset, idcircò facilè intelligimus, posse Deum præpedire incursum peccati originis immittendo gratiam sanctificantem: quia immissa, exulet necesse est gratiæ ipsius sanctificantis priuatio.

Nec refert quod ea gratia non accipiatur vi generationis ex Adamo, sicut fuisset accepta si Adam non peccasset. Nihilominus enim quia gratia adest, necesse est excludi peccatum originis. Sicut etiamsi dies, qui directè, & essentialiter constituitur luce, indirectè inferat corpus solare, tanquam lucis illius causam: tamen si eadem lux aliunde aëri obueniat quam à Sole, æquè dispellentur tenebræ, ac æquè aberit nox à sic collustrato aëre sic igitur tametsi B. Virgo in momento primo sui esse, non acceperit gratiam sanctificantem vi generationis ex Adamo, iuxta primum Dei cum homine pactum; quod ferebat, vt stante semper Adamo, quicunque ex eo progigneretur, sanctitatem acciperet in ipsa generatione; (id enim est, quod dicebam homines tunc vi generationis fuisse sanctificandos:) tamen quia accepit gratiam ex beneplacito Dei, qui sibi in ea complacuit, æquè exclusum est peccatum originis, quod priuatione gratiæ sanctificantis, in puncto generationis homini debitæ, continetur.

Sententiæ de immaculata, & planè pura B. Virginis conceptione passiua, sic explicatæ, subscripserunt antiqui permulti, in 3. dist. 3. nominatim Scotus cum

eum vniuersa schola sua ; & extra eam Argentinaâ, Carrasianus, Gabriel, Almainus, ea dist. 3. Item Baconus in 4. disputatione secunda, quæstione tertia, & quarta, & quodl. 3. quæstione decima-tertia, Pelbartus toto libro quarto stellaris, Catharinus tract. de conceptione. & libro. quarto contra Caietanum Iacobus de Valentia in disputatione subiuncta psalmo 45. fusè & benè. Et in Caoe. Deip. *ad vers.* 4. dignitate 2. Gerso io Epistola de susceptione humanitatis Christi verit. 11. (mitatus aliquos laudum Virginis buccinatores, contra immaculatam conceptionem sentire.) Raymundus Iordani solo cognomine Idiota tract. de B. Virgine cap. 2. & 6. Bellarm. l. 4. de amiss. gratiæ, & statu peccati cap. 15. 16. & 17. Canisius l. 1. de Deip. cap. 6. & 7. Vasquez 3. p disput. 117. Val. 3. p. d. 2. q. 1. p. 1. Suar. tom. 2. 3. p. disput. 3. sectione 5. Spinellus de Throno Dei cap. 7. à num. 4. Scortia Theor. 301. Benzon. in psal. 86. cap. 40. tradit. 85. Iustinian. 1. *vers.* 8. Morales l. 5. in Matth. tractatus 1. qui inoumeros io eandem sententiam proferunt, præter alios deinceps secutos.

Propensio Ecclesiæ in sententiam propositam.

6 HAne sententiam, Ecclesia tametsi non definiuit, nec tanquam ea fide tenendam proposuit, habet tamen valdè acceptam, & gratam, præ contraria cui nuperis summorum Pontificum Pauli V. & Gregorij XV. constitutionibus, compedes quodammodò iniecit; negata illi quacunque progressione in publicum, siue ad sacrum pulpitum, siue ad scholasticum suggestum; ac etiam quod multo arctius est, ad priuatum cum altero colloqoium, rescisso magnam partem iure liberi commeatus, quo Pius V. illam donauit sua de hoc argomento constitutione, quam laté eapendit Comitolos lib. 6. respons. q. 40. E contrario autem, eadem Catholica Ecclesia, sententiam quæ immaculatæ conceptioni B. Virginis astipulatur, liberae omni periculo: docens eam non esse vlla censura dignam, & grauiter damnans illos, qui eam percellere ausi fuerint. Cultum item ea ea sententia Deo, & B. Virgini exhibitum collaudans, & ad eum exhibendum, quâ festi institutione, quâ officij pecularis approbatione, quâ indulgentiarum ea thesauro Ecclesia liberali largitione inuitans. Quæ omnia videre est io duplici de hac re Decreto Sixti quarti. confirmato, per Tridentin. Synodum sess. 5.

7 Et festum quidem, adeò aduersatus est, Diaboli superiore sæculo primogenitus, Lutherus; vt quanquam ipsam conceptionem, statuat fuisse purissimam, vt videre est serm. de Concept. tamen da festo, dixerit *nullum festum magis odi quàm festum Conceptionis, & corporis Christi.* Sed (quod de Nerone censuit Tertull. c. 5. Apol.) tali dãnatore huius festi gloriandũ est. Qui enim scit illum, intelligere potest, ooo nisi grande aliquod bonum à Luthero esse damnatũ. Apté sanè in hoc festum cadit, quod S. Damascenus Orat. 3. de Natiu. Virginis, de festo Natiuit. diait. Nam & hæc est natiuitas quædam, iuxta illud, *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ait ergo Damascenus. [Virginis Natiuitas, festorum est anteambulo, mysterij Christi præludium: Oportebat enim priùs palatium parari, atque ita Regem adesse] Quàm verò hoc festum sit antiquum, attingit Baron. ad Rom. Martyrol. 8. Decemb. nec non Ferreolus Locrius lib. 6. Mariæ Augustæ cap. 1. adducens varia placita. Georgius Nicomediensis serm. 1. de Conceptione Deiparæ *in fine* negat conceptis Verbis, hoc festum esse recens adinuentum; quinimò ait illud esse, vt ordine, & ipsa veritate præcipuum. Quoad eius antiquitatem, idipsum versat diligentissimè Salas io opere de concept. toto capite 35. qui ibidem capite 35. numero quarto, ex pleniore editione Bullæ Sixti IV. confirmata per Alexandrum VI. in extrau. *Illius qui se*, descripta in monumentis Minorum, monstrat excommunicatione irretiri aduersarios; cum festum de quo agimus, contendunt non de conceptione idest animatione prima corporis B. Virginis per infusionem animæ in illud; sed de sanctificatione post aliquod tempus subsecuta, saltémque non in ipso primo momento facta, celebrari: *Reconceptionem* vocat Rich à S. Laurentio l. 12. *pag.* 1041. negans conceptionem esse celebrandam, idque admittens de reconceptione. Sed vt benè vrget Bachonus quodl. 3. q. 13. non aliud celebrat Ecclesia quàm quod præfert vox *Conceptionis*, quæ Calendario Romano adscripta legitur. At vox *Conceptionis*, non aliquid factum post animationem denotat; sed ipsam primam animæ cum corpore coniunctionem; quæ cum per se non fuerit cultu digna, imò apud Iobum, & Ieremiam, ob adiunctam originalis peccati labem, causa sit, nec voo telo feriatur; facta tamen est dignissima cultu & veneratione, ob sanctitatem qua in Virgine enituit. Nec possunt ista eneruari, ea eo quod Græci suo item Calendario inscripserint, vt Deiparæ, (quanquam non 8. vt nos, sed 9. Decemb.) sic Ioannis Baptistæ conceptionem, 23. Septembris quæ est argumentatio Fratris Francisci Combesis disp. 1. de hæresi Monothel. capite 3. §. 2. Sed nego per eam eneruari argumentum factum. Viderint quippe Græci an conceptionem ipsam B. Ioannis sanctam fuisse veliot, eámque idcirco festiuam exigant. Romana autem Ecclesia, quia conceptionem Ioannis non censet à peccato parentali fuisse liberam meritò festum de ea non admisit: Sicut ob contrariam causam admisit festum de conceptione Deiparæ quia eam agnoscit sanctam, & à peccato liberam. Et quamquam Bellarminus lib. 5. de sanctis capite 16. agnoscit sanctam quoque esse posse huius festi celebrationem, tametsi conceptio B. Virginis sancta non fuisset, quia hoc fuit primum pignus certum nostræ redemptionis, & magna gaudij nostri, ac gratiarum actionis Deo pendendæ materia; tamen negari non potest, quin mens Ecclesiæ sit, Deum ex sanctitate ipsiusmet Conceptionis honorare per hoc festum, vt patet ea D. Bernardi censura in primos huius festi cultores intorta; quæ alioqui fuisset prorsus irrationabilis, Igitur ea huius festi cultu rectè infertur sanctitas Conceptionis. In chronico Villariensi l. 2. cap. 14. Petrus Villariensis refertur commonefactus de hoc festo à B. Virgine.

Part. II. Punctum I. prima Virginis sanctificatio.

Vt verò huius festi dignitas dilucidior sit, addendum, est ex actis B. Oringæ quæ aliàs, *Christiana* denominatur, descriptis Italicè à Siluano Razzi c. secundo, numero decimo quinto, hoc festum etiam io cœlo celebrari iuxta illud S. Chrisostomi orat. de S. Philogonio quod, & festum sursum sit, & celebritas Narratur ergo in illis actis eam sanctam Virginem quæ in Etruria anno 1310. vita excessit miraculis, & virtutibus clarissima, aliquando in extasi raptam io cœlum, conspexisse Deiparam in fulgentissimo throno, assi-

dentem Filio alba veste pretiosissima indutam, exultantibus circum eam Sanctis omnibus, & festum solemne agitantibus, Miranti autem Ortingæ tantæ celebritatis causam, & candorem vestis qua Deipara prænitebat, Christus ipse his verbis causam illam aperuisse proditur. [Miraris Christiana, honorē qui ab Angelis hodie matri meæ gloriosæ exhibetur, & qua induta est vestem; sed scito, hodie agi in cœlo celebritatem IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS, eius quæ me deinde concepit, ac peperit, verum Deum, ac hominem illibata semper virginitate. Vestimenti eius candor, prærogatiua est singularis innocentiæ.] Subiicitur in iisdem actis [propter hanc visionem, voluit Christiana, monasterio quod deinde erexit, nomen esse *S. Maria Nouella*; statuitque, vt in eodem, salua S. Sedis Apostolicæ, summique Pontificis authoritate, & reuerentia, quotannis sacræ conceptionis solemnitas celebraretur.] Itaque sicut apud Cæsarium lib. 7. cap. 20. Antistropha, (vt sic dicam,) festiuitas Deiparæ se purificantis, in cœlo solemniter peracta, est exhibita, ita festiuitatem IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS (vt eam Christus ipse nominasse proditur) per beatos cælites agitari est manifestatum. Decuit enim eius singularem innocentiam, & ab omni prorsus peccato præseruationem maternitati Dei consentaneam, honorari in cœlo, & in terra. Perperam autem, & incongruè celebraretur Conceptio maculata.

8 Eadem est ratio officij, quod de Conceptione recitatur ex Ecclesiæ præscripto. Et olim quidem vsurpatum est peculiare officium de Conceptione, cuius meminit Sixtus IV. Postea tamen à Pio V. siue ex priuato ad contrariam partem affectu, vt aliqui suspicati sunt; sed potius vt omnia ad pristinum morem reuocaret, & reuelationi Helsimo Abbati, tempore S. Anselmi factæ, se conformaret institutum est, vt officium, idem hac die esset quod in die Natiuitatis B. Virginis, solo *Natiuitatis* nomine, mutato in nomen *Conceptionis*: quæ etiam in 8. responsorio, *sancta* nominatur in actu signato. Ibi enim sic dicitur, *sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam sanctam Conceptionem*. Audis. *sanctam Conceptionem*? Denique indulgentiæ, quæ tantùm valent, quantùm sonant, expressè conceduntur iis qui tale officium frequentauerint, & festum de conceptione passiua B. Virginis celebrauerint.

Par argumentum peti potest ex approbatione religiosi ordinis, sub titulo *Conceptionis immaculatæ*: loquor in singulari, quia religiosum ordinem simpliciter dictum sub titulo immaculatæ conceptionis, non noui alium, quam quem beatrix à Sylua, Virgo Lusitana rari exempli, & austeritatis Virgo, erexit in Hispania non absque diuinis plerisque signis vitam, & obitum piissimæ Beatricis affectatis, vt scribunt Anthonius Vasconcellus in suo de rebus Lusitanicis Commentario tit. *De Virginibus sacris Lusitanis*, & Hilarion à Costa, in opere de claris mulieribus. Approbauit primus sub titulo immaculatæ Conceptionis eum ordinem Innocentius 8. & confirmauit Iulius 2. Illud verò singulare narrant Vasconcellus, & à Costa, quod cum diploma approbationis vrgente Castellæ Regina exoratum, in mari periisset; ad preces tamen Beatricis in eius scrinio sit repertum, non absque Angelico ministerio. In huius ordinis regula cap. 1. & in formula professionis, explicatissimè asseritur, hunc ordinem esse immaculatæ conceptionis Beatæ Virginis mancipatum. Ordinem Equitum à Carolo Gonzaga duce Niuernensi sub eodem titulo institutum exhibet Hyppolitus Marracius in equitibus Marianis. Sed quod religiones militares (dempta Melitensi) non sint religiones simpliciter dictæ, non augetur inde numerus regularum approbatarum sub hoc titulo, vnde petebam argumentum: præterquam quod in approbationem posteriorem huius ordinis ab Vrbano VIII. factam, immissas offucias, nihil attinet retegere. Quod aliqui sicut Armacanus apud Valdensem t. 3. titulo 9. capite 89. albam vestem Carmelitanorum ad probatam Carmelitanis Conceptionem puram retulit, ita ipsi ordinem quoque Præmonstratensem, à Calixto 2. confirmatum sub titulo conceptionis immaculatæ asserunt, & idcirco veste candida per Beatam Virginem sancto Norberto fundatori suppeditata, donatum eum ordinem dicunt, nominatumque eā ex causa *Ordinem Candidum*, ignorasse videntur ipsi Præmonstratenses, qui de hoc sui habitus colore differentes, & ordinis confirmationem referentes in bibliotheca præmonstratensi colorem album ad vitæ puritatem referunt, titulum verò *Immaculatæ Conceptionis* prætereunt. Itaque satis est ad rem præsentem, argumentum ductum ex approbatione Ordinis, ac Regulæ Monialium sub titulo Conceptionis immaculatæ geminum est argumentum quod duci potest ex templis, & altaribus, sub titulo immaculatæ conceptionis passiuæ constitutis, plerisque omninò locis. Altaria enim passim sunt obuia; Templa verò non semel notaui. Tusculi vnum est recentis fabricæ ad vrbis muros adscripta vncialibus literis Epigraphe Templum conceptioni immaculatæ sacrum. De ea Epigraphe conquerentibus Thomistis, respondit Paulus V. concedere se vt ex opposito fabricarent aliud templum Dicandum virgini cum Epigraphe Conceptionem eius maculatam præferente. Quod responsum quo spectaret intelligentes, hæserunt. Templum antiquius quod visitur Senis, vt docet programma apud Religiosos Seruitas [solemni pompa huius non satis laudatæ Reipublicæ Senensis, sub protectricis immaculatæ conceptionis Mariæ Virginis titulo, hæc Ecclesia à Diuo Hieronymo Picolomineo Pientiæ Episcopo, est consecrata ? Ioanne Picolomineo Cardinali, Archiepiscopo Senarum, ac prælatis quamplurimis & Magistratibus ciuitatis præsentibus indictione D. 18. H. X. anno 1534.] Templum Conceptioni immaculatæ à Nonio, Aluaro, Pereira, Villan. apud Lusitanos constructum, cælestibus portentis claruisse, & idcirco à Brigantino Duce Theodosio nouis substructionibus amplificatum esse scribit Anthonius Vasconcellus in descriptione templorum Lusitaniæ numero 10. ex templis, & altaribus eodem titulo consecratis Quæ omnia perspicuè declarant, quam sententia cui subscripsimus, accepta, & grata sit Ecclesiæ Catholicæ, & mentem eius de puritate, & nitore Conceptionis Beatæ Virginis, apertè præferunt. Venit autem Ecclesia in hanc mentem, partim, quia aduertit scripturas fauere huic veritati; partim, & maximè, quia non obscura hac de re traditionis vestigia apud omnes retrò Patres deprehendit. Nec inualidum à ratione præsidium desiderari perspexit. Attingamus breuissimè singula.

Possumus quoq; arg. ducere ex indulgentiis quas varij pontifices concesserūt, aut festū concept. Deip. celebran

celebrantibus, aut de ea officium audientibus vel recitantibus Leo X. Minoribus Missam de conceptione celebrantibus, eámvè audientibus Indulgentiam plenariam est elargitus. Iulius item II. & Adrianus VI. ac Gregorius XIII. aliique præterea Pontifices, indulgentias vberes in gratiam immaculatæ Conceptionis concesserunt, vt hanc pietatem facerent, & fideles ad eius cultum incenderent, quod monstrat Ecclesię propensionem in hanc veritatem. Ridiculus verò est Gulielmus Estius, Conceptionis immaculatę hostis ocularius, cum ait has Indulgentias concedi pietati fidelium non mysterio de quo agimus. Hoc dico esse ridiculum, quia liquet, Indulgentias neque pietati concedi; neque mysterio, sed dari fidelibus, vt eorum pietas accendatur erga hoc mysterium. Inde tamen satis eruitur propensio Ecclesię erga hoc mysterium. Neque enim Pontifices Indulgentiam concederent profitentibus eam veritatem, nisi putarent saltem pium esse assentiri veritati huius mysterij: Et cum à tempore Sixti IV. hoc est ferè à centum quinquaginta annis praxis Ecclesiæ ita tulerit: vt Indulgentiæ in gratiam immaculatæ Conceptionis concederentur, mirum est vnde ante hoc triennium venerit in mentem negare huiusmodi Indulgentias esse concedendas eo quod earum concessione veritas Conceptionis sine originali peccato, videri possit definita tanquam certa ex fide, quod tamen Ecclesia hactenus non definiuit. Hoc tamen est artificiosum commentū aduersariorum Conceptionis immaculatæ ad affundendam frigidam pietati erga hoc mysterium, meritóque Scipio Card. Cobellutius in iudicio contra Magistrum S. Palatij, vt latè refert Hippolitus Maraccius in Purpura Mariana cap. 16 §. 2. pronunciauit timorem illum ex Indulgentia concessa in gratiam huius piæ veritatis ne videatur definita ex fide inanem planè esse, & gratis iactatum. Idque iactare est ipsis Pontificibus eas Indulgentias concedentibus, hebetudinem, aut ignorantiam appingere, cum iidem contestentur, hanc veritatem, necdum esse definitam. Pio opere quippè pio & probabiliter honesto, etiam si nondum certo ex fide potest concedi Indulgentia, etiam ab Episcopo qui nihil potest ex fide certum definire. Et cum idem Cardinalis, imagunculis æneis quibus Indulgentia applicanda erat appingi mandasset hæc verba, *B. Virgo sine Originali peccato concepta, piè creditur* postea re melius expensa iussit amoueri ea verba *piè creditur*, eo quod superflua sint, & satis constet de mente Ecclesię hac in parte absque eo additamento. Explosο itaque hoc veteratorio artificio, rarum esto concessionem Indulgentiarum in gratiam huius veritatis, apertè præferre propensionem Ecclesiæ in hanc partem, meritò ad id inductæ, & quia Scripturæ fauent, & quia Patres omnino multi consentiunt, nec deest congruum à ratione præsidium.

Scriptura pro eadem sententia, & vary ex eis typi.

9 SCripturas dixi fauere. In eis quippè B. Virgo, celebratur tanquam tota pulchra, & absque macula, & prædicitur contritura caput serpentis, gestúraque æterna cum Satana inimicitias. Priorem locum ex capite quarto Cantic. deprompsum, Deiparæ accómodant Cantacuzenus ad eum locum Canticorum, afflatum S. Spiritus singularem, in verbis illis agnoscens, nec non Alanus, & Rupertus ibid. in Catena Delrij. Latè item Hugo Victor. serm. 9. instit. Monast, Et pulchrè Idiota capit. 2. contempl. de S. Maria. Scribitque Pelbartus l. 4 stellarij part. 1. art. 3. Alexandrum Alensem iam iam acturum animam, eo loco ad Deiparam aptato, sic eam affatum, commendantem per illam Deo exitum suum. *Tota pulcgra es amica mea, & nulla macula, neque originalis, neque actualis est in te.* Posteriorem locum allegatum, qui habetur Genes. 3. copiosè in eundem sensum ex variis Patribus expendunt Salas. l. de concept. capite 19. à numero 8. & Perlinus l. de concept. distinct. 4. capite primo necnon ad illud caput Pererius, atque Fernandius, ibidémque Delrio, & in adagialibus ex eodem capite, dispellens offucias hæreticorum. Atqui perspicuum est, B. Virg. falsò dicendam esse totam pulchram, & absque macula, si in primo momento sui esse, sorduisset labe turpissima, atque mortali, cuiusmodi est peccatum originale. Perspicuum prætereà est, B. Virgini, ac Satanæ, quem spectabat vibrata in serpentem sententia, benè aliquando consensurum, si Virgo fuisset aliquando in lethali peccato: nec fuisse contrituram caput Satanæ, si subiacuisset peccato originis, quod est verè caput dæmoniacum, initium totius prauitatis in homine. Quare ex eo loco non incommodè colligitur, Christum Dominum, (vt dixit S. Dyonisius Alex. Epist. contra Paulum Samosetanum) *matrem interruptam, à pedibus vsque ad caput benedictam seruasse*; idest matrem suam à primo vitæ momento, ad extremum vsque halitum puram prorsus, & ab omni labe liberam esse voluisse.

Pars II. Punctum II. prima Virginis. [illegible]

Locum ex psal. 45. *adiuuabit eam Deus manè diluculo*, quem in hanc rem accipit ibi Iacobus à Valentia, sciens prætermitto; tametsi non est inutilis, cum adiuctι versiculi aptentur Virgini ab Ecclesia. Et idem dico de illo alio loco à plerisque huc aptato, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Allegatur in hanc rem ex S. Anselmo lib. de concepiu Virginali capite quarto locus iste. [Lilium potest nasci inter spinas, & illis non pungi: Sic mater Christi potuit concipi inter peccatores, & peccato non tangi.] Hunc tamen locum quoad verborum corticem apud S. Anselmum, loco qui allegatur non inuenio. Habetur tamen lib. de Conceptione. (quem inter eiusdem sancti opera pridem edidi) capite 4. Locus consimilis sententiæ in hæc verba. [Si Dominus castaneæ confert, vt inter spinas remota compunctione recipiatur, alatur, & formetur; non potuit hoc dare humano quod sibi parabat templo, in quo corporaliter habitaret, & de quo in veritate personæ perfectus fieret, vt licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis omnimodò exors redderetur? Planè potuit, & voluit, quod si voluit & fecit.] Hoc aliter metrè dixit Adamus de S. Victore.

Salue Verbi sacra parens,
Flos de spina, spina carens,
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati,
Spina sumus cruentati,
Sed tu spina nescia.

10 Accedunt typi summæ puritatis B. Virg. nulla vnquam labe violatæ, latentes in Scripturis plerisque antiquis, iuxta Patrum interpretationem. Sic

enim B. Virgo terræ, è qua Adam ante maledictionem illatam formatus est, comparata legitur à S. Andrea in actis eius, conscriptis per Clerū Achaiæ, & ab Andrea Cretensi orat. de Natiu. Virg. nec non à S. Theodoro nostro confessore orat. de eodem argumento à S. Bernardo serm. de B. Maria, componitur cum arca Noë, tum alias ob causas quas minutè exquirit, tum maximè idcircò quod sicut arca illa nihil damni sensit, ab aquis, ita B. Virgo [nullius (inquit) viri naufragium sensit.] Ibidem quoque S. Bernardus, arcam de lignis Sethim imputribilibus à Beseleële confectam & ornatam, accommodat Deiparæ à Spiritu sancto prælectæ, præseruatæ, præparatæ, & ornatæ. Nubem diei nunquam tenebrescentem, & semper luce perfusam, qua præuia deducti sunt à Deo filij Israël, S. Hieron. in psal. 77. præsignasse ait B. Virginem. Iuditæ de Holopherne victoriam, Estheris apud Assuerum gratiam, varij huc accomodant. Nemo in his purissimis typis Virgini aptandis, feracior Ioanne Geometra cum hymno quadruplici in B. Virginem. tum longo, & illustri loco qui describitur in Catena Corderij ad c. 1. Lucæ v. 36. Hos & alios plerosque typos, quibus eius perpetuus nitor nulla vnquam quantulacunque labe infuscatus exhibebatur, varij Patres ad B. Virginem accommodant, vt latissimè referunt Catharinus l. 5. de concept. *post medium*, & Salaz. l. de concept. c. 38. Spinellus in Throno Dei c. 7. à num. 12. Peelinus l. de concept. dist. 6. tota. Vt taceam Biblia Mariana Alberti Magni, & libros de Deipara Richardi à S. Laurentio, qui scatent antiquis huiusmodi typis, perfectam puritatem B. Virginis, nunquam vel leuiter contaminatam, præferentibus.

51 Fateor omnia ista ex scripturis petita pro puritate conceptionis Deiparæ, nec alia quæ confertim addensat Iustinianus 1. Ioann. 1. vers. 8. à num. 42. ad 53. vix in alio sensu ad hanc rem aptari quam in allegorico, qui cum de dogmatibus agitur, non subministrat argumenta planè valida, vt obseruat Gillius l. 1. tract. 7. capite 5. & fusissimè prosequitur Maximil. Sandæus in Thol. Symbolica l. 6. comment. 5. excerc. 6. habeturque ex Dyonisio epistola ad Titum, docente Theologiam Symboli. eam non esse argumentatiuam. Certum nihilominus est, argumenta ex huiusmodi scripturis petita, non posse prorsus contemni: Nam in Scripturis Testamenti noui, videmus interdum contexi argumenta ex locis veteris instrumenti, in hoc sensu acceptis; vt in epistola ad Hebræos, cum sacerdotium Christi probatur ex antecedente quondam eius figura. Et apud Ioannem, cum liberatio Christi à crurifragio, probatur ex integris, & comminui vetitis ossibus Agni paschalis. Quare per se sensus ille respuendus non est; & accedente communi Doctorum, aut Ecclesiæ accommodatione, plurimùm confert. Certè S. Bernardus serm. 5. de Vigil. Natiuit. Dom. *initio* cum disserendum suscepisset de verbis illis Mosis; *Hodie scietis quia veniet Dominus*, quæ ab Ecclesia accommodantur ad Christi in carne aduentum per natiuitatem ex matris vtero; idque extortum videri posse non ambigeret, ait: [Verba hæc quidem suo loco, & tempore in Scriptura posita sunt; sed non incongruè illa, Vigil. Dom. Natiu. Ecclesia Mater aptauit Eccl. inquam, illa, quæ secum habet consilium, & Spiritum Sponsi, & Dei sui, cui dilectus inter vbera cōmoratur, ipsam cordis sui sedem principaliter possidens, & conseruans. Nimirū ipsa est quæ vulnerauit cor eius, & in ipsam abyssum secretorum Dei, oculum contemplationis immersit, vt & illi in suo, & sibi in eius corde perennem faciat mansionem. Cùm ergo ipsa in Scripturis diuinis, verba vel alterat, vel alternat, fortior est illa compositio quàm positio prima verborum: & fortassis tanto fortior, quantum distat inter figuram, & veritatem, inter lucem, & vmbram, inter dominam, & ancillam.]

52 Non approbo ego quidem, quod ab Episc. quodam pereruditio, auditum à se pro suggesto, scribit Iosephus à Costa l. 3. de Christi reuel. cap. 11. nimirum eam esse Ecclesiæ vim, vt quæ de sapientia Dei litteraliter dicta essent, etiam literaliter intelligi deberent de Virgine matre, cum ad eam in eius officio accommodantur, verùmque, & proprium, & vt passim vocamus literalem sensum illorum verborum sacrorum, esse cum in quem ab Ecclesia recitantur. Vnde is Antistes, veritatem conceptionis immaculatæ, ex iis scripturis quæ in officio Ecclesiastico diei Conceptionis in Ecclesia leguntur, firmari ineluctabiliter censebat. Hoc ego non approbo: quia Ecclesia per accommodationem suam, non potest loco scripturæ tribuere sensum literalem quem priùs non haberet.

Nec illud item admitto, quod à Costa cap. illo 51. contendit; nempe sensus istos accommodatitios ab Ecclesia factos, non minoris esse certitudinis, quàm cum verba scripturæ in primarium, & proprium sensum referuntur; eo quod Spiritus sancti assistentia, passura nunquam sit, vt in re tanta, populo Christiano illudatur. Hoc quoque repudio, neque enim Ecclesia sic accommodans locum aliquem, nisi aliunde habeat certam notitiam veritatis ad quam eum locum aptat, intendit, vel etiam intendere potest, eam definire vi illius loci: Definiret autem, si tantam ei certitudinem conciliaret, quantam habet locus acceptus in sensu proprio, & literali. Duntaxat ergo intendit Ecclesia per has accommodationes, accendere. & fouere fidelium pietatem, illustratione mysterij ad quod scriptura quæpiam accommodatur: ad quod non exigitur, vt locus aptatus validè confirmet veritatem, quæ ab Ecclesia intenditur aut recolitur: tametsi ad eius confirmationem non sit inutilis, imo (vt dicebam,) plurimùm conferat, præsertim apud dociles, & Ecclesiam reuerentes.

Denique difficile est euincere, quod de his locis in sensu accommodatitio vsurpatis, contendit Alcazarius l. 4. in Apocal. cap. 2. vers. 1. notat. 2. nempè propter vnionem Virginis cum Christo, Spiritum sanctum in sensu secundario à se intento, expressisse Virginem, iis ipsis locis quæ de Christo sunt in sensu primario. At quid dicemus de locis ad Christum non pertinentibus, Virgini tamen accommodatis ab Ecclesia? cuiusmodi est illud. *Maria optimam partem elegit.* Num aliqua vnio inter Deiparam, & Magdalenam fingenda erit, vt Spiritus sanctus in sensu secundario eam accommodationem intendisse asseratur? Quare ratum sit, quod dixi, has non esse nisi accommodationes ob Ecclesiæ authoritatem, qua perfunduntur, nequaquam spernendas; non tamen ex Spiritus sancti intentione, etiamsi tantum secundaria, huc pertinentes.

Reuelationes

Reuelationes & miracula.

13 SCripturarum suffragationi, haud immeritò subnecti queant reuelationes & miracula, tanquam diuinæ testificationis tesseræ. Quanquam enim neutrum motiuum, est per se satis potens ad inijciendam omnibus fidelibus obligationem credendi fide diuina Catholica, rem in quam cadit; (esto reuelatio, cum cui fit, estque certus de reuelationis veritate, obliget ad credendum diuina fide priuata: de quo aliàs,) tamen negandum non est, quin vtrumque illud motiuum sit valdè idoneum ad persuadendum, & diuina authoritate aliquatenus perfusum censeatur.

Ex reuelationibus ergo quæ in hanc rem adducuntur, explicatissima est quam habet S. Brigitta, l.1.c.9.& l.9.c.49. Eleuant illam aduersarij, sed admodum infœliciter, vt ostendit Cathar. l.4. contra Caiet. pag. 356. qui ibidem pag. 356. obseruat quid ab aliquib. iactatum est de contraria reuelatione facta S. Catharinæ Senensi, esse commentitium, nec alia ex causa excogitatum, quàm vt esset quod reuelationi S. Brigittæ opponeretur. Cæteroqui enim, neque Raymundus rerum Virginis scriptor, neque Stephanus de Senis, neque vllus è tot diligentissimis reuelationum eius scriptoribus, vel verbum habent hac de re, nec dubitat Catharinus quod ex limbo cuiusdam orationis eius allegatæ, esse assumentur, quam audaciam ignosci authori precatur. Reuelationem factam Helsino vel Herluino Abbati, S. Anselmus testatam dedit varijs locis signatis 1. p. Syntaxeos opusculorum. Eam quoque eludere conatur Petrus Cellensis l.6. epist. 23. Anglicanas reuelationes, ob loci vliginem, crebrioribus inibi somnijs annumerans. Quæ irreuerentius dicta, non sunt conuellenda pluribus. Gondisaluum Episcopum suum ante annos ferè octingentos memorant Tolosates, cœlesti monitu se cultui Conceptionis immaculatæ B. Virginis impensè addixisse ab ipsa Deipara arcano colloquio edoctum, animationem primam ipsius, & capertem peccati fuisse, & insigni gratiæ splendore colluxisse, & quod tunc Tholosates Hispanis, & ciuili, & Ecclesiastica administratione iungerentur, Gondisaluo docente Hispanas Ecclesias eum pium sensum de B. Virgine immaculatè concepta hausisse; Apud suos verò Tholosates eandem pietatem seruasse, confirmant ea antiquissima pariter, ac celeberrima sodalitate sub titulo B. Virginis immaculatè conceptæ, in templo B. Mariæ cognomento *Deaurata* constituta, vbi statæ sacra, conuentùsque ad huius mysterij religiosum cultum iam olim habentur, hodiéque perseuerant. Fuit ergò reuelatum Gondisaluo, Virginem fuisse immaculatè conceptam. Idem fuisse reuelatum S. Elisabethæ, refert Pelbartus l. 4. p. 1. art. 3. testimonio 12. qui ex Ioanne Vitali, & Henrico de Hassia, addit alias reuelationes eiusdem veritatis, roboratas miraculis.

Sed illud quoad miracula illustre est, quod scribit de Alexandro Alensi, qui cum octauo Decembris, publicè docuisset conceptionem Deiparæ fuisse maculatam; illico graui morbo tentatus est. & recurrente ea die quotannis, eadem infirmitate occupabatur adeò grauiter, vt ferè opprimeretur: donec de prelensa reuenientis stata die morbi vera causa, homo adhuc secularis, vt scribit Bernardinus de Bust. in Mariali 1.p. serm.7. parte 2. votum vouit se deinceps in alia fore sententia, eamque edito libro confirmaturum. Voti emissionem, consecuta est festina sanatio, & libri per Alensem conscriptio pro pia sententia in qua tantoperè mentem fixit, vt etiam moriens, in eius professione exspirare animam voluerit. Ex quo autem tanto beneficio à Deipara obstrictus est solitum Alensem inuocare Deiparam allegato hoc eius priuilegio immunitatis ac præseruationis à culpa Orig. prodit Bust. loco notato. Opus illud Alens. pro immaculata Conceptione fuisse sex libris comprehensum & in Basilica quadam Tolosana asseruatum esse scribit Ioannes de Celaia in 3.d. 3. memorat idem opus Alensis Gulielmus Vorrilongus eadem disp. asserens tamen ab Alensi pridem inter minores profitente, conscriptum esse sub extremam vitam. Præclarum item est, & Ecclesiæ longè fructuosissimum, miraculum quod Ferdinando V. & Isabella Granatam obsidentibus contigisse habēt authentica acta: cum enim non occurreret modus Mauros depellendi, & vrbe Granata quam obsidebant potiundi voto emisso de templo maximo in honorem immaculatæ conceptionis construendo mox vrbe potiti sunt citra difficultatem, nec diu fuit cum voto emisso fecerunt satis. Miraculum suscitati & à damnatione æterna erepti spurci in Horm. Sacerdotis iubēte ipsa Deip. vt festū suæ concept. deinceps gratus exigeret. Describit Goag. sub fin. poëmatis de concept. contra Bandellum: è contrario autem Cracouiæ anno 1350. cum Religiosus quidam Paulus nomine pro concione declamaret contrà immaculatam conceptionem iusto Dei iudicio repentè ante concionis finem in ipso sacro suggesto capitauit magna asseclarum in piam assertionem malè affectorum consternatione, vt scriberet longius in Chron. Criyz. Magnum Chronicum Belgicum, Meyras l. 13. annal. Flandr. Henricus Spondanus ad annum 1350. Suo tempore sanitates & gratias admirabiles, interpositâ conceptione immaculata impetratas testatur Catharinus l. 4. contra Caiet. *pag.* 357. Sub superioris sæculi initium contigit quod refero acceptum ex Nexembergio in vita S. Ignatij c.4. Sacerdos apud Manresam Hispaniæ opidum, ludi magister, cum in pusionem quem instituebat, egisset seuerius, à quodam pueri cognato in rabiem acto trucidatus est, homo cætera probus ac pius; omnibusque oppidanis acceptus. Itaque omninò multis ad eius funus honestandum adunatis, cum cadauer in feretro compositum iaceret, subitò exiluit viuus, qui qui fuerat mortuus, palam omnibus stupore defixis denuncians se ea tantum de causa ad vitam benignitate Dei remissum, vt falsam opinionem de Deipara in originis peccato concepta qua viuens fuerat imbutus, publica, & solemni retractatione deponeret, & purissimam B. Mariæ cui cæteroqui fuerat addictissimus cōceptionē, cantata prioris sententiæ Palinodia profiteretur: Fecit quod iussus à Deo fuerat, moxque iterum in feretro reclinatus in Domino obdormiuit. Narrationem huius prodigij in claustro Ecclesiæ collegiatæ Mantosæ, cum aliqui obliteratam vellent, inquisitio Barthinonensis semel, & iterum interpellata, causa ritè discussa perstare voluit.

Quid Romæ contigerit Idibus Nouembris anno 1652. in cœnobio Cappucinorum montis Quirinalis, è regione palatij Pontificij: docebūt subiecti versus à Hier. Petruuio tunc editi de Virg. ex calculo grauissimè laborante, cui per Confessarium ex ordine Cappucinorum, porrecta est chenula parti laboranti applicanda, inscripto hoc lemmate, *Conceptio immaculata S. Dei genitricis Mariæ.* At Monialis chartam glutinit, effectu his versibus ex presso.

Pars II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.

Virgo laborans calculo chartam vorat.
Conceptio immaculata quam scripto notat.
Charta inuolutos quam prius vorauerat,
Duos repentè calculos Virgo parit.
Instinctione colligatos calculos;
Conceptio immaculata præcones facit.
Conceptionem labis expertem negas
Lapides loquuntur: Lapidis hoc verbum, sat est.

Calculosæ momentaneã curationẽ, excepit similiter facta alterius Monialis hydrope laborantis, in eodẽ cœnobio curatio. Narratio est variorum literis firmata, & quaquauersum sparsa, tanquam indubitata. Quanti tamen esse debeant offuciæ, eidem narrationi postea affusę, aliorum est iudicium. Audio depositionibus similibus curationibus, integrum volumen esse apud Siculos editum, sacrorum. Quæsitorum suffragatione munitum. Hæc igitur & alia in hanc rem à plerisque collecta, tametsi diuina testificatione perfundi videantur, ideóque magni sint facienda, tamen quod non paucis cauillationibus pateant, & indociles minùs flectant, habemus firmiorem scripturàrum sermonem, cui benè fecimus attendentes.

Patres pro eadem sententia

54 AD diuinam suffragationem, ex scripturis, & reuelationibus ac miraculis petitam, adiungendus est sensus Patrum, qui traditionis diuinæ argumentum suppeditat. Tam multa porrò Patrum loca in hanc rem vbiuis præstant, vt superuacaneum videatur, grauare se labore, aliqua de nouo congerendi. Diligenter Salazarius l. de Concept. c. 41. per singula Christiana secula, digessit testimonia Patrum qui conceptionem puram B. Virginis, agnouisse visi sunt. Et multos quoque, Græcos pariter, & Latinos, collegit Coccius t. 1. Thesauri l. 5. artic. 1. Eminent ij qui B. Virginem, omni ex parte puram, & incontaminatam, ac prorsùs impollutam, ipsisque beatis spiritibus puriorem, & nitidiorem nominant. Multa huiusmodi ex SS. Ephremo, Basilio, Ambrosio, Nazianzeno, aliisque Patrum primoribus, profert in hanc rem Iustinianus t. Ioan. 1. ad vers. 8. à num. 55. Virginem in partu doloribus puerperarum per Euæ culpam transfusis caruisse, quia cum aliis natura communicabat, non culpa, dixit Author sermonis de Natiu. Dom. apud Cyprianum. Optimè S. Aug. l. de natura, & gratia c. 36. cum de peccatis agitur, (nec se restringit ad vllum prorsùs peccatum; imò maximè agit de originali, vt benè expendit Cathar. l. 1. de concept. §. *est & alia.*) negat velle se vllam prorsus quæstionem habere de B. Virgine: eo quod ob filij dignitatem, ab omni peccato immunis fuerit. Laudant pro immaculatę conceptionis assertore, hunc D. Aug. locũ, Iacob. de Valentia in psal. 45. *in fine*, conclusione quarta, & author sermonis quarti super *Salue Regina* apud Bern. Estque reuera insignis locus, quem perperam P. Cluniac. l. 5. epist. 7. allegat ex lib. de perfect. iustitiæ. Perperam autem Estius in 3. d. 3. §. 4. fingit Augustinum eo loco non agere nisi de peccatis actualibus. Nam D. Augustinus apertè agit de peccato *omni ex parte*, atque adeò etiam de peccato originali. Et ratio ducta ex honore Christi, æquè viget pro exclusione peccati originalis. Ludicrum præterea est quod Estius causatur varietatem lectionis in eo Augustini loco cum nonnulli Codices Manuscripti habeant notã interrogandi, non autem affirmationem, sic legendo. [Vnde enim scimus quod plus gratiæ collatum ei fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum] Hæc lectio est mendosissima & pugnans cum filo discursus S. Augustini, vt attendenti liquet. Itaque receptissima lectio non habet *vnde* cum nota interrogandi, sed *inde* cum nota affirmandi. Et ita legit Magister in 3. d. 3. & S. Thom. 3. p. q. 27. art. 4. passimque cæteri. Itaque locus ille validissimus est in rem præsentem. Notatu item in hanc rem dignus est Damasceni locus ex orat. 1. de Natiu. Virg. quoad conceptionem Virginis, è beatis Ioachimi lumbis, immaculatum semen fluxisse docet, & naturam in eo conceptu, ansam esse gratiam anteuertere, diffitetur. Idem ode de B. V. inserta Menæis 27. Ianuar. sic eam affatur Salue passercule castissime, absque vlla næui vel vmbra. O semper, & vbique in culpatissima Numinis mater.] Apertè veritatem propositam docet Honorius in Sigillo circa illud Cant. 5. *vt aperirem dilecto meo*. S. Hildephonsus expressissimè tradit hanc sententiam sermone 1. de partur. & purif. B. V. *in fine*, & l. de perpet. B. Mariæ, Virginitate, & partu. *Ante medium*, & *ferè in fine*. Disertè item Petrus Damiani ser. de Annunc. Et optimè quoque serm. de Assumptione, nec non creditus Anselmus, (reuera Herueus,) 2. Cor. 5. & Laur. Iustinia. in fasciculo amoris c. 7. & l. de perfectionis gradibus, ac libro de casto connubio Verbi, & animæ cap. 7. & Idiota l. de B. Maria c. 2. & 6. Ioannes denique Geometra hymno 4. sic affatur Virginem. [*Gaude primæui libera labe Patris*,] id est, quæ peccatum originis non incurristi. Et paulo ante.] *Et vitij nostri crimine, Virgo carens.*] Menæis Græcorum, supponit locus in hanc rem planè illustris 25. Martij ex homil. de Annunc. Sic enim ibi legitur. [Ille misericors, & amator hominum Deus, cui perpetua de mortalium commodis curam. ille inquam, ceu genitor perculsus amore liberorum, cum opus manuum suarum, à Diabolo Tyrannica seruitute oppressum, atque ad rerum turpium desideria, & ipsam denique idololatriam abreptum videret, statuit filium suum vnigenitum mittere, qui genus humanum è Diaboli manibus vindicaret. Quoniam verò decretum hoc suum, cum ab ipso Satana, tum à cœlorũ quoque virtutibus ignorari voluerat, prouidentia singulari, perfecit, vt SACRA VIRGO AB IPSO VITÆ SVÆ PRINCIPIO, tam omnino existeret pura, quàm esse puram decebat illam, quæ tanto bono, idest Christo digna existeret.] Hanc puritatem Christo dignam, omnes, S. Anselmo præeunte agnoscunt, debere esse summam quæ sub Deo possit occurrere; qualis certè non est, quæ mortale peccatum præuium supponit: ac proinde, Virginem mortali originis peccato non inquinari, necessarium fuit.

Isidori Thessalonicensis locus ex Oratione in Virginis immaculatissimæ ingressum ad Sancta Sanctorum, *circa medium*, dignus est aureis exarari characteribus, adeò apertè exprimit tutorem Conceptionis passiuæ, B. Virginis ex S. Anna & Ioachimo [Sola (inquit) purissima, Propheticum illud euitare posset. *In iniquitatibus conceptus sum*, posseique de seipsa affirmare, *Solam non in peccatis concepit me mater mea. Nimirum hoc etiam numerando inter illa quæ dictum illud complectitur, quia fecit in me magna qui potens est.*] Hic tamen ipse Author sub finem orationis de dormit. Deip. fatetur antequam crasiuerit incaluisse Virgini cum est nata. Quod intellectum de natiuitate ex vtero, sordescet errore. Nam indubitatum est B. Virginem fuisse

fuisse sanctam antequam è matris ventre prodiret. Intellectum autem de natiuitate in vtero de qua est illud, *quod in ea natum est*, contradicit manifestè loco recitat. ex orat. de præsentat. Itaque assumentum esse ad Isidorum quod de hac antiqua crassitie apud eum legitur, non iniuria suspicatus est qui has homilias vulgauit. Emmanuel Imperator orat. in B V. dormitionem, explicatissimè ipse quoque tradit immunitatem Deiparæ à peccato originali. Sic enim habet. [simul atque concepta fuit B. Virgo, Deus illam gratia implebat, qui sibi futuram matrem præstituerat. Imo verò cum illa erat ipse, antequàm esset nata. Nunquam tamen illi non fuit coniunctus, statim atque in sterilis matris vtero cœpit esse.]

Discussa varia Patrum loca minùs idonea.

15 Abstineo consultò pluribus, nominatimque nonnullis grauissimorum Patrum, sed parum fideliter prolatis locis. Eiusmodi est, quod Gerardus Vossius ad orat. 1. Gregorij Neocæsar. de Annunc. contendit, antiquissimum illum Patrem, clarè & disertè tradere B. Virginem esse conceptam absque originali peccato; quia ait, ex omnibus generationibus hanc solam Virginem esse sanctam corpore, & spiritu, ac impollutam, & Euæ in gratia productæ, antistropham. Iungitque in eam quoque sententiam, S. Ephremum, quia in Encomio, vocat B. Virginem, planè puram, & immaculatam, ac ab omni labe peccati alienissimam. Quæ omnia aduersarij, facilè accipient de Virginis nitore quoad peccata actualia tantùm.

Æquè imbelle est, quod ex S. Athanasio epist. ad Epictetum refert Coccius t. 1. l. 3. art. 1. nempe quod agnouerit conceptis verbis, Dei genitricis conceptionem fuisse sanctam, & immaculatam. Locus quidem Athanasij qui producitur, non habetur in Epist. ad Epictetum, sed in serm. de sanctissima Deip. quem Baro. anno Christi 48. n. 14. verius censet non esse Magni Athanasij, sed alicuius Concilio Ephesino, & Chalcedonensi posterioris. Cuiuscunque verò sit; is locus nullo modo facit ad rem præsentem: cum in eo sermo sit de conceptione actiua B. Virginis; hoc est qua concepit filium; quam conceptionem fuisse prorsus immaculatam, nemo non videt. Sed nos agimus de conceptione passiua B. Virginis, qua scilicet ipsa accepit esse per generationem ex parentibus.

16 Pari æquiuocatione, aliqui allegant pro hac veritate Flauium Dextrum S. Hieronymi æqualem, in Chronico quod eidem S. Hieronymo dicauit. Ibi enim anno Christi 308. num. 9. sic habet. [A Iacobi prædicatione, celebratur in Hispania festum immaculatæ & illibatæ conceptionis Genitricis Dei Mariæ.] Verùm (vt dissimulem quanta sit illius Chronici fides, quæ apud Pennotum, aliosque multos admodum notat;) agit quoque ibi author de conceptione actiua B. Virginis, quæ à nobis nunc non attenditur; idque & Biuarius ibi annotauit, & Patet ex contextu: Nam festum conceptionis passiuæ B. Virginis, paucis ante sæculis, & in Hispania, & in vniuersa Ecclesia est institutum.

Ex S. Basilio homil. de hum. Christi generat. argumentatur in hanc rem Antonius Fernandius tractans visionem Sextam sect. 4. num. 2. Hæc enim sunt Basilij verba. [Sanctitate compacta caro, digna erat, vt dignitati Vnigeniti vniretur.] Summam exaggerationem sanctitatis Deiparæ, agnoscit in his verbis Fernandius. Nemo enim miraretur, si S. Basilius animam Deiparæ dixisset sanctam, quia anima sedes propria est sanctitatis. At quod ipsam Virginis carnem dicat sanctitate compactam insignem sanctitatis cumulum præferre videtur. Est autem imprimis compacta sanctitate, per oppositum eius quod de se Dauid agebat, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sicut ergo caro nostra compingitur interueniente originis peccato, quasi fermento malitiæ; ita è contrario, caro Deiparæ compacta est, ipsaque Virgo concepta, interuentu sanctitatis: ac proinde conceptio passiua Deiparæ iuxta D. Basilium, fuit immaculata; vt quidem Fernandius D. Basilium interpretatur. Reuera tamen S. Basilius, non cogitauit eo loco de conceptu passiuo Deiparę immaculato; nec Virginis carnem dixit ęsse sanctitate compactum. sed carnem Christi. Tractat enim verba illa Angeli ad Ioseph. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est.* [Hinc (ait S Basilius) deprehendi licet, quod non secundùm communem modum, carnis constitutio Domino fuit Conceptum namque, illicò perfectum fuit; nō per interualla paulatim formatum, vt planè verba declarant, Non enim dicit, *quod in ea conceptum est:* sed, *quod in ea natum est.* In sanctitate namque caro conglutinata, digna quidem vnigeniti diuinitati coniungi fuit.] Non est quod exponam, hæc ad carnem Deiparæ eiusque conceptionem passiuam non pertinere Manifestissimè enim pertinent ad carnis Christi conceptionem. Itaque frustra inde colligitur, conceptio Deiparæ immunis à peccato originali. *Pars II. Punctum II. Prima Virginis sanctificatio.*

Quidam nuperus, ad eum titulum Litaniarum Lauretanarum, *Mater purissima*, allegat pro immaculata conceptione hunc locum ex libro S Ambrosij serm. de perpet. B. M. Virginitate. [Anima Mariæ, non fuit à casu eleuata, sed præseruata: aliàs non fuisset Virgo, sed peccato corrupta.] Adducit & istum locum ex S. Maximo in quodam sermone. [Hæc quæ fuit admirabilis Dei thalamus, cœleste templum, tabernaculum gloriæ, de quo speciosus prodit sponsus, lux gentium, spes fidelium, condecenter & congruè nulla macula originali contaminata est.] Verúm nil ista, ad stabiliendam tantorum virorum suffragio conceptionem immaculatam; cum vterque locus sit apertè confictus; Et ratio quæ in priore loco adducitur, sit planè vana. Neque enim si B. Virgo incurrisset peccatum originis, excidisset Virginitate, vt notum est; indeque confirmatur, quod alioqui de fide esset B. Virginem caruisse peccato originis cum sit de fide eam semper virginem fuisse.

17 Conceptissimum, planéque luculentum S. Cyrilli Alexandrini locum pro immaculata conceptione passiua B. Virginis, ex libro 6. in Ioan. c. 15. allegat. Feuard. in 3. Iren. c. 33. Sed hæc est decipula lectori posita, non immaculatæ conceptionis stabilitio ex S. Cyrillo. Liber quippe ille qui adducitur, vt tres reliqui intermedij, sunt Clictouæi Doctoris Parisiensis, qui ad explendam lacunam operis illius S. Cyrilli, cuius quatuor duntaxat primi & quatuor postremi libri tunc habebantur, de suo adiunxit libros quatuor intermedios ad eam diem desideratos. Notauerat hanc Feuardentij, siue hallucinationem siue strophan, Suares t. 2. 3. p. d. 3. ne lectori deinceps imponeretur: eáque verborum mollitudine & parcitate id notauerat, vt non esset iustæ offensioni locus. Eam tamen haud effugit. Nam Feuardentius alia eiusdem operis editione, ad idem Irenæi caput,

caput, quotquot apud Suarem, in tot támque ſpiſſis voluminibus obſeruare potuit errores Typographicos, vel ad calcem cuiuſque voluminis pro more ſignatos inuenit in verticem eius regeſſit. At meminiſſe oportuerat, aliùd eſſe meudum per operas nullis litteris ductas, aut plus iuſto feſtinantes irrepens, aliud allegationem obſcuri, & nuperrimi authoris, pro Patre admodùm antiquo, & illuſtriſſimo Eccleſiæ Doctore: Is enim fuit præ Clyctouæo S. Cyrillus, quem *omnium Patrum ſignaculum* indigetauit Anaſtaſius Sinaita. Damaſceni luculentum locum, pro hac veritate, adducit Galatinus lib. 7. cap. 5. Sed Martyrolgio, quod Damaſceni eſſe nou conſtat.

18 Allegatur ab aliis, locus ex S. Bernardo ſerm. 4. ſuper *Salue Regina*, vbi agnoſcit omnimodam innocentiam Virginis etiam, ab originali peccato. verùm neque ſermo ille eſt Bernardi Claræuallenſis, ſed eſt Bernardi Toletani vt ſcribit Iulianus Archipræſbyter in Chronicos neque affirmat niſi emundationem à peccato originis iam contracto. Sic enim habet, alloquens Deiparam. [Turris es libani. Libanus mons qui dicitur *dealbatio*, altam præ omnibus ſignat innocentiam tuam. Innocens fuiſti ab originalibus, & actualibus peccatis. Nemo ita, præter te. Vnde authoritas Auguſtini; *Cùm de peccatis agitur, nullam de Beata Maria volumus fieri mentionem. Ex eo enim materem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit, eum qui nullum habuit peccatum. Ex eo omni* (inquit) *parte*: hoc eſt ex patte originalis, & ex parte actualis peccati: Ea ergo ſola excepta, cæteri omnea quid dicere poſſunt, niſi quod ait Apoſtolus Ioann. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt* Ego quoque pia fide opinor, in vtero matris tuæ, ab originalibus te abſolutam peccatis: nec vana eſt fides, nec opino falſa. Denique & rationes, & authoritas inueniuntur iſta ſtipulantes. Et quidem ratio ſic. Si alij in vtero matris fuerunt ſanctificati, multò magis tu mater Domini: ſed Hieremias & Ioannes, alter ſanctificatus, alter Spiritu Sancto repletus in vtero matris leguntur: Ergo & tu Maria genitrix Dei: quæ ſola totam Spiritus Sancti gratiam poſſediſti, quam alij habuere per partes. Te enim Angelus Gabriel pronunciauit gratia plenam. Tuum odorem longè ante in filio, Patriarcha Iſaac trahebat dicens; *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni.* Tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Tu protuliſti frumentum electorum, quod eſt etiam Angelorum cibus. Te benedixit Dominus. Te, inquam, benedixit Dominus, vt per te benedictam, vita veniret. ſicut mors per Euam proceſſerat maledictam. De te ſecretorum cœleſtium conſcius Salomon dicit. *Quæ eſt iſta quæ progredietur ſicut aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Aurora ſemper noctem ſequitur, nox præcedit auroram. Quid autem eſt frigida, & obſcura nox niſi originale peccatum, frigidum concupiſcentia; obſcurum ignorantia? Tu ergo proceſſiſti, vt aurora lucida, & rubicunda, quia ſuperatis originalibus peccatis in vtero matris, nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis. Inde eſt quod natiuitatem tuam ſanctam, ſancta Eccleſia Feſtiuis celebrationibus honoret, quod aliàs non faceret. Denique nullius præter te, niſi Domini filij tui, & Ioannis Baptiſtæ, (qui vtique ſancti nati ſunt,) colit natiuitatem. Cum igitur tam claræ authoritates diuinæ, tuam ab vtero teſtentur innocentiam, quis vltra dubitet ſanctam te, & immaculatam huic mundo progenitam.] En quomodò innocentiam ab originalibus peccatis, in ſola ante natiuitatem ſanctificatione reponit.

19 Tandem, vt aliam quoque, vel ſuppoſitionem, vel hallucinationem nonnullorum in hac cauſa non diſſimulem, plerique eorum, qui pro vera ſententia, & puritate conceptionis Deiparæ pugnant, vrgent Thomiſtas contra ſentientes, authoritate S. Dominici, quem referunt l. de corpore Chriſti, aſtipulatum immaculatæ conceptioni B. Virg. Ita Tartaretus in 3. d. 3. Galat. l. 7. de arc. c. 5. Pelbartus l. 4. part. 1. art. 3. Caniſius l. 1. Mar. c. 7. Suarez t. a 3. p. d. 5. ſect. 5. Pelinus l. de Concept. diſtinct. 10. cap. 13. Verum Dominicus, author libri prædicti de corpore Chriſti, non fuit S. Dominicus Ordinis Prædicatorum author, quem rerum eius ſcriptores, tale quippiam præſtitiſſe non produnt: ſed vt habetur ex Iacobo de Suſato, in Chronico Ord. Prædic. & ex Antonio Senenſi in Bibliotheca Illuſtrium virorum eiuſdem ordinis, ac etiam ex Malueoda l. de parad. cap. 60. author libri illius de corpore Chriſti, fuit Dominic. de Pantaleonibus, eiuſdem inſtituti, qui S. Dominicum, annis quadraginta eſt ſubſecutus. Itaque non faceſſet Thomiſtis tantum negotium is locus quem negabunt ad Patrem, & authorem ſuum pertinere. Nec rem conficiunt, qui ex Theodorico Apold. l. 1. de vita S. Dominici cap. 6. & ex Vincentio in ſpeculo hiſtor. l. 29. cap. 96. quem adducit S. Antonius 3. p. tit. 19. cap. 1. §. 4. confirmant eum librum de corpore Chriſti, eſſe verè S. Dominici Fundatoris prædicatorum: Nam authores prædicti tantum dicunt S. Dominicum conſcripſiſſe libellum confeſſionis fidei ſuæ de quo mox: qui libellus non videtur fuiſſe liber de corpore Chriſti de quo agimus. Quamuis quod Dominicus ille de Pantal. clareſcit anno 1361. non ita multò poſt S Dominicum ſuppetit ſuffragium perantiqui Dominicani pro conceptione immaculata omninò luculentum. Ait enim. [Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri.] Locus in rem noſtram optimus, ſed qui (vt præmiſi,) non admittetur à Thomiſtis tanquam Dominic. nec vt detur ſuppetere idonea probatio ad eos reuincendos.

20 Æquè ambigo an firma apud Thomiſtas futura ſit, fides narrationis quam refert Pelbartus l. 4. Stellarij parte 1. articulo 3. *ſub finem*. Narrat ibi Pelbartus, S. Dominicum, cum in ora Tholoſana confligeret cum Hæreticis, tres articulos de quibus erat illi lis cum ſectariis, nempè de Chriſti diuinitate, de veritate præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, & de B. Maria verè Deipara, (quod vltimum eam ob cauſam negabant Hæretici, quia fuerat maculata peccato originali, curaſſe ex condito vtrinque in chartis papyraceis, (libellum vocant varij Scriptores rerum S. Dominici) ſententiam cuiuſque conſcribi, quibus in ignem iniectis, eæ continere veritatem cenſerentur, quę ab igne manſiſſent intactæ. Mirum dictu; iactis ex compoſito vtriuſque partis chartis in fornacem ardentem, & ſimul cum charta ſua, Euchariſtiæ ſacramento, per S. Dominic. in eoſdem igneos globos coniecto, ſectariorum quidem ſingrapha momento conſumpta eſt, charta autem S. Dominici qua niteus, & dura Deiparæ conceptio affirmabatur, poſt triduum vna cum ſanctiſſimo Chriſti corpore, eſt educta planè

illæſa

illæsa Obsignat Pelbart. narrationem, dicens; Tanto miraculo attonitos hæreticos resipuisse, rémque totam sepulchro hominis Dei inscriptam fuisse. Hæc si constanti apud omnes vernate niterentur, non parum contra aduersarios momenti haberent. Sed nec ipsi hanc narrationem esse veram agnoscent, nec vlli veteres scriptores prodiderunt, fuisse D. Dominico cum Tolosanis hæreticis controuersiam de puritate conceptionis passiuæ B. Virginis. Itaque tota ea narratio, prout à Pelbarto refertur, non vacat suspicione figmenti. Apage verò à matre veritatis, commenta. Non eget B. Virginis immaculata puritas, fulciri baculis hisce arundineis, perforantibus innitentium manus, cui tam multa solida & firma, omnísque periculi vacua suppetunt firmamenta. Veritas autem miraculi à S. Dominico inter agendum cum Albigensibus patrati, sic habet, ex illius æui Scriptore qui aderat, & omnia cominus oculis vsurpabat. Is est Frater Petrus Monachus Cisterciensis, cœnobij Vallium ad Iuteriam, in Historia Albigensium capite 8. vbi certamen hoc S. Dominici cum Albigensibus, latè describit, aitque; Dominicum Episcopi Oxonensis socium, (ipse est S. Dominicus Ordinis Prædicatorum parens) post disputationem cum Albigensibus, scripto comprehendisse omnia testimonia quæ inter disputandum allegauerat; illudque scriptum exhibuisse cuidam Hæretico, considerataturo quid responderet. Ea ipsa autem nocte, hæreticum sedentem ad caminum cum sociis, schedam exhibuisse, & persuasum à suis in ignem coniecisse, certò veritatis hæreticæ (scilicet) argumento, si inflammaretur, & in cineres abiret, & contrariæ Pontificorum doctrinæ, nitentis veritate, si illæsa in igne perstaret. Scheda in ignem coniecta, semel iterum, ac tertiùm, dum aliquandiù in igne hæsisset, exsiluit ab igne inuiolata. Pro viribus annisi sunt hæretici rem cælare; sed miles qui aderat, nec planè dogmatibus eorum acquiescebat, rem gestam retexit. Ita F. Renus; ne verbum quidem habens, quod lis inter S. Dominicum, & Albigenses fuisset de Conceptione passiua. Mariæ: Sed tantum generatim aiens, disceptatum fuisse de eorum decoribus, qui eiusdem operis capite secundo memoraretur, suntque illi ipsi quos Præfectus V. *Albigenses* enumerat contra vnitatem Dei, ac resurrectionem, & sacramenta aliáque eiusmodi. Itaque gratis, & sine fundamento, narratio de scheda Sancti Dominici illæsa ita hanc causam aduocantur.

Dimissi externi, quamuis astipulati proposita sententiæ.

11 EAmque ob causam, non placet cum nonnullis, externorum in hanc rem suffragium anxiè corrogare; Rabbinorum inquam, & Saracenorum. Rabbinos aceruat benè multos Galarinus toto propè libro 7. Saraceni, tametsi à Christiana fide alieni, tamen Deiparam (cuius in Mahumeti scriptis aliqua mentio cum summa laude est,) cuiusuis peccati, nominatímque Originalis expertem esse statuerunt: idque ab illis ex Euangelio Arabico multis fœditatibus commixto haustum, refert Galat. l. 7. cap. 5. Verba Alcorani in hanc rem formalissima, exhibet Pelbartus l. 4. Stellarij p. 1. art. 3. testimonio 9.

Huc etiam pertinet, quod Iacobus Perez. de Valentia ad vers. 3. Cantici Deiparæ, narrat accidisse Auenione, anno Christi 1322. sedente ibid. Ioan. 22. Rem alibi à me non lectam, placet prædicti Authoris verbis referre, ne quid appinxisse videar. Probat ergo Iacobus nitorem, & puritatem Conceptionis Deiparæ, quia [hoc fuit decens ex parte nostri, ad remouendum omne scandalum, tam à fidelibus: quàm ab infidelibus. Nam magnum scandalum infert & generat in animo, & auribus audientium, dicere Matrem Dei aliquando fuisse in odio, & ira Dei, & in seruitute, & captiuitate Diaboli. Vnde anno Domini 1322. Ioanne 22. in sede Apostolica constituto, venit quidam filius Soldani Armeniæ, Græca & Latina lingua eruditus, ad nostras in partes Latinas cum saluo conductu, ad videndum mores, & ritus Christianorum; & fuit receptus Auenione in curia Papæ cum magno honore, qui quotidie interat in solemnitatibus diuinorum officiorum, in quibus maximè delectabatur. Et accidit in die Conceptionis Virginis Mariæ, quod quidam ascendit ad prædicandum; in qua prædicatione voluit probare per quasdam authoritates Sacræ Scripturæ, Virginem Mariam contraxisse culpam originalem. Quibus verbis auditis, intantum fuit scandalisatus ille filius Regis Armeniæ, quod surrexit à loco, & cum magno furore dixit Papæ & Cardinalibus, quod mirabatur de ipsis qui erant capita Christianæ Religionis vt talia tolerarent audire de Virgine Maria. Vnde etiam dixit, quod si quis talia dixisset in conspectu Califæ, aut Soldani Ægypti, aut in conspectu aliorum Sarracenorum, nullo pacto potuissent euadere quin ab omnibus lapidaretur, quantumcunque ille esset magnus. Imò si quis talia dixisset de Matre Mahometi, nullo pacto euaderet mortem. Et sic iste taliter scandalizatus, reuersus est in regionem suam, qui ante deliberauerat baptismum suscipere] Edita nuper à Bosqueto Ioannis 22. & aliorum qui Auenione sederunt Pontificum Romanorum acta, nihil tale produnt. An quod Scriptor tametsi Anonymus, erat Ordinis prædicatorum, nec in puritatem Conceptionis Deiparæ benè animatus, vt patet ex iis quæ in gestis Clementis septimi scribit, referens turbas in F. Ioannem de Montesono tunc Lutetiæ excitatis, ob damnatam ab eo impuritatis, ac sordium parentalium conceptionem Beatæ Virginis Mariæ? Minùs erit, ea præfiisse Bzouium anno illo 1322. nec saltem, vt improbaret, vel commenti redargueret, ea anotasse. Notant quippè qui illum norunt, non eandem ab eo adhiberi diligentiam, iis annotandis quæ causæ suæ vel amicorum incommodant, quàm conuertentis (testes F. F. Minores,) aliorum Ordinum probris: non rarò absque discussione & examine, quod pridem quæsti sunt alij. Mihi si narratio vnius Peresij, & Religioni August. & Valent. Archiepiscopi testificatione nixa, alicui non sapit; & sensus Saraceni de immaculata Beatæ Virginis Conceptione, quod sit hominis à ferendo de rebus sacris testimonio repulsi, abiiciendus videtur; grauis non erit repulsa: qui contestatus sum, non placere, huius veritatis per tam infirma firmamenta, stabilitionem.

Pars II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.

Pro

Pro nitentissima Virginis Conceptione, Rationes. Ac primùm ex protoplastorum, & Angelorum, creatione in gratia.

12 PErgo ad suffragium rationis. Quamuis enim in re à Dei beneplacito prorsus pendente, non sint quærendæ rationes apodicticæ; suppetunt tamen rationes morales valdè idoneæ, quibus suadeamus, Deum reuera id voluisse. Septem rationes profert Pelbartus l.4. Stellarij p. 1. artic. 3. Quatuordecim proponit, & splendidè amplificat Catharinus l. 3. de immacul. concept. *ferè per totum*. Adduco, & breuiter perstringo paucas.

In primis vero illam quæ fundatur in principio quod cautione 3. ex variis Patribus confirmauimus; nempè quod nullum priuilegium ad maiorem sanctitatem pertinens, ac veluti perfectio simpliciter simplex in genere boni interni, sit concessum puræ vlli creaturæ, quod fuerit B. Virgini negatum; de quo dubitandum non videtur. Nisi fortè non creditur Dei filius honorare Matrem, cui soli obstrictus est, vt S. Methodius pulchrè dixit: aut existimandum est, arcam gratiæ, (vt S. Bernardus serm de S. Maria, Virginem nominat.) alicuius simpliciter dictæ gratiæ, quæ alicui puræ creaturæ sit tradita, fuisse expertem. Non sinit de hac re matris dignitas, & filij in eam affectus, ambigere.

Atqui multæ puræ creaturæ, sunt conditæ in gratia, ita vt non priùs fuerint, quam essent Sanctæ, & Deo gratæ. Id enim de Adamo, planè habent varij Patres, apud Bellarminum l. de gratia primi hominis c. 2. & 3. & apud Coccium t. 2. l. 1. artic. 3. latéque id confirmant Val. 1. 2. d. 7. q. 2 p. 2. Mol. 1. p. q. 62. art. 3. Suarez 3. Cosm. c. 17. Sotus t. de natura & gratia c. 15. Azor. t. 1. l. 3. c. 41. q. 2. & c. 42. q. 4 ac Pineda in c. 7. Eccles. *ad vers.* 30. num. 13. circa illud quod ait ibi sapiens, hominem factum esse à Deo rectum. Quæ verba, existimaret significare quod dixi. Sicut etiam Pererius l. 5. in Genes. in eundem sensum accipit illud, *faciamus hominem ad similitudinem nostram*. Similitudinem enim post Patres benè multos, interpretantur sanctitatem naturali imagini superadditam, in qua homo sit conditus. Multis D. Augustini testimoniis hanc sententiam de coæua Adamo sanctitate, confirmat Vasq. t. 2. d 132. n. 31. De Angelis idem tradit S. Thomas 1. p. q. 62. artic. 3. vbi idem confirmant Scholastici passim. Vasq d. 227. c. 2. Val q. 13. p. 1 Suares l. 5. c. 4. qui alios multos proferunt.

Si igitur cum his puris creaturis concreata est sanctitas, non est ambigendum quin æquè Deipara iam à primo momento sui esse, gratiam sanctificantem acceperit: Alioqui falsum erit quod S. Iacobus in Liturgia, S. Ephrem initio laudationis Deiparæ, passimque Patres contestantur; Virginem, & Angelos, & quoscunque homines superasse puritate: quod D. Thomas in expositione salutationis Angelicæ valere ait, & quoad operationem boni, & quoad vitationem peccati. Nec verum item erit, quod ait Pet. Damiani serm. 3. de Nat. Virg. [Talem creauit eam, vt ipse dignè nasci potuisset ex ea.] Hæc ratio, in hoc negotio potest videri quasi à priori, cum petatur ex dignitate matris, quæ est radix, & causa omnium perfectionum Deiparæ: & in ea inuoluitur honor, quo optimus filius meritissimam de se matrem prosequi debuit, amor sponsi erga sponsam primæuam, coniunctio summa carnis Christi cum carne Virginis, & alia quæ primis quinque persuasionibus expendit Catharinus l. illo 3. pro concept. immacul.

Alia ratio, ex peccati, cuiusuis actualis exclusione à Deipara.

13 SVbiicio rationem optimam à posteriori, fundatam in ea D. Augustini doctrina, quæ fert, peccata actualia esse infœlicia germina originalis peccati: ita vt vbicunque peccatum actuale inuenitur, præcesserit originale; Vbi autem nullæ vnquam sordes actuales, saltem veniales, reperiuntur, defuerit originale. Struit huiusmodi argumentationem D. Augustinus l. 5. contra Iulia. c. 9. [Illud sanè (inquit) magnum verúmque dixisti, cum posuisses testimonium Apostoli Petri, dicentis; *Qui peccatum non fecit*, notandum esse quod iudicauerit Apostolus, sufficere ad ostendendú in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum: Vt doceret, inquis, quia qui non fecit, habere non potuit. Omnino verissimum est. Profectò enim peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset. Nam propterea nullos est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.] Liquet, iuxta Augustinum, peccatum originis, subsequentia habere peccata actualia: Et è contrario; in Adami posteris, vbi nullæ reperiuntur actuales maculæ, non antecessisse originalem.

Atqui B Virginem, actuali quocunque peccato, tametsi leuissimo, caruisse de fide est. Nec diffitentur aduersarij, valdè dedecuisse vt B. Virgo cui tanta cum Christo affinitas, & coniunctio erat, vllo vnquam actuali peccato, etiamsi non nisi veniali, contaminata fuerit, vt optimè argumentatus est D. Thomas opusc. 60. art. 3. & 3 p. q. 27. art. 4. prolatis in eam rem quatuor rationibus quas apud ipsum D. Thomam legere est, & multo magis vrgent pro excludendo à B. Virgine peccato originali, quàm pro excludendis venialibus, vt Catharinus l. illo 3. persuasione 8. rectè expendit, confirmántque Canisius l. 1. de Deip. c. 6. & Salazarius l. de concept. c. 25. & 26. longè magis namque dedecet Dei matrem macula mortalis, cuiusmodi est peccatum originis, quàm macula venialis; quæ tametsi est voluntaria, (non item originalis,) tamen leuicula est, nec hominem à Deo abalienat. Igitur ex carentia venialium in Deipara, rectè infertur præseruatio ab originali. Deterrimè verò Gregorius Arim. in 2 d. 30. quæst. 2. artic. 1. ad 3. Vt Virginem originali peccato securè inquinaret, actualibus quoque labeculis eam infecit; quod esse contra fidem, infra dicetur. Mox certè ipse Gregorius art. 3. ad 1. abiicere videtur eam impietatem in Deiparam, atque adeò rationi nostræ tacitè succumbit.

Neque verò hanc rationem nostram grauat subtilitas nupera ex eo ducta quod peccatum veniale actuale sit offensa Dei, non item peccatum Originis quod est mera priuatio gratiæ ob peccatum capitis. Vnde si data fuisset B Virgini optio præseruationis à peccato veniali, vel præseruationis à peccato originis debuisset potiùs eligere immunitatem à non contrahenda macula veniali per proprium actum malum venialiter, quàm immunitatem à contrahenda labe lethali per actum alienum. Ita Card. de Lugo disp. 5. de pœnit. sect. 5. num. 60 refellens argumentum Hieronimi à Florentia quo probabat Conceptionem passiuam

passiuam B. V. fuisse immaculatam, quia debuisset potius B. V. eligere immunitatem a peccato originali quippè detestabiliore, quam immunitatem à peccato veniali sibi concessam. Dico tamen argumentum quo hæc Florentiæ probatio impetitur, nihil grauare argumentationem prout à nobis proposita est. In electione enim qua persona sibi potiùs eligat peccati venialis proprij admissionem, quàm tale grauiorem, atque mortalem ex aliena culpa, locum habet subtilitas proposita, quod scilicet tam esse nequeat velle incurrere proprium peccatum veniale, etiam ad euitandum maius malum aliena tantùm culpa obuenturū, quia nunquam est licitum peccare, quicunque demū bonus finis ostendatur. At nostra argumentatio non supponebat B. Virginem electuram sibi potiùs subiacere veniali peccato quàm originali; sed assumebat, Deum qui optimè perspectam habet virulentiā peccati originalis præ veniali, pro eo affectu quo B. V. decreta persequebatur, voluisse ei potiùs immunitatē à peccato originali, quàm à veniali, quia peccatū originale est maius malū Virg. quàm veniale; nec ex eo quod à Deo eligatur in aliquo eius permissio, sequitur aliquid ipsius Dei peccatū, sicut sequitur peccatum, (etiamsi leue,) in eo qui eligeret sibi, potiùs subduci peccato originali quàm veniali. Itaque quicquid sit de illa argumentatione Hieronimi à Florentia, nostra tamen argumentatio non patet eidem criminationi: sed rectè, ex eo quod Deus voluerit Virg. immunitatem ab omni veniali, colligimus voluisse ei immunitatem à mortali. Sicut igitur Aduersarij, immunitatem Virg. à quouis peccato actuali Ecclesiæ competiam ex tot testimonijs quibus inter eiusdem supra Angelus affirmatur, diffiteri non audebunt; ita immunitatem ab originali firmatam iisdem testimonijs traditionem diuinam insinuentibus, admittane necesse est.

24 Quid quod iuxta aduersarios, incursus originalis peccati, in Deipara non potest habere locum absque actuali culpa mortali? vt proinde si necessariū est B. V. ab omni labe actuali eximere, necessarium itidem sit iuxta aduersariorum principia, eam eximere à peccato originis. Liquebit quod dico, si recolamus, aduersarios in ea esse sententia, vt quisquis ratione potitur, in ipso primo diluculo vsus rationis, absque vlla comperendinatione, teneatur sub graui culpa; subijcere se Deo per actum amoris super omnia Ita enim contendunt esse faciendum, vt primitię cogitationis, & amoris, tanquam liba supremarum hominis facultatum, pendantur Deo. Atqui B. V. in primo instanti sui esse, donata est vsu rationis. Debuit enim potiri rationis vsu intra vterum matris, vt posset Deum amare, & colere in illis latebris: quia cum id pertineat ad hominis sanctitatem, sitque Ioanni Baptistæ concessum, non potuit profectò negari Deiparæ, iuxta principium supra positum; quod omne beneficium ad hominis sanctitatem pertinens, puræ alicui creaturæ non nisi famulæ concessum, non sit B. Virgini, quippè parenti, negatum. Et quamuis vt id beneficium Ioanni obtingeret, exspectandus fuit occursus Christi, qui fuit tantùm post semestre à conceptione Ioannis: hæc enim fuit sola causa præcoquæ rationis expeditæ in Ioanne, vt Christum aduentantem, iam tunc indicaret; & Verbi tanquam margaritæ intra Virgineam testam abditi, gloria panderetur:) tamen quoad B. Virginem matris vtero conclusam, quia nulla talis erat causa differendi concessionem vsus rationis expeditæ, fatendum est, concessionem illam factam esse absque mora, & à primo momento quo producta est, vt manè diluculo præueniret in maturitate, exercendo scientiam infusam independentem à phantasmatibus. Iuxta aduersarios: ergo, nisi B. Virgo ex illo primo momento quo adepta est vsum rationis, obtulisset se Deo per actum perfectum amoris, incurrisset peccatum actuale, quod cum certum sit non habuisse locum in B. Virgine, fatendum est, eam talem perfecti amoris actum elicuisse. Constat autem eo actu conuehi gratiam sanctificantem: ac proinde aduersarij, iuxta sua principia non possunt defugere: quin B. Virgo in primo momento sui esse, gratiam sanctificantem habuerit. Quod argumentum aliter formari potest, seposito principio illo, quantum arbitror, ruinoso de necessitate perfectæ conuersionis ad Deum, in primò præcisè momento vsus rationis. Indubitatum quippè videtur, animam Deiparæ, cum primùm in intellectu, vberi luce qua Deum finem vltimum perspiceret, est collustrata, (quod in primo vitæ eius momento accidisse monstratum est,) summo impetu, absque mora in Deum tetendisse, per actum amoris perfecti, qui sanctificationem infert, & excludit lethale peccatum. *Pars II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.*

Ratio ex virulentia peccati originis.

25 AD extremum, ille sibi persuadeat, B. Virginem subiacuisse vel per momentum peccato originis, qui virus huius peccati minimè perspexerit. Peccatum enim originis, est peccatum mortale, reddens hominem filium iræ, & Diaboli mancipium. Ratione eius paruulus est monstrum in genere entis ad finem supernaturalem destinati: caret quippè ea perfectione, quam secundum illum statum habere deberet: ita vt sicut homo qui conciperetur absque naso, aut manibus, haberetur monstrosus, & peccato naturæ affectus, quia careret perfectione quæ ei secundùm naturam suam debetur: ita monstrosus similiter sit censendus, qui cum sit destinatus ad finem supernaturalem, caret tamen gratia sanctificante, quæ ad illum finem consequendum est planè necessaria. Et quia carentiæ sanctitatis, quæ est veluti substantia absconditi cordis hominis, iungitur in paruulo sic concepto, carentia fidei, spei & charitatis, qui habitus, sunt potentiæ interioris hominis; consequens est, vt infans illis destitutus, sit in ordine gratiæ, cæcus, surdus, mutus, & ad quidlibet præstandum impotens; ac vt D. Bernardus serm. 78. in Cant. scitè dixit, *portans caputium verecundiæ* Quo loquendi modo, reuocat in memoriam quod Beniaminus Tudelensis in Itinerario scribit, de Calipha Bagdad: qui in signum mortalitatis, gestans pannum nigrum quod *confusionis, & verecundiæ caputium* nominat, prodibat in publicum. Disserit de huius peccati, (vt vocat,) veneno, luculenter, idem Bernardus serm. in feriam. 4. hebdom. pœnosæ. Ipsi Rabbini referente Serario l. 1. contra Puccium cap. 7. variis nominibus tetram huius peccati faciem exprimere conati sunt, vocant enim, *malum, cordis præputium, inimicum ac oserem, scandalum siue offendiculum lapidem*; siue *cor lapideum, immunditiam Aquilonarem*. Sapiens *graue iugum* filijs Adam ab ortu impositum nominauit, iuxta D. August. interpretationem c. 66. Enchiridij, & lib. 6. contra Iulia. c 10. *Sordes* absolutè vocat Iob. c 14. iuxta 70. Nam vbi vulgata habet, *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*, 70. legunt. *Quis erit mundus à sordibus Ne vnus quidem etiamsi vnius diei fuerit vita eius super terram.* Eúmque locum frequenter ad Originalis peccati assertionem adhibet S. August. vt 6. contra Iulia. cap. 26. & 27. & serm. 29. de verb.

Apost. quod item faciunt Orig. hom. 12. in Leuit. Author homiliæ de Adam, & Eua apud Chrysostomum, & Hesychius in leuit. c. 6. Est igitur Originalis nexa, quid sordidum, & lutulentū; nec abs re dicuntur *sordes*, numero multitudinis, quia hoc peccatum est virtualiter omnia peccata, velut omniū radix, prout à S. Leone appellatur Episto. 86. & propterea Dauid qui se ex legitimo matrimonio conceptum nouerat, dicebat tamen se conceptum in peccatis & in iniquitatibus à matre sua, iuxta interpretationem illius loci quam adhibent S. Hila. in Psal. 118. *sub finem*, Hiero. in c. 37. Ezechielis, & Hesych l. 3. in leu. c. 12. nempè quia peccatum Originis in quo solo Dauid conceptus erat, est radicaliter omnia peccata. Vnde infantes quos constat nullo sordere actuali peccato, dicuntur baptizari in remissionem *peccatorum*, idest peccati originalis, vt exponit D. Aug. 1. de peccat. merit. à c. 30. & l. 5. contra Iulia. à c. 5. & in 2. respons. c. 54. ac Fulgent. l. de Incarn. c. 15. de truculentia, & fœditate peccati originalis non plura hoc loco.

Clarum itaque, (dignum certè ac iustum,) videtur, tam teiram ac horrendam originalis peccati formam, vi cuius persona Deo exosa redditur, & sedes Satanæ, non habuisse vnquam locum in Deipara, cū ab amantissima prole, tanto malo subduci absque difficultate potuerit: alioqui *armarium vitæ* (ita V. nominat Chrysippus Præsbyt. homil. de Deip.) fuerit armariū mortis; & thronus Dei, (quod est Virg. apud plerosque Patres nomen,) fuerit sedes Diaboli; quæ cruda verba de matre Dei, pius animus vix absque horripilatione possit dicere: præsertim cum per Ecclesiā liceat, de tanta matre honorificè sentire. Quod mihi argumentum visum semper est longè potentissimum, ac tale, vt non abs re Gregorius de Valentia 3. p. d. 2. q. 1. puncto 2. nescio cuius apud deuotos fideles notæ, ac timoris, ex sua ipsorum conscientia, insimulet aduersarios, quod cum possint honorificè de B. V. hac in parte sentire; & Ecclesia non modò nō repugnat, sed etiam ad piū illum sensum collatis ex Christi ærario indulgentiis inuitet, nullúmque esse in pio sensu erroris practici periculum admoneat, & contrarium asserentes perculerit Ecclesiastico fulmine, (liquet de his omnibus ex decreto Sixti 4.) Tamen pertinaciter obluctentur, & gratis nolint esse pij in Virginem.

Moralis ratio ex pij cuiusque in Virg. affectio: Et an Christum quóque vrgeat.

26 CONcludamus igitur harum rationum seriem, hac vt ego arbitror, validissima. Debet pius quisque ita esse in Deiparam affectus, vt quantum per Ecclesiam, & veritatem licet, velit de ea honorificentissimè sentire. Atqui licet per Ecclesiam, affirmare hac in parte, quod est Virgini honorificentius; nempè non esse conceptam in peccato originali; sed ex primo momento habuisse gratiam: idque Ecclesia liberat periculo erroris. Ergo qui in B. Virginem pius est, (qualis profectò esse debet, quisquis in ipsum Christum pius vult videri, & esse,) omnino debet admittere, B. Virginem habuisse gratiam sanctificantem, iam ex primo momento sui esse: ac proinde caruisse peccato originali. Non video quā pateat effugium, vel quo munimento, impetus huius moralis demonstrationis, declinari sufficienter possit.

Missam facio aliam quandam, pro hac veritate rationem, quam adhibent Iacobus de Valentia in Canticum Deiparæ ad vers. 4 dignitate 2. & Catharinus l. 3. pro Concept. persuasione 4. Nimirum quod Christus, non modò matrem præseruarit, sed etiam præseruare debuerit, nec potuerit eam absque subuentione ista dimittere, sine iniuria, & impietate. Parentes enim necessitate pressi, non modo ex charitate iuuandi sunt à liberis, sed etiam ex iustitia & pietate, quod est debitum rigorosum, & nullo modo oblæsum vel laxatum, quale est aliorum potentialium iustitiæ partium: imo tale, vt sit inadæquabile vulgaribus officiis. Cum ergo Christi mater in discrimine salutis versaretur, planè nisi Christus immissione gratiæ opitulatus illi esset, iniuria eam affecisset, de prædictorum authorum sententia.

Verùm hi Authores, (nisi concionatoriè locuti sūt, & ad vulgi duntaxat captum, vt pietati quacunque ratione fauerent,) reiiciendi sunt. Neque enim ad seueritatem Theologicam rem exigendo, verè dicitur, Deum cuipiam debere gratiam, præcisa promissione sua, quā in hoc negotio constat non interuenisse. Vnde Christus, non tenebatur ex iustitia prouidere, ne mater inquinaretur peccato originali in conceptione; vel impedire, ne iam nata rueret in culpam aliquā actualem, quasi suppeditato matri concursu in vtramque partem; vel non subministratis ei efficacissimis auxiliis valdè in bono firmantibus, admissurus esset iniustitiam erga matrem. Quid quod in momento conceptionis, Virgo necdum erat mater; nec Verbū, eius filius? Vt proinde non possit subsistere fundamentum obligationis illius ad præseruandā Deiparam, quod Authores prædicti supposuerunt. Verbum enim quā Verbum, non obligabatur B. V. ea obligatione quam filius contrahit erga matrem; sed ea obligatio astringebat duntaxat humanitatē, quæ tunc nō erat. In quem erga cadebat ea obligatio iuuandi, & præseruandi Virg. Ex quo item Christus est productus, nulla fuit obligatio stricta in Christo, cōferendi matri gratias efficaces, vel alia dona supernaturalia; quia hæc non sunt officia quibus compensari par sit officia materna ordinis naturæ; quorum præmium ex obligatione expendendum, in eodem ordine statui debet. Quare facessant qui Christum ad iustificandam in primo momento matrem, obstrictum volunt; ita vt absque culpa, aliud non posset permittere. Hæreticum esse id affirmare, ait Maior in 2. d. 30. q. 4. in *probatione 2. tertia conclusionis.*

Aduersariorum fundamenta disiecta: Patres ab eis perperam adducti.

27 REstat vt euertamus aduersariorum firmamenta: quorum primum ex Patrum authoritate ductum, est planè inane. Patres enim magnā partem, omnibus locis quæ ab aduersariis adducuntur non aliud volunt, quàm B. V. naturaliter spectatam, fuisse obnoxiā contrahendo peccato originis. Et hoc sensu aliquando aiunt, carnem eius fuisse carnem peccati. Ita Aug. l. 2. de peccat. merit. c. 24. vbi Louan. mentem S. Doctoris non sunt assecuti. Aliàs dicunt Virginis peccatum fuisse euacuatum, vel Virginem fuisse mundatam. Sed vtrumque æquè de Christo dicitur quēm constat à peccato prorsus fuisse immunem. Euacuationem à peccato in Christi cōceptione tradit his verbis S. Leo ser. 4 de Natiu. Omni (inquit) homini renascenti, aqua baptismatis est instar vteri Virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui repleuit, & Virginem vt peccatum quod ibi EVACVAVIT sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.] Mundationem Christi tradit S. Ambrosius Aliquando verò eodem sensu dicunt Patres, B. Virginem non fuisse per se immunem à nexu veteris peccati. Ita Eucherius hom. 2. de Natiuit. Dom

Nimirùm

Nimirum: quia nisi Christi merita interuenissent, erat illud incursura vi generationis ex Adamo. Vnde sicut de rebus quæ fuissent ab æterno conditæ, liceret dicere quod essent factæ ex nihilo, & extractæ de non esse, non quidem de non esse posito, sed de non esse excluso; id est in quo fuissent, nisi diuina manu essent inde extractæ: Qua item ratione, de eo quod cōseruatur, dicimus, quod etiam nunc transeat de nō esse; vtrinq; virtualiter tantùm interueniente, quatenus absque diuina conseruatione extrinseca, subesset nihilo: Ita Patres, ea quam retuli locutione, significare duntaxat volunt, statum peccati in quo Virgo reipsa iacuisset, nisi Deus beneuolè eam præuenisset, immittens gratiam sanctificantem, qua mortale peccatum vi generationis obrepturum, exclusum est. Quod benè monuit Argentina in 3.d.3.q.vnica a.1. Hæc ad Patrum loca ab aduersariis contra immaculatam conceptionem iactata, protulisse generatim conuentus, ab eo. Latissimè eam rem dilserunt Canisius l.1.de Deip.c.7.& Salaz in opere de Concept.c.41 ac Catharinus contra Caietanum à pag. 291.

Sigillatim discussi Rup. Ferrand. & Anselm.

28 SPecialiter verò attingendi sunt quidam Patres, de quibus an à puritate conceptionis Deiparæ steterint, an contra eam senserint, magna contentione disputatur. Ij sunt Rupertus, Ferrandus, Anselmus, neque Bernardus, Rupertum, difficile est ab opinione quæ maculatam Virginis conceptionem agnoscit, putum præstare. Nam lib.1. in Cant, ad illud, *meliora sunt vbera tua vino*, disertè tradit; Virginem hæreditaria originalis peccati labe non caruisse; ideóque cum esset de massa quæ in Adamo corrupta est, dicere potuisse, *Ecce in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Verùm cum statim addat, illud peccatum, à facie amoris in Deum, tanquam stipulam ab igne fuisse consumptum: significare videtur, per illum actum amoris qui iam à primo momento vitæ, flagrauit in Virgine, exclusum esse peccatum, quod vi generationis ex Adamo interuenisset nisi peccatum diuina gratia præueniens ad actum illum, perque eum gratiam sanctificantem conferens, obstitisset. Aliis certè plerisque locis, & nominatim l.6.eiusdē operis, ad illud, *quam pulchri sunt gressus tui*, rursusque ad illud, *duo vbera tua, sicut duo gemelli capreæ*, tam honorificè de libertima à quocumque peccato Virginis generatione locutus est Rupertus, vt non videatur ambigendum, quin honori Deiparæ, cuius per omnia scripta sua fuit studiosissimus, hac quoque in parte, consultum voluerit. Sed & l.2. in Isaiam c.19. tractans illud, *abscissus est de terra viuentium*, eam terram ait esse B.V.& Christum ex ea conceptum, dici abscissum de terra viuentium. [De terra inquam non morientium, siue mortuorum morte peccati, qua omnes in Adam mortui sunt, sed de terra viuentium, id est de terra virginea, per S.viuificata Spiritum, abscissus est. Abscissus inquam, subauditur sine manibus, quemadmodum & Daniel; *abscissus est* (inquit) *lapis de monte sine manibus.*] Exclusio est virilis operis à Christi cōceptione. Itaque hoc item in loco Rup. agnoscit concept passiuam B M fuisse absq; macula ab Adamo contracta. Quamquam si aduersantem haberemus Rup. & ætate, & gradu dignitatis inter Patres postremum, nec semel in grauissimis Christianæ fidei capitibus hallucinatum, nominatim circa Eucharistiam, non esset quod pro eius authoritate declinanda, iusto sollicitiores esse deberemus.

Ferrandus epist. ad Anatolium, iuxta nouum eius Scholiastem, tantum abest. vt in Virg concep. peccatum originis admiserit, vt ne debitum quidem labis illius interuenisse in B Mariæ prima animatione agnouerit. Sed hoc absque vllo planè fundamento affingi Ferrando, est manifestum, ex supra dictis allegando Ferrand. pro aduersariis. Nunc dico Ferrandum manifestè agnoscere in conceptione Virginis debitum peccati originis, non tamen ipsum peccatum: Ait enim carnem Christi esse similem carni maternæ, quia ex ea traxit originem. Eandem tamen Christi carnem in eo differre à carne materna, *quia non inde traxit vitiata originis contagionem*; supponens, carnem Virginis eam contagionem contraxisse: Ita enim apertè fert contrapositio carnis Christi, & carnis Deiparæ. Hoc autem haud dubiè sonat debitum peccati originis in Virgine. Idque non minus perspicuè sonat, quod Ferrandus subdit inferius B.V *potuisse inesse peccatum*, nempè originis, de quo ibi agebatur. Nam posse alicui inesse peccatum originis, idem planè est quod habere illius peccati debitum. Ex eo tamen quod Ferrandus admittat B. V. habuisse debitum peccati, & contagium carnis vitiatæ traxisse, non sequitur quod reipsa peccatum contraxerit. Ipsum enim debitum, quod longè à peccato differt, est aliquod contagium carnis vitiatæ quia etiamsi non sordet labe peccati, est tamen naturalis necessitas incurrendæ labis peccati nisi manus Dei anteoccupans interuenisset, & infectionem, siue contagionem actu inferendam vi originis auertisset. Oportet autem sic accipere Ferrandum, circa hanc contrapositionem carnis Christi, & carnis B.Virg. sicut omninò oportet ita accipere sequentem inibi contrapositionem, quoad iniquitates actuales. Nam de fide est, B.Virg. nulli tali maculæ subiacuisse reipsa. Et tamen Ferrandus non aliter quoad has maculas contraponit Christum, & Deiparam, quam quoad peccatum originis, sicut ergò quoad maculas actuales, omnino accipiendus est de solo debito, nisi gratiâ extraordinaria præseruans interuenisset: quia sine ea non est homo qui non peccet, & septies in die cadit iustus: ita eodem modo accipiendus est quoad labem originalem, quam debito quidem, & necessitate naturali fuisset Virgo incursura vi suæ originis ex Adamo, reipsa tamen non incurrerit. Quod significauit vel potius expressit cum tantum dixit, potuisse Virgini inesse peccatum, nec addidit inesse ei de facto peccatum. Itaque Ferrand. non aduersatur Conceptioni B.Virg. reipsa nitenti, nec nisi debito contaminatæ.

29 Pro S.Anselm. piæ sententiæ quā propugnamus subducendo multum laborat Vasq.3.p.d.117.c.11. & hastam abiicit Salaz.l.de concept.c.42.seculo 11. quoad vnum B.Ansel. locum petitū ex l.2.cur Deus homo c.16. Verū quæ petuntur ex eo c.contra purit. concept Deip.non sunt Anselm.sed Boson.discipuli, cō quo colloquitur, nec ea Boso profert asserendo, sed argumentando. Quod si non corriguntur ab Anselmo inter respondendum, ratio est, quia ibi non agebatur de puritate passiuæ concept. Deip. sed de puritate concept. actiuæ, deq; eliminando à Christo peccato originis, etiāsi supponeretur, matrem Christi sorduisse peccato originali. Aperiui germanā hanc eo loco mentē Ansel.l.4.de Christo s.1.c.5 *sub init.*

Tantum porrò abest, vt S.Ansel. eo loco suffragiū grauare possit immaculatā concep.B.V. vt vix sit reperire, qui pro ea pugnauerit animosius, atq; vberius. Refert certè Bach. quodl.3.q.12 lectum abs se librū S.Anselm. de hoc arg. cuius esset hoc initium *principium quo salus mundi processit*. In ea lucubratione

Pars II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.

e ſtatuit Bachonus, S. Anſelmum pro puritate omnimoda conceptionis paſſiuæ B. Virginis, egregiè laboraſſe. Fragmenta illius libri, & aliorum de eo argumento Anſelmi laborum, collecta in vnum faſcem edi curauimus 1. p. opuſculorum S. Anſelmi. Locus ex eodem S. Doctore in hanc rem palmaris, ex libro de conceptu Virginali cap. 18. abunde eſſe poteſt ad liberandum S. Anſelmum. [Decebat (inquit,) vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater, vnicum filium ſuum quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum tanquam ſeipſum diligebat, ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet vnus idémque communis Dei Patris, & Virginis filius.] An puritas eius que peccato originis fuiſſet fœdata, tanta eſſet, vt maior ſub Deo non poſſet, intelligi? Quare circa omne dubium, S. Anſelmus ſtetit pro vera ſententia. Videſis, quæ dico in ſyntaxi operum eius p. 1. *ad fragmenta de conceptu virginali paſſiuo.*

Quæ S. Bernardi mens, in hac cauſa, variorum iudicia.

30 SAncti Bernardi, anceps videri poteſt cauſa. Nam videtur agnoſcere alicubi immaculatam conceptionem vt ſerm. de B Maria, *ſub finem*, verbis illis. [De lignis Sethim condita eſt arca, in qua thuribulum, manna, & virga ſunt recondita: quia licet Maria, de patrum natura per peccatum viciata duceret originem; prælecta tamen per Spiritum S. & præſeruata ad purum, Deum nobis obtulit, & hominem.] Idem ſonare videntur verba illa ex ſerm. de Aquæductu, vbi præfatus, fortè hominem non auſurum accedere ad Chriſtum quem aduocatum habemus apud Patrem, quia etiamſi homo eſt manſit tamen Deus; hæc inquam præfatus, addit. [Aduocatum habere vis, & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in Maria non modò pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, & ipſa pro reuerentia ſua.] Peccatum originis eſſe contaminationé, & inquinationem, negari non poteſt. Aſſerens ergo S. Bern. B. Virg. omni contaminatione caruiſſe, & ab ea puram fuiſſe videtur agnoſcere exemptionem eius à peccato originis. Nec minus aptè in eandem ſententiam ſumi poſſunt ſequentia verba, quibus aſſerit B. Virg. fuiſſe *puram ſingularitate naturæ.* Quis enim alius ſenſus ſubiici poteſt verbis illis, quàm quod cum alij omnes cõmuni peccato ſordentes ſint natura filij iræ, ipſa ſola ſingulariter fuerit, & naturam acceperit in ſua ſpecie merè humana vnicam, cui beneficium incontaminatæ ſemper puritatis, & præſeruationis obtigerit? Itaque non omnino extra rem, is quoque locus allegatur pro Præſeruatione B. Virgin. de B. Bern. ſententia. *Conceptus* Verbis præſeruatio ab orig. peccato Virg. tribuitur ſer. 13. de Cœna Dom. Sed is ſerm. non eſt Bern. Alibi tamen aliter ſenſiſſe videtur, vt ſer. 2. de Aſſumpt. Vbi cum præmiſiſſet, nihil vnquã proprij inquinamenti fuiſſe in B Virg. ſubdit. [Quod ſi originalem à parentibus maculam traxit; ſed minus à Hieremia, ſanctificatam in vtero, aut non magis à Ioan. Spiritu S. repletam, credere prohibet pietas Chriſtiana. Hæc enim feſtis laudibus naſcens honoratur. Poſtremò cum omnimodo conſtet, ab originali contagio, ſola gratia mundatam eſſe Mariam; quippè cum & nũc in baptiſmate, ſola hanc maculam lauet gratia, & Sola eam raſerit olim petra Circumciſ. vt omnino pium eſt credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentiſſimo corde, etiam pœnitentia lõgè fuit.]

His verbis S. Bern. expertem actualis cuiuſcunque peccati, agnoſcit B. Virg. à peccato autem originali mundatam eſſe tradit, non præſeruatam. Eſt & alius locus, vt protritus, ita planè apertus quo videtur miſſe in placitum contrariũ. Epiſt. enim ad Canon. Lugd. totus eſt in reprehẽdẽdo feſto Cõcept. tanquã immaculatæ, & ſanctæ. Sunt quidem, qui eam epiſt. dicant S Bern. ſuppoſitam: quod tradunt Petrus da Houeda in Informat. pro Immacul. Concept. c. 14. §. 2. & 3. Ægidius à Præſent. in opere de Concept. Martinus de Roa t. 2. ſingul. c. 10. Poza l. 4. Elucid. tract. 4. c. 5. Idem Fortunatus du Veral. in amore omnium ſeculorum in 12. pro viribus firmat Perlin. l. de concept. diſt. 12. c. 5. Salazar. autem l. de concept. c. 35. §. 6. n à n. 43. fusè refellit. Sed ferè fruſtra: cum ea euaſio, ſit hominis aliud quod cauſetur non habentis, & ſtylus S. Bern. qui in ea epiſt. apertè cernitur, ſatis prodat authorem. Sunt qui ſtyli ſimilitudinem ea confictæ & S. Bern. affictæ epiſt referant ad impoſturam illius Nicolai Monachi S. Albani, qui quondã S. Bern. familiaris, poſtea hoſtis, (vt S. Bern. epiſt. 298. memorat,) pleraſque eius nomine ſtylo ementito conſcripſit epiſt. & hanc præter cæteras, vt haberet vnde ſancto viro inuidiam conflaret, quã eo mortuo adauctam ab eodem Nicol. contendunt, diſſeminato figmento reuelationis cuiuſdam, quæ S. Bern. vniuerſo corpore ſplendentem, furua duntaxat macula notatum exhiberet, ob hanc de maculata Virg. concept. opinionem. Quę item refert Aureol. in 3. d. 3. art. 1. Sed ea omnia fictitia eſſe, pronunciauit Ioann. de Neap. apud Capr. in 3. d. 3. q. vnica art. 3 ad 8. & Maior in 2. d. 30. q. 4. §. *non concedo*, & Henr. de Haſſia iunior, Carthuſianus lib. de falſa macula S. Bern. Cæterum epiſt. ad Lugd. eſſe ab illo Nicol. confictam, auctius figmentum eſt. Fateor Nicol. illum cuius nonnullæ epiſt. nuper prodierunt, S. Bern. ſtylum aliqua ex parte emulatum. Niſi tamen omnes D. Bern. epiſt. ei abiudicare placeat, hanc quæ omnium maximè Bern. ſapit, alteri tribuere tanquam germanum fœtum, planè prohibemur. Rectè eam inſulſitatem refellit Iacob Merlon. in Scholiis ad eam epiſt.

31 Vulgata multorum reſponſio eſt, S. Bern. cum dixit concept. Deip. fuiſſe gratiæ, & ſanctitatis expertem, non egiſſe de concept. vltima, ſeu de animatione corporis virginei vltimò diſpoſiti ad animationem; ſed de concept. prima, ſiue de ſanguinũ, aut ſeminum permiatione, quæ fit in vſu coniugij parentum. Aliqui cum Innoc. 3. l. 1. de contẽptu mundi c. 4. hanc quam vocatur *concept. primam*, vocant *concept. ſeminum*; illam verò aliam quam vocaui *ſecundam*, vocant *concept. naturarum* Hæc expoſitio S. Bern. illuſtrari optimè poteſt ex Vinc. qui eodem modo ſtatuit concept. Deip. fuiſſe, aut non ſanctam, aut ſanctã quo ab his authoribus exponitur S. Bern. Concept itaque primam quæ ſita eſt in ſeminum cõmiſtione, S. Vinc. ſer. 1. de Nat. B V. vocat *concept. ſeminis:* quam ait eſſe cõcept. imperfectam, & ait antecedere perfectam concept. in qua fit animatio, quam vocat *cõcept. germinis.* Et quamuis hanc concept. imperfectam videatur ſanctam agnoſcere non intelligit tamen de ſanctificatione paſſiua fœtus, ſed de elongatione parentum à culpa in eo coniugali cõmercio, quia cum tunc nondum adſit anima prolis perſpicuum eſt eam non poſſe ſanctificari. De concept. verò germinis, in illo ipſo momento quo perficitur organizatio, & anima infunditur, rectè S. Vinc. ſer. 2. de eadem B V. natiui. ait. eam fuiſſe expertem peccati, & de ea valere illud, *& facta eſt lux.* [Ecce (inquit) ſanctificatio Virginis Mariæ. Non credatis, quod fuerit ſicut in nobis, qui

in

in peccatis cōcipimur,& nascimur,& nutrimur:quia si ante baptismum fuissemus mortui, damnaremur: sed statim postquàm corpus fuit formatum, & anima creata,tunc fuit sanctificata. Ideò fit festum de eius conceptione,quia facta est ibi, scilicet sanctificationis in ea. Et statim Angeli in cœlo fecerunt festum conceptionis] Contra ponit nostrum ortum in peccato,sine nostri germinis conceptionem, cum simili ortu, & conceptione Virginis, quam proinde conceptionem, in illo ipso momento quo peracta est, agnoscit fuisse sanctam, & expertem peccati:quia sicut nos,in illomet momento inficimur peccato originis, ita B. Virgo quam ait aliter quàm nos conceptam esse, (quantum ad passiuam sanctificationem attinet) iuxta ipsum S. Vincentium eodemmet temporis momento est sanctificata, ita vt illud *postquam anima fuit creata* non designet tempus, consequens instans creationis animæ sed ipsummet instans, prius tantum natura, aut ratione antecedens;tum quia tunc tantùm est conceptio germinis,non autem posterius, nisi in facto esse, & in ipsa conceptione germinis agnoscit fuisse sanctitatē passiuam cum omnimoda exclusione tenebrarum: tum quia ita postulat contra positio sanctitatis conceptionis in Deipara, & inquinationis in nobis; quam contra positionem admittit S. Vincentius; perspicuè concedens, conceptionem seminis non fuisse passiuè sanctam (etiamsi defectu incapacitatis subiecti,neque sorduerit formali peccato:) conceptionem autem germinis, in nobis asserens fuisse inquinatam quia peccatum tunc contrahimus,in Deipara autem fuisse nitentem, & liberam à peccato. Qua eadem ratione sententiam S Bernardi exponunt multi,qui eum egisse volunt de prima conceptione, cum dixit, conceptionem Deiparæ non fuisse sanctam,cum inter maritales amplexus sanctificatio locum non habuerit. Cum igitur certum sit, animam non infundi fœtui in permistione seminum, sed satis multò pòst,quando embryonis dispositio ad animationem est consummata: cum item constet, quod nulla materia est capax gratiæ sanctificantis,sed sola anima rationalis;concludunt hi authores, S. Bernardum iure contendisse, conceptionem Virginis (nempè primam,) fuisse expertem gratiæ sanctificantis,ac proinde non debuisse de ea peragi festum, quod recens fecerant Lugdunenses Canonici. Ita iam olim Albertus in 3.d 8. art. 4. & Mayro.in 3. d. 3. q. 2. artic.12.posteàque Val. 3.p. d.2. q.1.p.2. Bellarm l. 4.de amiss. gratiæ, & statu peccati c.16. & plenè Franciscus Biuarius opusc. de hoc argumento.l 2.§. 3.

Sed neque hoc placet.Nam S. Bernardus, non modò agnoscit, in ea conceptione de qua disputat, defuisse gratiam sanctificantem; sed etiam agnoscere videtur, eam fuisse peccato originis maculatam. Atqui prima illa conceptio, non est maculata peccato originis, quod tantùm aduenit subiecto rationali Deinde Canonici Lugdunenses non celebrabant festum conceptionis primæ,sed secundæ: sicut nunc Ecclesia, tametsi celebrat festum conceptæ Virginis 8. Decemb. quo facta est prima conceptio, de qua ex subductione nonimestris ante natiuitatem constare potuit; tamen non intendit celebrare conceptionem illam primam; sed tantùm secundam ei subiunctam aliquo post tempore, quod designari non poterat. Ea quippè sola conceptio, pura fuit,& sancta ac gratiæ referta, ideóque cultu festiuo vniuersæ Ecclesiæ digna. Itaque si S. Bernardus Lugdunenses reprehendisset tantùm ob celebratam conceptionem primam, facilè repelli ab

eis potuisset;dicendo se non fuisse adeo delitos, vt colendam susciperent commistionem parentalium seminum,ex quibus postea Virgo coaluit. Coluisse igitur duntaxat animationem sanctam, & puram Deiparæ, ideóque iustæ criminationi nequaquam patuisse. *Pars II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.*

Sensus noster de vera S. Bernardi mente, hac in parte.

32 QVare ego quidem haud grauatè concedo,S. Bernardum de conceptione secunda egisse, eámque vel maculatam sensisse,quod tunc nondum adulta luce huius veritatis, illi excidisse minus mirum esse debet. Vel certè quod ad Epistolam Lugdunensibus scriptam attinet,quæ multo magis pungit in hoc negotio vt existimo S. Bernardum quamuis non esset alienus à puritate conceptionis Deiparæ, eámque foueret animo,(vt Card. Baro. anno Christi 1136 pronunciauit,)illud tamen in Lugdunensibus improbasse,quod cultum eo tempore nouum,inconsulta sede Apostolica,inducere ausi essent. Itaque vt ad consulendam Apostolicam cortynam illos vrgeret;difficultates quæ contra puritatem conceptionis secundæ esse poterant,non dissimulauit;nec aliter se gessit quàm alij plerique Patres, qui in hæresis alicuius oppugnatione, nimio refellendi feruore, in contrarium errorem deflectere videntur, & vlteriùs quàm par sit abripi:quod obseruauit Facundus Hermian. l.8.pro tribus capitul.c 4.& signatè in Gregorio Neocæsariensi,& Dyonisio Alexandrino, notari memini à S. Basilio,(de illo epist. 64. de hoc epist. 41.) qui non secus Dyonisio accidisse ait, quàm plantatori cuipiam,qui recentis plantæ correcturus auersionem,ita immoderatè illam retorquet, vt in contrarium latus,iamiam abducat, aberrans à medio. Sic igitur ait,S Basilius, Dyonisium dum nimium cupit obluctari Sabellio, visum declinare in Arrianismum,à quo tamen longè abhorrebat,vt S. Athanasius in Apologetico pro Dyonisio, testatum dedit.Haud dispari modo sentio de S. Bernardo in hac causa:nempè vt inconsultam Lugdunensium pietatē reprimeret,& non nisi consulto Ecclesiæ oraculo, talia quantumuis in speciem pia,suscipienda monstraret,rei difficultatem exposuisse. At si præsentem Ecclesiæ sensum,& Apostolicæ Sedis de hoc negotio oracula secutos Lugdunenses perspexisset amantissimus Deiparæ alumnus S Bernardus,quippè qui omnes ei ordinis Cisterciensis basilicas dedicauit,vt ait Petrus Cellensis l.6.epist. 23.non modò factum illorum non improbasset,sed tam sanctum cultum promouisset pro viribus Quod mihi extremus Epistolæ prædictæ limbus,satis insinuat,& explorata S. Bernardi pietas atque docilitas,planè persuadet.

33 Viuebat eo ipso S. Bernardi tempore, eiusdem Cisterciensis familiæ alumnus,Petrus Cellensis. Is cum Nicolao illo (de quo superiùs,) S. Albani Monacho confligens, circa nitorem conceptionis Deiparæ,monstrat eum animum se habere, quem S. Bernardo adscripsi: vnde coniectare licet,idem quoque visum S. Bernardo Interroganti ergo, & vrgenti Petrum Nicolao,cur nollet festum Conceptionis,tametsi nouum,cum Anglicana Ecclesia celebrare,respondet Petrus l.6.epist.23.[Licuit,Sempérque licebit,sponsam Christi Ecclesiam, quæ in terris peregrinatur, secundùm mutationes rerum, personarum,& temporum,variare rationes decretorum,& noua aduenire medicamina remediorum, & statuere sanctis adoptione gratiæ,frequentiam solēnitatum. Est autem auro locus in quo conflatur, &

habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri, & curiam Romanam, quæ claues cœli principaliter tenet, & clausura consiliorũ Dei, reserata dispensante Deo, vnguentum gratiæ à capite vsque ad oram vestimenti; habet complüere. Hæc sedes Petri idest petra, in qua Moyses residet, videlicet lex Dei immaculata, connectens animas, fragosa quæque Hæreticorum conciliabula elidit, & allidit, profanos vocum nouitates resecat, & rescindit superflua confodit, & iugulat, hiantia & ecliptica complet, & illustrat. Vtinam salua veritatis authoritate, lance communis Concilij, hæc Domina, & moderatrix totius Christianitatis, Conceptionem Virginis librasset, & approbasset, & à mari vsque ad mare hanc propagasset, Sole, idest, Apostolico, ac Luna, idest curia Romana præeunte, tam securè, quam expeditè, in lumine vultus eorum gressus ponerem, & disponerem, ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidum & securum.]

Ad Scripturas ab aduersariis pro se adductas.

34 PErgo ad reliqua Aduersariorum fundamenta quæ petebantur partim ex generalibus Scripturis peccatum originis ad omnes via ordinaria genitos transfundi docentibus; partim ex effectibus peccati originis, morte inquam, & aliis pœnalitatibus à quibus Virgo immunis non abiit: partim denique ex necessariò admittenda Virginis per Christum redemptione, quæ cum exemptione à peccato originis, non videtur posse cohærere, seclusa iam à Virgine per certam Ecclesiæ definitionem, quocunque peccato actuali. A qua enim captiuitate dicetur redimi, si nulli vnquam peccato, ac ne originali quidem, subiacuit? Hæc est summa reliquorum omnium firmamentorum, quibus aduersarij maculatam Deiparæ conceptionem stabilire satagunt. Verùm quàm sunt hæc firmamenta debilia, tam labat eorum opinio.

Admitto igitur B. Virginem peccasse in Adamo, idest vi generationis ex Adamo, factæ via ordinaria fuisse obnoxiam culpæ, eámque reipsa fuisse incursuram, nisi diuina præseruatio, & benefica gratiæ immissio, quo temporis momento peccatum obrepturum erat, interuenisset. Quod si ea locutio, *B. Virgo peccauit in Adam*, eum sensum faceret, quem ei subricit Iustinianus t. Ioann. 1. vers. 8. numero 12. nimirum vt sensus esset B. Virginem vi continentiæ seminalis in Adamo; incurrisse peccatum originale; sic non admitterem B. Virginem in Adamo peccasse: quippe quæ beneficio gratiæ exempta sit ab illa labe, quam sibi præmissa, certò incurrisset vi generationis ex Adamo. Nec obstant loca Scripturæ, quæ generaliter sonare videntur, virus peccati originalis, ad omnes ex Adamo via ordinaria genitos permanasse. Illis quippe locis, non comprehendi B. Virginem, quæ vnum propè cum filio censetur, Tridentina Synodus satis expressit, negans se definitione veritatis peccati originalis in omnes posteros Adæ transfusi, ex illis generalibus scripturis hausta præiudicatũ velle sententiæ, quæ puritatem Conceptionis B. Virginis prætuetur.

35 Habemus porrò ineluctabile argumentum ad hanc locorum illorum interpretationem firmandam, ductum ex aliis æquè generalibus locis, & locutionibus scripturarum, quibus vel omnium è matris vtero prodeuntium originalis impuritas, & à Deo auersio affirmatur; vel omnino planè adultorum nonnulla aliquando per veniales labeculas inquinatio proditur. Et tamen B. Virginem illis generalibus locutionibus non comprehendi, indubitatum est, etiam apud aduersarios. Nam B. Virginem è matris visceribus prodiisse sanctam & à peccato originis prorsus puram, omnes æquè consentiunt. In vniuersa verò vita nullo vnquam modo peccasse actualiter, quantumuis leniter, fides Catholica docet. Igitur quam interpretationem dabunt aduersarij illis generalibus scripturæ locis, quibus omnium maculata natiuitas, vita per veniales labeculas contaminata asseritur: eam nos quoque pari iure adhibebimus, iis generalibus locis exponendis, quibus eluuio peccati originalis in omnes Adæ posteros affirmatur. Addi potest annuente Caietano 1.2. quæst. 81. art. 3. cumulus locorum æquè vniuersalium quibus asseritur omnes in Adamo mori, & per eius peccatum mortem in omnes homines pertransiisse, ac statutum esse omnibus hominibus semel mori, ita vt iuxta scitam Nysseni obseruationem hom. 6. in Eccles. Genesim sequatur Exodus, & nemo per generationem veniat in hanc vitam, quin per mortem cogatur ex ea discedere. Et tamen has adeò vniuersales Scripturas, graues Authores limitarunt quoad eos qui superstites erunt in fine mundi: Supererunt enim aliqui tempore aduentus Christi ad iudicium quos obnoxios quidem suaptè natura futuros mori, vt illæ Scripturæ ferunt, tamen reipsa non morituros, atque adeò neque resurrecturos, multorum fuit sententia, quam neque esse hæreticam, neque temerariam statuunt Basilius Legionensis quæstione 10. scholast. capite secundo, Sixtus libro 6. bibl. annot. 265. Suarez tom. 2. 3. p. disputatione quinquagesima, sectione secunda, Iosephus à Costa libro quarto de tempore nouiss. capite vigesimo. Et quanquam sententia contraria de omnium hominum morte, ac resurrectione quam Salas 1.2. tract. 2. disputatione 14. numero vigesimo-primo, & sessione decima-tertia, de diu. perf. numero 120. astruunt mihi videatur longè verissima, tamen prior sententia (vt dixi) neque est conclamata, neque vacat sua probabilitate non obstante generalitate illa locutionum Scripturæ de morte, & resurrectione omnium; quæ, locutiones non tatuerunt graues illos Authores, qui aliquos in fine mundi superstites, morte corporea depungendos negauerunt, limitantes eas locutiones. Nimirum sua communes, quod ea generalia loca continent, non excludit specialia priuilegia quibus beneficientia diuina nonnullos interdum pro beneplacito suo extra ordinem cohonestat, vt in humanis quoque, videre est. Nec nouum esse, vt in Scripturis signum vniuersale *omnes*, ad maximam duntaxat partem referatur, Sanctus Hieronymus epistola 146. prolatis variis locis demonstrat, tractans illud, *Omnia mea tua sunt*, & latè etiam in capite primo, ad Ephes. *sub finem*. Videndus item Sanctus Augustinus Epistol. 59. ad quæstionem sextam, & Prosper libro primo de vocat. gent. capite nono, ac ex Recentioribus Velasquez ad illud Philippi 2. v. 21. *Omnes quæ sua sunt quærunt.*

Ad rationem ex morte, & pœnalitatibus.

36 ARgumentum quod petebatur ex effectibus peccati originalis, in B. Virginem cadentibus, morte videlicet, & pœnalitatibus manc est. Non enim mors est effectus pecati originalis propriè loquendo, alioqui Christus Dominus mortem non subiisset, qui tamen etiamsi morte violenta succisus non fuisset, ad mortem tamen, tandem aliquando peruenisset iuxta D. August. l. 2. de pecc. merit. c. 29. Mors igitur: & idem est de pœnalitatibus quibusvis huius vitæ,) impedita quidem fuisset Per gratiam, si primus homo non peccasset & posteros suos originali peccato non infecisset; ideóque etiam in Deipara, fuit pœna, non ipsius Deiparæ, sed actualis peccati Adæ, iuxta illud D. Augustini conc. 2. in psalm. 34. [Vt celeriùs dicam, Adam mortuus propter peccatum: & caro Domini ex Maria mortua est, propter delenda peccata.] Tamen mors ex se, est aliquid naturaliter consequens naturam humanam, ex pugnantibus principiis conflatam. Sicut ergo Christus tametsi innocentissimus quoad hæc naturalia voluit per omnia fratribus assimilari: ita par fuit, vt Virgo quoque, his naturalibus defectibus, incommodis subiaceret, ne Christo dispar esset, eorúmque famitas foueretur, qui prænoscebantur à Deo habituri B. Virginem tanquam Deum; nimirum Collyridiani de quibus S. Epiph. hær. 79. & alij.

Facit ad hunc locum pulcherrima de Virgine disputatio Richardi Victorini l. 2. de Emman. cap. 28. tractans enim illud Isaiæ: *Derelinquetur terra quam tu detestaris à facie duorum Regum suorum*, hos duos Reges interpretatus ignorantiam, & concupiscentiam, addit, B. Virg hanc terram esse, quam neque ille Rex dereliquit, quia neque ignorantia, neque effrenis concupiscentia locũ in ea habuit, nec fuit in Virgine quod erat ad culpam, licet remanserit quod erat ad pœnam Percontanti verò quomodò potuerit esse in Virgine pœna, si non fuit culpa quæ est causa pœnæ, respondet Richardus, mirum omninò, & stupendum haberi posse, magnumque, & mirabile, quod Deipara in quam peccatum non inualuerat, tamen à filio permissa sit sub iugo captiuitatis nostræ laborare. Ablata enim sunt ab hac terra diuinitùs benedicta, omnia bella, vt psaltes ait, arcus contritus est, & arma confracta, ac scuta combusta igni. Quod eundem Psaltem adeo permouit, vt exclamaret esse hæc prodigia à Deo facta super terram, esse opera Domini quæ nullus vnquam satis suspiciat, & ad quæ contuenda omnes meritò incitentur. In Virgine sanè, scuta omnia excusationum pro quacunque culpa fuisse combusta igne diuini erga eam amoris, auertentis sollicitissime omnem labem, & præoccupantis gratiæ suæ infusione incursum cuiusuis maculæ. Et idipsum quoque, ex parte sanctæ huius terræ fecit ignis charitatis quo ab initio flagrauit in Deum, cum discusso prorsus ab ea nubilo ignorantiæ, per vberem, & liquidam lucem intelligentiæ, affusam ei iam à principio, non potuerit non exardescere, & flammam ignis concipere; qua omnis excusationum pro culpa necessitas solueretur. His præclarè, & ad Virginis gloriam perhonorificè discussis capite illo 28. & 29. ac 30. concludit Richardus. [Hoc fuit in B. Virgine supra modum mirabile, & præ cœteris Sanctis omnibus singulare, quod in ea simul conuenire potuit tanta corruptibilitas, cum tanta incorruptibilitate; tanta incorruptibilitas cum tanta corruptibilitate. Corruptibilitas in his quæ pertinent ad pœnam, incorruptibilitas, in his quæ pertinent ad culpam. Sed sibi ad futuræ gloriæ cumulum, nobis autem ad patientiæ documentum profuit, quod passibilitatis nostræ iugum cum tanta puritate portauit.]

Pars II. Paullum II. primo Virginis sanctificatio.

Elisa ratio, ex tollenda Virginis redemptione.

37 TAndem quod inferebatur, B. Virginem nisi originali peccato sorderet, subducendam fore redemptioni Christi, friuolum est. Nemo quidem negare potest, quin B. Virgo sit à Christo redempta; idque voluit Chrysippus hom. de Deip. tractans locum in Psalmo 131. [*Surge Domine* (inquit,) Nam nisi tu exurgas è sinu paterno, genus nostrum quondam lapsum, non resurget Surge Domine, quia etiamsi exurgas, non separaberis à gloria paterna, & versans in terra, non relinques cœlos, & licet appareas in carne, non imminues potestatem quam habes ante sæcula. *Tu & arca sanctificationis tuæ.* Cùm enim tu inde surrexeris, sigillabis arcam sanctificationis tuæ; tumque arca cum omnibus exurget à lapsu, in quo vel illam constituit Euæ cognatio.] Agit de Incarnatione Verbi; docetque nisi ea fieret, Deiparam non fore redimendam. Agnoscit ergo Deiparam esse redemptam. Alios Patres in hanc rem, accumulat Iustinianus s. Ioan. 1. vers. 8 à num. 15. Imo Christum à B. Virgine inchoasse redemptionem, dixit S. Ambrosius. [Non mirum (inquit, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à matre : vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.] S. item Bernardinus, tom. 2. serm. 61. art. 3. c. 3. ait Christum plus venisse pro redimenda B. Virgine, quàm pro omni alia creatura: adduque, eam fuisse primogenitam redemptoris. Quæ quomodò accipienda sint, & tantúmne arctam matris & filij necessitudinem, maximéque conspicuum in Virgine redemptionis Christi effectum ferant; an verò ordinem aliquem inter redemptos ex Christi intentione, nunc non moror; in id duntaxat intentus; B. Virginem iuxta hos Patres, perspicuè esse à Christo redemptam.

38 Id quod communiter agnoscunt DD. consentanée ad scripturas, quibus Christus generaliter & absolutè, redemptor & pacificator omnium dicitur: quas scripturas nulla ratio patitur limitari, ita vt B. Virginem non comprehendant; quia nihil sequitur absurdi ex eo quod B. Virgo scripturis illis comprehendi dicatur. Ad summum enim sequetur, fatendum esse, B. Virginem fuisse incursuram peccatum, nisi Christi merita obstitissent; & gratia Christi intuitu infusa, præuenisset naturale probrum. Hoc autem absurdum non est, nec dedecet Dei matrem, sicut dedeceret peccatũ. Ea porrò præuentio & impeditio peccati consecutum, ad veram & propriam B. Virginis à tali peccato redemptionem potest sufficere, vt disertè tradit S. August. in Psal 85. quærens quomodò Dauid dicat se eruium ex inferno inferiori; in quem non descenderet reipsa: [Quemadmodum (inquit,) si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem: fortè ex aliquo labore; & dicat. Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis vtere; nam si non feceris, ægrotabis. Tu autem si feceris, & saluus fueris rectè dicis medico: Liberasti me ab ægritudine; non in qua iam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam; mittendus erat in carcerem: Venit alius, de-

fendit eum. Gratias agens, quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. [Optimè item huc facit, doctrina S. Bernardi serm. 22. in Cant. qui cum statuisset, Christum non hominum duntaxat, sed etiam Angelorum fuisse redemptorem, obiecissetque sibi, non posse dici redemptos Angelos malos quia sunt irreuocabiles; nec bonos, quia nunquam fuere captiui; respondet, Angelos bonos dici posse à Christo redemptos, quia [qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur; sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione, fuit æquè vtrique redemptio, soluens illum, & seruans istum.] Non discutio, solidéne ac verè S. Bernardus, Angelos à Christo redemptos statuat Tantū attendo, quomodò à Christo redēptos dicat, tametsi nunquam captiuatos, eo quod redēptio eorū quoq; possit in præuentione captiuitatis certò incurrendę, nisi adhibita fuisset anticipata illa gratia, quæ captiuatione prohibuit. Habet eandem doctrinam S. Dyonysius c. 8. diu. nom. distinguens duplicem redemptionem; alteram quæ iam lapsum erigit, alterā quæ præseruat à lapsu eum qui certò esset lapsurus, nisi præseruaretur. Estque sine dubio hæc redemptio, longè maius beneficium redempto impensum: quandoquidem, qui sic redimitur, non modò recoperat bonum, sed etiam impeditur illud amittere; quod plus est, quàm aliquando recoperaret. Itaque gratia sanctificans B. Virgini collata, fuit gratia redemptionis & expiationis: ad delendum videlicet peccatum per se potens: sed per beneficentiam Dei specialem, præcludens ab hoc subiecto peccatum.

39 Nimia verò est Salazarij subtilitas, qui lib de Concept. cap. 24. num. 121. ait, gratiam Deiparæ collatam in conceptione, fuisse gratiam redemptionis, & expiationis peccatorum; ad delenda nimirum peccata per se ordinatam, non tamen Virginis propria, sed aliena: omnia videlicet humani generis delicta. quia arbitratur ad redemptionem generis humani, & delictorum eius expiationem, non tantùm Christi merita condigna, sed congrua quoque Deiparæ merita, esse à Deo prouisa, atque præuisa. Non subscribo sanè. Nam quoad redemptionem humani generis, & remissionem peccatorum eius quoad culpas, Christus torcular calcauit solus; nec eguit supplementis meritorum congruorum cuiusquam puræ creaturæ: cum eius tam conserta, & copiosa fuerit apud Deum redemptio. Quare gratia B. Virgini in conceptionis momento collata, fuit gratia redemptionis respectu ipsius Deiparæ, quatenus per eam gratiam præseruata est, ne in peccatum rueret: in quod alioqui incursura certò erat vi generationis ex Adamo, vt ferunt generales locutiones Scripturæ & Patrum testimonia Ad reuelationem ex B. Catharina Senensi obiectam dictum est supra n. 15.

Ex tam debilibus Aduersariorum firmamentis, illata Spinæ piam sententiam damnantis, audacia

40 Nihil igitur ab Aduersariis puræ & immaculatæ conceptionis passiue B. Virginis prolatum est, quod non sit commodissimè & sufficientissimè depulsum. E contrario autem monstratum est, sententiam pro puritate conceptionis pugnantem, magna ab authoritate & ratione præsidiis roborari. Vt videas, quàm durum ac ferreum fuerit os Bartholomæi Spinæ Ordinis Prædicatorum, qui post Sixti 4. ac etiam post Concilij Tridentini decreta pro indemnitate sententiæ propugnantis puritatem conceptionis, non est veritus effutire, eam sententiam esse hæreticam; conculcata Caietani monitione, qui seriò & grauiter contesta tus erat suos, ne zelo non secundùm scientiam abrepti damnarent vllo pacto erroris, sententiam piam. At Spina, aduersùs Caietanum ea ex causa scripsit acerbissimè, vt ait Catharinus lib. 1. de immacul. concept. § *sunt ex nostris*. Et constanter, imò durè ac pertinaciter, assertionem puræ conceptionis, hæresi sordere professus est. Tantumnè Imo quadraginta & octo errores contra fidem, sequi ea assertione Conceptionis immaculatæ, dixit hic ipse Spina in calce tractatus Ioannis de Turrecremata ab ipso Spina interpolati: nam in calce illius tractatus apposuit summam breuem totius operis qua ad eum modum denigrat assertionem propositam, vt notauit Catharinus præfatione disputationis de Conceptione ad legatos Tridentinos. Vbi etiam addit Spinam, & eius discipulum, (sub cuius scilicet persona præfatur ad librum Turrecrematæ de B. Virginis conceptione) eos qui statuunt B. Virginem caruisse peccato originali, vocare *Nouitatum amatores, immoderatioris audaciæ, ac petulantis inscitiæ, tradentes alienum admodum a sacris literis, & dissonum Euangelio humanum concentum, vanam deuotionem, Christiana religione indignam, imò etiam impietatem*. Ibidem legitur ea monstrosè audax suffixio: *Immoderatior quorundam audacia, dum apud Doctos, & verè Theologos, minoris se existimationis aduertunt, vulgarem, debiliumque mentium auram iamdiu sepultis nouitatibus affectantes in Tridentina Synodo, de huiusmodi humani conceptus immunitate verbum facere verita non est*. Ea propria verò persona, idem Spina in opere de vniuersali corruptione generis humani toties interit, ac ingerit sententiam asserentem B. Virginem fuisse absque peccato conceptam, esse hæreticam, & innumerarum hæresum, errorumque contra fidem seminarium, vt non sit opus loca signare. Disertéque ibi 5. parte c. 10. ait non obstante extrauagante Sixti IV. vetantis notare hæreseos alterutram partem in ea controuersia firmiter tenendum esse secundum fidem Catholicam, quod B. Virgo sit concepta in originali peccato. Et ibidem capite 21. exortum Lutheranismi, diuinat à Deo permissum ad castigationem negligentiæ summorum Pontificum, qui assertionem immaculatæ concept. B. Virg. non eradicauerint. Malo autem premere, quam referre, quæ illum non puduit chartis cōmittere cum ibi. p. 5. c. 9. assertionē concep. immaculatæ, & inductionē festi de ea dixit esse *Inuentum diaboli* &c. quæ horresco referre. Qua effrænatione mordendi ac pungendi, non modò in excommunicationem latæ sententiæ in prædictis decretis antea impositam incurrit; sed se quod erat, apertè prodit; hominem scilicet præ affectu nimio ad priuatum sensum suum, ægerrimè Christianæ, nedum religiosæ modestiæ septis, continendum. Vbiuis quippè, quoties domestica, hoc est Thomistarum causa agitur eam in lacerandis aduersariis animi impotentiam prodit, vt non spina quæcunque, rhamnus & paliurus audire meritò possit. Quod vt cætera nunc premam, digressiones eius, lectionibus S. Thomæ in Metaphysicam commissæ, testatissimum facient legentibus, qui absque nausea non ferent, quæ ille ibi in Scotum & Scotistas, ad singulas propè periodos asperrimè ac infitiunissimè profert. Hæc obiter de Spinæ genio attingere oportuit, ne cui mirum videretur, quod homo mordendi

dendi & pongendi impetigine, ob fundamenta ruinosa prorsus è disiecta, admodum damnabiliter, notant hæreseos, sententiam quam summi plerique Pontifices, & Concilium Tridentinum damnare vetuerunt, ac erroris expertem & acceptione dignam pronunciarunt.

Verum est, non ita multo ante Spinam, Vincentium Bandellum de Castro Nouo Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum, nihilo petulantiùs de pia sententia pronunciasse, cum dixit. [Opinionem qua Conceptio B. Virginis à peccato originali vindicatur, esse insanam falsitatum semen, copiosam (an *captiosam*) ignorantiam, pietatem fallam, superstitiosam, temerariam, erroneam, perniciosam, horrendam Christianæ fidei peruersitatem, humanum commentum, deliramentum diabolicum dogma, sanguini Christi iniuriosam, & nefandissimè detrahentem eius dignitati, contradicentem fidei antiquę omnium Catholicorum, corruptiuam fidei, hereticam, defendentem heresim cœlestis, Pelagij & Iuliani facientem Virginis Matrem B. Annam in concipiendo Virginem, imo & Mariam conceptam de Spiritu sancto. Personas autem quibus factæ sunt reuelationes pro conceptione immaculata, esse suspectas, vitiis carnalibus deditas, nihil in se spiritualitatis ostēdentes. Miracula itē quæ sunt & prædicantur in fauorem conceptionis immaculatæ, à dæmone Deo permittente patrari, vt errorem nutriat in Ecclesia denique illicitum esse ad conciones accedere in quibus negatur peccatum originale respectu B. Virginis, & mortaliter peccare omnes illas audientes, vtpote fauentes mēdacibus falsariis Concionatoribus, propter fauorem, & terrenum lucrum, nouos errores, & falsa miracula confingentibus, nec non annunciantibus quæ omninò aduersantur Scripturæ Sacræ, Spiritui Sancto, Conciliis, dictisque sexaginta, & ducentorum Patrum, ac Doctorum, qui in iis quæ pertinent ad fidem, & totos mores, summorum Pontificum, & Conciliorum constitutis præferendi sunt.] Hactenus Bandellus partim Tractatu *de veritate Conceptionis B. Virginis*; partim Tractatu *de singulari puritate, & prærogatiua Saluatoris nostri IESV Christi*; deflotatus ab Antonio de Treio Illustrissimo Antistite in legatione pro Rege Catholico ad Pōtificem, pro causa Conceptionis. Et liquet hanc Bandelli cacochymiam, non minùs fœtere, quam illam quæ Bartholomæo Spina sub idē tempus effundebatur, vt referebam. Tamen eo probrosiùs egisse videri potest, ac debet Spina, quod post interdictum Sixti IV. quod in Bandellum detonuit, adeò licenter sentire, ac scribere de maculata Conceptione est ausus, nec erubuit damnare hæreseos sententiam contrariam à pietate ab Ecclesia commendatam.

Imo verò approbanda est sententia Alphonsi de Castro l. 1. de iusta Hæretico. pun. c. 8. & Gabriëlis Vasques. 3. p. d. 117. n. 151. qui existimant, hoc Spinæ iudicium de sententia puritatem conceptionis affirmante, esse hæreticum: quia asserere aliquid esse contra fidem, quod Ecclesia negat esse contra fidem, hæreticum est Sicut asserere aliquid esse formaliter, & explicitè de fide, atque adeò esse sufficienter propositum ab Ecclesia vt obligemur ad credendum; cum ipsa Ecclesia id negat, est se gerere pro regula fidei, quod est esse hæreticum. Vnde eliditur quod Suarez t. 2. 3. p. d. 3. sect. 6. *in fine* contra hoc Alphonsi iudicium opponit: nempè quod qui ita se gerit, in nullo obsistat diuinæ reuelationi. Imo verò obsistit, vt monstratum est. Nam ex diuina reuelatione compertum habemus, diuinam reuelationem, in nullum materiale obiectum tanquam ex fide tenendum cadere, nisi per Ecclesiæ propositionem; & in ea obiecta cadere, quæ Ecclesia nobis proponit diuinæ reuelationi subesse. Qui ergo aduersùs Ecclesiæ propositionem arietat eo ipso impetit reuelationem prædictam, de sequenda propositione Ecclesiæ, ac proinde est hæreticus. En quò audacia sua Spinam propulit.

Part II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.

Pia sententia, non est fide certa, vi decreti Basileensis, aut Constitutionis Sixti quarti.

41 ERit etiam qui aliunde quoque, notam hæreseos, aut erroris, saltémque temeritatis, eidem Spinæ ac quibusuis assertoribus maculatæ conceptionis inurendam putet: eo quod sententia affirmans conceptionis puritatem, vel sit definita ab Ecclesia, vel eo gradu certitudinis donata, vt nequeat ei subesse falsum: saltémque tam communi consensione Doctorum omnium, (præterquàm eorum quos pudor resilire à maiorum consiliis vetat) sit vbique recepta, vt contraria meritò videatur dici posse contra torrentem. Veritatem de pura, & immaculata Deiparæ conceptione passiuè, esse ab Ecclesia definitam, affirmauit Clictouæus ad l. 1. Damasceni de fide c. 11. & Cartusianus in 3. d. 3. q. 1. *in fine*. Idémque ad orationem Chrysippi de laud. Deip. *pag.* 45. margini illius Ioannes Picus. Et idem tradit Pelbartus l. 4. Stellarij parte 1. art. 1. ibidem videtur tradere Gabriel, & Michael de Palacio notauit.

Hi omnes censuerunt id esse sufficienter definitum decreto Concilij Basiliensis sess. 36. quod definiuit, sententiam de immunitate Virginis à peccato originali, esse piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ scripturæ; ideoque ab omnibus Catholicis amplectandam, & approbandam, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare, & docere. Pelbartus supra; idem fundat in decretis Sixti 4. quem ait determinasse, & credendam declarasse, puritatem conceptionis. Sed fallitur; Sixtus enim nihil tale definiuit; quamuis opinioni piæ valdè fauerit: & idcircò ab aduersariis apud Catharinum l. 2. pro concept. *ferè in fine* malè habitus sit, atque proscissus. Absurdissimè verò Christophorus A capite fontium sermone priore de honore B. Virginis *pag.* 17. adductus eo Sixti 4. decreto affirmat, Ecclesiam credere, conceptionem Deiparæ fuisse immaculatam, & omnes qui credunt Ecclesiam non posse errare, eodem iure teneri credere, conceptionem illam caruisse peccato originis: Etiamsi Ecclesia, ea indulgentia, ad bonum pacis concedat, vt qui volunt, non ita atque ipsa, super hac conceptione credant. Imo etiam per Sixtum, percusserit anathemate, damnantes contrariam sententiam. Hoc dico absurdissimè proferri, nec cohærenter; quia quisquis credit contra quàm credit Ecclesia, hæreticus est, nec est ea in parte locus indulgentiæ. Satis de Sixti decreto.

Quod verò ad alterum fundamentum propositum spectat, prǽterquàm quod Cōcilium Basiliense, quoad omnia decreta post depositionem Eugenij, inter quæ est istud, (vt fusè prosequitur Corduba l. 1. q. 44 propositione 3 *§. ex quo sequitur*, licet ref. agetur. Maior in 1. d. 30 q. 4. concl. 1.) reprobatum est in Concilio Lateran. sub Leone 10. sess. 11 ideóque non potest facere certam fidem, nihil video in iis quæ ex eius decreto retuli, quod ferat definitionem de fide. Posset enim opinio pia cui subscripsimus, omnibus illis titulis decorari, tametsi non definiretur. Et reuera hoc tempore, post constitutiones Pauli 5. & Greg. 15. quibus

inter

ipse dicitur promulgatione quacunque sententiæ statuentis concept. Deip. esse inacolatam, & decreta Sixti IV. & Concilij Tridentini rata habentur; videtur Ecclesia omnia illa tradere de pia sententia, quæ tradidit de ea Concilium Basileense: & tamen Ecclesia in decretis Pauli, & Gregorij, disertè contestatur, se eam non definire tanquam de fide. Itaque neque insistendum est ei decreto Basileensi quasi faceret rem de fide, neque in illud conclamandum est, vt præter cæteros fecit Estius in 3. disput. 3. §. 3. eruës ex eo Basileensi decreto opinionẽ piam debere esse probis Catholicis: suspectum quippe approbatum à schismaticis *inconsultè* (vt ait) ac *temerariè* cadentibus nouam, & insolitam determinationem, in qua Deus permisit Concilium schismaticum errare: quia sine probatione, præsumpsit definire quod temulimus. Ita quidam Estius, sed perfectò inconsultè, & vndecumque perperam. Nam quicquid ipse effutit contra Basileenses æquè cadit in Pauli V. & Gregor. XV. determinationem. Quod autem probationem non adhibuisse, dicitur, friuolum est; neque enim Concilia & & Pötifices cum quid statuunt agunt disputatores, sed legislatores. Hoc denique fuisse tunc nouum dogma, longè abhorret à verò cum monstratum sit quam longè anterius nitor Conceptionis Beatæ Virginis fuisset à grauissimis Patribus, & Doctoribus approbatus. Itaque Estius erroris, & temeritatis, ac præsumptionis arguens Basileenses, qui idipsum Sanxerunt quod Paulus V. & Gregorius XV. postea edixerunt alapam admodum inconsultè temerè, & præsumptuosè impingit his Pontificibus.

Nec idcirco quod extet Regula approbata, sub titulo conceptionis immaculatæ.

42 VIdeo tertium quoque fundamentum, iactandi nostram sententiam esse ab Ecclesia definitam, peti posse ea regula Monialium approbata à Iulio 2. sub titulo conceptionis immaculatæ; in cuius regulæ variis capitibus, asseritur immaculata Conceptio. Vt in capite secundo, vbi formula professionis proponitur, & disertè dicitur, eam emitti ob amorem Dei, & in honorem immaculatæ Conceptionis Deiparæ. Rursusque capite 5. pallium decernitur vsurpandum hyacinthyni coloris, vt significetur animam B. Virginis, è sua prima creatione, totam sanctam atque cœlestem fuisse.

Verùm hinc quoque non infertur, nostram sententiam esse de fide. Nam quamuis communiter rectè statuatur, Pontificem non posse errare in approbatione status religiosi, ac regulæ cuiuspiam: tamen hoc intelligitur quoad substantialia status, spectantia ad mores Christianos, & perfectionem. V.G. quod licitum sit vouere talem abstinentiam, aut profiteri talem obseruationem. Nihil autem necesse est, omnia quomodolibet in regulis approbatis memorata, censere definita ex fide. Quin etiam vt regula obseruationem aliquam indicens, approbetur specialiter, satis est quod ea obseruatio ex prudenti iudicio vsurpetur; sitque pia, & honesta quod optimè potest reperiri in obseruatione nixa notionis speculatiuè falsis, nec nisi practicè veris. Itaque etiamsi approbata directè esset regula indicens cultum Conceptionis immaculatæ, non sequeretur talem regulam vacare errore speculatiuo. Molto magis idem dicendum est, de regula indicente aliam aliquem actum, ob extrinsecum finem honorandi immaculatam Deiparæ Conceptionem. Quare ex approbatione regulæ sub honore immaculatæ Conceptionis; non sequitur eam esse ea fide credendam. Et ita rectè Cordruba lib. 1 q. 44. conclus. 3. *in fine.*

Nec ob decretum Concilij Apostolici.

43 SEd neque fundare licet certitudinem fidei nostræ sententiæ, in decreto ab Apostolis in hanc rem edito, in primo Concilio: quod dicunt Granatæ anno 1596. repertum in libro plumbeo, vt refert Moral. lib. 3. in Matth. tract. 2. *in fine.* Verbi decreti ista sunt. [Illa Virgo, illa Maria, illa sancta præseruata fuit à peccato originali, in primo instanti suæ conceptionis; & libera ab omni culpa, & qui ita non censent, non consequetur salutem æternam. Alij excommunicationis fulmen in decreti contemptores vibratum addunt, vt videre est apud Perlinum l. de concept. dist. 7. cap. 1. n. 1. Frustra autem Biuarius ad Chronicum Flauij Dextri, anno 308. num. 9. tentat verba proposita trahere ad conceptionem actiuam B. Virginis; suspicatus non fuisse fideliter versa; cum tamen nihil proferat, vnde illa eius suspicio fulciatur. Facilius eam interpretationem de Conceptione actiua admitteret Iulianus Archipresbyter Toletanus in Chronico num. 607. cum ait de Bernardo Toletano Antistite. [Erat B. Virgini deuotissimus, qui faciebat celebrare festum eiusdem Dominæ cum magna deuotione, & fecit celebrare deuotius festum immaculatæ Conceptionis eius, quod prædicauit in Hispania S. Iacobus, & incepit ab ipsis Apostolis, hoc in Concilio decernentibus.] Possunt inquam facilius hæc verba accipi de festo Conceptionis actiuæ quod hic ipse Author num. 335. appellat *festum Incarnationis.* Tamen neque hic locus potest accipi de immaculata concept. actiua, sed omnino sumendus est de passiua: quia ante festum immaculatæ cõceptionis actiuæ siue Incarnationis, ait institutum esse orante, & vrgente S. Ildefonso, vt asserit numero illo 335. At festum immaculatæ conceptionis de quo hic agit disertè ait esse institutum in Concilio Apostolico, iam multis ante S. Ildefonsum seculis. Fateri igitur oportet, neque Iulianum, neque authorem librorum Granatensium agere de alia conceptione quàm de passiua. Nec tamen inde concludatur eam fide certam, dicendum potiùs est, libros istos Granatenses, præsertim ex interprete spectatos, non facere certam fidem, nominatim iuxta modum de eis sentiendi quem innuit idem Biuarius commentatio ad Chronicum prædictum, anno Christi 54. numero 4. Nec aliter elidenda est authoritas Iuliani, quo testis hoc decretum Apostolicum.

Certè si admittamus hoc decretum Concil. Apostolici esse Authenticum: impossibile est exponere, quomodò eius doctrinæ authoritas, non collidatur cum responsis Pontificum; quæ ferunt nihil hactenus ab Ecclesia definitum esse hac in parte, quod disertè habet Pius V. in Extrau. de hac materia: & Sixtus IV. in Extrau. *graue nimis*, & passim Pontifices posteriores, aliis de hac re decretis. Fuerunt qui dicerent, Pontifices tantùm intendisse dicere, nihil hactenus super hoc puncto difinitum esse ab Ecclesia, tanquam de necessitate salutis credendum ea fide; vnde fatentur, mirum non esse quod postea fides illius veritatis obsoleuerit, iamque liberum sit eam non credere tanquam de fide. Si enim Aposto-

Apostolis visum esset veritatem esse credendam ex necessitate salutis non permisisset Deus illam obliterari, cum certo exitio fidelium. Verùm hæc est voluntaria limitatio edictorum Pontificiorum. Plerique enim Pontificum, absolutè & simpliciter dixerunt, nihil de hac re quomodocunque definitum esse ab Ecclesia. Itaquè expeditius est, uti responsione quam attulimus.

Nec pia sententia ullo modo definita, nec contraria damnata ab Ecclesia,

44 PLacitum ergo aduersariorum de maculata Deiparæ conceptione, nullo ex capite arguendum est hæreseos, vel erroris contra fidem: nec nostra sententia venditanda est tanquam ex fide certa; idque si voluit Titelmanus Ioann. 2. cum dixit, *eam nunc non posse negari absque impietate,* audiendus non est. Sed fortassis *impietatem* accipit, pro *non pietate*, pro remisso erga Virginem affectu.

Non modò autem sententia nostra non est certa secundùm fidem, defectu definitionis Ecclesiasticæ, sed neque definitum est ab Ecclesia, eam esse magis piã, & magis tutam. Qua in parte diffidemus à Salazario lib. de concept. cap. 43. §. 1. idcircò affirmante, sine errore & temeritate, negari non posse eam maiorem pietatem, & securitatem nostræ sententiæ. At vbi ea Ecclesiastica definitio? Quod enim Pontifices, festum conceptionis immaculatæ religioso cultu transigendum proponunt; & id piè, ac securè faciendum docent; satis subsisteret posita nostræ sententiæ probabilitate, quia cultus ex eo probabili atque adeò practicè certo iudicio præstitus, pius est, ac securus, & errore practico vacans: ita vt etiamsi ad eum præsupponeretur, error speculatiuus, eo quod conceptio reipsa fuisset maculata, tamen iudicium prudentiale concludens ratiocinationẽ, cui error ille speculatiuus intexeretur, non destitueretur veritate practica & morali, sufficiente ad fundandam religiosam honestatem actionis per eam regulatæ. Itaque quod Pontifices in re definiuerunt, illud duntaxat est, sententiam de conceptione immaculata, ita esse piam, & tutam, vt tamen non sit de fide, neque contraria sit formaliter hæretica, aut viceversa; eo quod neutra sit contra verbum Dei per Ecclesiam propositum; & neutra quoque tanquam à Deo reuelata, sit fidelibus proposita per Ecclesiam. Et quamuis certum existimem, alteram earum esse à Deo reuelatam reipsa, saltem virtualiter & implicitè, quantùm necesse est, vt possit ab Ecclesia definiri, ideòque concedam Ecclesiam posse alteram è duabus illis sententiis pugnantibus definire ex fide credendam, (quidquid causæ sint diffidentes, meritò reiecti à Vasquez 3. p. disputatione 117. capite vltimo, Suare tom. 2. 3. p. disputat. 3. sectione 6. & Salazario libro de conceptione capite quadragesimo tertio, §. 6.) tamen quamdiù Ecclesia neutram definit, neutra est de fide, vel contra fidem.

Ne materialis quidem hæreseos est damnata.

45 EO ipso tamen quod vt præmisi, altera earum falsa est reipsa, & altera vera quæ definiri ab Eccl. potest; fatendum est alteram earum esse materialiter de fide, & alteram esse materialiter contra fidem. Nam nisi diuina reuelatio ab initio Christianæ Eccles. super vnam earum cecidisset; non posset ab Eccl. definiri. Nunc enim Ecclesia non accipit nouas reuelationes dogmaticas, vnde non potest condere nouos fidei articulos; sed tantùm potest verum sensum verbi diuini reuelati, scripti, aut traditi proponere, & quæ inde procedentem consequentiam infert, explicare, & credenda proponere fidelibus, non vt deducta, sed vt explicata. Eo ipso ergo quod vna earum nunc definiri potest certum est reuelationem super eam cecidisse iam olim: atque adeò certũ est, eam esse materialiter de fide, & contrariam quia ab ea reuelatione dissentit, esse materialiter contra fidem, & materialiter hæreticam. Non est tamen definitum, partem cui adhæremus, quæ scilicet conceptionem agnoscit puram, & immaculatam, esse illam super quam reuelatio cecidit: & contrariam partem, esse illam quæ dissentit à reuelatione; sed tantùm definitum est, partem cui adhæremus, non pugnare formaliter, & explicitè cum verbo Dei, prout hactenus proposito per Ecclesiam: quod valere posset, etiamsi enunciatio cui subscripsimus esset falsa, pugnaretque reipsa, & materialiter cũ verbo reuelato; atque adeò etiãsi esset materialiter hæretica, qualem eam non esse, minimè est definitum. Vnde nullomodo approbo, quod Salazarius l. de Concept. cap. 43. §. 4. affirmat nimirum non posse subesse falsum enunciationi, quæ aperit conceptionem immaculatam. Hoc enim non potest verè affirmari, nisi statuatur definitum esse, hanc enunciationem non esse materialiter hæreticam. Id verò definitum non est; vt Pontifices sæpè sunt contestati: sed tantúm definitum est, quasi modaliter, neutram enunciationem contradictoriam in hac materia, pugnare formaliter, & explicitè contra fidem, vt necesse esset ad hæresim. Itemque definitum est, neque vllum fidei articulum ex alterutra labefactari, sicut necesse esset, vt alterutra esset erronea. Quare ratum esto, doctrinam de conceptione Virginis maculata, quam impugnauimus, non posse dici formaliter hæreticam, nisi Ecclesia in posterum aliud definiat.

Pars II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.

An damnari saltem queat temeritatis, si ne Diuum quidem Thomam pro se habeat.

46 ERit fortassis qui pronunciet, partem puritati conceptionis aduersantem, esse saltem temeritatem, ob communem ferè (nunc quidem,) totius Ecclesiæ consensum, in assertionem puritatis. Admodùm namque pauci supersunt, quibus arrideat impuritas illa: & ex iis ipsis qui eam aliquando approbarant: plerique omnes qui bruta pertinacia non obdurnerunt in proposito, mentem mutarunt. Id de Alexandro Alensi testantur Pelbartus libro 4. Stellarij p. t. art. 3. & alij S. Bonauenturam reuocasse sententiam de maculata conceptione, edito libro, refert, ex nonnullis Catharinus lib. 4. contra Caiet *pag.* 314. S. item Thomam, qui in ea sententia censetur fuisse Ioannes Vitalis Cardinalis

dinalis tract. de conceptione passiua Deip. testatur retractasse postea priorem sensum suum, & concessisse in sententiam piam, seque librum retractationis vidisse confirmat.

Quanquam sunt etiam qui contendant, S.Thomam ea retractatione non eguisse: quod reipsa nunquam fuerit in sententia non pia, sed ab interpolatoribus immutatum fuisse textum eius 3. part. æquè ac constat tentatum id esse aliis locis. Sanè Henriq.lib.3.summæ c.1 t.*littera M* & Pineda in c. 7. Ecclesiast. verso 29.num.8. apertè cunctis manifestum,& multis,variisque codicibus testatissimum S. Thomæ locum, pro puritate conceptionis Deiparæ, in cap. 3. ad Galat. lect. 6. infideliter fuisse truncatum in recentioribus editionibus. Viennæ Galliæ in collegio societatis IESV habetur codex S. Thomæ in Paulum ante centum viginti circiter annos cusus, quo locus iste S. Thomæ,integer habetur, & conceptio Deiparæ immaculata ipsis solis tradiis descripta legitur, & similis codex cusus anno 1529. habetur Tholosæ; Apud PP. Minimos. Suspicio est Petrum Bergomum qui editioni illius operis præfuit anno 1495. Basileæ eam deprauationem textui immisisse. Nam tunc primum apparuit ea corruptio. Similiter opusc.4 in expositione salutationis Angelicæ, vt obseruauit Canisius l 1.Mar. c 6.& Salaz.lib. de concept. cap. 42. seculo 13. olim textus S. Thomæ continebat apertam, & illustrem assertionem immaculatæ conceptionis, vt etiam fassus est Turrecremata, referente ibidem Salazario. Nunc autem oil tale ibi legitur.

47 Habemus recens eiusdem infidelitatis experimentum. Nam S.Thomas in 1. d 44. quæstione vnica,art. 3. ad 3.in antiquis omnibus editionibus, & nominatim in Lugdunensi anni 1520. recognita à F. Lamberto Campensi, & in Romana iussu Pij V. confecta, & ad probatissimos Codices collata, habet hæc verba, quæ à variis quoque antiquis referuntur tanquam D. Thomæ, vt à Pelbarto lib. Stellar. part. 1. art. 3. Probatione ea *B. Virgo à peccato originali, & actuali immunis fuit.* Hanc illius textus particulam, qua peccatum originale ex mente S Thomæ à Deipara remouetur, F. Cosmas Motelles, intolerandæ audaciæ specimine, abrasit in nupera Antuerpiensi editione operum S. Thomæ, apud Ioannem Keerbergium,cui præfuit anno 1612. ratus hanc fore optimam illius loci expeditionem: non autem pleraſque alias, ineptas sanè, quas ex Capreolo, & aliis Thomistis ea verba tanquam D. Thomæ agnoscentibus, adducit Catharinus,l.a.de conceptione §. *Ad hac ficus.* At iste, nodum maluit scindere, quam expedire.

Simili fide in alia materia, vsus nuper est F. Lemos,In Romana editione summæ S Thom. Nam s.a. q 102. art. 4. cum textus in omnibus antiquis Codd, haberet, arcam,& propitiatorium fuisse lapideas; Lemos ex suo capite, mutauit quæ voluit,commentus fidem quorumdam Codicum, qui nusquam comparuerunt,& nunquam ostendi potuerunt,quantumlibet vrgentibus nonnullis, qui stropham deprehenderant. Quod ergò in hac materia factum ipsi palpamus, æquè fieri potuisse in causa Conceptionis immmmaculatæ, & reipsa factum esse, confirmant aliqui. Nec id mirum,si etiam reuelationes viri comburiis expiatæ,authoritate Iulij 2. in hanc rem sunt excogitatæ, Bernæ anno 1509. vt habet Surius in illius anni historia. & appendix ad Nauclerum Nicolai Basilij, nec non continuator Eusebiani Chronici,nec id dissimulauit Catharinus l.3.de concept. *in oltano testimonio.* Quærelas item de afficta S. Catharinæ Senensi reuelatione, contra puritatem conceptionis Deiparæ, legesis apud Delrium 4. Mag. cap. 1. q. 3. sect. 4. & apud Catharinum l. 4. contra Caietanum §.*quod verò adiecit* pag. 357.

48 Ex his ergò in D.Thom. textum corruptelis, inserunt ij quos dicebam authores,S. Thomam 3. p.q.27.vbi censetur oppugnasse puritatem conceptionis, manu falsaria corruptum fuisse: idque confirmant, prolato petantiquo exemplari summæ S. Thomæ, quod esse dicunt apud F. Didacum Saramillo,Discalceatum,conuentus S. Didaci extra moros Hispaleosis ciuitatis; in quo exemplari S. Thomas q. illa 27.perspicuè & disertè stat pro conceptione immaculata: Et memini ante annos aliquot, P. Ludouicum Vialentium, testimonio probari ex ordine Prædicatorum Theologi, à quo id ipse audiuerat, confirmasse; extare Massiliæ, (extabat saltem tunc temporis vetustum exemplar summæ S. Thomæ in Prædicatorum cœnobio,quale diximus referri esse apud Hispalenses. Itaque periclitantur aduersarij destitui à S.Thom. Vnde firmari posse videtur, nota illa temeritatis, & obstinationis contra torrentem quam dicebam non desore forsassis qui iouerent sententiæ non piæ contendendi Conceptionem B.Virginis fuisse maculatam.

Aduersary omni prorsus nota liberantur,Parcorum sobrietas, expetitur.

49 Nihilominos, vt vt alij pronunciati sint, sententiam quam Ecclesia condemnatam noluit, nec ego condemnatam volo,ac ne temeritatis quidem eam insimulo, qui infimus est reprobæ doctrinæ gradus.Ludouicus Blossius in sacello animæ fidelis c.5.secutus cuiusdam anterioris iudicium temeritatis notam inurit iis qui suo tempore, hoc est sub medium sæculi superioris,post decretum Sixti IV. & festum de concept. in Rom. Eccles. probatum adhuc inhærebant sententiæ de conceptione Deip.macolata,quam post sic expositum ab Ecclesia cœteratum magistra sensum suum,ait pias antes offendere eo quod futuram altissimi matrem non decuerit esse vel ad momentum, filiam iræ, & membrum diaboli,& mirum esse subdit, superfuisse tunc qui subobscuris quibusdam Patrum dictis innixi, non aduerterent eos si superessent, mentem mutaturos si ita reuera sensissent vt isti volunt, obstinatius tuerentur quod semel conceperunt. Ego tamen eam quoque cœteris teniorem temeritatis notam, ab istorum opinatione ablego, quia Ecclesia eam nullatenus notauit, cuius iudicio stare Par est fideles omnes. Quamquam qui eidem opinationi notam inureret distinctam ab ea quam Pontifices illi inuti veruerunt, nempè quod sit hæretica,aut erronea, vel cum peccato mortali asserenda præcise ex vi assertionis eiusdem sententiæ,is quidem non delinqueret aduersus Ecclesiæ hac in parte mandatum. Vnde non vetaretur Scitis Pontificum, aut Concilij Oecumenici qui affirmaret sententiam qua Conceptioni B. V.affricatur originale peccatum, non esse piam,vel non esse nunc probabiliorem,aut etiam probabilem: quia Ecclesia nullam talem notam ei sententiæ inuti vetat, ei modò suppetat inurendi idonea ratio. Sed contenta præstare eam sententiam,& liberam ab hæresi, & errore, ac mortali peccato (quantum est ex vi assertionis, nec attendendo scandala, & incommoda quorum excitatio per imprudam eius euulgationem possent cum graui culpa, esse coniuncta) reliquit eam sententiam in suis

in suis (vt ita dicam) meritis aut demeritis, permittens, vt quisque prudenter de ea statuat prout videbuntur ei ferre firmamenta quibus innititur, vt videre est in decretis Pauli V. ac Gregorij XV. Mihi tamen magis arrisit sobrietas quam adhibui, finens nihilominus vnumquemque in sensu suo abundare. Item fateor eum Corduba l.1.quæst.40. concl.5.repugnante licet Maiore in disp. 30. eam sententiam non piam, per se loquendo, teneri posse absque vllo peccato etiam veniali. Esto, per accidens ratione scandali, quamuis positiuum præceptum non obstaret, mortale ferè semper sit futurum, eam ad populum pro concione asserere. Tamen hoc est per accidens. Negari tamen non potest, quin ea sententia puritatem conceptioni passiuæ, Virginis sanctissimæ abrogans; sit non pia; sit etiam repugnans communissimo nunc sensui fidelium; & ab omnibus propè Academiis exulet, adactis iuramento Doctoribus ad eam auersandam: ad quod etiam, pleræque Religiosæ familiæ alumnos suos astringunt, magna erga Deiparam significatione pietatis.

50 Vtinam verò aduersarij, qua accuratione indemnitati sententiæ eorum prospeximus, eadem circa piam sententiam cui subscripsimus, vterentur: nec iis iuribus quibus à Sede Apostolica & Concilio Tridentino donata est, non ferenda indignitate spoliarent. Nihil affingam. Ante paucos menses ex contrariæ sententiæ partiarius bono publico munere fungens in vrbe Pontificia celeberrima, cum rogaretur facultas mandandi typis Theses dicatas *purissimæ Conceptioni Deiparæ Virginis*: præcisè negauit, nec obtineri ab eo vlla ratione potuit, vt *puritatem Conceptionis B. Virginis*, typis exprimi pateretur. Et cum idem (pro more,) partis & iudicis munere fungeretur, qui pro conceptæ Deiparæ puritate pugnabant, succubuerunt. Res fuit profectò indignissima. Nam summi Pontifices, & Synodus Tridentina, conceptionem Deiparæ, puram, & sanctam, atque adeò purissimam & sanctissimam dici, non modò illibentes non audiunt, sed etiam vt dicatur innuunt, & dicentes commendant, vetántque ne fideles, ita dicentibus obstrepant. Quæ ergò malum ista aduersùs Ecclesiæ testatissimam voluntatem peruicacia, eo criminosior, quod inde manauit, vnde exspectari iura debuerant? Vindices enim & ex stilla aliqua participes Pontificiæ potestatis, ita se erga Pontificum scita gerunt, vt verum habeat, quod aliud Index nunciat, & aliud præco clamat. Quæ verò exspectanda erit sacrarum legum reuerentia ad firmitas, si ij ipsi qui in earum obseruationem excubant, vel excubare ex officio debent, exemplo suo ad violandum prouocent? Non enim puto constitutionem Sixti quartò cuius initium est *Graue nimis*, confirmatam à Concilio Tridentino, & à permultis consequentibus Pontificibus, posse apertiùs conculcari, quàm obstando ad eum modum, ne studiosi sanctitatis Deiparæ conceptæ, illam profiteantur, imo enuncient. Nihil quippe aliud est puritas, quàm sanctitas & remotio impuritatis, siue maculæ atque peccati. Idque volunt varij Patres, qui Deiparæ summam puritatem tribuunt, adducti apud Richardum à S.Laurentio l.4.de Deip. pag. 238. Et ipse D. Thomas quem aduersarius obtrudo ex 1.sent.d.44.art.3. disertè agnoscit summam B. Virginis puritatem, eamque ad eum modum exponit prædicto loco, vbi sic habet. [Puritas intenditur per recessum à contrario: & ideò potest aliquid inueniri quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas Beatæ Mariæ Virginis, quæ à peccato originali immunis fuit.] Ac proinde veritate conceptionem Deiparæ dici puram, idem est ac vetare dici sanctam: qualem tamen eam vocat Ecclesia in octauo responsorio officij conceptionis: & vt vocare liceat, tot summorum Pontificum edictis, & Concilij authoritate tam disertè, tamque perspicuè constitutum est: Vt non sit profectò aliud in Deiparæ conceptæ puritatem arietare, quàm per nonnullam Pontificiæ authoritatis participationem, Pontificias leges conuellere.

Puritas II. Paulus Puritas II. primæ Virginis. sanctificatio.

Vt attingam, an sententia affirmans Conceptionem Virginis fuisse nitentissimam sit probabilior quàm opposita, facit non satis bona fides Guhelmi Estij qui in 3. distinct. 3. quærens omnibus artibus inducere persuasionem de B. Virgine in originali peccato concepta, euertendo omnia contrariæ persuasionis fundamenta, concludit §. 5 sententiam pro macula Virginis conceptione certantem esse probabiliorem, oppositam autem esse magis piam: pro quo suo iudicio allegant Pium V. in Extrau. de hoc negatio. Sed est infidelis allegatio. Nam Pius V. nihil tale habet. Dicit quidem Pius se permittere cuique vt teneat alterutram partem, prout eam, vel magis piam, vel magis probabilem esse existimauerit. At hoc longè aliud est quam quod Æstius comminiscitur. Neque enim Pius disiunctiuè dicit partem negantem conceptus puritatem esse probabiliorem vt fingit Æstius, partem verò affirmantem esse magis piam; sed minùs probabilem: Hoc dicit Estius, non Pius. Tantum ergò ait Pius per se licere, vt qui alterutram partem, magis piam, aut magis probabilem censuerit ei adhæreat. Nobis autem pars affirmans, non modo videtur esse magis pia, sed etiam magis probabilis non modo per locum intrinsecum, sed etiam per locum extrinsecum, vt satis videtur euictum, præsertim ex hodierno sensu Ecclesiæ quæ ad agnoscendam veritatem partis affirmantis, allicit per indulgentias. Ridiculè verò hoc argumentum eneruare tentat Estius, ibidem dicens Indulgentias fuisse concessas non opinioni, sed deuotioni: Sanè quidem. Sed idcircò datæ sunt indulgentiæ deuotioni fidelium, in hoc negotio, non vt allicientur ad profitendam, vel colendam falsitatem, sed vt admodum probabili, ac piæ veritati procliuius adhæreant: quæ cultus illecebra non est concessa parti contrariæ, defectu pietatis, ac deuotionis, & ob longè minorem probabilitatem.

Puritas Conceptionis Deiparæ concluditur.

51 Opportunè hic aduersarium affabor verbis Anonymi apud Anselmum in declaratione sobinncta libro de conceptu virginali. [Rogo per eandem Beatam *Virginem*, desiste noli æmulari in malignantibus, cessa synceerissimum vas incrustare, solue calceamenta pedum tuorum quæ impediunt progressum rectæ intentionis tuæ. Siquidem zelum Dei habes in hac parte, sed fortè non secundum scientiam. Forsitan enim putas in hoc errore, Deo te obsequium exhibere. Quod se nolueris cessare, scito quod terra hæc quam calcas, deuorat habitatores suos, vltionem faciens in omnes filios diffidentiæ.] Errorem meritò vocauero, negare puritatem Deiparæ conceptæ, propugnans,

& exprimi posse. Quamuis igitur sententiam puritati Conceptionis aduersantem, omni nota liberé, neque oppositam cui adhæsi, venditem vt certam ex fide, & cui non possit subesse falsum, perinde ac si reuelatione per Ecclesiam proposita perfunderetur; (id enim fateor falsò jactandum, quamdiu Ecclesia perget silere, nec distinctiùs aperiet mentem suam hac in parte.) Tamen ratam planè esse volo sententiam quam tot Patrum suffragiis & testimoniis, consentaneè ad Scripturas & probatas reuelationes, nec dubia miracula, roboratam; tot Pontificum fauoribus, & illicibus decoratam; tanto Doctorum & fidelium propè omnium consensu exceptam, & retentam vidimus: cui si aliqui Sancti viri, ante aliquot secula visi sunt repugnare; consilium Dei in ea permissione obseruat S. Birgitta ex ore ipsius Deiparæ l. 5 reuel. *ad finem.* dicens sic visum Deo, vt quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescerer in tempore præordinato.

Videor honorem solidum Deiparæ in puncto ortus sui, non incongruè stabilisse. Itaque vbi gratiæ victrici cum Nicolao Querculo Poëta Christiano qui Patrum memoria scribebat gratulatus fuero, excedam.

Vos ô Cælicolæ certamen dicite Musæ,
Victricem blandis concelebrate modis.
Gratia naturam cum qua est congressa, subegit,
Et forti posuit clara trophæa manu.
Vos ô Cælicolæ certamen dicite Musæ,
Ter, ter io Musæ dicite Cælicolæ.
Concurrere simul totis conatibus olim
Cum Christi genitrix concipienda foret.
Horrida pugnabat natura nigrantibus armis,
Quam sequitur serpens cui malè crediderat.
Angebátque animos, nulli sua sancta fuisse,
Ipse conceptus tempore principia.
Illa Dei contra, properat confisa fauore,
Corytúmque leuem, Numine plena gerit.
Et ne festinans fœdet natura quod esse,
Primæno læsum vulnere sana capit.
Diua propinquantem longè stridente sagitta,
Arcet, & illæsum sedula seruat opus.
Puncto concepens se prauenisse sub ipso,
Æternos prolem qua sua ante Polos.
Virginis esse fatam (pariet qua Virgo Deumque
Conciperet Virgo candida) virgineam.
Hic neque natura solitas, neque dæmonis artes,
posse (nisi falsò) præualuisse queri.
Sic fuit ô Musæ, natura gratia victrix,
Sic sacrosancta Virginis ortus habet.
Dicite Cælicolæ ter io, ter dicite Musæ,
Ter ter io, Musæ dicite Cælicolæ.

Transitum ad modum, ac modulum, primæ sanctificationis Deiparæ. De modo, varia placita.

52. Sic constituta, & contra aduersantes stabilita sanctitate Deiparæ in primo momento sui esse inquirendum breuiter restat, quomodo ea prima gratia sanctificans Virgini obuenerit: an scilicet ex mera Dei beneficentia & largitate, an verò interueniente merito congruo, & dispositione B. Virginis. Itémque quanta fuerit intentio eiusdem gratiæ, & quibus adiunctis supernaturalibus habitibus sit comitata: quod ad augmentum eius extensiuum accedit, & est hoc loco expediendum.

Et de modo quidem comparatæ per Virginem huius primæ sanctific. at onis inuenio tres dicẽdi modos. Primus merum opus operatum in hac sãctificatione agnocit. Secundus, per meram opus operantis collatam totam eam gratiam docet, eo modo quo peccatori qui extra Sacramenti, susceptionem perfectè conuertitur, datur gratia, ex solo opere operantis. Ita Suarez t. 2. 3. p. d. 4. s. 8. post S. Bernardinum ser. 51. de B. Virgine Tertius partim ex opere operato partim ex opere operantis, obuenisse B. Virgini hanc gratiam affirmat. Ita Henriques l. de fini hom. c. 10 §. 8. & Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 7. Sicut enim cum quis absoluitur simul & conteritur, recipit duas portiones gratiæ; vnam ex opere operato Sacramenti pœnitentiæ, tunc substantialiter consummatur; alteram ex opere operantis, respondentem contritioni tunc elicitæ: ita Deipara, ex sua dispositione accepit partem gratiæ eidem dispositioni commensam: excessum verò accepit ex mera Dei largitate. Fuit enim ea prima gratia omnino magna, vnde excessit dispositionem à Deipara adhibitam, vt hi autores arbitrantur.

Fuit ex opere operantis, data Virgini, rationis vsu præcoquo.

53 Mihi subscribendum omnino videtur secundo modo dicendi, dummodò supponamus B. Virginem in primo momento sui esse, donatam fuisse vsu rationis & libertate: de qua prærogatiua non puto dubitandum, si admittamus Ioannem Baptistam eam habuisse in vtero matris, cum exultauit in gaudio ad Christi aduentum: quæ est constans Patrum sententia apud Canisium l. 1. de S. Ioanne cap. 1. & apud Suarem t. 2. 3. p. d 4. s 7. nec non apud Vasquem d. 119. c. 3. & Castrum in historia Deip. c. 6. n 5. Eámque ex verbis S. Elisabethæ rectè eruit Toletus ibi annot. 118. Et cum SS. Patres passim, eum Ioannis motum intelligant de motu arbitrario & per libertatem indicto, non possumus succusionem inuoluntariam ad præsagium diuinitùs causatam, interpretari, etiam si id vnum interpretentur aliqui accidisse Cæsari Baronio, cum materna aluo latens, ad omnia Virginis templa quæ mater subibat vel adhibat, gestire & exultare deprehendebatur à matre, vt in Baronij Elogio scribit Spondanus. At in Baptista, quicquid secus ipsum sit Iansenio, Patres cogunt *exultationẽ* accipere de motu libero. Si ergo Baptista, ad exercendos in materno vtero actus supernaturales, obtinuit eam accelerationem vsus rationis; quanto æquius est, idem priuilegium tantopere conferens ad sanctitatem & perfectionem optimo modo consequendam, B. Virgini concedere? Sine dubio igitur B. Virgo iam ex vtero habuit vsum rationis. Et cum nulla sit circa eam ratio differendi collationem illius beneficij, sicut superebat circa Ioannem Baptistam, pro quo exspectandus fuit occursus Christi; rectè superiùs statuebam, hoc beneficium impensum esse Virgini à primo momento sui esse, ad se offerendam Deo nunc diluculo: siue donum illud paulo post cessaris, nec nisi cum naturale tempus vsus rationis appetiit, visa sit Virgo ratione plena, quod de Ioanne sentiunt aliqui inter quos Ludouicus à Tena libro secundo, Isago. difficult. 12. sectione 1. §. *Vtrum verò*: donum illud acceleratæ rationis, perpetuum. & Ioanni, & Virgini fuerit saltem in vigilia, vt affirmant Vasquez 3. parte, disputatione 119. capite 4. & Suar. sectione illa 7. quod videtur verisimilius, quia vt

est

est apud Apostolum, firmatque communis sensus, dona Dei sunt sine pœnitentia, neque auferuntur absque culpa; præsertim cum dantur ad commodum suscipientis, & veriorem eius sanctificationem, cuiusmodi revera est hoc donum de quo agimus.

54 Per hoc donum, potuit B. Virgo exercere iam à primo momento supernaturale actus, vel scientiæ infusæ non exigentis cooperationem phantasiæ vel fidei: quam tamen vel oportuit armari, & instrui speciebus suaptè natura infusis, ac proinde independentibus à cooperatione phantasiæ, vel certè liberari necessitate concomitantiæ actus phantastici, cui naturaliter colligatur intellectus, exercens in nobis actum fidei: eo quod species quibus in eo formando vtimur hausta sint à sensibus, vtrumque autem potuisse à Deo fieri perspicuum videtur. Quæ enim repugnantia proferri potest, quominus dentur species extremorum, ad actum fidei formandum opportunæ, independentes à phantasia? Fuerunt certè tales species in Angelis, cum viatores essent, & actum fidei elicerent. Quidni item species acquisita exolui possit ea necessitate concomitantis phantasiæ, qua naturaliter vrgetur? Malè ergo vtrumque infitiatus est Vasquez 3. p d. 119. cap. 9. Quanquam autem gratis daremus phantasiæ concomitantiam essentialiter exigi, nihil esset quod vetaret, Deum ita confortare phantasiam, vt posset etiam in fœtu nunc primùm excipiente, animam, cooperari intellectui, elicienti actum fidei.

55 Ad hunc modum suppositа acceleratione vsus rationis in Deipara cum primùm anima eius conserta est corpori, admitto B. Virg. se disposuisse ad totam gratiã, quam in prima sanctificatione accepit. Quod tradũt Suar. sup. adductus, & grauissimi DD. apud Henriq. lib. 1. summæ c. 14. n 3. *littera P.* Idem apertè videtur tradere S. Brigitta in sermone Angelico c. 5. *in ipso fine.* Et ratio est, quia non debemus in hac parte despicatiùs statuere de Deip. quàm de Angelis, & primo homine. Atqui Angelos disposuisse se ad totam gratiam in qua sunt creati, communissima est doctrina, cui pauci sunt refragati, vt Molina 1. p. q. 62. art. 3. Capr. in 2. d. 4. q. 1. ad 1. contra 4. Alex. 2. p. q. 29. memb. 1. art 7. & Henr. quodl 8. q. 10. Sed ex ruinosis fundamentis, quæ plenè euertit Suar. l. 5. de Angel c 7. monstrans possibile fuisse Angelo, operari supernaturaliter in primo momento sui esse, séque disponere ad gratiam: & addens c. 8. ita de facto contigisse. Primum item hominem se disposuisse ad gratiam sanctificantem in qua conditus est, confirmat Azor t. 1. l. 3. c. 33. q. 2. & Suar. l. 3. Cosmop. c. 19. post S. Thomam 1. p. q. 95. art. 1. ad 5. Hæc de Angelis & primo homine, passim admittuntur. Nec sanè est, quod vetet, puram creaturam diuinitùs præuentam, se disponere ad gratiæ infusionem ipsi coæuam, per proprium actum: simul quidem elicitum cum infusione gratiæ, sed tamen natura priorem tali infusione, eiusque meritorium; non quidem de condigno, ne principium meriti cadat sub meritum, sed de congruo: quamuis simul sit condignè meritorius gloriæ. Hic ergo modus obtinendi gratiam, cum sit longè honorificentior creaturæ, nec Deo operosior, cui omnia sunt ad manum, & gloria creaturæ suæ perchara, decentissimè seruatus est quoad Angelos & primum hominem; multóque decentiùs quoad Deiparam, cuius honor est Deo multo magis curæ, quanto differentius ab illis nomen hæreditauit.

Cumulus verò gratiæ quam tunc Virgo accepit, quantus fuerit, (de quo mox,) non potuit transcendere dispositionem Deiparæ, si verum est Deo illam præmouere ad dispositionem toti illi cumulo accommodatam: Ipsa autem Virgo, præmotioni illi & sollicitationi, adæquatè respondit. De qua correspondentia non puto dubitaturum quenquam, quia vix ab aliquali peccato libera esset; cum tamen nullum peccatum, ac ne tenuissimum quidem, in B. Virgine locum habuerit vnquam. Saltéque non potest expurgari à magna imperfectione, quam nemo pius affricuerit Deiparæ absque graui fundamento, quod hîc nullum habetur. Itaque euanescit argumentum supra adductum ex tertia sententia, quæ totam primam Virginis gratiã obtigisse absque dispositione affirmabat; causata illius gratiæ propè immensitatem, de qua pronunciandum sequitur.

Pars II. Punctum I de prima Virginis sanctificatio.

Quanta intensio, eiusdem primæ sanctificationis.

56 ET quidem quis præcisè fuerit illius gratiæ aceruus, statuere certò non possumus. Quandoquidem enim partus est incrementu propriæ dispositionis, hæc autem correspondit adæquatè excitationis diuinæ, qua Virgo sollicitata est ad actum gratiæ feracem de congruo: idcirco, sicut de quantitate diuinæ præmotionis ad congruam dispositionem, liquere nobis non potest; ita neque de quantitate gratiæ quæ per eam dispositionem est comparata. Conijcere tamen admodùm probabiliter possumus ac debemus, & præmotionem & dispositionem, iisque subiunctam gratiam, valdè eximias, & copiosas fuisse. Multa in hanc rem disserit Suarez tom. 3. parte. disputatione 3. sectione prima, contendens gratiam B. Virginis, iam ex momento conceptionis, fuisse copiosiorem ea gratia in qua Angeli & homines consummantur: vt hoc quoque modo verum sit, fundamenta Virginis fuisse in montibus sanctis, quia homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Contendunt quoque passim authores, dignitatem matris ad quam Virgo iam ex primo momento sui esse, electa diuinitùs erat, quandam gratiæ propè immensitatem deposcere. Quod si Angelus summus in primo suæ creationis momento, disposuit se ad gratiæ quantitatem, gratia cuiusuis puræ creaturæ præterquàm Deiparæ intensiorem; (superat enim gratia omnes homines puros præter Deiparam & tempus viæ habuit admodùm breuè, vt propterea non potuerit gratiam suam multum augere post primum instans) quis dubitet hanc veri Solis auroram, in primo exitu, Angelo summo, atque adeò putis quibusuis hominibus rutilantiorem, & nitentiorem fuisse? Id est, copiosiorem gratiam, & intensiorem iam ex primo conceptionis momento esse sortitam, quàm sortiantur in sua consummatione Angeli & homines. Hoc de hominibus puris sigillatim, déque Angelis quibusuis diuisim sumptis, videtur pium ac verum. Nec puto aliud intendere eos, qui primam hanc Deiparæ gratiam, docent intensione superare gratiam in qua Angeli & homines consummantur. Incredibile quippe videtur, eos quod ad primam sanctificationem attinet, agere de gratia Angelorum & hominum collectiuè sumpta, quicquid sit de gratia in fine vitæ B. Virginis de qua posteà.

57 Quia verò gratiam in substantia animæ receptam, assectatur satellitium habituum per se infusorum, & donorum Spiritus S. tanquam vel præsidium vel ornamentum potentiarum quibus illi habitus, & dona adueniunt: propterea asserendum consequenter est, B. Virginem in primo momento sui esse,

esse, hæc omnia diuinitùs accepisse. Vt autem id distinctius pateat secernenda sunt tria habituum, & donorum genera; vnum quod intellectui, alterum quod voluntati, tertium quod appetitui sensitiuo communicatur. Nam etiamsi hoc postremum membrum non sit virtutis intellectualis aut moralis, est tamen genus quoddam habitus proportionatum subiecto: & in materiis naturalibus numeratur inter rudimenta virtutum vt plenè trado l. 1. de Virtut. sect. .. à n. 11 5. Omitto hoc loco potentiam exequentem, quia ea facultas non perficitur immissione alicuius habitus aut doni creati, sed tantùm adiunctione extrinseca diuinæ potentiæ, assumentis vim creatam cui assistit cùm operandum est. Ac ne fit quidem potentia exequens Deiparæ, initio erupit in vllos actus miraculosos; sed longè post: vnde non est quod hoc loco mentionem eius ingeramus.

Corollaria eius, in Intellectu Deipara.

58 QVod intellectum ergo, admittendum est inditum ei à primo momento fuisse habitum fidei. Cum enim fides sit substantia, & basis non modò rerum sperandarum, sed totius spiritualis ædificij; non potuit non subsistere in Virgine. Difficultas verò esse potest, an species extremorum quæ ad fidē complendam exiguntur, fuerint concreatæ habitus fidei, quales in nobis sunt, hoc est essentialiter naturales, & exigentes cooperationem phantasiæ, à qua naturaliter hauriuntur, an essentialiter supernaturales quales inditæ sunt Angelis, ab initio creationis. Admitto hoc secundum. Si enim hoc secundum dicamus, facilè erit negare, necessarium fuisse communicari Virgini in primo momento, respectu mysteriorum supernaturalium, permanentem habitum scientiæ infusæ, qui non est consentaneus statui viatoris: vt propterea Suares t. 2. 3. p. d. 19. s. 3. *in fine* neget habitum illum esse communicatum B. Virgini, eamque fuisse Patrum, & antiquorum Theologorum sententiam contestetur. Si autem assereremus, species fidei deseruientes, communicatas B. Virgini iam ex primo momento, fuisse naturales, & consortium phantasiæ exigentes, sicut in nobis; difficile esset negare inditum fuisse Virgini iam à principio habitū scientiæ infusæ, quia multa de B. Virgine passim admittuntur, quæ postularent eum habitum V. G. quod contemplationem habuerit iugem à corporis fatigatione liberam; & quod eius ratio semper vigilauerit, ad præueniendos omnes motus inordinatos. Vt omittam dispositionem qua se aptauit congruè ad primam gratiam: Hæc enim dispositio, cum fuerit actus momentaneus, facilè referri posset ad scientiam infusam, non permanentem, & ex habitu, statui viatorum non consentaneo deriuatam, sed transeunter communicatam quoad solum actum, & vi solius auxilij actualis elicitā, secluso habitu. Cum ergo habitus scientiæ infusæ sit aliquid suapiè natura stabile, nec sit consentaneus statui viatoris, & quamuis non repugnet eum cohærere cum habitu fidei iuxta sententiam probabiliorem, quæ etiam actus vtriusque habitus simul in eodem sub ecto collocari posse asserit, quamuis actus videantur inconciliabilius dissidere quàm habitus; Tamen si habeatur ratio connaturalis cohærentiæ, non quadret cum habitu fidei, quem certum est habuisse locum in B. Virgine. Propterea dicendum videtur, habitum scientiæ infusæ non fuisse inditum intellectui Deiparæ, siue in primo momento sui esse, siue etiam postea. Quod generatim de quibusuis puris creaturis asserit Suares prologo 3. de gratia c. 5. n. 30. quamuis vt B. Virgo aliquem huius scientiæ actum, raptim & in transitu aliquando habuerit, nihil sit quod prohibeat.

59 Quod dixi de habitu fidei, dicendum similiter est de donis habitualibus Spiritus sancti, pertinētibus ad intellectum, qui multi sunt; & inter se, & à fidei habitu specie discrepant, vt ostendendum est 1. 2. q. 68. tractatque Suares l. 2. de gratia à c. 17. qui l. 6. eiusdem operis c. 10. n. 5. obseruat non esse quidem ex fide certum, quod ij habitus à fide distincti, communicentur de facto iustis: tamen esse valdè probabile, & ita insinuari apud Esaiam describentem spiritus in Christo requiescentes; idest permanenter, & habitualiter insidentes: sicut ex simili modo loquendi de Spiritu sancto animam inhabitante, & mansionem in ea faciente, colligitur habitus gratiæ sanctificantis, qui sit terminus actionis illius continuatæ, ratione cuius, Spiritus dicitur mansionem in anima facere. Hæc ergo habitualia, consilij, intellectus, sapientiæ, & scientiæ dona, actualibus correspondentia, de quorum discrimine alibi agitur; admitto Virgini ab initio inextitisse, iam quam valdè conducentia ad sanctificationem subiecti cui communicantur à Deo, & dignissima Dei matris ornamenta.

60 De his Deiparæ intellectualibus perfectionibus, quæstionem mouit Petro Venerabili Gregorius quidam Monachus, de sua, & aliorum quorundam mente, vt idem Petrus refert l. 5. epist. 7. *propositione* 2. tantæne, siue initio, siue etiam deinceps in mortali vita fuerint, vt æquarint vel excesserint Angelorum sapientiam. Quod Petrus Venet. constantissimè negat, eo quod aliquì concedendum esset, Deiparam iam ex hac vita, visam fuisse beatam, & Deum vidisse, in qua visione sita est Angelorum sapientia.

Verùm non modica æquiuocatio in disputationem Petri Venerabilis obrepsit, quia non rectè distinxit. Si ergo attendatur cognitio beatifica Angelorum beatorum, quatenus ad Deum clarè visum terminata, sic non est negandum quin supernaturalis cognitio B. Virginis viatricis, claritate, & perfectione cesserit cognitioni beatificæ Angelorum, qua vident Deum sicuti est: cum B. Virgo, siue per fidem, siue per scientiam infusam quam aliquando sortita est, id non haberet: At si aliæ notitiæ supernaturales beatorum, neglectis naturales, [illegible] conferantur cum notitia simili B. Virginis; & obiecta supernaturalia inferiora Deo, siue in verbo, siue extra Verbum ab Angelis percepta, conferantur cum obiectis intellectus Deiparæ, (quid [illegible] controuersiæ de præcellentia sapientiæ Angelicæ & [illegible] quæ B. Virginem adhuc viatricem exornauit;) sic dicendum videtur, sapientiam Deiparæ viatricis, non modò exæquasse Angelicam, sed etiam superasse quicquid fortassis voluerit Petrus Venerabilis. Cuius tamen illud dictum de sapientia Virginis supra sapientiam omnium viatorum, exosculandum est, & omni cum veneratione approbandum (Planè habuit ingentem, & omni sanctorum mortalium viuentium sapientiæ valdè præferendam sapientiam non eam quæ more Philosophico de creaturis curiosè disputat: sed eam quæ Creatoris cognitionem deuotè atque sollicitè inuestigat. Quanti n curamque enim intellectus proficiat ad solā creaturæ veritatem perscrutandam, magis *scientia* quàm *sapientia* dicitur. Ille autem intellectus qui per creaturas, vel sine creaturis, se in agnitionem [illegible] solius Creatoris extendit, *sapientia* verè vocatur.

Hanc

Hanc itaque ſapientiam, quæ cæteris affectibus poſthabitis, in ſolius conditoris & omnium bonorum auctoris agnitionem, & defæcatiſſimum amorem, adiuta ipſius conditoris gratia ſe totam diffundit, Beata Virgo & mater Dei, plus omni mortali in carne viuente obtinuit;& ea ſapientia ſapiens, conditorem ſuum & omnium, omni mortale creatura excellentiùs agnouit, coluit, dilexit: & quantum hic à viuente videri, vel comprehendi poterat, licet incomprehenſibilem, comprehendit.] Confirmat hæc latè Cartuſ.l.2. de laud. Deip. art.3. penſatis in Virgine omnibus, quæ ad ſapientiæ exquiſitam perfectionem conferre poſſunt.

Proportionalia Corolloria in voluntate.

16. Iam verò perfectiones infuſæ voluntati Deiparæ in primo momento ſui eſſe, ſunt inprimis ſpes & charitas; de quibus id perinde certum eſt, ac de fide indita intellectui. Ex receptiſſima, verò doctrina, quæ virtutes quoque morales per ſe infuſas adiungit gratiæ ſanctificanti; fatendum eſt, has quoque virtutes inditas eſſe Deiparæ, à ſua prima ſanctificatione quod agnoſcit Petrus Vener.l.3. epiſt 7. propoſitione 1. vbi inter chariſmata maiora, quæ ſcilicet ad ſanctitatem animæ pertinent, Virgini etiam ante conceptum Chriſtum, atque adeò à primo ſanctitatis vſu conceſſa, numerat virtutes infuſas tanquam gratiæ ſanctificantis appendices. [Maiora (inquit,) chariſmata dico, quæ ad perficiendam iuſtitiam hominis pertinent, vt ea de quibus Apoſtolus ſcribit, *Nunc autem manent, fides, ſpes charitas, tria hæc. Maior autem his eſt charitas.* De qua ipſe alibi apertiùs, *Charitas, (* inquit,) *de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta.* Hæc eſt illa charitas, non tantùm faciens, ſed omnino perficiens iuſtitiam ad quam cæteræ virtutes iuſtitiæ cooperatrices, velut ad matrem filiæ reſpiciunt: de cuius radice exoriuntur, de cuius ſtipite velut fructuoſiſſimæ arboris, ramorum infinitas ſpecioſa dependet Ibi caſtitas, ibi humilitas, ibi veritas, ibi ſinceritas, ibi obedientia, ibi omnis iuſtitia. Lege Apoſtolum, & inuenies cætera ſigillatim expoſita. Lege Euangelium, & audies Chriſtum. *In hac, vniuerſa lex pendet & Prophetæ.* Si ergo ſenſuit gratiam ſanctificantem fuiſſe Virgini tributam in primo momento, idem cenſuit de virtutibus voluntatis per ſe infuſis, quamuis iuxta ipſum non conſummandis vſque ad Chriſti conceptionem. Clarè idem de prima ſanctificatione tradit Richardus à S.Laurentio lib. 3. de Deip. *ferè initio.* [*Adiuuauit(* inquit,*) eam Deus manè*, id eſt in principio vitæ ſuæ, adhuc exiſtentem in vtero Matris. *Diluculo*, id eſt, gratiarum ortu tenebras originalis expellente. vel *Diluculo*, id eſt, claritate gratiarum adueniente, quæ tunc infuſæ ſunt ei.]

Quid de appetitus ſenſitiui complementis, & num Virgo, Originalem iuſtitiam acceperit

62 Denique in appetitu ſenſitiuo B. Virginis, admittendi ſunt habitus ab initio inditi, quales conceſſi fuiſſent iuſtis in ſtatu innocentiæ, ad cicurationem feræ illius quam nobis habemus colligatam, imo internam. Huiuſmodi autem habitus potuiſſe eſſe per ſe infuſos, attento fine in quam infunderentur, etiamſi materiales eſſent conſtat ex vnione hypoſtatica corporis ad Verbum, quæ eſt materialis, & tamen eſt in ſupernaturalitatis vertice. Quamuis autem nulli habitus immiſſi appetitui, ſufficientes ſint ad illum frænandum; adiungendáque neceſſariò ſit ſpecialis Dei prouidentia extrinſeca, vt rectè ſtatuit Azor t.1.l.3.c.32. q.3.& Suarez prolego.4 de gratia c.5.n.3.& l.3.Coſmop. cap.20. tamen habitus immediaté immiſſus appetitui, aliquid quoque in ſuo genere contuliſſet; & ideo à Molina ad eum effectum admittitur diſp.28.Coſm.concluſ.2.*ſub finem*, & à Bellarmino l. de gratia primi hominis c.5.& 6. Quos verò defectus, hic habitus cum ſuis complementis extrinſecis ſumptus excluderet ab appetitu Deiparæ, & an idcircò dicendum ſit fomitem Virginis iam à primo momento conceptionis fuiſſe ligatum, vel certè fuiſſe ſublatum, dicetur inferiùs agendo de defectibus remouendis à Deiparæ facultatibus. *Pars II. Punctum II. prima Virginis ſanctificatio.*

Nunc illud vnum contendimus. hanc perfectionem, non modò qualiſcunque nunc cernitur iniuſti, qui appetitum manſuefecerunt; ſed qualis cernebatur in ſtatu innocentiæ, inditam fuiſſe Virgini in primo momento, conſequenter ad lectiſſimam illam gratiam & dona quibus ditata eſt, in illo ſuæ vitæ principio. Et ita agnouit Rich. à S.Laur. l.3. de Deip. *initio.* cum ait, in prima ſanctificatione Deiparæ quam factam putat ſtatim poſt primum vitæ momentum. [Tunc Pater ſicut dicitur Oſeæ 13. *Adduxit ventum vrentem*; id eſt Spiritum ſanctum, qui in eo quod *ventus* eſt, ab æſtu concupiſcentiæ virgineam carnem refrigerauit, & fomitem extinxit, ſicut flatus venti candelam. In eo autem quod *Vrens* eſt, humorem ebibit noxialem, & terram corporis exſiccauit.]

63. Subnaſcitur verò hinc lis de nomine, an B. Virgo quando quidem & gratiam, & virtutes infuſas, & hoc quod diximus appetitus frœnum conſecuta eſt, dicenda ſit accepiſſe in ſua conceptione iuſtitiam Originalem: ſin minùs quoad minutiores quoſdam effectus, nempe excluſionem timoris ad triſtitiæ, ſimiliúmque affectionum, quæ in ſtatu innocentiæ non habebant locum; in Beatam autem Virginem ceciderunt: at ſaltem quoad præcipuos effectus iuſtitiæ originalis, eámque beatam hominis ad Deum ſubnectionem, in qua donum illud ſtatus innocentiæ, præcipuè ſitum erat. Quamuis autem in hac quæſtione de nomine, parum referat vtro modo quis loquatur; & partem affirmantem piè tradat Caniſius l. 1. Marialis c. 9. Ioannes Maria Zamorus l. 2. de Eminentiſſ. Deip. perfect. c. 18. Perlinus lib. de concept. diſtinct. 11. cap. 7. & alij apud Salazarium l. de concept. cap. 10. à n.12. Tamen exactior videtur locutio, eorum qui ſimpliciter negāt B. Virginem habuiſſe iuſtitiam Originalem, etiam quoad illos primarios effectus iuſtitiæ originalis, qui in ea Dei beneficio habuerunt locum. Nam tametſi ratione eorum habuit iuſtitiam orig. quaſi entitatiue ratione donorum iis ſimilium, quæ tales affectus cauſabant in ſtatu innocentiæ: tamen conſtat, Virginem non habuiſſe ea dona vi ſuæ originis, quod tamen ſonat nomen *iuſtitia originalis*: Ratio autem ob quam Vaſques 3. p.d.119. c.2. *in fine*, poſt Cordubam l.1. q 46. opinione 1. negat Viginem habuiſſe iuſtitiam originalem, quia ſubiacuit morti.& aliis effectibus quos minus præcipuè à iuſtitia originali excludendos dixi, non eſt idonea ſtatuendo quæſtionem, vt nos fecimus.

An sursus Doctrina, Virgo absque debito originalis peccati?

64 HActenos de prima Virginis iustificatione, eiúsque adiunctis omnibus. Nec subnectendi, & expendendi sequuntur, eminentes honores quos Virgini circa materiam propositam affinxere nonnulli; tum quoad maculam originalem quam remouent nobiscum, tum quoad primam gratiam sanctificantem, per quam ea macula remouetur. Circa originalem labem, quidam valdè se putant honorificare Deiparam, si dicant, eam non modo caruisse originali peccato, sed etiam caruisse illius peccati debito; eo quod per speciale Dei priuilegium, antecedenter exempta esset à peccato inito cum Adamo. Non enim sicut conuentú fuerat inter Deum & Adamum, vt si Adamus peccaret, omnes vulgo Adami posteri exciderent iure habendi gratiam in puncto generationis ex eo, ita idem de B. Virgine conuentum fuerat; sed cum aliis omnibus Adæ posteris concedenda esset gratia in generatione si Adam non peccasset; Virgini tamen decreta est gratia in primo momento sui esse, siue Adam caderet, siue persistaret. Allegat pro hoc modo philosophandi Suarez tomo 2. 3.p.d.3.s.2. Catharinum, Galathinum, atque Viguerium. Quanquam hos duos, aliud sensisse contendit Vasquez 3. p. disput. 115. capite primo, sed & apud Catharinum l. 4. contra Caietanum § *circa tractationem igitur*, lego hæc verba. [Quod Caietanus declarat, quod esset hæreticum, si quis diceret, B. Virginem sic fuisse immunem ab originali peccato, eiusque reatibus, vt non solùm non habuerit illud, sed nec habere debuerit secundùm suæ naturæ conditionem, verissimum est: sed nemo Catholicus hoc defendit. Hæc est enim positio nostra, quod B. Virgo, licet vt Adæ filia debuerit illud peccatum, & maculam, & iram Dei, & seruitutem Diaboli, & peccati contrahere, tamen præueniente gratia Dei, ex meritis Christi, ab eo peccato, & reatibus eius præseruata fuit.] Manifestè hìc Catharinus, admittit in Virgine debitum peccati originalis, & contrariam assertionem agnoscit hæreticam, nullique Catholico probatam. Nec contrarium sensit, & debitum contrahendi peccatum originis remouit à Virgine lib. de Peccato orig. capite vltimo, vt passim refertur. Quin potiùs ibi §. *vide & octauò*, disertè agnoscit in Virgine hoc debitum: tametsi ait, quoad incursum actualem exemptam esse à pacto.

Ex eo tamen fundamento, tradunt B. Virginem ne debitum quidem peccati originis incurrisse, nonnulli alij, vt Salmeron in cap. 5. ad Rom. disput. 45. fauétque Valentia 1.2. disput. 6. quæst. 11. p. 2. dicens id piè credi posse. Magis etiam in hoc inclinat Iustinianus 1. Timoth. 2. ad vers. 6. Sed disertè, & pro viribus hanc sententiam sequuntur innumeri recentiores, quos magno numero signat Perlinus in Apologia pro concept. distinct. 3. cap. 8. At Salaz. l. de concept. nominatim c. 41. canone 1. à n. 10 & c. 24. ita hanc sententiam omnibus neruis contentis firmat, vt tamen c. 14 §. 19. *in fine* nihil affirmare velit, aut potiùs videri velit. Reipsa namque illi adhæret, & sequitur quicum pro hac sententia allegat Ioan. Maria Zamorus l. 2. de Eminentiss. Deip. perfect. c. 17. Est etiam, latè in ea sententia Celada in Iudith figurata à n. 96. ad 110.

Binæ propositi placiti, explicationes.

65 EST autem inter huius sententiæ authores, dissidium quoad modum quo Beata Virgo exempta est ab hoc debito. Salazarius enim supra num. 161. profitetur se per hoc à Catharino aliisque volgo in hanc rem adduci solitis discrepare, quod hi fateantur B. Virginem fuisse electam ante peccati præuisionem, in ipsa autem pacti cum Adamo celebratione fuisse subductam ab eo pacto: & cum dicant hanc exemptionem à pacto, factam esse antecedenter ad præscientiam passionis, ac mortis Christi, quia Christum quem admittunt decretum ante peccatum, aiunt tamen non præuisum moriturum, ac redemptorem nisi occasione peccati, quod ante redemptionem est præuidendum; consequenter coguntur addere, Beatam Virginem non fuisse redemptam per Christum passum. Ipse verò Salazarius hoc refugit, atque B. Virginem idcirco non incurrisse debitum peccati originalis, quia existentia B. Virginis non fuit decreta nisi post peccatum præuisum, & post Christum occasione peccati prædestinatum. Ex quo fit, vt B. Virgo non potuerit comprehendi peccato antecedéter ad peccatum præuisum inito, nec potuerit contrahere peccatum originale, vel debitum illius contrahendi; cum illi duntaxat contraxerint huiusmodi debitum, de quorum per Adamum existentia, latum iam tunc fuerat decretum. Alij tamen passim, admittunt B. Virginem, & quoad esse, & quoad maternitatem, fuisse prædestinatam antecedenter ad peccatum præuisum. Qui enim supponunt bonitatem mysterio Incarnationis internam, fuisse satis eius sufficientem, ideò decretum esse antecedenter ad peccatum; haud ægrè putant se intelligere, quomodò per merita Christi capitis iam prælecti, decreta sit matri, immunitas à peccato originali.

Pro eodem placito vniuersè sumpto, acies tres.

66 QVicquid autem sit de discrimine, quoad modum explicandi qua ratione Deus exemerit, B. Virginem à debito contrahendi peccatum originis, consentiunt omnes hi authores, Virginem ab eo fuisse subductam singulari Dei beneficio: quod variæ aduersariorum (vt ita dicam) acies, variè monstrant. Prima cuius ductor est Shelogus tomo 2. in Cant. Vestigatione 10. numero 30. vrget quod probrosum sit Deiparæ, habuisse caput rebelle Deo: ita vt formalissimè quatenus caput matris Christi, fuerit Deo perduellis, & summi honoris Deo debiti prædo; cum quo capite, censenda erit ad illud flagitium cooperata Beata Virgo si peccauit in Adam. Peccasse autem in Adamo admittendum necessariò erit, si contraxit debitum subeundæ maculæ originalis. Nam si ita est, voluntas eius fuerit moraliter contenta in Adamo, atque adeò concurrerit ad actum quo ille prævaricatus est. Quod si summus Deiparæ nitor, facit vt DD. tanto studio ab ea remoueant fomitem peccati, eámque negent fuisse subiectam legi de Purific. puerperarum, quanto iustiùs vrgere debet vt negetur peccasse in Adam? Concil. quidem Trid. sess. 5 ex Apostolo Rom. 5 docet omnes peccasse in Adam; subdit tamen illicò, non esse suæ intentionis a ea generali lege comprehendere Virginem.

Quam

Quam exceptionem non adhibuisset, si non dedicere Dei matrem peccasse in Adam.

67 Contra eandem sententiam debitum peccati originalis in Virgine agnoscentem, alteram aciem armauit Nouarinus in Vmbra Virginea à n. 208. Argumentatur primo, ex eo quod vbi spiritus Domini, ibi libertas. Igitur Virgo quæ Spiritu sancto repleta est, libertima fuit. At libertima nequaquam fuisset, si obligatione & debito incurrendi peccatum originis, fuisset obstricta. Est enim miserrima seruitus, quoquomodo obnoxium esse contrahendo peccato. Deinde Gabriël contestatus est, Spiritum sanctum obumbrasse Deiparæ. Chrysippus autem orat. 2. de Deip. ex ea Virginis obumbratione, colligit Virginem fuisse, & mundam ab illuuie concubitus, & ab omni sorde liberam. Sicut igitur, (infert author cum quo agimus,) nemo sanæ mentis dixerit, Virginem mundam quidem fuisse à concubitu, sed eius debito ligatam esse; & incorruptum quidem Dei templum fuisse, corruptionis tamen debitum habuisse: Ita neque dicendum est, B. Virginem ita caruisse peccato, vt tamen habuerit peccati debitum. Confirmatur, quia Virgo ab eodem Chrysippo, vocatur *Dei Patris hospitium*. Ergo nullum ius in eam habuit alienus hospes: habuisset autem, si Virgo subiacuisset debito originalis peccati. Præterea Christus non modò peccato, sed, & peccati debito exsolutus est. Matris autem cum filio in hac parte puritatem, agnoscit Ioannes de Agacus Tract. de Concept. & confirmat Petrus Celensis l. de panibus c. 21. dicens, filium esse sanctum sanctorum, & matrem sanctam sanctiorum; nec non Laut. Iustin. l. de casto connub. Verbi, & animæ c. 7. & in fasciculo amoris c. 7. docens, matrem, & filium, iugo dominationis satanæ, & lege peccati exemptos esse. Postremò debitum peccati originalis, est vmbra culpæ; quæ à Virgine procul abesse debet; alioqui non fuisset libera à contagio peccati: & dici potuisset peccati morte mortua, in aliquo instanti; quod nefas est dicere, ait Nouarinus, nefas cogitare. Est etiam sanctitatis genus, immunem esse à debito peccati: quo sanctitatis genere Adam exornatus est, & Angeli, sed maximè Christus; Igitur, & Maria, alioqui non erit planè nodis, deeritque ei aliquid sanctitatis, & iustitiæ.

68 Ex alio capite, pro exclusione debiti peccati originalis, insurgit in tertia veluti acie Baptista Poza l. 3. elucid. toto tract. 5. Ex eo enim quod Deiparæ corpus subitò contextum sit, & animatum, vt ipse supponit; inferri putat, Virginem non fuisse comprehensam in pacto cum Adamo, quod generationem hanc ea parte fœtus supernaturalem secundùm modum, non comprehendebat: licet comprehenderit generationes supernaturales ea sola parte parentum, qui roborandi supernaturaliter fuerint, vt possent generare: quamuis postea omnia in prole sint confecta modo naturali, vt contingit Isaaco, Baptistæ, & aliis.

Ex his aliisque huiusmodi, concludunt authores prædicti, B. Virginem non incurrisse debitum contrahendi peccati originalis, nec peccasse in Adamo. Fatentur tamen, Virginem nisi propter Christum fuisset præseruata, contracturam fuisse peccatum originis, & debitum eius, ideóque agnoscunt eam fuisse obnoxiam contrahendo Adæ peccato, & habuisse debitum peccandi in Adamo, quod est obstringi debito debiti.

Contraria sententia approbatur.

69 Mihi tam claris, tam piis, tam eruditis, tam Virginis decorum studiosis Doctoribus, obstrepere durum est. Nec grauatè permittam illos in sensu suo abundare. Si tamen iudicium meum quis exquirat, salua tantorum virorũ reuerentia, quod verum videtur, non dissimulabo. Hæc exclusio debiti peccati Originalis à Virgine, videtur honor eius inanis, & vacuus, profectus ea magna ab alienatione à sententia affirmante Virgini peccatum originale. Nam sicut vsus eorum, qui ab vno extremo volunt deflectere, fert vt in contrarium corruant; ita planè in hac re videtur contigisse. Aio igitur in primis, Deiparam in sua conceptione passiua habuisse hoc debitum contrahendi peccati originalis: monstraturus postea, nihil ad eius perfectionem, & sanctitatem spectaturum, si eo caruisset. *Pars II. Punctum II. prima Virginis, sanct. §. a tio.*

Habuisse Virginem hoc debitum, docent Caiet. t. 2. Opusc. in primo, c. 3. Corduba l. 1. q. 44. conclus. 4 Medina t. 2. q. 81. art. 3. Bellarm. l. 4. de amiss. grat. & statu peccati cap. 16. Canisius l. 1. de Deip. cap. 5. *sub finem*, Vasques 3. p. d. 115. c. 3. Suares t. 2. 3 p. d. 3. s. 2 Lusius Turrianus t. p. disputationum selectarum in 14. præsertim dub. 3. & alij quos latè refert Salas. 1. 2. tract. 13. d. 11. n. 69. Non posse euitari hoc Virginis debitum, ait Iacobus de Valentia ad calcem psalmi 140. Nec desunt qui notam inurant contrariæ sententiæ, & non leui censura eam percellant; quam tametsi non benè ferri, contendit Salaz. l. de concept. cap. 8. alij tamen tritam habent. Certè Caietanus cap. illo 3. & 1. 2. q. 81. art. 3. affirmat, omnes communi via genitos, debere contrahere peccatum originis; & contrarium, pronunciat hæreticum. Annuit Catharinus l. 4. contra Caietanum *pag.* 290. *&* 130. Annuit quoque Corduba supra, ad idem adducens S. Thomam atque Gersonem: Approbat insuper prædictum Caietani iudicium, Valentia 3. p. d. 1. q. 2. p. 2. pronuntiato tertio. Rursúsque inferiùs ad obiectionem 3. contra puritatem conceptionis Deiparæ, ex hac doctrina seueriùs statuit de exemptione Virginis à lege Adamo imposita, quàm statuisset 1. 2. d. 6. q. 11. p. 2. vbi eam exemptionem piè credi posse dixerat. Aliis tamen non arridet nota, & suffragio illius sententiæ, eamque citra omnem errorem defendi posse profitetur: quod agnouit Suares, eo iudicio quod insertum est commentariis eius in 1. 2. d. 9. sect. 4. à n. 51, nec non Basilius Poncius select. 3. §. *hinc est facilè*, quorum mihi modestia, & sobrietas in alienis dictis ac placitis contigendis, dignissima videtur imitationa; quamuis contrarium placitum quod excutimus, mibi non arrideat, & inane Virginis decus continere existimem.

Debitum peccati in Virgine, probatur ratione.

70 Dimissis ergo censoris agitatione; quæ inde petenda est, quod scripturæ generaliter statuant, omnes in Adamo mortuos esse, & per Christum esse suscitatos. *Si vnus pro omnibus mortuus est*, (inquit Apostolus 2. Cor. 5.) *ergo omnes mortui sunt*. Nihil autem suppetit firmum, ad limitandum hunc locum, & similes; ita vt B. Virginem non comprehendant. Quod enim limitamus generales locutiones, quibus omnes ordinaria via progeniti; dicuntur concipi in peccato originali; nec patimur iis locutionibus comprehendi B. Virginem; grauissima causa cogit; ne sacrarium Spiritus sancti,

mancipemus peccato mortali, quale est Originale. At debitum contrahendi hoc peccatum, dummodo careat actu, nihil continet indignum Deipara, vt infra distinctiùs exponetur. Vnde ad illud gratia auertendum à Virgine, non licet limitare loca generalia Scripturæ, quibus vniuersè statuitur, omnes ei debito subiacere.

Hoc vt penitiùs persuadeatur, considerandum est, quid sit debitum contrahendi peccatum originale. Quod cum ex se videatur perspicuum, nimia tamen recentiorum diligentia obscuratum aliquatenus est, vt liquet ex variis de hoc puncto sententiis quas refert Lusius Turrianus p. 1. select. dispp. in 14. dub. 1. & Salaz l. de concept. c. 1. §. 8. & 9. Nihil igitur aliud est hoc debitum, quam necessitas contrahendi peccatum originale vi generationis ex Adamo, nisi gratia opitulans, & peccatum præueniens, se interponat, excludat non quidem hoc debitum contrahendi, sed ipsam actualem contractionem talis peccati. Hac huius debiti notitione supposita, facilè patet B. Virginem ei debito subiacuisse. Erat enim Adæ filia, quia Deus fecit ex vno omne genus hominum. Genita item est, & concepta via ordinaria ex Adamo: quem conceptionis modum comitatur macula originalis, in omnibus quibus deest specialis fauor diuinus. Ergo nisi Deipara specialem illum fauorem Dei sortita esset, caruisset gratia in sua generatione, habuissétque peccatum originis vi suæ generationis ex Adamo, sicut habent cæteri. Hoc autem est habere debitum peccati originalis, salua præseruatione ab actuali ab incursu maculæ; quæ præseruatio facillima est Deo, superstite hoc debito.

71 Et nulla sanè difficultas est intelligendo, quomodò Deus qui ex generali lege, & pacto cum Adamo, voluit omnes eius posteros, si ipse peccaret, amittere ius ad gratiam, quam eo non peccante esset cuilibet posterorum concessurus? potuerit tamen præuiso Adæ peccato statuere, vt alij quidem Adæ posteri in fœcibus ab Adamo congestis volutarentur, & sibi ipsis relicti, carerent gratia vi generationis obtinenda, stante Adamo: Virgo tamen speciali priuilegio, donaretur gratia sanctificante, perinde, ac si Adam stetisset obediens; quia quamuis Virgo careret iure ad gratiam sanctificantem vi suæ natiuitatis consequendam; Deo tamen non deerat potestas benefaciendi illi, absque iure quod ei longo ex Adamo conferret. Sanè cum plures, rei sunt mortis ob admissum crimen; potest Princeps vnum morti eripere, aliis legum seueritati relictis. Vbi prima voluntas, nimirum, vt qui tale crimen admiserit, reus sit mortis ob crimen admissum, & amittat ius ad vitam; non pugnat cum secunda voluntate qua vita vni misericorditer indulgetur, cum potuisset iure adimi, ob admissum peccatum similiter ergo B. Virgo, quia erat filia Adæ, non habebat ius ad gratiam vi suæ generationis: vnde eo ipso futura erat rea mortis, idest spectando hanc prolem vt ex Adamo genitam, incursurum in eam erat peccatum in ipso instanti generationis, siue conceptionis, & animationis suæ. Cum illo tamen defectu iuris ad gratiam vi generationis accipiendam, rectè cohæsit gratiæ sanctificantis immissio, atque adeò peccati originalis exclusio ex speciali, & sola Dei miseratione, ac amore in Virginem: quod possibile fuisse, rectè præter cæteros exposuit Caietanus Opusc. de concept. capite 5. Nos autem insuper addimus, rem de facto sic se habuisse. Hinc ergo apparet, quàm facile fuerit Dei potentiæ, saluo in Virgine debito contrahendi originale peccatum, impedire actualem illius peccati contractionem, per præseruationem factam diuinitùs, quam Card. Cusanus libro octauo, excitationum, scitè vocat *præliberationem à peccato.*

Aduersus priorem contrarij placiti explicationem, per existentiam Virginis decretam post pactum cum Adamo.

72 Sic explicata & directè confirmata sententia nostra, probare eam præterea possumus indirectè, siue refellendo oppositam, quam superius bicipitem fecimus. Nempe eorum qui idcircò excludunt Virginem debito peccati originalis, quia prædestinata est in Dei matrem ante præuisum pactum cum Adamo, & huius ruinam. Secundò eorum qui dicunt, B. Virginis prædestinationem, siue ad esse naturale, siue ad maternitatem, fuisse posteriorē peccato præuiso, & violatione pacti cum Deo initi. Prior modus defendendi negationem debiti peccati originalis in Virgine, non habet locum in vera sententia, quæ negat honitatem interuenire mysterio Incarnationis, fuisse finem eius sufficientem; atque Christum non fuisse venturum, si primus homo non peccasset. Nam si Incarnatio facienda per Virginem, est posterior præuisione peccati, in quo omnes Adæ posteri inuoluti sunt vi pacti generaliter cum Adamo initi; quomodò Virgo intuitu Incarnationis nondum decretæ, eximi potuit ab eo pacto generali, ita vt eius efficacitati non subiaceret? Admittendum planè erit, Virginem exemptam esse à peccato, & à necessitate incidendi in illud, aliter quàm per Christi merita, quæ subsecuta sunt eam matris à pacto, & peccato exemptionem. At hoc nemo Catholicus dixerit: quia Christus est generalis fons omnis boni supernaturalis, omnis beneficij gratuiti, quale sanè est exemptio à peccato mortali, & eius debito.

73 Respondent aliqui, saluum esse posse illum influxum Christi in exclusionem peccati originis, ac debiti eius à Deipara, si dicamus, Deum ab æterno ita instituisse, vt Adam si rectus perstaret, transfunderet in posteros gratiam: si autem peccaret, transfunderet peccatum originis. Vt tamen in primo signo, ab ea institutione exceptam voluerit illam quæ Verbo, si carnem assumpturum esset, mater deligeretur, quæcunque illa foret. In secundo deinde signo, Deus præuiso peccato decreuit Christum, ob cuius præuisa merita assignat illi matrem, hoc ipso non peccaturam in Adamo, quod exclusa est in primo signo, si quæ mater Verbo eligeretur.

Verùm hic modus philosophandi, in primis est planè voluntarius, & gratis confictus tantùm ad perstandum in sententia, & retinendam exclusionem debiti peccati originalis. Nam apud Patres, & multo minùs in Scripturis, ac ne in antiquioribus quidem Scholasticis, nulla planè mentio est huiusmodi processus diuini circa matrem Christi. Deinde illa exemptio conditionata, à pacto vi cuius peccatum transfundendum erat Adamo peccante, est magnum beneficium supernaturale; quippe præueniens aduentum peccati: & tamen huiusmodi beneficium, iuxta hanc doctrinam, cōfertur independenter à Christo; quippè tunc necdum decreto, aut præuiso. Tandem ex ea responsione videtur sequi, solos viros, non autem fœminas peccasse in Adamo. Nam vsque ad secun-

dum

dum signum, omnes fœminæ indifferentes sunt vt à Deo assumantur in matres Christi; nulla quippè ad id delecta determinatè erat in primo signo, sed delectus vnius inter tam multas, reseruatus dicitur ad signum vsque secundum, quo Christus decretus fuerit atque præuisus. Atqui in secundo illo signo, nulla fœmina quæ in Adamo peccauerit, in Christi matrem deligenda est, vt aduersarij volunt. Igitur nulla planè fœmina, dicenda est in primo signo peccasse in Adam sed viri duntaxat; quod nemo non videt quàm sit non solidum. Quare tota substractio responsionis aduersariorum concidit, & argumentum à nobis factum perstat inconcussum.

Noua eiusdem prioris explicationis defensio, resecta.

74. Aliam responsionem, & expeditionem nodi propositi, suggerit Shetlogus tom. 2. in Cant. Vestigatione 10. num. 34. affirmans, Deum ab æterno sic se habuisse, vt in primo signo ex possibilibus virorum, ac mulierum indiuiduis extituris, certum numerum præscriberet, quem non excederet, nisi si forrè Verbum carnem sumeret, & eius postulatu superadderet ei numero nouam humanam creaturam. In secundo deinde signo constitueret Adamum absolutè caput omnium posterorum, in ordine ad transmissionem gratiæ vi generationis: In ordine tamen ad transmissionem peccati, si Adã peccato inquinaretur, non constitueret illum caput nouæ illius creaturæ, si eam Verbum incarnatum sibi postularet in matrem: esset autem caput eius etiam in ordine ad peccati transfusionem, si à Verbo carne vestito non deposceretur in matrem. Exorto deinde atque præuiso peccato, decerneretur Christus qui à sola Dei actione dependens in passione, mereretur sibi eam nouam creaturam, dari matrem. Qua ratione saluus manet influxus Christi in præseruationem Deip. & exemptionem eius à debito peccati originis.

75 Hæc doctrina non placet. Præterquàm enim quod hæc philosophandi ratio est æquè voluntaria, ac prior, sine fundamento in scripturis, & Patribus omnibúsque tertò Doctoribus; illud insuper in ea displicet, quod etiam existentiam naturalem Deiparæ, tribuit meritis mortis Christi, contra doctrinam S. Augustini epist. 105. & sæpè alibi, contestantis Christum non esse mortuum vt homines conderentur, sed vt conditi iustificarentur. Estque hoc absurdum, huic responso commune cum altero modo exponendi oppositam sententiã, mox adducendo. Deinde existentia Christi à solo Deo tempore passionis, non lenit difficultatem ex necessaria præsuppositione matris ad omnes Christi actiones, etiam eas quas elicuit in momento suæ generationis, quando clarum est Christum à matre dependisse. Nam si ad illas primas Christi actiones quæ integrarunt meritum Christi, mater præsupponenda est, vt iam influens in Christum, atque adeò vt mater; & proinde iuxta aduersarios, vt exclusa à debito peccati originalis contrahendi: habuerit sanè eam exclusionem antecedenter ad merita Christi. Omisi insolentem agendi rationem, qua Verbum Incarnatum, & iam carne vestitum, dicitur deprecaturum, pro habẽda in matrem ea creatura extra ordinem decreta. Quomodò enim præuisum carne vestitum, absque matre præintellectã? Vt autem ipsum Verbum, ante præuisionem absolutam assumptionis carnis intelligeretur deprecari; non potest dici absque aperto Arianismo. Quare hæc quoque responsio, conuulsa manet.

Pars II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.

In posteriorem placiti contrarij explicationem, per Virginis exemptionem à pacto communi.

76 Pergo ad alterum modum defendendi oppositam sententiam quem superiùs retuli: nimirum quod idcirco Virgo non habuerit debitum contrahendi peccatum originis, quia eius & existentia & maternitas decretæ sunt post peccatum; ita vt nisi peccatum interuenisset ob quod Christus venturus erat B. Virgo non fuisset producta: Ex quo sequitur, eam non fuisse comprehensam in pacto cum Adamo, quod initum est ante peccatum. Hæc doctrina multipliciter displicet. Inprimis quia quo iure fingitur connexio inter esse naturale Deiparæ, & aduentum Christi; ita vt Christo non veniente, Virgo non esset producenda, eodem iure alius finget Baptistam, & Apostolos non fore producendos, nisi Christus venisset; æquè enim habent cum Christo connexionem aliquam; ratione munerum suorum, ac Virgo ratione maternitatis. At hoc nemo non videt esse confictum. Imo si id admitteretur æquè oporteret exoluere debito originalis peccati, Baptistam & Apostolos, atque Deipara, ob decretam illi existentiam post pactum, exoluitur hoc debito ab aduersariis. Deinde iuxta propositam doctrinam, Christus meruit matri existẽntiam naturalem: quod est apertè contra S. Augustini doctrinam paulò ante adductã. Tandem silentium (vt sic dicam,) de Virgine, cum de aliis producendis actum est, eiúsque decernendæ reseruatio præuisa diuinitùs, & volita in primo signo, fuit supernaturale beneficium, vi cuius Virgo euasit transfusionem Originalis peccati, ab Adamo deriuandi. Et tamen hoc beneficium, non obtigit Virgini per Christi merita, quæ nondum tunc præuidebantur. In qua argumentatione firmanda, immensus est Perlinus Apolog. de concept. distinct. 4. capite 5. Igitur hic dicendi modus non satisfacit; ac proinde argumenta quæ confecimus aduersus sententiam, negantem B. Virgini debitum contrahendi peccatum originale, perstant valida. Et hactenus cum directè, tum indirectè, probatum esto B. Virginem subiacuisse debito contrahendi peccatum originale.

Exclusio debiti quomodocunque exposita, vanus Virginis honor.

77 Nunc addendum est, vt superius receperam, nihil referre ad solida Virginis decora, quod dicatur non habuisse hoc debitum contrahẽdi peccatum originale. Nam illa duntaxat remouenda sunt à B Virgine, quæ dedecent dignitatem matris Dei, & pugnat cum maiore perfectione, aut sanctitate, cuiusmodi est peccatum, & imperfectiones excludentes perfectionem. Atqui hoc debitum non est eiusmodi. Neque enim pugnat cum gratia sanctificante, nec excludit perfectionem maiorem, vllamuè simpliciter dictam perfectionem quæ ad animæ bonum pertineat. Est quippè mera necessitas subiacendi peccato, consequens conditionem naturæ humanæ in talibus circumstantiis spectatæ: hoc est prout dependentis à tali capite phisico, & morali: quæ conditio est aliquid merè indiffe-

indifferens, & probè cohæret cum gratia sanctificā te. Nec enim infert de facto peccatum, tametsi inferret, nisi prohiberetur per anteoccupationem, & præseruationem. Igitur non probrosum est Virgini habuisse hoc debitum, quàm satam esse, & procreatam ordinario modo. Ac proinde sine causa, inter decora Virginis proponitur carentia debiti peccati originalis, ab iis præsertim qui non abnuunt Virginem habuisse illius debiti debitum; quod vocant *obnoxietatem ad peccatum originale*. Cum enim in ea obnoxietate, & debito debiti, æquè connotetur peccatum originis, ac in ipso debito; (tametsi in vno immediatè, & proximè, in altero mediatè, ac remotè, quod parum refert, cum neutrobique contineatur peccatum formaliter: profectò si debitum peccati sordet, & deformitatem aliquam continet indignam Dei matre, non minorem continere censendum est debitum debiti, siue obnoxietas ad peccatum, quæ à prædictis aduersariis, Virgini absque scrupulo conceditur. Dummodò ergo Virginem incursu peccati originalis eximamus, per immissam ei diuinitùs gratiam in puncto generationis; satis superque prospectum erit eius honoribus, dimisso licet imaginario decore, per exclusionem debiti peccati originalis.

Prima acies superiùs instructa, exarmatur,

78 QVæ in contrarium initio adducebantur, partim concidunt ex proximè dictis, partim sunt planè inania. Monstratum enim est, non esse dedecus Virginis, quod habuerit Adamum pro capite, eóque ipso in Adamo peccauerit. Nam peccare in Adamo, non est culpa propria, nec est concurrere ad eius latrocinium diuini honoris, vt argumentum imaginabatur: sed est mera naturalis obligatio, ad carendum gratia vi originis, supposito tali pacto cum Adamo deinde lapso. Ea autem obligatio, optimè cohæret cum sanctificatione actuali, & remotione peccati. Igitur nihil ibi est sordens, aut fœtens, præter verba; quorum putor; si bonus sensus subsit, & percipiatur, non est nisi apparens, atque adeò est negligendus. Quod si sordes puerperij, quæ ad obseruantiam legis purificationis adegissent, remouentur à Virgine; quamuis non essent sordes morales, & peccati macula vacarent; ratio est, quia nitor ille physicus decuit purissimam parentem, & fœtum vsquequaque sanctum ac nitentem. Conspurcatio enim per illuuiem illam, est dedecus quoddam naturale, & imperfectio indigna Christo, & eius matre. Debitum autem de quo agimus, non est illuuies conspurcans physicè personam, eámque reddens minùs amabilem, vel cæterorum ab ea auersionem inferens, ne sibi affricent eam turpitudinem; sed est aliquid solo intellectu perceptibile, quod cum benè penetratur, non plus dehonestat quàm humana ipsa natura secundùm se sumpta. Synodus porrò Tridentina, cum negauit comprehensam abs se Virginem in generali doctrina de peccato originali, nullomodo cogitauit de eius exemptione à debito; sed tantùm de exemptione ab ipso peccato originali, quod verè esse probrosum, & indignum tali matre. Sic tota prima acies aduersariorum sufficienter est exarmata.

Secunda acies, quàm debilis.

79 ACies secunda, eo faciliùs fundetur, quo minùs instructa est atque munita. Quod enim Deipara quippe spiritu Dei plena libertatem summam Christianam sit adepta, quantam salua naturali conditione congruum erat ei conferri, nemo eat inficias. At vt libera esset obligatione contrahendi peccati originalis, fieri non potuit, salua naturali conditione quæ eam obstringebat huiusmodi debito. Neque hæc est seruitus, cum Christiana libertate per spiritum Domini inuecta, pugnans.

In vniuersa reliqua acie vix inuenio quod obsistat, & debellatione egeat. Nam quod Virgo, sicut concubitu & eius debito, ita peccato, & eius debito carere dicenda sit; gratis assumitur; cum ea proportio careat fundamento. Quid enim est, quod vno dato, euincat concedendum quoque alterum? Accedit quod is cuius est hoc argumentum, inconsultè & improuidè dicat, neminem sanæ mentis dicturum, Virginem fuisse obstrictam debito concubitus. Imo quotquot docent B. Virginem fuisse verè coniugatam (& docent propè omnes, éstque fortassis ex fide certum;) tenentur consequenter admittere, B. Virginem habuisse huiusmodi debitum: cum coniugium constituatur per potestatem quæ fit coniugi, ad eum actum simul exercendum ac proinde si ita ferat comparis voluntas, iniiciat necessariò debitum ad tale commercium, quamuis illud debitū verè iniectum, & re ipsa alicubi vigens, possit ligari per votum, vt reuera factum est in B. Virgine. Tantum ergo abest, vt comparatio adducta grauet nos, vt potiùs iuuet. Comparatio item hospitis extranei priuati, carentis iure in hospitium regium, & satanæ vel peccati carentis omni iure in animam Deiparæ, nequaquam est idonea. Non enim si Virgo subiacere dicatur peccati debito, vllum in se ius peccati, aut Satanæ admittet, sed tantum naturalem contrahendi peccati necessitatem, quæ longè alia est à iure.

80 Ad hæc, æquiparatio Christi, & Virginis, est planè insulsa. Non enim si Christus, qui non est simpliciter ea filius Adami, quia non est procreatus via ordinaria, caruit debito quod alligatur generationi ex Adamo secundùm viam ordinariam; appositè infertur B. Virginem quia quoad aliqua alia fuit Christo similis, caruisse debito peccati. Alioqui si Christus, & Deipara debent quoad omnia esse similes, quia PP. agnoscunt aliquam inter eos similitudinem, dicendum esset. B. Virginem esse physicè impeccabilem, sicut fuit Christus, vel nunquam creuisse in gratia post 1. instans: & alia quæ Christo sunt propria, transferenda erunt in Virginem. Scitè omnino Petrus Cellensis l. 9. epist. 10. cum Nic[olaus] Monachus S. Albani, Christum, & Deipar[am] æquiparasset, sic eum affatur. [Sicut, inquis, in cœlo qualis pater, talis filius: sic in terra, qualis filius, talis mater. O Domina! ignosce dicenti quod displicet tibi Nónne tu filij tui, licet mater, tamen ancilla? Nonne sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi tui in manibus Domini filij tui? Non adæquabitur ei aurum de Æthiophia, nec conferetur tinctis Indiæ coloribus, quia non est inuentus similis ei super terram, qui vnus, & vnicus est, & secundum non habet. Sufficit tibi, à dextr[is] eius stare non æqualitate, vel qualitatis comparatione, sed gloria, & beatitudinis stabili, & æterna copulatione.]

Postremò parum aptè dicitur, nefas esse vel cogitare,

tate, quod Virgo sit mortua in Adamo morte peccati, iuxta phrasim Apostoli, qui per eam mortem in Adamo, circumloquitur debitum peccati originalis. Imo verè graues Authores contendunt, non posse absque errore negari, quod Virgo mortua sit in Adamo, vel peccarit in Adamo. Videsis Luisium Turrianum 1. p. disput. select. in 14 dub. 2. & 4. Æquè vanum est, quod immunitas à debito peccati originalis donatur nomine sanctitatis, vnque vt debitum oppositum censeatur peccatum alienum à Virgine, sicut fuit alienum à Christo, & Adamo, ac Angelis. Eam quidem immunitatem, Christus, & Adamus, & Angeli, obtinuerunt eo ipso quod caruerunt fundmento debiti contracti; nempe generatione ordinaria ex capite rebelli. Caret tamen ea immunitate ob diuersam naturæ conditionem, & ortum planè diuersum, non est excidere sanctitate. Itaque secunda hæc acies, est potiùs ecthatædorum ecthatizantium in citharis suis, quàm robustorum acinctorum ad prælium.

Euertitur acies tertia.

81 TErtia denique acies, facillima est disiecta. Inprimis quia nititur falso fundamento, quod corpus B. Virginis, sit subitò & vno contextu formatum. Contrarium namque superiùs statutum est. Deinde quamuis id gratis datemus, quid hoc ad exclusionem debiti peccati originalis? Nam peccatum originale, contrahendum præcisè est, ex eo quod quis adhibito coniugali commercio procreetur. At certum est id circa Virginem contigisse. Si quid autem supernaturale quoad modum non modò circa parentes sei vxoriæ operam dantes, sed etiam circa fœtum accidat, nihil hoc ad exclusionem vel peccati originalis, vel debiti eius; quia salua nihilominus est procreatio ex Adamo per concursum vtriusque parentis, cui procreationi adiungitur peccati debitum, ipsúmque peccatum, nisi per affusam gratiam excludatur, aut potiùs præueniatur. Quare fixum esto, nullam esse Virginis dehonestationem, aut infamiam, quod debito peccati originalis subiacuisse dicatur; nec nisi per inanem, & ementitam laudem iactari, quod ab eo debito immunitatem sit sortita.

Ex hac porrò resolutione infert Corduba libro primo, quæst. 47. falsò à nonnullis quos refert, iactatum esse tanquam aliquod eximium Virginis decus si Virgo nec peccato, nec peccati debito obstricta, esset Christo præmortua, futurum vt gloriam animæ illicò assequeretur, nec limbo concluderetur, vt contigit Patribus veteris Testamenti. Hoc reiicit Corduba, & rectè quia carentia gloriæ animæ, non erat tunc pœna proprij vllius peccati, sed erat aliquid consequens peccatum naturæ, & debitum commune omnium, quod non nisi Christi morte abolendum erat, vt habetur ex Apostolo Hebr. 1. Itaque etiamsi daremus B. Virginem caruisse debito Originalis peccati, negandum tamen esset, quod data suppositione mortis ante Christum, iam tunc aditura esset gloriam essentialem, nondum reseratis per Christi mortem, portis æternalibus.

Alij doctrinæ furfures. Minima concepta Virginis gratia, maior quacunque alterum grat a.

82 ATtingo quàm breuissimè alterum caput ementitorum hac in parte Virginis decorum, quod dicebam spectare gratiam qua peccatum originis anteoccupatum est, & exclusum. Eiusmodi imprimis est, quod nuper quidam iis de Deipara sacris dissertationibus quas vernaculo idiomate edidit *pag.* 332. tanquam aliquid extraordinarium protulit, quod minima gratiarum Virginis in concept. passiua, excesserit sublimissimam gratiam cuiusuis cœlitis. Et agit de gratia absolutè & simpliciter dicta, hoc est sanctificante. Imo nisi de ea ageret, comparatio non esset apta. Vt quid enim aliam conceptæ Virginis gratiam, conferret cum summa gratia cuiusuis cœlitis, nisi comparatio fieret in eodem genere. Multarum autem gratiarum gratis datarum, quibus aliqui sancti in hac vita sunt donati, non est nunc vlus in cœlo. Et quamuis superessent habitualiter in iis qui habitus iis respondentes hic habuerunt, multæ tamen earum gratiarum, atque adeò habitus earum, Virgini fuerunt, cum gratia sanctificante alicuius cœlitum; Hæc enim semper excelleret. Quamuis ergo inter gratias minimæ sint gratis datæ, vt comparatio fiat in eodem genere, sicut necesse est ne comparatio sit ridicula: itemque ne falsissimè asseratur, gratiam aliquam Virginis gratis datam, quæ inter omnes gratis datas sit minima, præstare gratiæ sanctificanti cuiuscumque cœlitis; omnino fatendum est, comparari minimam gratiam sanctificantem Deiparæ conceptæ, cum gratia sanctificante consummata cuiuscunque cœlitis? præferendo minimam illam gratiam sanctificantem Deiparæ conceptæ.

Pars II. Punctum II. prima Virginis sanctificatio.

83 Hinc manifestum efficitur, cuiusmodi sit ea comparatio. Supponitur enim in ea comparatione, fuisse in Virgine concepta, plures gratias sanctificantes: & aliquam earum præ aliis item Virgini tunc collatis, fuisse minimam. At hoc constat, nulla ratione dici posse. Vniuersa enim gratia sanctificans puræ cuiusuis creaturæ, licet coalescat è pluribus gradibus, est tamen vnica gratia: sicut calor ignis tametsi naturaliter summus, & è variis partibus intensiuè conflatus, tamen est vnicus calor. Inter gradus verò aut partes intensiuas illius gratiæ, nulla est quæ possit dici minima, cum sit sectilis in infinitum. Quare nullus bonus sensus subesse potest ei comparationi, qua minima gratiarum Virginis conceptæ, præfertur summæ gratiæ cuiusuis beati: nec satis intelligi potest quid voluerit, qui ista effutiuit. Nisi si fortassis gratia sanctificans, ex eo quod sit in Deipara, censeatur præstiosior, & moraliter maioris æstimationis, quàm quæ est alibi: tantùmque crescat secundùm prudens iudicio valor illius gratiæ quæ in Virg. est, vt quæcunque pars vnius, illius totalisgratiæ quæ Virg. ornat, anteferri dicatur cuicúque totali gratiæ cuiusuis beati. Hoc si voluit dicere qui hanc comparationem adhibuit, næ ille fœdè hallucinatus est. Non enim gratia ex eo quod alicui puræ creaturæ inhæreat, acquirit valorem moralem maiorem, pro ma iore dignitate illius puræ creaturæ. Imo tota dignitas apta augere pretium morale accidentium talis personæ, petitur à gratia eius sanctificante ita vt de titulos quidem matris Dei, qui om-

nium sublimissimus est sufficere possit ad valorem vllum conciliandum coram Deo, nisi per gratiam concomitanter adiunctam. Quo spectat quod sæpè contestatur D. Augustinus docens B. Virginem fuisse beatiorem concipiendo Deum mente, quàm ventre, idest habendo gratiam, quàm maternitatem. Hæc enim præcisè sumpta, etiam in creaturam Deo exosam, & nullius coram Deo pretij, potuisset cadere; non item gratia, quæ suum secum pretium, & valorem conuehit.

Item quod Deipara concepta, Dei filia fuerit plusquàm adoptione.

84 Aliud circa primam gratiam sanctificantem Deiparæ decus, a nonnullis iactatur, quod per eam Deipara sit plus quàm adoptione Dei filia. Quamuis enim B. Virgo non sit filia Dei naturalis, sed adoptiua; tamen volunt competere illi nobiliorem quandam adoptionem, quàm cæteris iustis gratia sanctificante honestatis: non modò ratione maioris intensionis gratiæ, sed etiam ex speciali quodam titulo. Eum vt exponant, adducunt communem vsum vocandi nurum, *filiam*, quod obseruauit Theodoretus in c. 3. Cantic. ad illud *in cubiculum genitricis meæ*; vbi sponsa agens de Socru, vocat eam *genitricem suam*. Consequenter enim ipsa Socrus, nurum vocabit filiam: id quod æquè ad socerum extendi debet. Pluribus id illustrat Pineda l. 5. de Salom. c. 4. §. 11. n. 1. Filiam autem vocabunt, non adoptiuam, qualis esset quam ritu legibus constituto asciuissent sibi in filiam, per vmbratilem necessitudinem; sed arctiori vinculo, vt disertè ex Baldo tradit Tiraq. ad l. 1. Connub. n. 28. Nimirum cum vir, & vxor fiant vna caro, sicut vir non est patri adoptiuus; ita nec vxor debet censeri filia adoptiua parentum viri sui, sed quadamtenùs filia naturalis censeri debet.

85 Atqui B. Virgo est Christi sponsa, vt optimè tradit S. Epiphan. orat. de Laud. Mariæ. [Sancta (inquit,) puella, Virgo Maria est sponsa Trinitatis, & thesaurus dispensationis planè arcanus, cui Gabriël inquit, *Aue gratia plena Dominus tecum*: Subiunxit Gabriël: Et Pater misit arrhabonem de cœlo Spiritum sanctum: præparauit Virginem vnigenito filio cœlesti sponso, quam Pater dilexit, filius inhabitauit, Spiritus sanctus percupiuit. Ipsa enim est sponsa, & thalamus, & ex ea sponsus procedit Christus. Virgineum indumentum, iuxta suauem Dauidis Prophetæ cautionem. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* O sponsi desiderium summæ puritatis. Propriam ancillam, sponsam, & matrem sibi despondet. Gabriël effectus conciliator Virg. cœli, & terræ incensum atque suffimentum vna copulans. Quam quidem Virginē Prophetæ clarè descripserunt, dum prædicarunt seriem nuptiarum, nimirum quomodò Virgo inueniatur esse cœlestis sponsa, & mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum sanctum accepit, doris verò gratia, cœlum vnà cum Paradiso. Quærebat igitur Virgo conspicere, quem desiderabat inquiens; vbi est sponsus, cuius pulchritudinem expopto?]

Apud alios item Patres, frequens est is Virginis titulus, Chrysippus homil. de Deipara. [Ipse Pater, te sibi ipsi desponsabit Spiritus S. coefficiet ea quæ ad desponsationem pertinent; & Filius, ipsum templi tui decorem assumet.] S. Hildephons ser. 1. de Assumpt. [Se dudum tantis insigniuit virtutibus vt sponsa iure dicatur, & mater sui Creatoris.] S Augu. serm. 35. de Sanctis. [Hæc est quæ sola meruit, mater, & sponsa vocari.] Idem perspicuè tradunt quotquot B Virginem vocant adiutorium Christi, ad quem non secus comparetur, quàm Eua ad primum Adamum, cuius in procreatione sobolis adiutorium atque adcò coniux fuit. Protuli qui id asserent nonnullos in Nomenclatore Mariano, & in Glossario ad eundem *V. Adiutorium* & *V. Virgo secunda* Quinetiam haud abs re huc retulerim quod B. V Cant. 5. vocatur *species Christi sponsi*. De ea enim id dictum accipit Richardus Victorinus suo cap. 39. in Cant. *Speciem* autem alicuius, coniugem eius dici probari potest ex illis apud Iobum verbis; *visitans Speciem tuam, non peccabis*. Species ergo Christi Maria, idest sponsa, & coniux. Quo eam nomine disertè insignit Theophanes hym. de Annunciat. vocans B. Virginem *Nympham* idest sponsam, & coniugem Christi Domini. Quid verò protritius quàm Ecclesiam dici à Christo in Canticis Canticorum, vnam columbam, & perfectam. Vtraque autem est nuptialis, & coniugem designans. Nam columbam esse connubialis amicitiæ symbolum, id confesso est, constátque ex Poëtico inuento quo Deam Cypriam coniugiis Præfectam, finxerunt currui à columbis agitato insidere. Ex Stobæi verò Eclogis Ethicis c. 3. docemur, τέλ⊕ apud Dores nuptias sonare, ita vt idem apud eos esset *perfecta* ac *nupta*, eo quod nubere eius duntaxat esse vellent, cui ætas perfecta obtigisset. Hæc omnia satis supérque confirmant titulum Virginis propositum, *Sponsa Christi*, quem tandem obsigno testimonio Laurentij Iustiniani serm. de Annunc. [Cum temporis plenitudo venisset, in quo vniuersorum conditor humanum genus redimere statuerat, hanc præ cæteris reperiens sanctiorem sibi præcipuam delegit in sponsam: Ipsam mente, ipsam corpore, custodiuit intactam.]

Latè eundem Deiparæ titulum confirmat, & exponit Rich. à S. Laur. l. 6. *pag.* 408. Cum ergo B. Virgo sit Christi sponsa, & vna sit caro cum Christo, (de sua quippè substantia Christum compegit;) censenda est filia Dei Patris, plus quàm adoptione.

86 Hunc Virginis honorem, censeo non pertinere ad eius gratiam præsertim primam. Addo autem, quamuis hoc decus; apud benè attentos re ipsa vacaturum sit errore; tamen nec fundari conuenienter, nec expedire illud deferre B. Virgini: ne induci contingat opinionem, quod gratia Deiparæ sit gratia vnionis hyposthaticæ, sitque altioris ordinis quàm gratia sanctificans puratum creaturarū, quod absque errore fingi non posset. Cur existimem abstinendum esse hoc Virginis honore, non arbitror esse obscurum. Nam hactenus omnis filiatio Dei, habita est vel naturalis quæ soli Christo competit, vel adoptiua quæ est iustorum omnium communis, ducta à gratia sanctificante omnium communi. Patens ergo periculum est, nè minus attenti, qui audierint Virginem dici filiam plus quàm adoptione, suspicentur, aut significari eam esse assumptam à persona diuina, aut habere gratiam sanctificantem alterius rationis quàm sit gratia sanctificans quorumcunque iustorum, quod cum hæc primùm scriberem, inauditum erat, etiamsi postea insonuerit, vt infra referam, & refellam.

Quod verò hæc vt videtur honorifica denominatio, non petatur à gratia, præsertim prima liquet ex dictis. Nam petitur à maternitate, ratione cuius Christus est vna caro cum Deipara. Vnde sicut Virgo non potuit denominari vna caro cum Christo, nisi post conceptionem Verbi Dei; (seclusa

anticipa

anticipatione, quæ interdum laxat rigorem denominationum:) ita ante illud tempus non potuit denominari filia æterni Patris, hoc titulo superante adoptionem: dato quod sit titulus idoneus ad denominandam filiam, quod tamen non puto verum; cum sit tantùm titulus aptus ad Virginem denominandam matrem Christi, non autem vxorem aut sponsam, vt perperàm assumitur ex eo quod matris & filij sit vna caro, æquè ac vxoris & viri sit vna caro per vsum coniugij. Nam quamuis vtrique hoc habeant, quod dicantur vna caro, tamen longè aliter vir & vxor & vna parte, & mater ac filius ex alterà, dicuntur vna caro. Nec ista secunda vnitas, est accommodata ad fundandum in filij titulum filiæ, respectu patris ipsius filij. Titulus autem qui ex hac Christi filij & matris eius identitate quoad carnem ritè (certè minùs incongruè) posset refundi in Virginem per comparationem ad Deum Patrem, esse potiùs deberet titulus coniugis vel vxoris, non autem filiæ. Nam qua mater filij est, coniugem Patris respicit, potiùs quàm filiam Ex quo perspicitur: denominationem hanc filiæ Dei plusquàm adoptiuæ, non fundari conuenienter, vt præmisi: atque adeò non esse vsurpandam, præsertim absque adiũcta interpretatione, quæ errandi periculum auertat. Idque maximè cauendum esse in concionibus, obseruat optimè Ferrandus ad calcem epist 1. ad Anatolium ob maiorem promiscuæ concionis ruditatem, & faciliorem lapsum. Quod iis considerandum est, qui concionatoriè agere perinde esse ducunt, ac posse liberè effutire quicquid in buccam venit, etiamsi non solidum ac fundatum, dummodò nouum appareat, & admiratione audientes defigat.

Insuper Christi sanctitas, vi generationis ex matre, substantiam Iustitia Originalis adepta.

87 TAndem quia in extremo ordine solidorum Virginis decorum, meminimus eorum qui piè dicunt B. Virginem sortitam esse donum iustitiæ originalis quoad præcipuos eius effectus; eum loquendi modum, minus quidem nobis arridere, reipsa tamen à veritate non abhorrere præmisimus; attexenda videtur hoc loco heteroclysis noua eorum qui contendunt B Virginem, ex eo quod iustitiæ originalis dono fuerit ornata, hanc habuisse prærogatiuam, vt proles ex ea concepta, haberet in sua conceptione sanctitatem vi conceptionis ex tali matre. Sicut quia Adam habebat iustitiam originalem, proles ex eo innocentiam retinente concepta, fuisset sancta vi generationis ex tali patre; cui Deus hoc concessum voluit, vt iustitiam in qua perseueraret, transfunderet ad posteros. Simile ergo decus, Virgini iustitiam quoque originalem adeptæ, vendicare satagunt. Vnde contendunt Christum hoc nouo & peculiari titulo, præter cæteros, gratiam accepisse in generatione ex Deipara. Non quod fuerit vllum pactum propriè dictum inter Deum & B. Virginem, de transfundenda gratia vi generationis in eius prolem; quale pactum inter Deum & Adamum intercessit; (nullum quippe extat pacti huius inter Deum ac Virginem, in scripturis Patribúsque vestigium.) Nec etiam quod consequenter fatendum est quod B. Virgo instar Adami fuerit causa meritoria gratię vi generationis conferendæ proli ex ea suscepte. Apage hoc, cũ potiùs Christus dominus fuerit causa meritoria gratiæ Virginis, ipse fons fluminis sui quoad gratiam sanctificantem; Non inquam ob aliquid istorum, Christus Virginis filius, accepisse dicitur sanctitatem in generatione & conceptione sua. Sed quia vi conceptionis ex matre tam sancta, & iustitiam originalem sortita, Christus debuit sanctus esse iuxta illud; *Spiritus sanctus superueniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi ideòque* (expendenda est hæc causalis particula quæ notat nexum & consecutionem eius quod subiungitur cum eo quod præmissum est) *quod nascetur ex te sanctum.* Ita latè Perlinus lib. de concept. distinct. 11. c. 7. adducens Toletum in c. 1. Lucæ annot. 97. & Gondisaluum Sancium.

Pars II Punctum II. prima Virginis sanctificatio.

88. Hæc tamen est manifesta heteroclisis pietatis. Esto enim habuerit Virgo donum iustitiæ originalis quoad illius doni substantialia, vt ita dicam Inde tamen non sequitur, prolem eius debuisse esse sanctam. Id enim vnius dumtaxat Adami proprium fuit quia caput cæterorum, ex pacto inito cum Deo. Vtrumque autem defuit B. Virgini; Nam neque fuit caput siue totius humani generis, siue prolis ex ea concipiendæ: neque vllum cum Deo iniuit pactum de obseruanda aliqua eius lege, & vicissim de transfundenda in semen eius gratia sanctificante, vi conceptionis ex ea. Vbertas verò gratiæ affusa Virgini ab initio, vel in filij conceptione, nihil plus confert ad prolis sanctitatem vi conceptionis, quàm si mater sanctitate caruisset. Non enim ex eo quod parentes sanctissimi sint, debetur proli sanctitas originaria, vi generationis ex eis: sed id solius Adami proprium fuit. Deinde si quia B. Virgo sanctissima erat, Christus, hoc nouo titulo debuit nasci sanctus, difficilimũ erit effingere quominùs dicamus B. Virginem meruisse Christo gratiam sanctificãtem, quod absit vt quis admittat: nam vt proles ex matre sanctissima vi generationis sit sancta, necesse est statui nexum aliquem inter sanctitatem matris & filij, ita vt hæc quadam causalitate consequatur ex illa. Vt enim ex mero Dei beneplacito, duo illa sint concomitanter iuncta, dici non potest, nisi diuinando. Atqui nullus nexus, nullauè causalitas potest intercedere inter gratiam matris & filij, præter meritorium, qualis reuera fuisset in Adamo respectu sobolis, si perstitisset innocens; Ergo iuxta placitum quod excutimus, B. Virgo meruisset Christo gratiam Non dico aliquam circumstantiam gratiæ, qualem meruit circa incarnationem; nempe accelerationem aliamuè similem: sed ipsam gratiam sanctitatem, quã nemo non videt Christi à matre non aduenisse.

89. Infirmum verò est argumentum quod pro contrario placito adducitur ex verbis Angeli, *ideòque & quod nascetur ex te*; denunciantis Christum fore filium Dei non patris vllius creati. Si enim is locus pro contrario placito vrgeret, etiam vnio hypostatica, & personalis Christi filiatio, quam Angelus ait proli B. Virginis conferendam, superueniente in ea Spiritu sancto, manasset in Christum à Virgine: cum tamen aduersarij, id tantùm affirment de gratia sanctificante. Ex iisdem vero verbis constare videtur, sanctitatem prolis ex B Virgine conceptæ, referri potiùs ab Angelo in Spiritum sanctum vice patris fungentem, quàm in ipsam matrem, ex qua per Spiritus sancti operationem vndecunque sanctam, concipiendus erat Christus. Neque enim par fuisset, Spiritum sanctum de Virginis substantia prolem formare, quæ sancta & innocens non esset, etiam vi talis conceptionis per operantem Spiritum sanctum vt Franciscus Lucas rectè notauit Lucæ 1. vers. 35.



PVNCTVM III.

Crementum gratiæ Virginis per reliquam vitam; ac primùm generatim.

1 Vstorvm semita sicut lux splendens crescit vsque ad perfectã diem. Itaque non modò Deipara primum suæ vitæ momentum habuit splendens per gratiam, sed quo magis progressa est viuendo, eo splendidiùs micuit in ea, tam gratia, quàm consectaria gratiæ. Hoc vt accuratè & ordine exponamus, videndum est, an, & quomodò, & quantum, hæc omnia progressu temporis creuerint in Deipara. Quanquam expositio gratiæ cremento, non erit quod ad virtutes Theologicas & infusas gratiam comitantes, & dona, descendamus, cum sit planè per earum virtutum, ac donorum & gratiæ ratio; quoad hoc. Prædictis circa gratiam eiúsque consectaria expensis, subdemus, an hæc munera fuerint perpetua, excluserintque tam defectum labilitatis & amissibilitatis, quàm cæteros quibus dona nostraria passim infuscantur in nobis. Quibus expositis, nihil admodum supererit spectans ad ordinem gratiæ circa Virginem, quod discussione vel illustratione indigeat.

Gratia B. Virginis per totam vitam crescere potuit, quippè finita.

2 Ponendum autem imprimis est, gratiam Virginis per vniuersam eius vitam crescere potuisse, & verò creuisse reipsa, ita vt solum instans mortis, fuerit extrinsecùs terminus crementi possibilis. Ratio huius veritatis inde petenda est, quod gratia B. Virginis fuerit simpliciter finita, nec ab initio fuerit consummata, sed tantùm in fine vitæ. Inde enim manifestè concluditur, eam gratiam vsque ad vitæ metam crescere potuisse.

Et quidem finitas gratiæ B. Virginis, est extra controuersiam; cum ne ipsius quidem Christi gratia habitualis, secundùm veram sententiam fuerit intensiuè infinita. Quod si D. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. dixit dignitatem matris Dei esse ex suo genere infinitam; & consequenter ad finitam illam dignitatem, 3. p. q. 7. art. 10. dixit fuisse in Virgine plenitudinem gratiæ tali dignitati proportionatam; non est existimandum D. Thomæ sensum esse, quod gratia Virginis fuerit infinita gradualiter, & intensiuè: sed verus D. Thomæ sensus est, dignitatem matris eatenus redolere infinitatem, quatenus est suprema coniunctio, quã persona creata possit habere cum persona infinita, siue cum Deo: ita vt maternitas, si non nudè spectetur, sed cum appendicibus secundùm diuinæ sapientiæ ordinẽ ei debitis, tam sublimi modo Deo iungat, vt nulla sit coniunctio cum Deo quæ istam adæquet. Quia verò Deus decentissimè omnia perficit; consequenter ad tantam dignitatem quæ aliquatenus infinita est, gratiam quoque confert aliquatenus infinitam: hoc est summam quæ puræ creaturæ decenter conferri possit non tamen infinitam simpliciter, sed reipsã finitam, atque adeò capacem augmenti.

3. Quid quod etiamsi gratia B. Virginis infinita fuisset, tamen augeri potuisset? Per hoc enim discrepat augmentum gratiæ, & quarumuis qualitatum, quod non est nisi intensiuum, ab augmento quantitatis; quod quantitatem infinitam impossibile sit augeri ex ea siue qua parte est infinita. Nam vbi fieret additio, necessarium esset dari terminum, cum tamen quantitas eo ipso quod infinita statuitur, supponatur carere termino. Ideoque quantitas infinita, non potest accipere augmentum nisi per penetrationem: quod reuera non esset augmentum extensiuum, quia non protenderet vlteriùs quantitatem ad vllam loci differentiam; nec etiam intensiuum, quia vi penetrationis, non fit coniunctio variarũ quantitatis partium inter se, ad eandem partem subiecti. Itaque nullum interueniret ibi augmentum. At qualitas intensibilis, quantumcunque supponatur infinita, augeri semper potest: quia additio intensiua non fit per oppositionem ad extremum, sed vbilibet. Quare tametsi fingeremus gratiam B. Virginis fuisse simpliciter infinitam, adhuc fatendum esset, eam potuisse crescere, & fieri copiosiorem. Reipsa tamen fuit finita simpliciter.

Nec refert quod dicatur plenitudo gratiæ, vel abyssus gratiæ. Hæc enim tantùm dicuntur ad mõstrandam vbertatem gratiæ in B.V. non autem ad eius infinitatem simpliciter statuendam. Sanè alij quoque infra Deiparam, leguntur aliquando dicti, pleni gratia, vt sanctus Stephanus Actorum 6. Et quod eodem recidit, Apostoli leguntur repleti Spiritu sancto Actorum 2. Et Petrus Actorum 4. ac Paulus Actorum 9. Neque tamen fingere licet, eorum gratiam fuisse infinitam simpliciter. Igitur ex eo loquendi modo de Deip. gratia, non licet inferre eius veram, & propriè dictam infinitatem. In quam rem plura habet Cartus. l. 2. de laud. Deip. articulus 5.

Nec ab initio consummata.

4 Qvod autem gratia Virgin. ab initio non fuerit consummata, inde patet; quod lex generalis lata pro viatoribus, faciat capacitatem augmenti in gratia quam durante via adipiscuntur: ita vt quamdiù aliquid vitæ superest, fas sit vlteriùs progredi. Id enim significatur voce *viatoris*, qui ad terminum nondum peruenit, potest non sistere, sed decurrere quod reliquum est viæ, & magis accedere ad metam, quæ in hac via est ipse Deus. Ad Deum autem magis acceditur, non corporis gressibus, sed bonis actibus, quibus paratur gratia, qua maior cum Deo coniunctio acquiritur. Cum ergo B. Virgo fuerit purè viatrix quandiù vixit, quis signat Deum voluisse incolatum eius prolongare, & tamen eam priuare fructibus ærumnarum quas per huius vitæ stamina passura erat, & feracitatem tot bonorum operum ab ea interim profundendorum præcludere? Meritò Andreas à Vega l. 10. in Conc. c. 2. pronunciauit merum somnium esse contra legem Dei confictum, ita arbitrari de Virgine. Nec potest obtendi exemplum Christi, cuius gratia fuit consummata ab initio, ita vt postea nulla ei sit facta accessio. Christus enim non erat purè viator, sed simul erat cõprehensor. Vnde ea ex parte quod quod gratia in illo non creuit habuit, se vt comprehensor, de cuius ratione est stabiliter hærere in gloria semel habita. Nam si creuisset gratia quæ gloriæ semen est, facienda item fuisset accessio ad gloriam contra iura beatitudinis animæ Christi. Præterquam quod Christus cum esset filius Dei naturalis; & haberet gratiam per modum proprietatis natura-

naturalis, non debuit eam per partes accipere, sed totam simul: quæ ratio deficit circa Beatam Virginem; de qua proinde indubitatum esse debet, gratiam eius non fuisse consummatam ab initio.

Aucta de facto est gratia Virginis, procedente vitæ tempore.

5 EX his ergo principiis apertè habetur gratiam B.V. fuisse semper augmenti capacē, quādiù in via fuit. Adde verò etiā creuisse facto. Quò spectat comparatio Ruperti l.6. in Cant. *sub initium*, affirmantis B. Virginem in principio vitæ fuisse vt auroram; in filij conceptione, vt lunam; in morte vt solem. Quibus variis lucis corporeæ statibus varietas gratiæ processu temporis in Deip. declaratur. Nec malè idem tradit Richardus à S. Laurentio l. 7. de Deip. tractans illud, *quæ est ista quæ progreditur*. Benè quoque idipsum expressit idem Richardus à S. Laur. l. 1. de laud. Deip. exponens quomodò Virgo dicta sit *gratia plena*. Adducit enim præter cætera, locum ex c. 26. Ecclesiastici, *gratia super gratiam mulier sancta & pudorata*; idque accomodans ad B. Virginem, ait sic de ea locutum Spiritum sanctum, quia adueniebat ei gratia super gratiam, ita vt *incassata* esset in ea gratiæ. Metaphora est ducta à vase, aut capsa, in quam aliquid includitur, accuratè premendo & vrgendo, vt multò plus contineatur. Nisi si fortassis, homo negligens latinitatis, non scripsit *incassata*, vt nunc apud eum corruptè legitur, cum dicendum saltem fuisset *incapsata*: sed scripsit *insaccata*. Apertè enim vsus est Gallismo, qui in re de qua agitur, metaphoram ponit in sacco, aliouè vase agitabili potiùs quàm in capsa. Sicut ergo mensura bona non tantùm est conferta, sed etiam coagitata, vt quæ superuenit materia possit sacco, aut vase agitabili contineri, ita non malè Richardus vbertatem gratiæ Virginis auctam, & cumulatam in dies, expressit per gratiam *insaccatam*.

Furfur doctrinæ; Gratia Virginis post Christum conceptum augmenti incapax.

6 EVertitur per antedicta, fucatus ille Virginis honor, pro quo latè pugnat Petrus Cluniac. l. 5. epistol. 7. propositione 1. Interrogatus enim à quodam Gregorio Monacho, an B. Virgo per aduentum Spiritus Sancti nouam aliquam gratiam acceperit; Respondet Petrus, B. Virgini à puncto concepti intra eam Dei Verbi, nihil vnquam accessisse è maioribus charismatibus, quæ ad perficiendam iustitiam hominis pertinent. Quod tanta cum asseueratione tradit, vt dicat, se id credere, & absque omni hæsitatione confirmare, additque rationem. [Quis enim sani Capitis, hoc vnquam vel suspicari potuit, vt quantum ad aliquam partem iustitiæ spectat, post filij Dei in ipsa conceptionem, & de ipsa Natiuitatem, aliqua gratiæ portio ei addita fuerit, cum ipsam ante ista, Angelus gratia plenam dixerit? Nonne hoc absurdum, imo nefarium esse, quilibet etiam valdè brutus aduertit, vt concipiens vel pariens Deum, imperfecta fuerit: post conceptionem verò, vel partum diuinum, ad perfectionem ante non habitam peruenerit? Quis hoc non tantùm abijciat, sed non etiam exhorreat? Nihil enim ei vsque ad vltimum vitæ mortalis terminum, gratiæ perfectricis accessit, quod Deum concipiens, & pariens non habuerit: quia ea quo gratia plena dicta est, semper eadem gratia plena permansisse, absque augmento aliquo credenda est. Rursus Inferiùs. [Et de beata quidem Virgine supra dictum est, & omninò certum est, quod ei nihil ad puritatis, nihil ad sanctificationis, nihil prorsus ad omnium virtutum spiritualium perfectionem accesserit. Nihil enim ei augmenti ad iustitiæ vel sanctitatis plenitudinem, per illum Spiritus sancti aduentum accedere potuit; quam ante conceptum, & in conceptu filij Dei omnium virtutum sanctificatione & perfectione, idem Spiritus adimpleuit.] Denique sub primæ propositionis finem. [Hoc tantùm constanter astruo, (quod tamen supra iam dixi,) Beatæ Virgini: post conceptum Dei filium nihil de illis excellentibus sancti Spiritus donis, aliquo tempore, dum mortalis vixit adauctum. De inferioribus verò, nihil superfluum aut indecens additum; sed si quid omnipotentis filij Dei matrem de talium numero habere decuit absque dubitatione adiunctum.] Vocat inferiora dona, aut vt priùs dixerat *minora charismata*, quæ passim vocantur *gratiæ gratis datæ*: in quibus an Virgo post conceptum Dei Verbum creuerit, anceps hæret. At quoad gratiam sanctificantem, & generalia eius adiuncta, extra omne dubium statuit, quod à tempore concepti Dei Verbi fuerint in Virgine incapacia augmenti. Idque maximè ad Virginis decus pertinere arbitratur, quod ea ratione verè, & propriè intelligatur esse plena gratiæ, si nihil vltra gratiæ possit capere. Sicut cyathus plenus, non est vltra capax noui liquoris.

Pars II. Punctum IV. gratia Virginis augmentum ex opere operato.

7. Eadem videtur sententia Richardi Victorini lib. 2. de Emman. cap. 30. Nam contendit à momento conceptionis Christi, gratiam Deiparæ fuisse consummatam; & eam quoad hoc æquiparat Christo ab Instanti duntaxat conceptionis. Videtur item idem sentire Petrus Cellensis lib. 6. epist. 23. verbis illis. [Discas virginem nondum matrem, & Virginem iam matrem; Attendas domum sapientiæ inchoatam, & iam consummatam, distinguas lanam de prima gratia candidam, & purpuram de secunda, sanguine conchylij tinctam diuidas vellus non compluturn impregnatione, & vellus madefactum Incarnatione. Qua enim ratione de Ipsa in Ecclesia cantaretur, *quæ est ista quæ ascendit quasi aurora consurgens*, vtique in natiuitate, *pulchra vt Luna* in sancta conuersatione, *electa vt sol* diuina conceptione, *terribilis vt castrorum acies ordinata* cœlesti exaltatione, seu assomptione si nullus ei virtutum fuisset profectus atque prouectus?] Agnoscere ergo videtur, profecisse quidem in virtutibus atque adeò etiam in gratia B. Virginem aliquandiù, hoc est ante Christi conceptionem, non tamen postea, quia cum Christum concepit transit quodammodò in solem cuius lux non crescit. Idem haud dubiè sensit, qui scripsit. [Piè creditur cum Deum corporaliter conciperet, tantam in seipsa, de calore superuenientis in se Spiritus sancti, flammam pij amoris concepisse, quantam capere poterat puri hominis modus. Non ergo vt cæteri paulatim & gradatim in habitu virtutum proficiebat, quæ gignendo plenum gratiæ veritatis atcem plenissimæ perfectionis attigerat, in qua procul dubio ab omni etiam veniali peccato immunis felicissimè perseuerauit vsque in diem gloriosæ Assumptionis suæ. Proinde non paulatim amore languescebat, sed ex quo Verbum Incarnatum genuit, sancto eius amore, ad seipsam, & ad omne quod infra ipsam est, perfectè languebat.] Dedi

verba quibus addictissimus Deiparę antiquus Cantici Canticorum interpres, Guilielmus Patauia in c.2. Cant. ad illud *quia amore langueo*, negat crementum Virginis in virtutibus à tempore concepti Verbi Dei, eo quod ex tunc Virgo arcem plenissimæ perfectionis attigerit.

8 Negaui hunc Virginis honorem esse solidum, nihil veritus grandiuationē qua Petrus Cluniac. perculsit eos qui contra sentiunt. Quamuis enim verum sit, B. Virginem ea qua Christum concepit, attigisse insignem quendam gratiæ cumulum; non est tamen admittendum, quod Virginis per tantum postea tempus viatricis, tam multa, & tam luculenta opera, fuerint inferaeia gratiæ; ita vt gratiam præiacentem non auxerint. Nec potest vllum verisimile spiritualis illius consistentiæ fundamentum proferri. Nam quod Petrus Cluniacensis petebat ex repletione & plenitudine Deiparæ quoad gratiam, inane est. Neque enim plenitudo vel repletio animæ, est sicut plenitudo & repletio vasis, quod cum plenum est, nihil vltra admittit: sed vt benè monet Toletus in capite primo, Lucæ annot. 67. *sub finem* plenitudo, & repletio iuxta scripturas, cum de spiritualibus donis agitur, designat tantùm vbertatem, & abundantiam eorum, non autem incapacitatem subiecti ad maiorem eorum copiam: sicut significatur in materialibus, cyatho V.G. aut modio.

9 Rectè itaque de ipso puncto concepti Verbi Dei, statuit Paulinus carm. 5. Virginem in gratia creuisse. Sic enim canit.

[*Implentur præcepta Dei, creditque puella*
Pectoribus; atque auget meritum vitamque priorē,
Prompta fides: tacitis elementa latentia causis
Diuinum informant corpus, sacrandaque crescit
Sarcina, cælestem Dominum pia conseret aluus.]

De eodem, imo etiam de toto vitæ B. Virginis tempore quod aucta per illud sit vna cum meritis gratia, luculentum testimonium perhibet Philipp. Abbas, l.4. in Cant. c. 1. cuius odoratissimo suffitu, priusquàm abeam, putorem contrarij placiti iuuat dispellere. [Ascendit (inquit) sicut virgula fumi quæ cum subtilis, & gracilis ab inferioribus oriatur attollens se in auras tenues, & ipsa tenuatur, sic in altum proficiens, vt secreto nubium se committat & velut se exinaniens oculos intuentium non admittat. Virgo nimirum quamuis de terrenis parentibus procreata, terrenis tamen abrasis fœcibus disciplinæ studio tenuata, ad tantam meritorum altitudinem supra homines est progressa, vt rectè asseratur capacitatem admirantiū supergressa. Quæ sic proficiens, longè latéque suauissimum dat odorem, doctrinam iustitiæ disciplinæ formulam gratiorē; largitur suffragia, gaudet beneuolentiam exhibere, quæ dignè considerātibus, tanquam aromata videntur redolere. Ideò fortè fumus, cuius virgulæ Virgo proficiens comparatur, non de abyssi puteo, sed ex aromatibus prodire memoratur, ad quorum confectionem specierum multiplicitas est collecta, & ex myrrha, & thure, & vniuerso pigmentarij puluere sunt confecta.] Declarat sigillatim quid myrrha, quid thus, quid vniuersus pigmentarij puluis denotent. Myrrham asserit symbolum esse virtutis corpus subijcientis seruituti. Thure humilem deuotionem vult figuratam quæ cum in thoribolo mentis, igne sancti Spiritus concrematur, liquefacta in amorem, velut fumus dirigitur ad superna. Vniuerso denique pigmentarij puluere, virtutum reliquarum vniuersitatem, expressam docet. Itaque perspicuè agnoscit Philippus, & fragrantissimè tradit B. Virginem in omnibus virtutibus per totam vitam progressiones fecisse mirabiles, quæ oculos intellectuum nostrorum, & aciem quoque Angelicarum mentium effugiant, ipsamque etiam admirationem omnium supergrediantur.

Ratum igitur esto, gratiam Deiparæ procedente vitæ tempore semper factam esse maiorem quoties causa augens admouebatur, quia cum non esset summa, siue physicè, vt notū est, siue intra constitutos à diuinæ sapientiæ legibus terminos, conueniens fuit, vt crementum acciperet etiam post Christum conceptum. In quo potiùs fuit discrimen inter gratiam Christi iuxta diuinæ sapientiæ regulas ab initio summam, & gratiam Deiparæ, & multo magis alterius cuiusuis puræ creaturæ. Molliendúsque benigna interpretatione est Nazianzenus orat. 20. n. 65. cum præfatus S. Basilij virtutem in dies fuisse auctiorem, subdit de tempore quo gessit Episcopatum [imouero, vt rectius de his rebus disseram, quod ego in Saluatore prospicio, atque etiam vt opinor, sapientiorum quilibet, quo tempore nobiscum extitit, id quod supra nos, & nostrum erat formatus, hoc quoque hîc contigisse animaduerto *proficiebat* enim (loquit) vt ætate, ita etiam sapientia non quod hæc in illo incrementum caperent (quid enim eo quod à principio perfectum erat perfectius esse possit, sed quod hæc paulatim detergerētur, & elucerent]. Irrepsit lacuna in Theologi contextum, deest enim post vocem *sapientia*, illud *& gratia*: vt habetur apud Lucam. Alioqui verbum pluralis numeri *incrementum caperent* sorderet insigni absurditate, sonaret enim Christum vt sapientia, sic & ætate non profecisse reipsa, ad quid enim aliud præter *sapientiā* expūcta voce *gratia* referretur plurale verbum *caperent*. [Statuit ergo Theologus Christum quoad sapientiam, & gratiam non profecisse in sepiso. Tum subdit. Eodem modo Basilij virtutem eo tempore, non incrementum, sed maiorem operationem accepisse arbitror, vberiorem nempè materiam suppeditantē potestate.] Anxesis est, benignè mollienda nec exigendus ad rigorem veritatis. Verè enim incrementum accipiebat benè operando virtus & gratia B. Basilij, propter eandem rationem ob quam præmisi gratiam B. Virginis ab initio non fuisse summam, sed postea creuisse de facto.



PVNCTVM IV.

Crementum gratiæ B. Virginis ex opere operato.

1 CREVISSE in gratia & donis eam generaliter affectantibus B. V. satis hactenus monstratum est. Nunc duplex illius crementi modus specialis est attendendus; nimirum & is qui fit ex opere operato, vel quasi operato; & is qui fit ex opere operantis, initio facto à priore qui & facilior est, & minoris impensæ respectu subiecti gratiam recipientis. Exercetur autem in sacramentis nouæ legis, & aliquatenus etiam exercebatur in circumcisione, quamuis non per circumcisionem; quatenus tametsi circumcisio erat egenum sacramentum æquè, ac omnia antiqua; tamen Deus attenta necessitate paruuli qui circumcidebatur, ad illius signi applicationem conferebat ex se gratiam; Quod item circa

ca fœminas præstabat cum vsurpabatur circa eas remedium legis naturæ, quodcunque tandem illud esset quod plenius vestigat Hugo Victorinus libello de eo remedio. Eius porrò vices vt plurimùm, tenebat apud Iudæos circumcisio quoad mares. Nam cum hoc remedium præcesserat. vt si paruulum ante octiduum periclitaretur de vita circumcisio superueniens erat nudum signaculum iustitiæ fidei. De hoc igitur modo augendi gratiam, Deiparæ in conceptione collatam, agendum sequitur tam quoad antiquum illud sacramentum, quod vnicum fuit conferens gratiam ex opere quasi operato; tum quoad noua; ac etiam quoad quosdam euentus in quibus eius gratiam absque susceptione sacramenti auctam esse ex opere operato, ex mera Dei liberalitate, citra vllum Virginis meritum, non pauci censuerunt.

Deipara initiata sacramento legis naturæ: Auctam eo gratiam qui dixerint.

2. IN primis verò non videtur dubitandum, quin Deipara sacramentum illud legis naturæ acceperit, quo apud Hebræos infantes fœminæ expiabantur Nam tametsi concederemus, parentes Virginis non fuisse ignaros gratiæ, beatæ huic infanti collatæ in puncto conceptionis, tamen non est dubium quin voluerint facere secundum consuetudinem legis pro ea. Sicut Zacharias, tametsi acceperat ab Angelo, Baptistam fore replendum Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ, tamen non omisit stato tempore eum circumcidere, vt legi obsequeretur, & vsui receptissimo seruiret. Parentes igitur Virginis, sanctam infantem eo remedio lustrasse, non est dubitandum; idque vt certum statuit Poza l.2. tract. 18 c.2. existimans tamen hoc remedium circa fœminas, aliud non fuisse quàm oblationem earum quæ fiebat in templo octogesima ab ortu die, iuxta doctrinam quam posuerat cap. 1 sed quid si ante illud tempus periclitata esset proles? Itaque verisimilius duco, non esse expectatum tantum tempus ad expiationem fœminarum. Sed quamuis potuerit quoque coniunctim cum oblatione pro matre quæ 80 die purificabatur, fieri aliqua infantulæ oblatio, tamen interior eius expiatio per sacrificia, aliosuè ritus, videtur admittenda. Disertéque Hugo Victor.l.1.de sacram.fidei, p.11.c.2. cum eam femellarum expiationem per sacrificia & oblationes admittit, non se restringit ad tempus purificationis maternæ. Vt vt sit, B. Virgo sacramento legis naturæ, siue eo remedio quo apud Hebræos infantes fœminas expiari vsus erat, initiata est.

3. In susceptione huius sacramenti, B. Virginem accepisse gratiam sanctificantem, æquè ac cæteras puellas cum illud suscipiebant, asserit Poza l.2. tract. 18.c.2.remittens Theologis discutiendum an pro meliori dispositione, maior gratia sit per illud Virgini collata. Supponit autem Theologos idem in hac re pronunciaturos, quod in circa nostra Sacramenta: Ac proinde videtur supponere eos pronunciaturos vulgaribus puellis, quæ sine vlla dispositione (quippe infantes rationis expertes,) eo sacramento initiabantur, certam & æqualem mensuram gratiæ semper obtigisse. Si quæ verò adulta & ratione pollens ill hoc vsque ineptiata, vsurpasset hoc sacramentum, videtur debuisse esse par ratio illius ac illorum qui nouæ legis sacramenta recipiunt meliùs dispositi; quibus, etiam ex opere operato, maior gratia confertur iuxta probabilissimam doctrinam, cui subscribunt Henriq. l.2.c.14.n.1.Suar.t.3.3.p.d.7.s.5.concl.3.& d.28.s.3. Vasq.3.p.d.159.c.5. Argid.q.62 n.50. Bonac. disp. 2.de sacr.q.4.p.3.n.2.refragante licet Pensasio q 62. art.5.disp.4.Cum igitur Virgo iuxta verissimam sententiam, rationis vsum in primo momento vitæ concessum, habuit perennem, sacramentum illud receperit cum optima dispositione supra omnes puellas ratione præditas, quæ illud aliquando suscepissent, videtur consequenter ad fundamentum iactum, debere concedi, maiorem gratiam fuisse illi collatam in huius sacramenti susceptione. Pars II. Punctum IV. gratia Virginis augmentum ex opere operato.

Præsuppositio, de non maiore adultarum, quàm infantium puellarum gratia, in sacramento legis naturæ.

4. MIhi neque his puellis quæ adultæ hoc sacramento initiarentur maior gratia videtur fuisse collata quàm iis quæ planè infantes illud suscipiebant neque B. Virgini vlla prorsus gratia ex opere quasi operato, ex huius sacramenti vsurpatione obtigisse. Ostendo primum. Nam idcirco sacramenta nouæ legis secundùm propriam cuiusque dispositionem gratiam conferunt, vt loquitur Trid.sess.6.cap.7.id est copiosiorem meliùs dispositis subiectis; quia æquum fuit, causas ordinis gratiæ seruare proportionem cum causis naturalibus. Hæ autem, si effectus sit intensibilis, pleniùs agunt, & vberiorem effectum producunt in subiecto meliùs disposito sic enim in superficie speculi leuissima & politissima, multo plus luminis per idem luminosum producitur, quàm in corpore aspero & impolito. Lapis quoque qui ob duritiem & grauitatem est meliùs dispositum ad excipiendum imperium proiectioni deseruientem; recipit ab eodem motore, per eundem motum, maiorem impetum localiter delatiuum, quàm reciperet pluma similiter mota. Dispositiones enim, etiamsi non semper agunt ipsæ, coefficiúntque cum agente principali cui subseruiunt; tamen expediunt agenti viam ad producendum copiosiorem effectum, & vim actiuam alacriùs & copiosius expromendam. Similiter ergo sacramentum, cum agat ad modum causarum naturalium, iure censetur ea institutione diuina rerum naturis se accomodante, gratiam intensiorem producere in subiecto meliùs aptato. Atqui hæc analogica ratio quam admitto quoad sacramenta nouæ legis, nihil habet momenti quoad sacramenta vetera. Et ratio est manifesta. Nam sacramenta nouæ legis, sunt morales causæ gratiæ; quam Deus per ea non aliter confert, quàm si haberent connaturalem vim causandi gratiam. Itaque mirum non est, proportionem cum causis naturalibus habere in eis locum; & meliùs dispositis pleniorem gratiam per ea conferri. At sacramenta antiqua non erant morales causæ gratiæ: nec per ea dabatur gratia; etiamsi interdum ea priuilegio & diuina liberalitate, ob extremam suscipientis necessitatem, cui nulla ratione aliter prospici posset; in eis gratia. Sensus est. Datam quidem esse interdum gratiam in antiquis illis sacramentis; nempè cum erant piacularia paruulorum, qui sibi aliter prospicere non poterant alioqui Deus paruulos om. omnes qui ante baptismum abiere, reliquisset absque remedio; quod absit vt admittamus.

5. Verùm quod gratia quamuis eo modo in his

Sacramentis daretur, tamen non daretur per ipsa sacramenta, sed ex mero priuilegio, ob necessitatem extremam paruulorum, non autem ex vi ipsius operis sacramentalis exerciti; inde concluitur, quod prædicta sacramenta cum applicabantur adultis qui ex opere operantis iustificari poterant, non conferebat gratiam, sed erant nuda, & egena elementa. Contra quàm accidit in sacramentis nouæ legis, quæ semper, & vbiuis conferunt gratiam, quia ea nuda vi ipsius sacramenti, & externæ actionis sacramentalis vsurpatæ, gratiam in subiecto apto producunt. Neque verò antiqua sacramenta, tunc saltem cum in eis dabatur gratia, erant veræ causæ morales illius gratiæ. Non enim idem est posito quopiam, vi eius conferri effectum; (quod est habere rationem causæ,) & posito aliquo tanquam conditione, fieri effectũ vi alterius. Deus ergo in nostrorum sacramentorum susceptione, vi eorum, & per ea confert gratiam tanquam per causas morales, quia nostra sacramenta sunt veluti fœta Christi meritis. Atque ita applicatis nostris sacramentis, gratia confertur ob solam eorum applicationem, ita vt ipsa dicantur gratiam producere. At sacramenta vetera, non sic: sed cum ad eorum positionem dabatur gratia, non dabatur vi eorum, & per ea; sed duntaxat, vt ad nudam conditionem à maioribus paruulorum ex condicto adhibitam. Nec Deus gratiam tunc conferendam, mouebatur ab ea conditione, sed à Christi merito secundum se præuiso: neque enim præuideri potuit inclusum in illis sacramentis, cum nondum esset actu exhibitum. Itaque meritò affirmaui, puellas adultas quæ tunc primum expiabantur adhibito remedio legis naturæ, non percepisse maiorem gratiam ob meliorem suam dispositionem.

Nullum Virgini gratiæ incrementum, à Sacramento legis naturæ.

6 ADdebam deinde B. Virginem tametsi rationе vtentem cum hoc sacramento initiabatur, atque adeò melius dispositam quam infantes puellas; imò, & quam adultas quæ aliquando hoc sacramentum susceperint non modo non recepisse huius sacramenti susceptione maiorem gratiam, sed neque aliquid prorsus gratiæ tunc accepisse quasi ex opere operato, idest vltra meritum operantis, quod nunc non attendimus. Accepisse Virginem certam gratiæ mensuram ex opere quasi operato in huius sacramenti receptione, præter Pozam supra adductum, sensere plurimi, inter quos Mendoza l. 2. florum sacrorum problem. 7. Vasq. 3. part. d. 119. capite 7. Suares t. 1. 3. part. disputatione 18. sectione 3. *sub initium:* Omnes post Paludanum in 3. quæst. 2. *paulo ante solutionem principalium argumentorum.* Philosophantur enim in hoc puncto de beata Virgine, sicut de aliis paruulis suscipientibus hoc sacramentum. Vnde sicut alij paruuli recipiebant gratiam in eius susceptione, ita concludunt, B. Virginem, tametsi præsanctificatam, accepisse gratiam cum initiaretur. Extraordinaria quippè Dei largitas, non excludit vsum ordinariorum mediorum parandi, & augendi sanctitatem.

Verùm disparitas aliarum puellarum infantium, & Deiparæ, manifesta est quoad rem præsentem. Nam aliæ puellę immundæ erant, & labe originali maculatę; quam nisi in applicatione remedii de quo agimus abstersissent accepta gratia, mansissent inimicę Dei, & in proximo æternæ damnationis periculo. Vnde conuenientissimum fuit, vt diuina miseratio accurreret extremè egentibus, & gratiam in huius sacramenti susceptione elargiretur. At B. Virgo à primo vitæ suæ momento, sancta erat, nec premebatur illa necessitate spirituali, qua permotus Deus dabat gratiam puellis infantibus. Sicut ergo cum circumcidebantur adulti, quia poterant sibi prospicere per opus aliquod suum, non accipiebant gratiam in circumcisione; (idem est de adultis, qui suscipiebant sacramentum legis naturæ) sed cogebantur conciliare sibi Deum, interueniente contritionis, vel amoris perfecti: ita Beata Virgo suscipiens hoc Sacramentum, etiamsi concomitanter, & per accidens recepit gratiam ex opere operantis, tamen quia iam sancta erat, & quamuis sancta prius non fuisset, poterat tamen sibi prospicere per actum gratiæ conciliatiuum, nihil tunc recepit vltra dignitatem meriti sui, quod latè vsurpata voce, dicitur, hic quoque nihil recepisse ex opere operato.

B. Virgo, per quadam legis nouæ sacramenta, gratiam auxit.

7 PErgo ad augmentum gratiæ B. Virginis per receptionem sacramentorum nouæ legis. Ex quo enim à Christo sunt instituta, non est existimandum beatam Virginem neglexisse hæc instrumenta gratiæ, & causas sanctificationis quarum quidem reipsa, & congruè capax erat. Quod addo, quia certum est, nihil illi accessisse gratiæ per susceptionem sacramenti Ordinis, cuius erat incapax, quippè fœmina. (Quamquam Albertus Magnus l. *super Missus est*, siue de laudibus Beatæ Virginis capite 81. alias 74. & 75. cui subscribunt S. Antoninus 4. p. Summæ Theolog. tit. 15. cap. 16. §. 2. & Mauter. in Rosario. membro 6. multus est, vt confirmet, B. Virginem omnes functiones ordinum obiuisse æquiualenter, atque adeò consecutam esse æquiualenter illius sacramenti gratiam, quod ad rem præsentem non facit.) Neque per susceptionem sacramenti pœnitentiæ, quod supponit peccata actualia tanquam materiam proximam. Sacramentum insuper matrimonij, non accepit B. Virgo: quippe iam coniugata ante Christum, nec congruè nisi vnius vnquam viri vxor: Coniugium autem quod cum Iosepho iniuit, fuisse Sacramentum; & auxisse gratiam æquè ac cætera nouæ legis sacramenta quæ suscepit, (quod ex Alberto affirmat Syluester in Rosa aurea tract. 1. ad Euang. sabathi post Domin. 3. aduentus circa 3. punctum,) adeò manifestè falsum est, vt confutari non debeat. Omnia enim nouæ legis Sacramenta sunt instituta à Christo, qui tunc nondum venerat. Aliorum verò sacramentorum omnium B. Virgo capax fuit, iuxta plerosque DD. Quod si verum est, non credibile, quod eorum vsurpatione abstinuerit, quasi negligens incrementũ gratiæ ex eorum vsu qui feracissimus gratiæ erat, in ea præsertim, ob optimam dispositionem, quæ vt supra monui, auget gratiam ex opere operato. Sed dicamus distinctè nonnulla singulis illis reliquis sacramentis, puta baptismo, confirmatione, Eucharistia, Extrema vnctione; vt si quod est dubium circa susceptionem alicuius eorum, ritè excutiatur, & expediatur.

Vt per Baptismum.

8 BAptismum Christi à B. Virgine fuisse susceptum Euthymius Ioann. 3. ex traditione Patrum confirmat: consentiúntque Scholastici, vt Albertus quem refert, & sequitur Pelbartus lib. 7. Stellarij p. 1. art. 2. capite 3. alij quos magnò numero appendit Henriq. libro 2. capite 5. numero 2. & passim alij, vt Vasquez 3. p. disput. 119. a. 7. Suarez tomo 2. 3. p. disputatione 18. sectione 3. Benzo. in psal 86. cap. 40. traditione 17. Canisius libro 1. de Deip. capite 9. Bellarm. libro 1. de Rom. Pont. capite 23. qui à Christo ex viris solum Petrum, ex mulieribus solam B. Virginem baptizatam censet, colligitque ex Nicephoro. Ratio cur B. Virgo censenda sit suscepisse hoc sacramentum, ducenda est cum D. Augustino epist 108 quæ est ad Seleucianum, ex fine primario illius; quem constat esse regenerationem, & incorporationem personæ baptizatæ in vnum Christi membrum, cum potestate, & idoneitate participandi cæteris sacramentis, quorum baptismus est ianua; & consignatione hominis in vernaculum Christi, tanquam eo redemptum. Cum igitur hæc omnia potuerint locum habere in B Virgine quidni susceperit hoc sacramentum, præsertim cum interfuisse plurimum videatur ad exemplum, vt cæteri non refugerent hanc initiationem, si viderent matrem Domini, degere capessere eius?

9 Tantùm videtur obiici posse, quod Concilia, & nominatim Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato orig. confirment baptismum conferri in remissionem peccatorum: ipsáque exterior ablutio videtur esse signum ablutionis internæ à peccatis. Atqui in Virgine, nulla vnquam fuerunt peccata, ac ne originale quidem. Quomodò igitur potuit verè baptismo perfundi? Sed dicendum est, sacramentum baptismi catenùs secundariò conferri in remissionem peccatorum, quatenus confert gratiam remissiuam peccatorum, si quæ sint in persona cum baptizatur. Si autem contingat nulla præiacuisse peccata, non officit veritati baptismi, in cuius forma nihil tale habetur. Videsis id pleniùs enucleantem Salazarium lib. de Concept. capite 24. §. 9. numero 316. Meritò autem Ioannes Sanches disputatione 27. num. 20. reiicit Nugnem qui nodum propositum expedit, quia Virgo etiamsi caruit peccato originis, habuit tamen illius debitum Hoc non rectè dicitur. Nam baptismus non ordinatur ad tollendum debitum, sed ad tollendum peccatum, eo saltem modo quo dixi. Itaque per susceptionem sacramenti baptismi, aucta est gratia sanctificans in B. Virgine. Quinetiam præ humilitate Deiparam accepisse baptismum Ioannis rectè statuit Albertus super *Missus est* capite 74. sequiturque Pelbartus libro 7. Stell. p. 1. artic 2. c. 3. sed hic baptismus non fuit capax augendæ gratiæ ex opere operato.

Itémque Confirmationem.

10 COnfirmationem non accepit B. Virgo (iuxta Suarem tomo 2. 3. p. disput. 18. s. 3.) quoad signum visibile in quo consistit ratio Sacramenti: Recepit tamen characterem, & gratiam huic Sacramento propriam. Quod declarat exemplo Apostolorum, qui præter omne meritum suum, in Pentecoste receperunt ex opere quasi operato Spiritum sanctum, characterem Confirmationis quo consignarentur in Christi milites: postea verò non acceperunt signum visibile Sacramenti, quod iterari non potest. Hæc tamen doctrina mihi non probatur vsquequaque Vnde enim habemus characterem collatum esse in Pentecoste, extra ordinem & legem constitutam generaliter à Christo id est absque sacramento eius instituto? Gratiam quidem vberem, constat esse tunc collatam. De charactere autem seorsim collato, & exclusa postea susceptione visibilis signi, & gratiæ ei debitæ, nulla vspiam est mentio. Quin etiam quid incommodi esset dicere Apostolos post resurrectionem donatos plena Episcopali potestate, contulisse sibi inuicem, Sacramentum confirmationis, & alijs item fidelibus non Episcopis, illud impertiisse, ac inter eos B. Virgini: postea verò plenitudinem gratiæ, quæ supra communem sortem, ac modulum Sacramento confirmationis diuinitùs statutum, initio Ecclesiæ necessaria erat, collatam esset in Pentecoste.

Pars II. Tractatum IV. gratia Virginis augmentum ex opere operato.

Alterutro modo id acciderit; hoc est siue ante siue post Pentecostem, collatum sit Apostolis signum visibile huius Sacramenti cum gratia ei respondente in nobis illud nunc suscipientibus; affirmandum est collatum quoque esse B. Virgini. Quod tenent Albertus & ex eo Pelbartus in Stellario l. 7. p. 1. artic. 2. c. 3. Syluest. in rosa aurea tract. 1. ad Euang. Sabathi post Dominicam 3. aduentus ad q. 3. Et tract. 3. q. 51. qui addit, secundùm S. Thomam, Christum confirmasse Apostolos, atque adeò etiam matrem suam. Fuit certè Deipara, capax effectus huius Sacramenti, siue roborationis fidei, vt optimè prosequitur Gul. Paris. tract. de confirmat. cap. vnico. Per huius autem Sacramenti susceptionem, si suscepta reuera est, auctam esse anteriorem gratiam Beatæ Virginis, extra dubium pono.

Nec non per Eucharistiam.

11 EVcharistiam à Virgine susceptam esse in extrema cœna, censuit Vvigerius in decachordo chordia 7. capite 29. quod supra reieci, cum Vvaltero cœna 3. c. 12. Postea tamen Deiparam suscepisse Eucharistiam, satis clarè significatur Actorum 2. quo memoratur frequens communio primorum Christianorum; iuncto c. 1. in quo B. V. cum iisdẽ Christianis primitiuis assiduus conuictus, & perseuerantia in oratione, ac studiis pietatis describitur. Nec verò ambigere licet, quin B. Virgo, latã vniuersaliter legem de vsurpanda cõmunione, exemplo suo firmare, & apud alios in pretio locare studuerint. Vt vero omnis lex abfuisset, nihil poterat Deiparæ accidere iucundius, & optabilius, quàm reali corporis Christi intra se susceptione, iterare quodammodò primam Christi intra eius viscera præsentiam, non sine afflatibus, & gustibus, quales in prima illa Dei secum inhabitatione persenserat. Hic est enim cibus melle dulcior, quem Beata Virgo cunctis Ecclesiarum populis apparauit, & apposuit vt mellitissimè de Eucharistia dixit S. Ambrosius in psal. 21. *in fine.* Vt autem Apostoli argumentationem huc transferam, quis cibum herus conuiuij apparat, & de cibo ipse non comedit? Ergo comedit Virgo cibum Eucharisticum; & comedit frequentissimè, vt rectè cum Alberto statuit Pelbartus l. 7. p. 1 artic. 2. c. 3. eáque ratione B Virg. insigniter gratiã præhabitam auxit, ex opere operato; præsertim in tam egregia dispositione & aptatione subiecti, toties ad hos vitæ fontes admoti.

An per vnctionem extremam.

12 DE extrema vnctione, si Virgo eam suscepit, clarum est accessisse per eam gratiæ augmentum. Sed an susceperit, controuertitur. Affirmant multi apud Suarem t. 2. 3. p. d. 18 sect. 3. subscribúntque ipsi Suares t. 4. 3. p d. 41. s. 2. à n 8. Henriq. l. 3. c. 11. n. 7. Cornelius Iaco. 5. ad vers. 15. ibidémque Lorin. & Pelbartus (ascribens Albertum) l. 10. Stell. p. 1. artic. 1. Refragantur autem Paludanus, Vendelinos, & Victoria ibidem citati; nec non Vasques 3. p. d 119 c. 8. & Ioannes Sanches disp. 27. selecta n. 20. qui alios profert. Qui partem negantem sequuntur nituntur forma huius sacramenti, in qua fit mentio actualium peccatorum subiecti hoc sacramentum recipientis At B. Virginem omni actuali peccato caruisse, certa fides est Hæc tamen ratio non mihi videtur firma. Nam effectus primarius huius sacramenti, non est remissio peccatorum actualium; sed roboratio aduersùs tentationes tunc vrgentes: qui effectus, etiam in persona planè sancta, & optimè præmunita, locum habere potest. Mentio verò peccatorum quæ fit in huius sacramenti forma, non est nisi conditionalis, *si quid peccasti*. Imò quamuis absolutè diceretur hoc sacramentum conferri in remissionem peccatorum; quia tamen materia eius nullo modo sunt peccata, haud grauatè eodem modo exponeremus illum loquendi modum, quo supra exposuimus similem circa baptismum; cum dicitur *conferri in remissionem peccatorum*, nempè si adsint: alioqui enim ad veritatem illorum verborum satis est, quod gratia per baptismum collata, sit remissiua peccati. Quod autem Pelbartus loco annotato, & Syluest. in Rosa aurea Tract. 3. q. 53. ex Alberto, aiunt loco venialium, per hoc sacramentum remissos esse Virgini dolores mortis, qui à peccato primùm sunt orti; ridiculum est, nec ad rem nostram necessariam. Itaque is primus aries, contra affirmantes B. Virginem fuisse inunctam, infirmus est.

13 Fortiùs vrgeri potest, obitus Deiparæ absque ægritudine vlla. Vnde probari reuera videtur, B. Virginem nullum gratiæ accrementum hinc accepisse. Ostendimus enim sect. 1. *sub finem*, cum Virgo obiit, ne eam quidem debilitatem ab intrinseco interuenisse, cum qua iungeretur tanta corporis indispositio, vt anima perstare vlteriùs ibi non posset. At nisi saltem rudimentum ægritudinis, agnoscamus in Virgine, fatendum erit eam fuisse incapacem extremæ vnctionis, cuius subiectum est tantùm persona ægra. Nec dici potest, passim quidem subiectum extremæ vnctionis statui personam ægram, quia communiter qui ad extrema deueniunt, laborant morbo. In rigore autem subiectum idoneum huius sacramenti, esse personam ad agonem vltimum armandam, & muniendam aduersus insultus satanæ. Sicut proportione seruata, vngebantur olim colluctaturi; qua ratione B. Virgo potuisset vngi. Hoc inquam dici non potest. Nam si ita esset, etiam ij qui gladio publico trucidantur, vel ad suspendium rapiuntur, inungendi essent: quod tamen est contra vsum Ecclesiæ, & sensum Doctorum, qui pronuntiant, hoc sacramentum esse institutum ad robotandum hominem cum defecerit vistus eius, labante iudicio, atque adeò voluntatis viribus fractis, & faciliùs per hostem tunc maximè imminentem, persuadabilibus Si igitur ratum habeatur quod diximus de morte Deiparæ planè absque infirmitate, (nec video cur ratum esse non debeat,) fatendum erit B. Virginem non suscepisse sacramentum extremæ vnctionis; atque adeò non auxisse gratiam suam per eius susceptionem.

Discussi euentus quidam aucta ex opere operato gratia Virginis, extra Sacramenta.

14 PRæter prædicta capita augendæ gratiæ B. Virginis ex opere operato, vnum aliud assignat Suares t. 2. 3. p. d. 18. s. 3. *sub finem* quod ait absque temeritate negari non posse: nempè ex singulari Dei liberalitate, præter omne Virginis meritum, in conceptione Verbi Dei, iuxta illud S. Anselm. l. de 4. virtut. B. Mariæ c. 6. [Huic puellæ sic virtutum diademate redimitæ, totum se infudit Dei filius, bona illa virginalis animi, suo potissimùm aduentu custodiens. Námque ipse non solùm iustus, sed, & ipsa est iustitia, cui dicitur in Psalmo, *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*. Matrem ergo suam iam iustam; iustitia Dei penetrans vnxit eam, oleo exultationis. idest, Spiritu, sancto, præ omnibus participibus suis.] Optimè quoque author sermonis de Deipara apud Athanasium agens de virtute altissimi obumbrante Virgini. [Enimverò vt in Apostolos virtus ista ideò descendit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigerent; ideóque spiritus superuenit essentialiter cum omnibus suis dotibus, vt efficaciam acciperent in omnibus signis, prodigiis, & portentis ad confirmandam, certámque, & indubitatam reddendam promissionem Christi; ita quoque Spiritus sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem Diuini principatus adsunt, imbuens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset. Atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti, omnibus gratiis abundaret, & virtute altissimi obumbraretur. Quam virtutem per omnia tempora conceptus; eam habuisse confido, & post conceptum etiam retinuisse: neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodùm, & nunc in præsentia, & in æternum vsque, habet hæc Virgo sibi obumbrantem virtutem altissimi, & superuenium Spiritus sancti, & virtutem altissimi vt sit gratia plena]

15 De aliis quibusdam euentibus, vt in Christi natiuitate, passione, ac resurrectione, idem gratiæ augmentum coniectari posse probabiliter, subdit Suares: Sed coniectari tantùm, non autem certo asseri, sicut de prædicto euentu, quem ab omnibus Scholasticis in 3. d. 3. agnosci docet, & confirmari à Patribus. Recenset plerosque ex illis aliis euentibus, Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 7. nimirum conceptionem passiuam Deiparæ, & præcipua quæque Christi mysteria. Móxque etiam etiam addit, cum Henrique l. de fine hom c. 10. §. 8. idem contigisse, quando Deipara aliquod insigne obsequium Christo exhibebat; vt cum eum infantem lactabat, aut quouis alio modo beneuolè tangebat; si enim Christus, ægras contactu suo sanabat, etiam animo, largiens illis gratiam absque omni eorum meritò, quantò magis idem Virgini præstitisse, est cogitandum?

Hæc piè dici non inficior. Nihil tamen video, quod assensum extorqueat. Nam prima sanctificatio Virginis, cui Scholastici iuxta Suarem æquiparant prætensam hanc sanctificationem ex opere operato in conceptione actiua Deiparæ, non fuit ex

opere

opere operato,sed ex opere operantis:quia Virgo se disposuit ad eam gratiam interuentu gratiæ præuenientis, & promeruit congruè suam illam sanctificationem;ita vt nihil gratiæ collatum illi sit; quod congruo eius in merito non respondetit, vt causæ morali:Contra quàm accidit in iis dispositionibus quæ adiungūtur operi operato.Præter gratiam enim quæ illis vt operibus sanctis respondet, confertur mensura certa gratiæ vltra omne meritum. V. G.cum vir iustus communicat, aut homo iam contritus baptizatur, sunt ibi duæ portiones gratiæ, quarum vna operi operato, altera operi operantis respondet. Quamuis autem gratia quæ rependitur operi sancto, quo persona se disponit ad fructum operis operati percipiendum, correspondeat operi; tamen gratia quæ subiecto sic disposito datur ex opere operato,non respondet operi vt causæ morali;sed tantùm vt conditioni,& aptationi subiecti. Itaque cum multò honorificentius sit puræ creaturæ, recipere gratiam sanctificantem titulo meriti; quàm ex mera Dei largitate: Deipara autem potuerit omne augmentum gratiæ mereri condignè, Deo illam sollicitante ad causandam in se moraliter per actus meritorios talem gratiam; quorsum fingemus eam gratiam obtigisse illi absque meritò, & purè ea Dei liberalitate, ad modum operis operati? Nec vbertas gratiæ collata in aliquo euentu, V. G. in puncto Incarnationis, debet terrere nos, quasi oportuerit tam copiosam gratiam, excedere meritum. Facilè enim fuit Deo, excitare Virginem ad actos pretiosissimos,quibus iuncta interiore sanctitate, quæ meritum valdè præmonet, augmentum illud gratiæ rependeretur, vt iusta merces. Quare non videtur asserendum, quod extra sacramenta collatum sit Virgini aliquid gratiæ ex opere operato. Vt certum autem pono, nullum tale crementum gratiæ accidisse Virgini, in sua assumptione mortem subsecuta: contra quam sensit Mayro.in 3 d 3. q. 1. art. 9. illud statuens vnum è quatuor temporibus auctæ eo modo in B. Virgine gratiæ.

Furfur Doctrinæ, de Sacramentali B.Virginis Confessione, & Confessario.

16 Est in hoc puncto planè anilis heteroclisis, quam tamen memini magno ardore, à quodam pileo tenus Theologiæ Magistro propugnatam propter honorem ordinis, cum aliquos è suis id asserentes audisset. Itaque Magnus Albertus super *Missus est* c.69.70.& 74.& ex eo Syluester in Rosa aurea Tract.tertio q 53.*impertinenti*,nec non Vinaldus (quibus Fagundes ad 2 Eccles præcept.c.s. n.10.malè adiungit D.Thomam 3.p q. 37.art. 4.) itemque Carthusianos, mox adducendus affirmant B.V.suscepisse sacramentum pœnitentiæ;& per illud auxisse gratiam,disertè notant.Eius tamen confessionem aiunt non fuisse peccatorum, sed beneficiorum Dei, & suæ incongruitatis ad magnitudinem eorum. Dicebat(ait Carthus.l.3.de laud.Deip.art. 28)se beneficiis Dei non esse plenariè gratam,nec condignas grates rependere posse Deo,nec Deum vt dignus erat diligere. Addit Syluester, credere se cum habitus voluntatis nostræ nos lateant, B. Virginem præ humilitate sua,nesciisse se adeò esse Deo gratam, vt prorsus careret venialibus.Itaque confessam esse de eis sub conditione;puta dicendo; *si in tali opere,vel tali,deliquissem per incautelam,vel negligentiam, vel alio modo, dico meam culpam.* Concludit denique Syluester ex Alberto,S.Ioannem Euangelistam, eo autem absente, (vt addit Cartusianus l. 3. de Deip. art.58.)S. Iacobum Hierosolimitanum Episcopū, fuisse confessarium proprium Virgini deputatum. A quo autem deputatus fuerit, prætermiserunt hi D. D. In calce denique admonet Syluester,iuxta Albertum,hæc idcirco scriptis non esse consignata, vt discamus scrutari abdita, & suspirare ad regionē plenæ veritatis,quæ cœlum est Sed præsertim idcircò prouidisse Spiritum sanctum, vt scriptores Canonici ista tacerent,quia necessarium non fuit hæc scribere, cum debeant cuiuis esse per se nota:quandoquidem est per se perspicuum,omnes bonos actus quos fideles exercent, illustrissimè vsurpatos esse à B. Virgine. At confessionem proprio Sacerdoti factam, esse actum bonum,& optimum, nemo diffitetur Catholicus.

Pars II. Punctum IV. gratia Virginis augmentum ex opere operato.

17 Versans hanc ipsam dubitationem Pelbartus l.7.Stellarij p.1.art.s.6.3. ferè per omnia subscribit Alberto, nisi quod vltra externam confessionem, quæ erat de insufficientia meritorum ad bona concessa,tribuit etiam B. Virgini actum primum sacramenti pœnitentiæ, quem ait fuisse detestationem peccati qualem exprimunt hæc, verba, *nolo peccare*; itémque actum vltimum,siue satisfactionem, quem ait fuisse exercitium operum supererogationis.Confessarium autem negat fuisse S.Petrum,(quod tamen sub dubio admittit Cartusianus l. 3. de laudibus Deip.art.58.)quia quamuis B.V. videatur debuisse confiteri summo Confessario,cuiusmodi erat S. Petrus,tamen sicut Archiepiscopus non debet ordinariè se immiscere de omnibus suo suffraganeo Episcopo commissis,iuxta cap.*pastoralis* de offic. Iud. Ordin. ita par non fuit,B.V. quæ specialiter S.Ioanni commissa fuerat,alteri quantumuis superiori confiteri. Itaque concludit,post mortem Christi B. Virginem accepisse sacramenta à S.Ioanne,tanquam à proprio Confessario:Nominatim verò sub mortem,B.Virginem esse confessam,& per huius sacramenti susceptionem disposuisse se ad mortem,tradit idem author l.10.p.1 art.1.

Hæc esse explodenda si monuero, rem præstitero non necessariam;cum per se liqueat,& materiam remotam, & proximam sacramenti pœnitentiæ quæ B Virgini assignatur, esse prorsus alienam à confectione sacramenti pœnitentiæ, quod occupatur circa peccata, & confert eorum absolutionem; quorum nihil locum habet circa contestationem externam qua B.Virgo potuit exprimere suam insufficientiam, ad condignè promerenda tam insignia Dei dona quibus exornabatur.Ignorantiam verò affingere Deiparæ,vt posset confiteri: vel dicere eam confessam esse tantùm conditionatè,delirum est:cum rusticos quoque ita confitentes,*si tale quid feci,confiteor*,extra euentum legitimi dubij,dedoceamus errorem. Et est quidem confessio sacramentum pœnitentiæ partialiter constituens,actus valdè bonus, sed peccatori:non item Deiparæ, quæ illam vsurpare nequiuisset absque falsitate aut mendacio. Quare silentium omnium Canonicorum scriptorum de confessionibus sacramentalibus B.Virginis, non est referendum ad euidentiam rei, ob bonitatem illius operis: sed referendum est ad prætermissionem huius sacramenti per Deiparam, quippe semper nitentissimam, & nulla peccati labe vnquam maculatam;quod ipsi erat perspectissimum, tametsi humillimá. Nec enim vera & solida humilitas, onerat se falsis culpis. Noges de B.Ioanne post Christi mortem Deiparæ Confessario,quasi Christus superstes id muneris circa matrem obiret;itemque de preparatione Virginis ad mortem per susceptionem

sacramenti

ſacramenti pœnitentiæ, mitto perſequi ne abuti tempore, & lectoris otio videar. Quare extra dubium esto, B. Virginis pietatem, non debere commendari ſiue in vita, ſiue ſub mortem, à frequentatione ſacramenti pœnitentiæ idque circa Virginem celebrare, perinde eſſe ac afflicto ingenti probro, honoratum quempiam velle.

Actus quidam, & habitus Pœnitentiæ in Deipara, etiamſi non Sacramentum.

18 NEque tamen ex eo quod negauerim fuiſſe à Deipara vſurpatum ſacramentum pœnitentiæ, infecundum eſt B. Virginem æquè fuiſſe incapacem, vel actus, vel habitus pœnitentiæ. Id quippè malè inſeretur. Nam ſacramenti pœnitentiæ omninò incapax eſt B. Virgo; quia materia huius ſacramenti, ſunt propria peccata, de quibus fertur à Sacerdote Dei vicario iudicium. At virtus pœnitentiæ latius infunditur. Poteſt enim quis dolere de peccato, non tantum de proprio, quod reipſa admiſerit; ſed etiam de alieno: vel de proprio ſi contingeret in illud labi. Vndè quamuis ſit extra dubium, pœnitentiam quæ connotet actum malum proprium, non potuiſſe in Chriſtum cadere qui peccatum non fecit, nec facere potuit; qua ratione Sanctus Thomas in 4. diſp. 14. q. 1. art. 3. q. 3. & alij quos addenſat Raguſa 3. p. diſput. 68. negant Chriſto pœnitentiam, meritóque ſubſcribunt Valent. q. 2. de pœnit. p. 3. Vaſq. 3. p. q. 85. art 4. dub. 2. & paſſim cæteri; Tamen ſi non agatur de retractatione, aut deteſtatione culpæ propriæ, ſed vniuerſalius de peccati deteſtatione, quia eſt contra ius diuinum, déque ſollicita cura adducendi alienam voluntatem, ex eo motiuo auerſetur peccatum, ac denique ſi agatur de voluntate ſatisfaciendi Deo pro tali peccato alieno ex motiuo reparandi ius Dei læſum: ſic pœnitentia Chriſto tribuitur, non modò habitualis, vt inutiliter diſtinguit Ægidius Coninc. diſputatione 1. de pœnit. numero 19. ſed etiam actualis, vt rectè affirmant Argentina in 4. diſputatione 14. quæſtione 1. ac Suarez. t. 3. p. d. 4 ſect. 5. & t. 4. diſput. 7. ſectione 1. n. 11. & paſſim Recentiores.

19 Quod ſi ſub ea ratione conceditur Chriſto actus, & habitus pœnitentiæ, multo magis idem de B. Virgine dicere par eſt: quia B. Virg. cum ſit pura creatura, fuit peccabilis, vnde non erat adeo elongata à peccato, ac Chriſtus, qui ſuaptè natura erat prorſus impeccabilis. Idcóque cum actus ille, *ſi peccarem, deteſtarer peccatum*, negandus ſit Chriſto, quippè qui in eo otioſus fuiſſet, potuit tamen à B. Virgine elici, ob connaturalem peccabilitatem, quam auxilia gratiæ quibus vbertim iuuabatur non præpediebant. Itaque meritò, & actum, & habitum pœnitentiæ ab ea non eſſe remouendum, tradunt Suarez t. 4 in 3. p. diſputatione 7. ſect. 1. numero 10. Mendoça lib. 1. florum ſacr. problem. 3. Henriq. lib. 4. capite 25. Benzonius in pſalm. 86. cap. 40. traditione 26. Nec reuera refragantur Maior. in 4 d. 14. q. 2. & alij, qui negant negant B. Virgini pœnitentiam: quia loquuntur in eo ſenſu in quo negauimus Chriſto pœnitentiam, nimirum ſi ſermo ſit de pœnitentia, pro deteſtatione, aut retractatione peccati proprij. Sic enim B. Virgo, non, non elicuit actum pœnitentiæ: ſicut neque ſuſcepit pœnitentiæ ſacramentum de cuius ſubſtantia eſt, actus ille retractationis peccati proprij.

20 Maneat ergo fixum, & ratum, Beatam Virginem, tametſi capacem alicuius actus, atque adeò etiam habitus virtutis pœnitentiæ, tamen ſuſcepiſſe, nec ſuſcipere potuiſſe ſacramentum pœnitentiæ, cum non poſſet elicere actum ad huius ſacramẽti confectionem eſſentialiter requiſitum. Quod autem Carthuſ. lib. 3. de laud. Deip. art. 28. ait, Deiparam ſpecie tenus confeſſam eſſe ædificationem fidelium: (iuxta ea quæ de Baptiſmo ſuſcepto præmiſerat art. 27. ad quem ſe refert,) admitti non poteſt. Neque enim Deip. operabatur bona in ſpeciem: id eſt non fingebat ſe benè operari, vt alios ædificaret. Itaque ſicut non potuit actum ſacramentali confeſſioni eſſentialem elicere reipſa, ita neque emenrita eſt confeſſionem ſacramentalem. Actus autem pœnitentiæ quem abſque figmento elicere potuit, vt admiſimus, non poterat vſui eſſe ad ſacramentalem confeſſionem formandam.

In vſu Euchariſtiæ, fauor Deiparæ tributus, non ſatis fundatus.

CIrca vſum Euchariſtiæ per Deiparam, erit qui furfuribus pietatis accenſeat eam prærogatiuam quæ ex Alexandro Alenſi 4 p. q. 10. mem b 7. art. 3. §. 8. habetur videtúrque adſtipulari Emmanuel de la Cerda q. 6. poſitiua n. 56. nimirùm quod B. V. communicans, viderit corporeis ſuis oculis, Chriſtum provt exiſtentem, ſub ſpeciebus, ex ſpeciali priuilegio matri ſuæ conceſſo à Chriſto. Verùm inprimis nullum extat huius priuilegij diploma, ſiue ſcriptura, ſiue traditione comprehenſum. Deinde ea corporea, & ocularis, contuitio Chriſti, videtur offectura merito fidei, cuius B. Virgo dum hîc viueret, capax erat. Multi ſanè Sanctorum, ac nominatim S. Hugo Lincolnienſis, & S. Ludouic. Rex Francorum, renuerunt conſpicere Chriſtum in forma peregrina apparentem ſub hoſtia, dicentes ſe nolle priuari merito fidei, quo potiebantur non videntes, & credentes. Et tamen in ea ſpecie apparente, non videbatur reuera Chriſtus, Sed ſpectrum eius duntaxat. Multò itaque magis B. Virgo excidiſſet merito fidei, ſi intuitiuè Chriſtum conſpexiſſet in Euchariſtia. Poſtremo Valdè communis ſententia, negat eum contuitum eſſe poſſibilem, etiam de potentia abſoluta. Id quod Suarez t. 3. 3. p. d. 53. ſect. 2. cenſet probabile, & affirmat Vaſq. 3. p. d. 189. & circa q. 16. D. Thom. ad art. 8. Ratio negandi talem contuitum eſſe oculo corporeo poſſibilem, eſt, quia modus exiſtendi corporis Chriſti in Euchariſtia, eſt ſupernaturalis, nec clauditur obiecto adæquato facultatis viſiuæ, quod eſt lucidum vel coloratum. Corpus quidem Chriſti, quod ſpeciebus ſubeſt, coloratum eſt, ſed modus exiſtendi quo ibi inextẽsè, & indiuiſibiliter collocatur, nõ eſt eiuſmodi vnde oculus corporeus non poteſt excurrere ad eum eſſendi modũ, percipiendũ atq; adeò neq; ſuſtolli ad conſpiciendum corpus provt affectum tali modo ſicut neceſſarium eſſet fieri, ſi viſus corporeus ad Chriſti indiuiſibiliter, ac inextenſè conſtituti contuitionem aſſurgeret. Quamuis autem huiuſmodi contuitio, vi diuina concederetur eſſe poſſibilis, quod fusè, & multis allegatis contẽdit Emmanuel de la Cerda q 6. poſitiua à n. 25. tenétque Michaël de Palac. in 4. diſt 10 d. vlt. tamen cum res ſit adeò ſup. & à corporeæ facultatis vſu aliena non fuit de facto inuehendũ tantum miraculũ, gratis, & abſq; vrgente fundamento, quale tamen nullum ſuppetit ac ne congruum quidem.

P V N

PVNCTVM V.

Crementum gratiæ virginis ex opere operantis vniuersè.

ALTER hic modus augendi gratiam Deiparæ, indubitatus haberi debet quoad an est. Nihil quippè defuit B. Virgini quominus opera eius ex gratiæ auxilio elicita, fructificarent gratiam, & augerent præiacentem. Et quia iuxta veram sententiam, merces operarij non differtur apud Deum vsque mane, quod attinet ad dona gratiæ quorum viator est capax, sed statim rependitur: propterea hoc augmentum factum est statim atque actio illius meritoria fuit exercita. His itaque generatim constitutis quæ omnibus iustis sunt communia, discutiendum specialiter est, circa hoc Deiparæ augmentum, per quæ opera Virginis fieret, & quàm continuè, atque adeò an toto vitæ tempore, ac denique quantum esset pro vnoquoque singulari actu. Nam etiam quoad hoc postremum, est aliquid B. Virgini peculiare, nec commune cum iustis omnibus, de multorum saltem sententia.

Omnibus B. Virginis humanis operibus, aucta gratia.

2 OPera quibus Virgo sibi promeruit augmentum gratiæ, fuerunt omnia eius opera humana, (vt loquuntur: idest quæ non modò sunt hominis, quod habet etiam nutritio, & omnes actiones naturales ab homine prodeuntes absque rationis, & voluntatis mandato, sed etiam sunt fœtus arbitrij, quia pendent ex ratione, & voluntate. Cum enim actionum humanarum nulla sit indifferẽs, iuxta probabiliorem sententiam; in Virgine autem nulla fuerit nisi moraliter bona, (malitia quippè, vt infra dicam non habuit in ea locum;) Restat vt omnia opera Deiparæ deliberata, & arbitraria, etiam quæ ex obiecto intrinseco non erant supernaturalia, fuerint moraliter bona, & apta quæ per imperium charitatis aliarumvè supernaturalium virtutum, eueherentur ad promerendam gratiam auctiorem. Estque plus quàm verisimile, B. Virginem actus suos ex obiecto indifferentes, non quacunque honestatione questiuisse, sed supernaturali, & conciliatiua nouæ gratiæ. Id quod multo apertius præstabant, opera ex obiecto supernaturalia; quæ absque honestatione extrinseca, tendunt in finem supernaturalem; & in homine iusto, sunt meritoria augmenti gratiæ.

Interrogari verò potest, quàm multa fuerint ea opera humana in Deipara, quibus vel ex obiecto supernaturali, vel ex imperio extrinseco, augmentum gratiæ rependerentur. Ad hanc interrogationem, respondeti potest verbis Nicolai Monachi S. Albani, ad Petrum Cellensem. Est nona inter Epistolas Petri Cellensis lib. 9. [Sensit Maria sine peccato, pœnam peccari. More quippè nostro, esuriuit, sitiuit, friguit, & multis tribulationibus decocta, nostris calamitatibus subiacuit, & ex talium in Christo patientia, multimoda meritorum prærogatiua effloruit, absque iis quibus intrinsecùs quotidie proficiebat, noua videlicet virginitatis dilectione; singulari Dei contemplatione, incomparabili proximi charitate; tota virtutum omnium pulchritudine, nulla maculæ vel leuissimæ turpitudine. Nam cum meritorum nostrorum summa consistat in patiendo pro Christo, & in diligendo Christum, Deum videlicet, & proximum nostrum; in his duobus exercitata est ad plenũ agonista nostra ante aduentum Verbi in vterum eius, vt nec ei deesset, vel cum carne vel cum hoste certatio, nec peccatissime animi contemplatio. Proinde dispendium merendi non sustinuit quæ tot tentationibus exposita, gratia qua ante obumbrationem plena, & Dominus cum ea fuit, omnes debellauit, & omnes superauit. Dispendium inquam merendi non sustinuit, quæ in dies operatione proficiens pariter, & amore, optimam Mariæ partem adimpleuit, & Marthæ sollicitudinem, per ætatis teneritudinem non exclusit.] Hæc ab eo Authore generatim de meritorijs Deiparæ operibus dicta, optimè habent.

Pars II. Punctum V. Augmentum gratiæ Virginis ex opere operantis.

3 Generaliùs tamen quæri adhuc potest; an prorsus omnia Deiparæ opera, fuerint meritoria. Communissima, & admodùm verisimilis, (certè valdè pia,) sententia tradit, omnes planè B. Virginis actus, aptos à ratione, & voluntate pendere, fuisse deliberatos, & bonos ad prædictum modum, ac proinde auxisse gratiam. Cum enim haberet actuum suorum perfectum dominium, & per species infusas à phantasiæ cooperatione independentes, atque adeò corpus non fatigantes, intelligeret, & perspiceret bonum, in quod voluntas Spiritus sancti copioso vnguine delibuta, suauissimè, & promptissimè tendere idonea erat facilè intelligitur, nullum fuisse in B. Virgine actum, qui posset humanus esse, nec reuera esset humanus. Et ita meritò pronunciauit Albertus quem refert, & sequitur S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 5. §. 6. subscribuntque Suares t. 2. 3. p. d. 18. s. 2. & Vasq. 3. p. d. 119. c. 6. Actum verò humanum, quantumcumque ex obiecto esset naturalis, nihil facilius quàm à Virgine perfundi supernaturali honestate: præsertim si verum est quod existimat Salazarius in c. 31. Prouerb. num. 137. cum Vasque ex disp. 119. cap. vltimo: Nempè Virginis voluntatem, semper, & indeficienter diuini amoris perfectè igne arsisse. Quod quid accommodatius, ad omnes planè Virginis actiones moralitate connectibiles, supernaturali decore cohonestandas? Fauet certè cum illud B. Bernardi serm. 1. de assumpt. quod Bonau in speculo lect. 14. tanquam D. Augustini allegat. [Quis dubitet in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit.] Tum illud quoque S. Hildefonsi serm. 1. de Assumpt. [Mariam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit: ita vt in ea Spiritus sancti tantùm flamma videatur, nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei.] Vt vt verò sit de ea perenni profusione amoris actualis super omnia in Deum, aut ex actio, aut alia quæpiam supernaturalis ex cuius directione Virgo operaretur, (& semper sic operabatur, ne sine causa feriaretur, & veluti otiosè ageret per ordinem ad finem vltimum supernaturalem,) facilè poterat actum Virginis philosophica tantùm bonitate splendentem afficere honestate supernaturali, & efficere meritorium augmenti gratiæ. Sicque à Virgine re ipsa factum, habet *Albertus*, quem descripsit Cartusianus l. 2. de laud. Deip. artic. 32.

Meritum

Meritum Virginis, & gratiæ crementum, in vigilia continuum, nec in somno intermissum.

4 EX dictis erui potest resolutio alterius dubij: primùm quoad vigiliam. Petebatur enim, an Deipara congruè ac sine intermissione operaretur meritoriè, & gratiam augeret. Cum ergo in vigilia, sit moraliter impossibile planè ferrari intellectum, & voluntatem; Deipara autem haberet omnium operationum inde manantium dominium; omnis denique talis actus Deiparæ, esset honestus, & sanctus; sequitur apertè B. Virginem per vigiliam sine interruptione meruisse, & auxisse gratiam suam. Nam omni actui supernaturaliter bono personæ iustæ, implantatur meritum, cui adiungitur gratiæ augmentum. Ex quo coniicere licet multitudinem sanctorum actuum quibus B Virgo merebatur, & gratiam cumulabat. Erat enim somni parcissimi, cum ob sobrietatem cui subiuncta est somni exiguitas vt propterea Clem. Alexand. 2. Pedag. c. 9. commendaret victus abstinentiam ne somnus læderet: Tum ob declinatam lecti mollitudinem, aliáque somni prolixioris illectamenta. Nam quod ibidem de Iacobo Patriarcha aiebat Clemens, lapideo vsum puluino, dignum fuisse habitum qui diuina contueretur; multo instiùs locum habuit in B. Virgine, sanctissimo corpori suo per tractationem minimè mollem, longas somni moras præcidente.

5 Quoad alteram verò eiusdem dubij partem, seu an Virgo opera meritoria gratiam augentia eliceret continuè, non modò in vigilia vt diximus, sed etiam in somno; ita vt totus contextus vitæ B. Virginis esset perpetuus, & nunquam interruptis meritis fœcundus controuersia est inter DD. Nam aliqui existimant, per somnum, rationis plenæ vsum ac libertatem defuisse Virgini: quo constituto clarum est, meritum, & gratiæ cumulationem cessasse in somno. Ita Maior in c. 1. Matth. dub. 8. Gerso tract. 5. super *Magnificat*, & To. 1. tract. de susceptione humanitatis Christi, veritate 20. ait esse penitùs temerarium, tribuere Virgini libertatem, & meritum in somno. Idem habetur ex Abulensi in c. 1. Matth. q. 51. & ex Iacobo de Valentia in Cant. Deip. ad vers. 4. dignitate 3.

Probatior tamen sententia fert, B. Virginem etiam in somno vsam esse ratione plena & libertate; atque adeò potuisse tunc mereri, & augere gratiam. Ita ex variis Suares t. 2. 3. p. d. 18. s. 2. Spinellus in Throno Dei c. 11. num. 30. Poza l. 3. tract. 14. cap. 2. Hunc desero quatenus refert in solam Dei voluntatem, vt quisquis dormit careat libertate. Putat enim nullum esse nexum somni, & ligationis interiorum sensuum, quorum expeditio intellectioni libertatem dirigenti est necessaria. Ex quo fundamento infert, diuinam liberalitatem quæ circa Virginem nunquam auit, noluisse eam communi omnibus nunc mortalibus incommodo, præclusæ in somno libertatis inuoluere: sed indulsisse, vt liberè ageret etiam in somno, ob expeditum tunc plenæ rationis vsum: quod æquè in statu innocentiæ fuisse concedendum, visum est nonnullis. Nolo huic principio inniti, quia etiamsi falsum non esset, quod nulla sit necessaria connexio vsus rationis ac libertatis, cum vigilia; (omnino enim videntur necessarium eam connexionem admittere, agendo de vsu rationis naturaliter operantis, per species haustas à sensibus:) tamẽ habemus quomodò absque difficultate expediamus modum præsentem quoad Deiparam. Habuit quippè fidem, etiam quoad species infusam, vt supra vidimus. Vsus autem talium specierum, est independens à conuersione ad phantasmata; ac proinde etiam in somno haberi potest plenus, & omnino expeditus. Cum pleno autem rationis vsu, iungitur libertas; sicut cum libertate supernaturaliter negotiante, nectitur meritum. Idem autem discursus qui proximè cõfecit, Virginem in vigilia semper esse operatam supernaturaliter, æquè conficit idem illi in somno accidisse: cum per tempus somni æquè potiretur libertate. Vt valeret planè in Virgine illud Cant. 5. eidem aptatum à Ruperto l. 5. in Cant. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Itémque illud Iterem. 1. quod Virgini æquè aptat S. Bernardinus serm. 4. de Deipar. art. 1. cap. 2. *Virgam vigilantem ego video.* Itaque verisimillimum duco, sententiam de perpetuo, ac ne per somnum quidem interrupto, Deiparæ merito.

Quantitas meriti, & crementi gratiæ, per Virginis opera.

6 REstat quantitas meriti, atque adeò augmenti gratiæ, causabilis per vnumquemque Virginis actum. Hoc enim aliqui, tametsi in aliis iustis fatentur alio modulo esse metiendum, tamen in Virgine admetiuntur intensioni actus, & habitus præexistentis: saltem si sermo sit de perfecto amore charitatis, quem vidimus ingentem ac perpetuum fuisse in Deipara, iuxta piam aliquorum sententiam. Imo Victoria relect. de augm. Charit. num. 4. & Valent. 2. 2. disp. 3. q. 2. p. 3. assert. 8. admittunt in quouis iusto, omnes actus intendentes habitum præiacentem, augere ad æqualitatem intensionis actus interna. Hæc autem cum habitus præiacens non exercetur segniter, sed strenuè, ac nauiter, vt haud dubiè fiebat à B. Virgine, est æqualis intensioni habitus præiacentis, qui secundùm se totum exeritur, nec vlla ex parte iacet obstipus, & iners. Igitur vel perfectissimi actus B. Virginis, vel etiam omnes, quoad vim meritoriam vt gratiæ auctricem, adæquabantur graduali suæ perfectioni entitatiuæ, & habitus anterioris.

Hæc doctrina, nec circa alios iustos, nec circa B. Virginem admittenda videtur, vel illo solo nomine, quod iuxta eam, actus quilibet subsequens deberet esse intensior quouis actu præcedente: quia actus quilibet subsequens, exerceretur ex tota efficacia habitus præiacentis, eique intensissime par esset: ac proinde accessu augmenti facti ad præiacentem habitum, subsequens actus ex habitu sic adaucto prodiens ad eius æqualitatem, esset intensior quouis actu anteriore: quod constat dicendum esse absque fundamento, & verisimilitudine. Itaque statuendum est, quamuis actus sit meritorius secundùm totam suam latitudinem, & nullus in eo sit intensionis gradus, qui non mereatur; (in quolibet enim gradu exercetur libertas, & viget bonitas ac perfectio per operantem adamata,) tamen non idcirco actum mereri æqualitatem suæ latitudinis, vt Suares fusiùs prosequitur Relect. de reuiuisc. merito. disp. 1. s. 2. n. 44. & 47. contra quàm statuerat t. 2. 3. p. d. 18. s. 4. agens de merito actuum perfectissimorum B. Virginis. Id quod etiam malè statuit Val. 3. p. d. 2. q. 1. p. 5. *sub finem.*

7 Quam ergo mensuram assignabimus augmenti gratiæ, & virtutis meritoriæ, in quolibet singulari actu Deiparæ? Omnino fatendum est, eam esse nobis incompertam, etiam generatim loquendo, &

& à Dei solius taxatione, æquè ac in aliis iustis, sortiri modulum suum. Admittendum tamen est, eam pro variis actibus variam, & pro quibusuis posterioribus,) si cætera essent paria,) pleniorem fuisse. Nam quo actus erant ea obiecto suo perfectiores, vel quo ex circumstantiis crescebant dignitate ac pretio, eo erant feraciores augmenti gratiæ maioris Per se enim euidens est, ex iisdem conditionibus ex quibus, opus redditur simpliciter meritorium; ea iisdem inquam, si crescant & perfectiùs concurrant, opus magis meritorium euadere; quia ea iisdem principiis perfectiùs applicatis, necesse est vt existat perfectior effectus, si non desit maioris illius perfectionis capacitas, vt hic sanè non deest. Atque ita ex opere quod in primo instanti est meritorium, quo magis durat & quo honestiùs liberiùs & altioris speciei supernaturalis est; eo maius meritum progenerat. Vnde quia cognitio B. Virginis semper fiebat illustrior, & fervor operandi vegetior; contra quàm nobis accidit, qui quo plus progredimur eo magis lassati de contentione remittimus; mirum non est si B. Virgo semper operabatur magis meritoriè, ob meliorem applicationem principiorum meriti. Accedit quod quilibet posterior supernaturalis actus Virginis, prodibat à principio digniore & sanctiore ob gratiam anteriore actu cumulatam. Iure ergo aiebam mensuram augmenti, cæteris paribus, fuisse pleniorem pro quolibet posteriore actu. Nam tametsi verum est, non fuisse opus vt semper Virgo eliceret actus posteriores ea tota efficacia præiacentis habitus; tamen verum est, dignitatem maiorem quæ postea operanti ex anteriore gratia cumulata semper & aucta accessit, maius meritum in posteriori opere procreasse, penes eam circumstantiam, *quia*, vt rectè de maiore merito actus personæ amicioris, & eminentioris sanctitate, statuunt. Val. t. 2. d. 8. q. 6. p. 3. *sub finem* Albertinus coroll. 18 ex 1. princ. compl. n. 50. Suar. t. 1. 3. p. d. 4. s. 4. & l. t. 2. de grat. c. 21. n. 2. ac vt videtur D. Th. in 2. d. 29. q. 1. art. 4. Certè in satisfactione & impetratione idem cernitur. Nam quo persona satisfaciens est dignior, eo plenior est satisfactio, vt in Christo patuit. Et quo persona intercedens & orans, dignior est, eo faciliùs exorat. Quidni ergo idem contingat in merito; Neque idcirco Deus iudicat secundùm personas, & non secundùm opera, vt obiiciunt Angestus c. 8. Moral. t. 4. & Vasq. 3. p. d. 6. n. 32. & 23. sed verè iudicat secundùm opera, quæ ex vna sua circumstantia sunt pretiosiora. Quare ratum esto, augmentum gratiæ, & Virg. meritum; tum penes varia opera fuisse varium tum penes circumstantiam, *quia*, in quibusuis posterioribus actibus meritoriis fuisse auctius.

Furfur doctrinæ. Hyperbole circa comparationem cuiusuis pij actus Virginis, cum actibus alterum omnium.

8 Circa hoc punctum reperti sunt qui decora Virginis per comparationes insolita atque monstrosas ita exaggerarent, vt opus quodcunque è Virgine aliquando elicitum, dicerent excessisse dignitate omnium planè actuum, quos omnes simul comprehensores, tam Angeli, quàm homines eliciunt. Et quia dignitas ac valor operis in viatoribus correspondet eius merito, inde efficitur fatendum esse, meritum cuiuslibet operis B. Virginis tantum fuisse, quantum ferer meritum omnium operum bonorum quæ cœlites omnea eliciunt, si per eorum statum posset meritum in illis habere locum. Ac ne

Pars II. Punctum V. Augmentum gratiæ Virginis ex opere operantis.

parciores auxesceon circa Deiparam fuisse videantur, addunt; minimum quemlibet & quantumuis minorum actum supernaturalem amoris à Deipara ante mortem elicitum, æquasse, aut etiam excessisse, dignitate ac merito, omnino hominum simul sumptorum vniuersas actiones meritorias, congestas in vnum cumulum: Ita quidam filius cuiusdam, dissertatione octaua, & decima-sexta; super litanias B. Virginis.

9 Verùm non eget Deipara his exaggerationibus prodigiosis, quæ non videntur aliunde profectæ, quam ex eo quod aliqui de excessu habitus gratiæ B. Virginis in fine vitæ, ita sint philosophati; vt dixerint, eum æquasse, vel etiam esse supergressum, vniuersas diuitias reliquorum beatorum & hominum, quorumuis iustorum, simul sumptorum. Itémque ex eo quod de operibus Christi domini meritoriis, ratum sit, vnum quodque eorum singulatim sumptum, superasse dignitate ac merito omnes quarumcunque purarum creaturarum actus congestos in vnum fascem. Attamen quæ dicuntur de consummato habitu gratiæ B. Virginis, collato ad habitus reliquorum electorum inferiorum, perperam accommodantur ad actum vnum B. Virginis, comparatum cum actibus omnium aliorum simul sumptis, Nulla quippe est proportio inter duo ista; quia vnus quispiam actus B. Virginis, non coalescit ea perfectionibus omnium aliorum B. Virginis actuum: sicut habitus gratiæ eius, sub mortem coalescebat ex prima Virginis gratia, & omnibus ad eam postea factis accessionibus. Multo minùs cernitur proportio inter actum vnum Christi, comparatum cum omnibus purarum creaturarum actibus; & actum Virginis, quantumuis pretiosum; cum omnibus purarum creaturarum piis operationibus collatum. Christus enim, Deus homo erat; vnde quilibet eius actus quantumuis minutus, exornabatur vi meritoria infinita, cui quantumcunque addensati actus purarum creaturarum, erant improportionabiliter, & inadæquabiliter impares; At B. Virgo erat pura creatura, nec refundebat in actus quoscunque suos nisi finitum & limitatum valorem. Audiendus porrò nullatenus est idem dissertator qui vt B. Virginis eminentiam noua aliqua verborum profusione celebraret, B. Virginem aliquando vocauit, *Deum creatam, Deum mediterraneam, Deum dimidiatum, quasi quartam personam diuinam, quasi diuinam ab increata Triadem, non secus habitam quàm si diuina persona esset.* Euge Euge & vbi Epiphanij contra Collyridianos flagellum? Deus noster, Deus vnus est, & non est alius Deus præter vnum.

Item aliæ hyperbolæ, circa meritum assensus, & lactationis.

10. Temperatiores, sed tamen nec necessariæ, nec satis fundatæ sunt illæ in Virginis honorem comparationes, quibus aliqui alij D D. certos B. Virginis actus meritorios, supra modum extulerunt quoad vim merendi & augendi gratiam. Occurrunt inter illos actus duo, nempe 1. assensus quem Virgo præstitit Gabrieli, exquirenti imo captanti ex parte Dei assensum Virginis, ad Dei in ea corporationem. 2. Christi infantis lactatio. Assensum prædictum, Morales l. 2. in Matth tract 7. *in fine*, & tract. 8. n. 20. ac Castro in Histor. Deip. c. 5. n. 15. *sub finem*, anteponit quoad vim meritoriam, omnibus planè actibus meritoriis collectiuè sumptis, quos omnes simul Angeli & homines aliquando elicient. Sed quamuis liquidò constet, B. Virginem id

ea fide, & obedientia plurimùm meruisse, iuxtéque Patres exemplum S. Elizabethæ secuti, fidem illam viuam Virginis celebrant, nominatim S. Ambros. l.2. in Lucam, S. Bern. hom. 4. super *missus est*, Laur. Iustin. ser. de Annunc. sed splendidissimè S. Ansel. l. de excell. Virg. c. 3. expendens arduissimum mysterium quod ei obiiciebatur credendum, Dei scilicet incorporationem: locum infra dabo. Tamen quis potest nisi voluntariè diuinando, statuere de mensura auxilij præuenientis, quo Deus B. Virginem ad illum assensum præuenit, vt concludat eam excessisse omnia cæterorum auxilia.

11 Lactationem item Christi infantis per Virginem, aliqui supra omnium martyrum merita celebrant. Ita Nouarinus in Vmbra Virg. n. 415. Quod si comparatio fiat cũ vnoquoque martyre sigillatim, etiam si ex parte Virginis, vna quæpiam lactandi actio, non totus protensæ ad annos aliquot, lactationis decursus spectetur; transeat. Poterit enim id videri verisimile, attenta magna charitate; ex qua Virgo opus illud tametsi minùs operosum exercebat, & repetitis frequentissimè amoris actibus, inter crebra basia; & dulces Infantis IESV, attactus. Eóque sensu accipi potest, quod Raymundus Iordani ponc. 1. Operis pleni de B. Virg. contempl. 17. dixit de lactatione Deiparæ meritoria supra Martyrum mortem. Insupérque quod Hailgrinus Cant, 7. ad illud, *& vbera tua botris*, sic scripsit. [Vbera botris assimilata sunt, in quo mirabilis prærogatiua merendi monstratur in Virgine; quæ non minùs meruit fundendo lac de vberibus suis ad filij nutrimentum; quàm Martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio; Omnium enim operum merces, secundùm radicem charitatis pensatur. Descripsit verbatim eum Hailgrini locum illaudato Hailgrino, Richardus à S. Laurentio lib. 5. de Deip. *pag.* 376. Nam vt ipse Hailgrinus Richardum tacitus expilasse dicatur obstat, temporum ratio. Hallucinatum enim esse qui Richardum scripsisse ante annos quadragintos pronunciauit, alij iam monuerunt, multò seriùs consignantes eius ætatem. Sed hoc obiter. Et Hailgrinus ergo, & Richardus, Virginis filium lactantis meritum, cum merito Martyrum sanguinem pro Christo fundentium componentes, ad summum voluerunt quod dixi. Ad summũ inquam; Nam facilè accipi possent de merito quod implantari potest lactationi; sicut implantatur martyrio longè operosiori: etiam si nulla meriti, tam diuersis quoad difficultatem actibus respondentis, instituatur comparatio. Sed esto; admittatur sanè comparatio meritorum, qualem proposuimus. Si autem contentio fiat lactationis Christi per Deiparam, cum omnibus Martyrũ perpessionibus; dimittenda est ea cõparatio tanquam voluntariæ diuinationi nixa, circa mensuram auxilij quo Virgo, & martyres præuenti sũt. Itaque fundatiori laudationi B. lactationis Christo à B. Virg impensæ est insistendum, qualem supra proposuimus parte 1. puncto 8. & pulchrè etiam prosequitur Rupertus lib. 3. in Cant. in fine, ostendens odorem vnguentorum à Virginis vberibus in Christi lactatione defluentium, fuisse super omnia aromata, hoc est super omnia misericordiæ opera quibusuis Christi membris exhibita; & hanc fuisse eleemosinam, omnium coram Deo pretiosissimam, quippe ipsimet Deo erogatam; ea corde bono & optimo.

12 Et idem ideo de simili comparatione quam nuper quidam adhibuit, vnum fusi ductum per Virginem anteponens omnibus meritis aliorum sanctorum: eo quod doctus ille fusi in Virgine ex maiore charitate quàm mors martyris prodiret. At hoc vnde constat. Non enim si B. Virginis charitas habitualis maior erat (vt sanè erat) necesse est illam exertam, & expromptam fuisse secundum suam efficacitatem, quia quamuis totus habitus concurrat ad aliquem actum, nec signari possint in eo gradus qui concurrant seiuncti à non concurrentibus; tamen potest habitus non assumi à potentia adæquatè, & secundum totam vim coëfficiendi quam habet. Sunt item alia in actibus principia meriti, ad quæ est attendendum; quæ liquet minus vigoisse in ductu fusi per Virginem, quàm in mortis subitione per martyrem.



PVNCTVM VI.

Sigillatim de eodem cremento gratiæ Virginis ex opere operantis; carptis selectarum eius virtutum floribus.

1 SCITISSIMA Chrysippus Presbyter orat. de Deip. *sub initium*, Virginem appellat *hortum Patris, & pratum totius fragrantiæ Sancti Spiritus.* Subscribitque qui eodem modo loquitur, Author homiliæ de assumpt. apud Hieronimum. Et vterque id asseruit de B. V. multo sanè potiore iure, quàm Basilius Seleuciæ orat. 14. qui in Dauide, omnia virtutum prata, & florulenta germina, consita dixit. Magis in particulari eundem Deiparæ hortum expressit his verbis Amedeus Lausan. hom. 7. [Mariæ præsentia gratam veris temperiem exhibebat, & quo fauens se verteret paradisus erat. *Emissiones tuæ*, ait sponsus, *paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus; Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, Myrrha & Aloës cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Habet quippe paradisus Gloriosæ Virginis, mala punica in varietate virtutum; fructus pomorũ in perfectione operum. Habet, & cyprum cum nardo, illam fertilem vuarum, hanc miri odoris herbam aromaticam, ob sobriam ebrietatem sensuum & suaue fragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus lætitiæ, fistula expoliationis carnis. Cynnamomum suauitatis, cum vniuersis lignis Libani, per quæ virtutum vniuersitas figuratur. Myrrha quoque mortificationis; & aloës incorruptionis, cum omnibus primis vnguentis effusis in oratione, ab illo vnguento, quod consistens in capite, descendit in barbam, barbam Aaron, non illius veteris, & significantis, sed noui, & significati.]

Flores horti Virginei, quatenus carpendi.

2 EX hoc amœnissimo orto, & Deiparæ virtutũ prato, nonnullos selectiores flores legere, & veluti sertum fragrantissimum, non beatis modo spiritibus, sed ipsi etiam Spirituum Patri Deo, longè iucundissimum exhibere, consilium est, vt quando hoc augmentum gratiæ B. Virginis (de quo hactenus generatim est actum,) non aliter perficitur quàm exercitatione virtutum, nequaquam hîc hæc tractatio, si argumentum adeò & iucundum, & vtile, intactum à nobis prætervolet. Disseruit de B. Virginis moralibus virtutibus, & piè, & eruditè S. Anselmus l. de quatuor

virtutibus

virtutibus B. Mariæ S. Bonau. lect. 4. speculi, & lect. 15. & copiosè quoque ac benè Cartus. l. 3. de laud. Deip. ab artic. 9. Inter recentiores autem multa accommodatè ad praxim & imitationem de iisdem dixit Franc. Arrias iusto de hac re opusculo, & non pauca Spinellus in Throno Dei cap. 21. Ego quæ apud Patres in hanc rem selectiora occurrent, breuiter, & non anxiè deflorabo.

Porrò non ita hos virtutum flores inter tractandum augmentum gratiæ Virginis ex opere operantis propono, quasi B. Virgo ad primam iustificationem se disposuerit, eámque congruè meruerit, aliter quàm per hos actus. Id enim supra constitutum est, Virginem ad primam sanctitatem se disposuisse per eximios virtutũ actus, ad quos diuinitùs excitata est: nec vllus illorum variorum actuum ad varias virtutes pertinentium, per quos B. Virgo multo meliùs quàm Angeli se disposuit ad primam gratiam, fuit meritorius dependenter ab altero in eo primo momento; sed omnes coniunctim disposuerunt Deiparã ad primum illum gratiæ modulum quem in conceptione accepit. Tamen meritò hos actus potiùs expendimus hoc loco, tractando augmentum, non autem superiùs tractando primam gratiam, quia an B. V. se disposuerit per suos actus ad primam sanctitaté, non est planè certũ; sicut extra dubiũ est, quod per actus virtutum gratiam suam auxerit. Deinde nec omnes virtutum actus ad dispositionem illam primam interuenerunt; nec eorum in gratiam influxus, fuit diuturnus. Quæ omnia secus habent in reliquo toto tempore vitæ Deiparæ, in quo actus virtutum subseruierunt gratię augendæ, non autẽ, primò inserẽdæ.

3 Inter itaque actus virtutum Virginis libandos hoc loco suscipimus, initium facturi à Theologicis, nempè fidei, spei, & charitatis: tum progressuri ad morales; Iustitię, cui religio subnectitur, Fortitudinis, ac Temperantiæ; in qua præsertim micant, humilitas & eius collectanea Virginitas, vt cum Blesensi supra loquebar. Prudentiam inter morales, (tametsi eam in Virgine præcelluisse monstrat Cartus. l. 2. de laud. Deip. artic. 21. & benè etiam Fulbertus serm. 1. de Nat B. V.) missam facio hoc loco: non modò quia nõ est purè moralis, sed etiã quia hîc mihi videor posse ac debere solas virtutes morales infusas attendere, neglectis virtutibus purè acquisitis, quę præ supernaturalibus, & infusis ægrè habentur inter ornamenta animæ. Prudentia autem infusa, idem est quod fides practica. Quare in aliis virtutibus propositis hærebo, de quibus illud ex D. Bern. supponendum est serm. 4. de Assumpt. [si attendamus, omnes, singulares prorsus inuentum iri, quæ videbantur esse communes.]

F I D E S.

4 HÆc excellentissimè micuit in Deipara tempore Annunciationis Angelicæ. Paucos in eam Patres refero. S. Anselmus l. de excell. B. Virginis c. 3. cum Virgine colloquens. [O domina audis quæ feruntur ad rem omni sæculo inauditam, paues, & miraris, nulla tamen incredulitate moueris: verùm indubitanter tenes apud te omnino impossibile fore non fieri, quod Angelus dixit futurum esse. Credidit ergo, & certissimè intellexit, Deum tam bonum, tam pium, tam omnis misericordiæ visceribus plenum, vt ad terras de cœlesti sede descenderet, & homo factus per indebitam sibi mortem, genus humanum à perpetua vellet morte, qua tenebatur eripere. Respondens ergo nuntio ait; *Ecce ancilla Domine, fiat mihi secundum verbum tuum.* O fides Deo accepta! O humilitas grata! O obedientia omni sacrificio iucundiùs Deo oblata!] S. Bern. serm. 2. de Natiu. Dom. [Felix mulier benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus, superueniente igne S. Spiritus, coctus est panis iste. Felix inquam mulier quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide peperit, & vt ait Elizabeth *beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino.* Nec mireris quod fide eius, mediante, vnitum dixerim Verbum carni, quandoquidem, & carnem ipsam de eius carne suscepit. Sanè ne hoc quidem præsenti expositioni obuiare potest, quod de cœlestis regni dicitur similitudine. Neque enim indignum videtur, si cœlorum regnum fidei Mariæ comparatur, qua & reparatur.] Similia de fide B. V. Verbum, & humanitatem fermentante, lib. 5. de Consider. cap. 10. Apud eundem Author Tractatus de Passione Domini sub imaginè vitis veræ c. 2. fidem B. V. valde celebrat, illúdque inter cætera notat, quod B. V. cum aliis mulieribus ad vngendum de uncti Christi corpus non sit profecta, manasse ab eius fide perfecta.

Pars II. Punctum VI. Hortus virtutum Deip.

5 S. Ambrosius l. 2. in Lucam ad illud *fiat mihi secundum verbum tuum.* [Quàm citò etiam de impari conditione credidit Maria! (Quid enim tam impar, quàm Spiritus sanctus, & corpus? Quid tam inauditum, quàm Virgo prægnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura est virgini?) Zacharias autem non de impari conditione, sed de senili ætate non credit, nam conditio congruebat: Ex viro, & fœmina solemnis est partus; nec incredibile debet videri, vbi natura concordat. Cùm enim ætas naturæ sit, non natura ætatis, fit plerumque vt ætas impediat naturam: Non est tamen irrationabile, vt minor cedat causa maiori, & potior prærogatiua naturæ, vsum inferioris excludat ætatis. Huc accedit quod Abraham, & Sara filium in senectute susceperant: & Ioseph filius senectutis est.] Hinc infert fidem virginis collatam cum infidelitate Zachariæ. Nullam autem fuisse oblæsionem fidei in ea cunctatione quam virgo adhibuit, sciscitans modum quo incolumi Virginitate Deo addicta, posset concipere ac parere filium, quamuis Zacharias in simili, specie tenus, sciscitandi modo dubitauerit, & fidem oblæserit, probat S. Ambrosius, ex illis Elizabethæ ad Deiparam verbis, *beata quæ credidisti.* [Vides (inquit) non dubitasse Mariam, sed credidisse, & ideò fructum fidei consecutam.] Non secus se gessisse in ea cunctatione B. Virginem quàm Abrahamum fidei patrem, nec dubitationis idcirco insimulatum quod centenarius de vxore vetula prolem suscepturus esset, admonitus, hæsisset tantisper; obseruauit D. Augustinus 16. Ciuit. c. 24. Nam & Abraham & B. Virgo, certi de re, sciscitabantur tantùm de modò. Extricant non dissimiliter modum hunc quo Virginis fides nonnihil impediri videbatur, Petrus Chrysologus serm. 142. & Bernardus homilia 4. super *Missus est*, & communiter Interpretes in cap. 1. Lucæ.

Richardus à S. Laurentio l. 4. de Deip. [Fides Mariæ notatur Lucæ 1. vbi dicit ei Elizabeth, *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur, &c.* Cùm enim paulo post dixisset Maria, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, ostendit, & Angeli impleudam promissionem, & suã se non transgressuram professionem. Quæ enim virginitatem vouerat, & parituram se, docente Angelo, nouerat, mirabili fide, & votum suum implendũ credidit, & diuinæ ordinationi se non subduxit. Maxima autem magnanimitas fides fuit, quod in se posse fieri, & credidit,

& sperauit, quod nunquam auditum fuerat, nec in cœlo, nec in terra. Item Origenes, Per fidem Mariæ, erigitur iacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem, fuerat ante deiectum. Item Beatus Matthæus in legenda sua. In conceptione filij Dei, fides Mariæ, vxor extitit Spiritus sancti. Item Maria credula verbis Angeli, fide concepit Saluatorem, & ideo per aurem dicitur concepisse. Vnde, & dicit ei Elisabeth, Lucæ 1. *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur, &c.* In conceptione enim filij, *misit dilectus suus*, idest Deus pater, *manum suam*, idest filium in eam, *per foramen* auris suæ. Cantic. 5. Magister Hugo de sancto Victore: Virgo credula Verbum concepit per Verbum, vt immaculatam conceptionem, generatio incorrupta sequeretur. Item fides Mariæ comparatur grano sinapis, quod est granum humile, feruens, & humorem capitis tollens: & fides Mariæ adiuncta est humilitati: vnde *Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c.* Feruens, per dilectioné Spiritus S. de quo cócipiebat. & filij Dei, qué concipiebat. Humorem capitis tollit. Sicut enim caput initium est rei, sic conceptio animati, & hoc quando credidit Angelo dicenti, *Spiritus sanctus superueniet in te &c.* Item si Abraham in tantùm commendatur ab Apostolo ad Roman. 4 de eo, quod contra spem naturæ, in spem gratiæ credidit; scilicet quod senex posset de Sara sene, & sterili filium generare; quantò magis commendanda est Maria, quæ primo verbo Angeli credidit, quod filium posset generare sine semine viri, & parere manens virgo, non solùm hominem, sed Filium Dei.]

9 Pertinet planè ad hunc locum obedientia, quam in B. Virgine eximiè celebrat S. Augustinus (aut quisquis Author) serm. 18. De Sanctis, bis præter cætera. (Dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* O felix obedientia, ô insignis gratia, quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se opificem corporauit. Impleuit in ea Dominus quod dudum prædixerat; *Obedientiam* (inquit) *malo quàm sacrificium, & scientiam Dei, plusquam holocausta.* Hæc fuit vera obedientia omnique sacrificio gratior; hæc voluntas cunctis hostiis acceptior; Hinc promeruit gloriam quam ipsa postmodùm hausit, *Ecce* (ait) *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hæc dico ad illam obedientiam esse referenda, quam iuxta Apostolum præstamus, captiuantes per voluntatis liberum assensum, intellectum in obsequium fidei. Est quippe vera obedientia quam ibi homo præstat Deo, reuelanti, & mandanti vt assensum sibi reuelanti impertet. Consensus autem voluntatis quo post elicitum actum fidei, B. Virgo annuit, vt in ipsa, & ex ipsa conciperetur Dei filius, nó fuit illi in præcepto, ac proinde non pertinuit ad obedientiam. Quæ causa est cur, & D. Augustinus prædicto sermone, ac perpulchrè serm. 17. de Tempore, & S. Bernard. homil. 4 super *Missus est*, demissè, & supplicibus vocibus vrgeant B. Virginem ad præstandum consensum illum, supponentes attendendo præcepto positiuum cui soli nititur obedientia, & seposito præcepto, verùs obligatione charitatis erga genus humanum astrictissimum, (quæ obligatio longè alia fuit quàm obedientiæ) fuisse id illi planè liberum, nec à Deo imperatum. Quare obedientia quam in Deipara celebratam retulimus, spectat ad fidem eius. Idque satis insinuat Author cum verbis illis iam ex eo recitatis, *O felix obedientia, quæ dum fidem humiliter dedit, &c.* Tum illis aliis superioribus inter contraponendam Euæ B. Virginem. { Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.] Nimirum Eua, infidelitate diuinorum dictorum laborauit, dementata à serpente; & eatenus quoque fuit inobediens, Deo, (imperanti fidem iis quæ, & ipsi, & Adamo reuelauerat, quá labé B. Mariæ fides abstersit. Quia verò ille author, manifestè profecit ex S. Iren. l. 3. c. 33. insigniter planè in hanc rem philosophátē, (tametsi subobscuriùs,) iuuat eum adducere, & nonnihil illustrare tradit ibi S. Ireo. Adamum protoplastum de Pauli quoque sentétia Rom. 5. fuisse formam Adami futuri, idest Christi, cum addit. [Consequenter autem, & Maria Virgo obediens inuenitur dicens, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Eua verò inobediens. Non obaudiuit enim cum adhuc esset Virgo: quemadmodú illa virum quidem habens Adam, Virgo tamé adhuc existés. &c. Sicut Eua inobediens facta, & sibi, & vniuerso generi humano, causa facta est mortis; sic, & Maria habens prædestinatú virum, tamen Virg. obediens; & sibi & vniuerso generi humano, causa facta est salutis. Et propter hoc, lex eá quæ desponsata erat viro, licet V. sit adhuc, vxorá eius qui despósauerat, vocat eam, quæ est à Maria in Euam, recirculationé significans, quia non aliter quod colligatum est, solueretur, nisi ipsæ compagines alligationis reflectantur retrorsus, vt primæ colligationes soluantur per secundas, secundæ rursus, liberaret primas. Et euenit primam quidem compaginem à secunda colligatione soluere; secundá verò coniugationem, primæ solutionis habere locum. Et propter hoc Dominus dicebat, primos quidem nouissimos futuros; & nouissimos, primos, &c. Primogenitus enim mortuorum natus Dominus, & in sinum suum recipiens pristinos patres, regenerauit eos in vitam Dei. Ipse initium viuentium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. Propter hoc, & Lucas initium generationis à Domino inculpans, in Adá retulit, significans quoniam non illi hunc, sed hic illos in Euangelium vitæ regenerauit. Sic autem, & Euæ inobedientiæ nodus, solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.] Scitè Ireo. coniugationem primam, Adami nimirùm ac Euæ, contraponit coniugationi secúdæ, Christi videlicet ac Mariæ, qua secunda liberata est coniugatio prior. Et mulier quidé prima detractando iussum, & perfida Deo virum egit in perniciem. Mulier verò secunda, virum Christum quodammodò pariens, cooperata est ad salutis nostræ effectioné, quia, illi aliquatenus præiuit in concilianda mortalibus liberatione, per suam obedientiam credens Deo, & producendo Christo initium præbens cum Dei nuncio diuinam reuelationé patefaciente obsecundauit reuelationi. En igitur quam belle Irenæus siue ab Aug. siue à Fulgentio expressus in fidem Deiparæ refert salutem nostram, sicut exitium nostrum relatum est in Euæ procreatricis incredulitaté. Exclamare itaque liceat de B. Maria, *ô mulier, magna est fides tua.* De fidei excessu in B. Virgine supra fidem Abrahami, Moysis & aliorum antiquorum, legendus Cartusianus l. 3. de laud. Deipa. artic. 1.

SPES.

7 FVit B. V. mater sanctæ spei. Repulsa in petitione vini, non abiecit animum vt benè aduertit Cartus. l. 3. de laud. Deip. art. 3. quo toto de incentiuis, & causis perfectissimæ spei in Virgine, plurima differit, considerans eius familiaritatem cum Deo, & pietatis ac bonitatis diuinæ notitiam locu-

lentiorem,

lentiorem, humilitatis item in Deum se abiicientis excellentiam,& similia spei argumenta quæ in Deipara præcellnere. Sed cum spes per totam vitam in Virgine se prodiderit,eam tamen resurgente, & ascendente Christo,maximè efflorusse, meditatur S. Anselmus l. de 4.de virtutibus B. Mariæ c.8. [Iam verò (inquit)resurgentem, & ascendentem, quàm lætis oculis Virgo fœlix intuita; quando tripudio beata mouebatur vtero;præsertim cum iam intelligeret in effectum pendire, quæ tanto parturiebantur tempore? Genus humanum ad salutem vocari per Apostolos videbat;cuius rei gratia,Dei filium de se incorporatú,& in cruce passum,ante intellexerat. Quapropter lætabatur quòd spei quam ante conceperat, quódque salutare toto mundo fore ex voto Virginitatis suæ sperauerat,iam so rem veram transibat.]

Non poterit de perfectissima B.Virginis spe ambigere,qui eius fidem recogitauerit. Rectè enim dixit S.Maximus Centur.2.ex variis cap.74. spem esse *germen pulchrum fidei*. Similitérque Antiochus homil. 2.ait spem fidei roscida aspergine perfusam, fructificare pro fidei proportione. Itaque cum fides B. Virginis eximia omnino fuerit,vt ex Patrum oraculis,ambigere non licet, quin spes quoque eius fuerit præcellentissima. Inque liquidiorem perfectionis illius introspectionem, iuuerit minus spei considerare;& quos sensus affectúsque homini inferat perspectum habere:Nam si sensus illis, & effectus in Virgine deprehendantur, liquebit de spe eius,eximia,& insigni, pro effectuum illorum nobilitate atque præstantia. [Spes (inquit S. Hilarius initio Fragmenti Historici) amœnitatem vitæ mundialis, & bona seculi quiescentis in iis quæ à Deo disposita confidit,et superat,præsentium damna, futurorum Lucra,metituta, &c. Egregia virtutum Dei testis,fiducia expectationis suæ, præsentia quæque vt nolla,& incerta despiciens, futura verò vt æterna,& præsentia apprehendés.] At vbi pat præsentium despicientia atque in B. Virgine? Vbi par conculcatio florulentæ amœnitatis huius seculi,cuius figura,seu superficies præterit,& quasi flos egreditur,& conteritur?Cui plus viluit mundus,& quicquid in eo specie abblandimr,caducitati leocinante pulchritudine? Ab ea accepit orbis terrarum diuidendi affectum temporalium ab affectu æternorum exemplar germinum,vt propterea Auctor sermonis tertij super salue Regina apud Bernardum,dicat eam esse firmamentum diuidés aquas ab aquis. Fuit ergo spes eius omnino eximia, quæ sic eam à terrenis auulsit,& in Deo fixit.

8 Sensus suauissimus spei dilatæ,animam lenissimè affligentis,cogitare in Virgine possumus, prolongato eius incolatu,adhibita omnino pia Ruperti meditatione,in illud ex Cant. 1 *Indica mihi,quem diligit anima mea,vbi pascas,vbi cubes,in meridie*. Et erat tamen spes illa,absque rubigine vt ita dicam, spei nostræ adnasci solita.Hoc quid sit, facilè intelligitur. [Cum præsto est quod amatur(ait S.Bernard. serm. 51.in Cant.)viget amor, languet cú abest.Quod non est aliud quàm tædium quoddam impatientis desiderij,quod necesse est affici mentem vehementer amantis,absente quem amat, dum totus in expectatione,quamlibet festinationem reputat tarditatē] Hanc impatientiam, hoc tædium, à compositissima Virginis spe procul abfuisse,certum est.Sicut, & timorem illum,qui expectatione suspensam animam, ob spei debilitatem angere plurimùm,& suspensam habere solet,cum exclusione pacis,& tranquillitatis internæ. Quos omnes defectus per Virginem eximiā

spem fuisse oblegatos,S.Bernardus eodem serm.5 1. egregiè monstrat. Descripta quippè timoris seruilis exclusione per charitatem perfectam,addit; generatim agens de quacumque Dei sponsa,quod in hanc primariam primariò cadat.[Vnde,& certa spe concepta cum fiducia loquitur, *& dextera eius amplexabitur me*.Tu iam mecum videris in ita affectæ,& affecutæ hunc tantæ suauitatis locum,illud quoque conueniat de Psalmo vsurpare, vt dicat etiam ipsa, *in pace idipsum dormiam,& requiescam*; præsertim cum suppetat causa quæ sequitur, *quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*.Quod equidem tale est. Donec quis premitur à spiritu seruitutis, parúmque habet de spe,de timore plurimùm, non est ei pax,neque requies, fluctuante nimirum conscientia inter spem,& timorem,maximéque quod à superexcellente timore abundantiùs cruciatur.Nam timor pœnam habet,& ideo non est illi dicere, *in pace in idipsum dormiam,& requiescam*,quando necdum se singulariter in spe constitutum dicere potest. Cæterum si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor,& proficere spes, cum demum ad hoc ventum fuerit,vt totis viribus exurgens charitas in adiutorium spei,foras mittat timorem,nonne huiusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur,ac proinde etiam in pace in idipsum dormire iam,& requiescere? *Si dormiatis* (inquit) *inter medios cleros penna columba deargentata*. Quod propterea dictum puto,quoniam est locus inter timorem,& securitatem,media videlicet spes, in qua mens,& conscientia,molli nimirum supposito charitatis strato,suauissimè requiescit.] Huiusmodi itaque fuit spes Deiparæ,& in se exquisita, & ab adnatis spei nostræ fœcibus detersa.

Pars 11. Psalm 1. Homines virtutum Deipara.

CHARITAS.

9 HÆc virtutum forma,in Virgine enituit, supra quàm dicere aut cogitare possumus,tam erga Deum, quàm erga Christum ; ciúsque primatiæ charitatis surculus, fuit amor mortalium propter Deum,& Christum. Deum à quo tot se præuentam beneficiis agnoscebat, tot donatam prærogatiuis,amabat feruentissimè, & flagrantissimè. Et hic amor in ea,totius sanctitatis fons vberrimus fuit, omnem planè excludens labeculam,iuxta Richardū Victorinum l.2.de Eman c.29.cuius ea est extrema clausula.[Quis(inquit,)illud primum,& maximum mandatum sic vnquam impleuit ? quis sic vnquam implere potest ? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua* ; Ex hac virginæ exæstuantis amoris flamma, exusta sunt scuta illa iam dicta.] Disserit insigniter in hanc rem Gulielmus Parisis in c.6.Cant.ad illud, *Vna est columba mea* Monstrat enim idcirco Virginem, dictam esse vnam,& perfectam inter Dei sponsas,quia tam casto erga eum amore flagrauit,vt se ad aliud diligendum, nullstenùs diuideret, sed ei coi se deuoueret, tota adhæreret amore indiuiso. Quò cum pertingit amor, tum demum est castus, & plenus Nam qui cum Deo aliquid amat, quod non propter ipsum amat, minùs haud dubiè atque adeò non plenè Deú amat, iuxta Augustini pronunciatum à Gulielmo adductum ex l.10. Confess. Castissimus igitur, & plenus fuit Deiparæ in Deum amor,quippè nullatenus diuisus, & perfectè Virginem nectens Deo, imo transformans in vnam quodammodò spiritum cum eo,consentaneè ad Apostolum 1. Cor.6. dicentem, *qui adhæret Deo,vnus spiritus est*.Hinc igitur præcellentissimum Virg in Deum amorem eruit Gulielmus,

mus, ratione cuius, ait, eam sanctis omnibus etiam anterioribus factam esse admirabilem atque laudabilem supra omnem modum, cum vident, quam post se omnes sanctos reliquerit hac in parte. In quem sensum accipit quod subiungitur in sacro Epithalamio, *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt.* In hanc rem latissimè, & minutissimè disserit Richardus à S. Laur. l. 4. *à pag.* 260 vsque ad 271. Causas omnes amoris incensissimi notitiam liquidissimam, similitudinem, & huiusmodi alias in Deip. erga Deum interuenisse, considerat vt eius flagrantissimum amorem inde eruat Cartusianus l. 3. de Deip. art. 3.

10 Tenerior, (quippè maternus,) videri potest fuisse amor supernaturalis quo ferebatur in Christum. Optimè de eo S. Anselmus l. de 4 virtutibus B. Mariæ c. 8. cum præmisisset amorem Christi erga matrem. [Quid illa? Nonne tantis filij beneficiis, digno respondebat amore? Plena Spiritu S. quiest amor Patris, & prolis amor suauis, & dulcis, amor non volaticus, sed æternus. Nónne cum amabat qui eam fecit omnis creaturæ Dominam, cœli, & terræ Reginam, fertilitatem, vt dixi tribuens integritatem non minuens? Imò verò totis medullis, totis viribus in eius amorem suspensa erat, amorémque quem pater, & mater soboli suæ debent, sola ista dulcis, & tenera mater, Domino, & filio suo impendebat. Nec est aliqua scientia quæ possit penetrare. Nec eloquentia, quæ possit prædicare, quanta dulcedinis sedulitate paruulum fouerit, quanta diligentia obsequióque adolescentem, & in robur ætatis vadentem prouexerit; quanta lætitia iuuenem miracula facientem, & eorum gloria famosum, audierit, viderit? quanta mœstitia patientem, & morientem suspicauerit Et hęc profectò tantò nobis sunt penè incogitabilia, quantò insueta.

Luculenter planè in eandem sententiam disserit lib. de excellentia Beatæ Mariæ capite 4. vnde limbum duntaxat repræsento. [Quicunque aliquem syncero, & dulci dilectionis affectu diligit, omnia commoda, & iucunda ei succedere cupit: Illius incommodis si quæ acciderint mœstus ingemit, voluat, & reuoluat hunc suum affectum apud se, & cogitet, quid sibi esset, si adhuc quem fingere multiplicatus in se sedem maior existeret. Quæ cum fecerit, & hunc suum amorem quantumcumque intellectu suo magnificatum, amori illius piissimæ matris Dominæ nostræ in Deum filium suum aliquatenus comparari posse putauerit, nescio vtrum audiendus in hac sua æstimatione. Nec mirum; Ipse enim Spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris, & filij, ipse per quem, & in quo amatur omne quod benè amatur, ipse inquam corporaliter, vt benè dicam venit in eam, singularique gratia præ omnibus quæ creata sunt, siue in cœlo, siue in terra, requieuit in ea & Reginam, ac Imperatricem cœli, & terræ, & omnium quæ in eis sunt, fecit eam. Et alicui bono ad tempus debriato, in animum cadet se quicquam amoris habere, quod illi animi queat comparabile æstimari, quem hæc beatissima matrum ad ipsum habebat, à quo se tã ineffabili dignitate sublimitam intelligebat? Superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in filium suum, & dulcedinis immensitas qua exultabat, & liquefiebat anima eius in eundem Dominum Deum suum.

11 Subscribunt alij. Rich. à S. Laur. l 4 [Dilexit Maria Christum naturaliter, & plusquam alia mater posset diligere natum suum, Solet enim dici, quod puer naturaliter plus diligitur ab illo parente, cuius semen superabundauit in conceptu eius, quam ab alio. Ideò naturaliter plus dilexit Maria filium suum, quam aliqua alia mater: quia totam carnis suæ materiam, à carne materna traxit Christus. Vnde Mariæ dictum est. Lucæ 1. *Ecce concipiens in vtero,* id est, ex causa intrinseca, non sicut aliæ mulieres quæ recipiunt ab extrinseco vnde concipiunt scilicet sémen viri. Hoc idem figuratum est per hoc pronomen *Te*, quod est discretiuum vbi sequitur *quod nascetur ex te*: Id est, ex te sola, non ex te & Ioseph, idest ex te, & viro. Ad hoc innuendum dixit ei filius Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus*; Totus tuus, quia *tuus* pronomen est discretiuum.] Hæc expandit, & minutatim considerat, *ad pag. vsque* 275.

12 Philip. Abbas l. 3. in Cant. c. 23. vtramque illam Virg. erga Christum, & prout Deum, & prout filium Charitatem eleganter expressit extãtans ordinatam charitatem. [In Christo (inquit) quem de S. conceptum Spiritu generauit, in quo Deum, & hominem personalis vnitas copulauit, vtrumque vera mater discreto iudicio sic amauit, vt charitas non erraret, quam in ea idem filius ordinauit. Primò enim Deum quem cœlestium, & terrestrium nouerat Creatorem, & eorum quæ creauit ordinatissimum Dilectorem: carni veræ counitum factum quoque hominem miro modo dilexit toto corde, totis viribus, sine modo. In hac quippè dilectione, teneri non debet modus aliquis, non mensura, & quantum diligatur Deus, non scriptura aliquis docuit, non scriptura, sed quisquis inuenitur diligendi modum subtiliùs expressisse, videtur non quantum, sed ex quanto diligi debeat, docuisse. *Ex toto,* ait, *corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Iste est modus si tamen modus quo Deum in Christo gaudet Virgo Mater diligere, cuius profunditatem humanus ad liquidum sermo non potest exprimere: Tantam cuius dulcedinem, & si vtcumque valet feruentior animus experiri, tamen qui verbis explicet, facilè non valet inueniri. Ex toto igitur quod habuit, quod potuit, in filio dilexit potentiam potiorẽ, incarnatæ Deitati applicuit affectum promptiorem, omni prorsus creaturæ digna reuerentia prætulit Creatorem, Deum homini counitum, habuit super omnia gratiorem. Hominem verò quem nouerat suam Virgo carnem esse, conceptum sine viro sine suo matris gemitu natum esse, natura, naturalique nectura proximum suum esse, dilexit vt seipsam, sicut legerat dignum esse. Nam cum nemo carnem suam odio habeat, sicut recolitis vos legisse, quamuis eidem carni culpam quamlibet nouerit affuisse, quantum credenda est Virgo mater filium dilexisse, in quo & culpa nihil habuit, & natura obstupuit, ius inclitum perdidisse.]

Et paulò post. [Hunc itaque proximum rectè Virgo diligit vt seipsam, & si credi fas est dicenda est plus diligere quàm seipsam, quia tantum hominem supra hominem omnem iudicat diligendum, & tam seipsa, quàm ceteris tenerius, & auid ius amplectendum. Quod autem docente Spiritu intelligit, intelligens diligi faciendum, eodem operante non est impotens; vel inefficax ad explendum, & ideò filium hominem, quem modo inenarrabili genuit non seipsa, sicut diligendum intelligit, sic diligere potest, & diligit plus seipsa. Nos profectò miseri, quæ perfecta, & summa sunt, vel intellectu capere non valemus, vel ad explendum ea, perfectam, & efficacem gratiam non habemus, & ideò fortè Deus nostras infirmitates miserans, & nos ipsos, temporaliter imperat diligere quemuis hominẽ

vt

vt nosipsos. Virgo autem plena Deo diues dono gratiæ plenioris, ad montana prouehitur, & ad gradum meriti exclusioris; & hominem quem nouerat ex se natum materialiter, nullis maculis originaliter præpeditum, carne mundum, & spiritu Deo cunctis inaccessum, genere counitum; super omnes diligit, quos donatos intelligit meritis, & gratia parciore; dignum ducens, vt seipsam illi non solùm non præferat, sed nec etiam conferat in amore. Hunc diligendi ordinem, ipse qui diligitur, inspirauit; & in Matre diligente, Charitatem præcipuam ordinauit vt quam in ortu suo filius esse dederat Virginem mirabiliter, & fœcundam, miro satis æquè modo redderet, si non parem, meritis vel secundam. Solo quippè Christo inferior, reliquis omnibus luce præeminet sanctitatis; sanctitatem verò reddit lucidam, non nisi excellentia Charitatis, quæ quanto subtiliùs, & expressiùs necessarium ordinem apprehendit; tantò perfectiùs atque efficaciùs, Christi proximam se ostendit.]

13 Modulum huius amoris Deiparæ, erga Christum, & Deum, & Filium suum tentauit vtcunque exponere Alanus ad illud Cant. 1. *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas.* Existimat enim expressum verbis illis; [Amorem ineffabilem matris ad Filium, quæ in Passionis articulo non reliquit, cum in Apostolis ardor charitatis defecerit. Ipsa enim Christum toto corde dilexerit, quæ carnem Christi sic nutriuit & fouit, vt ob amorem carnis eius, ab amore carnis suæ suspensa necessitatibus nascentis, lactentis, vagientis, crescentis, omnes cordis affectiones effunderet. Tota etiam anima Christum dilexit, vt ad titulum suæ laudis sufficiat, quod mentem eius, tanta vis amoris occupauerat, vt fugientibus Discipulis, oblita sexus fragilis, ipsa cum lachrymis astans cruci, & condolens morienti, animam suam pro filio suo, etsi minimè posuit patiendo, tamen exposuit compatiendo.] Eximia sunt quæ ad eiusdé amoris flagrantiam demonstrandam ex eodem capite vrget Guliel. Paruus in c. 3. Cant. ad illud *ascensum purpureum.* Contendit enim Virginem eo flagrantissimo Filij amore quo ei compassa est, esse Christo commortuam, & factam esse Christi commartyrem, spirituali martyrio, longè præcellentiore quàm quo, passim dicti Martyres defunguntur; quippè qui non commoriantur Christo sed pro eo moriantur, ideoque martyres quidem sint, non tamen Christi commartyres, & hominum quidem idest suo foris sanguine rubeant, cum Virgo interius purpurata sit Dei sanguine. Radices naturalis incensissimi amoris erga quempiam, viguisse in Virgine erga Christum expendit diligenter Cartus. lib. 3. de de Deip. laud. art. 4. quas ad amorem supernaturalem sustollere, non erit operosum, vel leuiter consideranti.

Omnes Virginis virtutes ad hanc in Deum, & Filium charitatem reducere videtur Amedeus Lausan. hom. 2. scribens de vestimentis mysticis B. Virginis, quæ fragrantissima, & aurea ex psalmo 44. descripserat. [Non solùm vestitu deaurato, fimbriis aureis decoratur, verùm etiam veste stragulata quam fecit sibi dicente Salomone. Et omni lapide pretioso cooperitur. Nulla enim gemma, nullus lapis pretiosus, nulla pretiosa Margarita, huic deest operimento, vt non iam simpliciter pretiosum, sed omni pretiositate pretiosum iure appellari queat. Nam sicut vna pretiositas momento momenti, imo vltra omne momentum, & pattem momenti discurrens, multas efficit pretiositates, sic multæ in vnam conueniunt, vt vnius participatione, in vna sint vnum. Et hæc pretiositas est charitas vestis scilicet nuptialis, vestis non habens maculam aut rugam, vestis impartibilis, inconsutilis, desuper contexta per totum. Qua per quam, & in qua, sunt omnia chara quæcunque chara sunt, omnia bona, quæcunque bona sunt. Et ipsa sunt vnum in vnitate; idem in Deitate, simplum in simplicitate. In totum obtinet, & de toto gaudent seposita ab omni diminutione, duplicitate, numerositate.] Non est sensus, omnes virtutes B. Virginis, contineri formaliter vnica eius charitate: Id enim manifestè reiicitur ex tanta varietate honestatum, & obiectorum formalium. Sensus ergo est, omnes eius virtutes, charitatis eiusdem in Deum, & Filium subseruiuisse, & ab extrinsecùs formatas, motas, ac directas fuisse. Quod enim ex antiquo adagio versat Plutarchus 1. Sympos. quæstione 5. amor docet Musicam, quia omnes potentias, & affectus mouet, verum supernaliter habet in charitate hominis erga Deum. Surculus charitatis in Deum, est charitas in proximum.

P. n. 11. Punctum VI. Hortus virtutum Deip.

Piissimè de hac Deiparæ charitate philosophatur Cartus. l. 3. de laud. Deip. art. 5. expendens ex amore quo Virgo in Deum flagrabat, & ex luce qua perfundebatur circa causam aduentus Verbi carnem, extitisse incendium amoris erga genus humanum vniuersum, multò ardentius, & auctius, quàm fuerit siue Mosis, siue Pauli erga gentem suã. Ad idem benè Richardus Victor. suo cap. 26. in Cant. [Tanta fuit eius charitas, vt non solùm ad eius gentem (Iudæos videlicet,) extenderetur, sed ad ignotas & notas, ad omnes denique homines; ad hos omnes charitas eius dilata fuit, pro his sollicita fuit, pro his indesinenter orauit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele; *Inuenisti gratiam apud Deum*, quam scilicet quærebas. Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit, imo salus omnium per ipsam facta est, vnde, & *mundi salus* dicta est. [Ex eo flagrantissimo salutis omnium desiderio manat gaudium de salute mortalium, quod item Virginis charitati attestatur. Est autem gaudium illud in Virgine tale ac tantum, vt neget Amedeus Lusan. homil. 2. illud posse à nobis concipi, affirmérque esse perfectum vltra quàm dici aut credi potest: Et causam non reticet, nimirum quod agnoscat Virgo, hanc fuisse causam aduentus Verbi Dei in carnem nostram & suæ in Dei matrem exaltationis, vt homines salutem consequerentur. Se igitur coformans diuino consilio, & voluntati de omnium hominum salute, cui impensum à Patre vnigenitum Filium videt, sicut ardentissimè eam sitit, & modis omnibus curat, ita vt non sit qui se abscondat à calore & beneficientia eius, ita incredibiliter gaudet, cum videt Filij amantissimi labores non cadere irritos, & & optatum, ac expectatum fructum Deo referre. Quæ omnia sunt germina, argumenta indubitata, purissimæ illius charitatis qua flagrebat erga proximum B. Virgo, ac etiamnum flagrat. Minutè hęc prosequitur Rich. à S. Laurentio libro 4. de Deip. à pag. 175.

14 Huc spectant quæ de Virginis in nos misericordia suauissimè persequitur Adam de Perse in Allegoriis Tilmanni ad cap. 24. Ecclesiastici, circa illud *quasi oliua speciosa.* Prodidit verò B Virgo misericordiam insigniter in nuptiis Cana. [Compassa est enim (ait de nouis sponsis Bern. serm. 1. de Dom. post octau. Epiph.) eorũ verecundiæ, sicut misericors,

sericors, ſicut benigniſſima. Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas? Quid, inquã, mirum ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? Nonne qui pomũ in manu ſua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte, pomi ſeruabit odorem? Quantũ igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem menſibus requieuit? Nam & ante mentẽ repleuit, quàm ventrem: & cum proceſſit ex vtero, ab animo non receſſit.] Deſcripſit hunc Bern. locum, & aliis additis illuſtrauit Richardus à Sancto Laurentio libro quarto, de Deip. pag. 493.

Verùm diffuſior fuit B. Virginis miſericordia, quàm, vt ad vnum illum euentum ſupperadditi in nuptiis vini, arctari debeat; cum meritò ipſemet S. Bernardus ſerm. 4. de Aſſumpt. eam tanquam clariſſimam, maximè latepatentem inter omnes eius virtutes celebret, his præter cætera. [Sileat miſericordiam tuam Virgo beata, ſi quis eſt qui inuocatam te in neceſſitatibus ſuis, ſibi meminerit defuiſſe. Nos quidem ſeruuli tui, cæteris in virtutibus congaudemus tibi, ſed in hac potiùs nobis ipſis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; ſed miſericordia miſeris ſapit dulciùs, miſericordiã amplectimur chariùs, recordamur ſæpiùs, & crebriùs inuocamus. Hæc eſt enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetrauit. Conſtat enim pro vniuerſo genere humano fuiſſe ſollicitam, cui dictum eſt, *Ne timeas Maria inueniſti gratiam*; vtique quam quærebat. Quis ergo miſericordiæ tuæ ô benedicta, longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem, & profundum, queat inueſtigare? Nam longitudo eius, vſque in diem nouiſſimum, inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque miſericordia, plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas eius ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationẽ, & profundum eius ſedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus euacuatus eſt, inſtauratæ ruinæ cœleſtis Hieruſalem, expectantibus miſeris vita perdita data. Sic potentiſſima, & piiſſima charitas, & affectu cõpatiendi, & ſubueniendi abundat affectu, æquè locuples in vtroque.] An ea Bernardo profecerit Theobaldus Epiſcopus Actorum S. Gulielmi Aquitani ſcriptor haud certò dixerim. Cum tamen diſcripſiſſet diram Gulielmi verberationem à dæmonibus, & vnguentiferam Deiparam ad ſanandum eum miſericorditer aduenisſe, dubdit capite 20. non iam ipſum S. Gulielmum (quippè cum ea ſcriberet pridem è cœlo illatum) ſed lectorem pium alloquens. [De cætero in periculis, in anguſtiis in rebus dubiis Mariam potes ſecuriùs inuocare, deuotius cogitare iucundiùs ſalutare. Nec vnquam debet à corde recedere, nec ab ore excidere. Et nos quidem ſeruuli tui, ſi inſurgant venti tribulationum, ſi flumina tentationum, ſi ſcopuli perſecutionum, hoc ſolum poſt Filium habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad eius miſericordiæ ſinum. Cæteris in virtutibus eius congaudemus ei, ſed miſericordia miſeris ſapit dulciùs, miſericordiam amplectimur chariùs, recordamur ſæpiùs, crebriùs inuocamus. Quis miſericordiæ eius longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profunditatem, queat inueſtigare? Omnibus omnia facta eſt, ſapientibus & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit.] Et Bernardus, & Theobaldus quam dixerat miſericordiam mox nominant charitatem. Quod enim fuſiùs ſuo loco eſt demonſtratum in opere de virtutibus, eadem eſt virtus miſericordiæ & charitatis, nec niſi miſeriæ alienæ connotatione quam miſericordia inuoluit, ſecernuntur ab inuicem: vt propterea præmiſerim quæ de vberrima Virginis miſericordia paſſim proſtant, huc pertinere.

Pleniſſimè & piiſſimè B. Virginis miſericordiam, atque adeò charitatem in nos, exponit Richardus à S. Laurentio lib. 2. de Deip. *à pag.* 79. & lib. 4. *à pag.* 288. illud pulchrè conſiderans, non poſſe videri dubium, quin B. Virgo perfectè impleuerit iuſſum illud ſanctum ſenioris Tobiæ ad filium cap. 4. *Quomodò potueris, ita eſto miſericors, ſi multũ tibi fuerit, abundanter tribue.* Et illud Eccleſ. 35. *De altiſſimo ſecundùm datum eius.* Cum ergo B. Virgo ex Dei munere opulentiſſima, & copioſiſſima eſſet, agendo de veris opibus, & ſupernaturalibus diuitiis, dubitare non licet, quin propter Dei honorem Deo in hominibus maxima, & pretioſiſſima munera dederit, & etiamnum det, diues in omnes qui inuocant illam.

Iuſtitia, & nonnulla potentiales eius partes.

15 RIchardus à S. Laurent. lib. 4. de B. Virginis Iuſtitia fusè diſſerens, hæc habet præter cætera, [ſunt tres gradus iuſtitiæ principales, per quos omnes, in culmen virtutum aſcendit Beata virgo noſtra. Primus, ſubiici majori, Secundus, non ſe præferre æquali, Tertius, ſubiici minori. Primus, inchoat. Secundus, promouet, Tertius conſummat. Igitur Maria non ſolùm Iuſtitiam, ſed & omnem iuſtitiam obtinuit quæ cum facta eſſet mater Regis æterni, & hoc ſciret, non dedignata eſt miniſtrare Eliſabeth: mater regis, matri militis, mater ſummi Dei, hominis puri; mater Domini omnium, matri ſerui empticij. Vnde dicit ei Elizabeth. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Mater Saluatoris, ad matrem præconis? mater Verbi ſummi ad matrem vocis? Sed quod poſt modùm dicturus erat Dominus Ioanni, potuit Maria dicere Elizabeth: *Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem Iuſtitiam*; Ideſt, perfectam humilitatem. Matthæi 3. Item quia in omnibus conſummatam iuſtitiam obſeruauit: ideo figurata eſt per Annam, *cuius vultus non ſunt in diuerſa mutati.* 1. Regum. 1. Et hoc iuſtè. Nam Anna *gratia*, & ipſa dicta eſt gratia plena. Item iuſtitia reddit vnicuique quod ſuum eſt; & ipſa Angelo ſalutanti, diſcretam reddidit reſponſionem; ſcilicet, *Quomodò fiet iſtud?* Deo laudem & gratiarum actionem dicens. *Magnificat* &c. hominibus ſufficientem inſtructionem, dicens. Ioan. 2. *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Item ipſa reddidit quæ ſunt Cæſari, Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo. Reddidit enim Deum mundo, quem per Euam mundus amiſerat, & mundum, ideſt, amatores mundi, quantum in ſe eſt, reddere Domino nunquam ceſſat, precibus, meritis, & exemplis: per ipſam enim ſpecialiter factus eſt, & Deus mundi, & mundus Dei.]

Satis video omnes iuſtitiæ actus ab iſto authore propoſitos, non exigi ad libellum Theologicam ac Philoſophicam. Vt nec illa quæ Folbertus ſermo 2. de Natiu. B. Virginis profert ad monſtrandam Virginis Iuſtitiam. [Quis non videat, ac videndo miretur iuſtitiam eius, qua ſic vniuerſa præcepta diuinæ legis ſatagebat implere, vt nec ad ſe pertinentia inexpleta relinqueret: Verbi gratia, poſt partum enim purificatione legali quam agebat, non egebat, quia virum in concipiendo non nouerat.]

Idem

Idem dicito de iis quæ B. Virginis iustitia laiè profert Richelius l.3.de laud.B.V.art 12 & l.3.de eius præcon art 4

16 Ad religioné Iustitiæ potentialem partem primariam pertinet quicquid de B.Virginis deuotione & sensibus pietatis à variis proditum est, nominatim à S.Ambrosio l.2.de Virg.& Richardo à S.Laurentio passim Pulchrè vero Rupertus l.5. in Cant. huius virtutis summum in Deipara studium celebrat, eo quod illi perfectè exercendæ, seorsim negotiis & curis huius vitæ, in perfectissima contemplatione ætatem contereret. Ita vt etiam post Christi excessum, cum maximè necessarium videri poterat vt se implicaret negotiis quæ humano puluere plerunque religiosa corda respergunt, & ab intentissimo in Deum studio auertunt, renuerit id facere. Vnde illam de se inducit loquentem in hunc modum. [*Expoliaui me tunica mea quomodò induar illa? Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Iamdudum quippe, vitam perfectè solitariam concupiui in qua sic viuitur, ac si quis tunica vel omni veste nudus quiescat sibi in secreto lectuli lotis pedibus, & expers totius pulueris &c. Ego autem dilecto meo pulsanti loquor eique nota replico quia singularis ego præ omnibus, exui me tunica mea; mente & actu, vel habitu, reliqui omnia & ita laui pedes meos conscientiam siue intentionem meam emundante Spiritu sancto, vt iam dicti pulueris nihil omnino residuum sit, &c. Quomodò inquinabo quos laui pedes meos, idest, ad aliqua terrena inclinabo oculos vel cæteros quos omnes tibi soli dilecte mi, dedicaui sensus vel cogitatus meus? Nam etsi custodia tua semper mecum est, vera tamen humilitas semper sollicita est; & mea potissimum anima, quæ amore tuo singulariter plena est pro puluere æstimat, pro sordibus reputat, quicquid vnquam præter te per aliquam necessitatem, dicit vel cogitat, quamuis licitum sit, quamuis non otiosum, imo & aliquatenus vtile videri possit.] Hæc accurationem in obeundis religiosis erga Deum functionibus, omnino eximiam redolent. Quod inter eas religionis functiones numeretur oratio cuiusmodi esset B. Virginis ea in parte religio, & quam oblectarent sanctos Angelos orationes eius, ac purarum manuum ad Deum leuatio, consulendus est S Bernardus homilia 3. super *Missus est*. Similia Guerricus serm. 4.de Assumpt. qui tamen improbat quod Rupertus ajebat de Virgine vitam actuosam repudiante vt contéplationi & functionibus religionis tantum vacaret. Ipse è contrariò laborem in actione statuit mercedem fieri in contemplatione, nec esse Israëlem videntem qui prius per luctationem non se prodiderit Iacobum quod in Beata quoque Virgine vainisse contendit.

17 Est & alia insignis pars potestatiua Iustitiæ, nempe gratitudo erga Deum Rich. à S Laur. hanc virtutem in Virgine sic annotauit. [Ad singula Dei beneficia, singulas reddebat gratiarum actiones, dicens *Fecit mihi magna qui potens est*, & huiusmodi. Propter hoc in libro de infantia eius dicitur, quod sine intermissione benedicebat Deum. Et ne fortè vel in salutatione sua à Dei laudibus tolleretur, si quis eam prius salutaret; illa pro salutatione *gratias* respondebat. Legerat siquidem Psalmistam dicentem. *Cantabo domino*, idest, laudabo Dominum, *qui*, idest, quia *Bona tribuit mihi*. psalmo 12. Item de iusto dicitur Domino *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*. Psal.48. ipsi enim maximè conueniebat, incessanter illud Apostoli 2. Corinthiorum 9. *Gratias Deo, super inenarrabili dono eius*.]

Hic Virgini fons exuberantissimus & indeficiens *Pars II.*
gratiarum iuxta S.Bernardum serm.51. in Cant. vbi *Punctum VI.*
expendens illud, *læua eius sub capite meo, & dex- Hortus vir-*
tera illius amplexabitur me, [Non ait (inquit) *tutum Dei-*
amplexatur, sed *amplexabitur me*: vt noueris prio- *para.*
ris gratiæ adeò non ingratam, vt secundam gratiarum actione præuenerit. Disce in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis, disce ad singula dona gratias agere. *Diligenter* (inquit) *considera quæ tibi apponantur*, vt nulla videlicet Dei dona, debita gratiarũ actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique iubemur colligere fragmenta, ne pereãt, id est nec minima beneficia obliuisci. *&c.* Propter hoc sponsa mox vt gratiam de læua sensit, gratias egit non expectans plenitudiñẽ quæ in dextera est. Neque enim vbi memorata est læuam jam esse sub capite suo, etiam secuta est à dextera se similiter amplexatam; sed amplexabitur me, inquit.]

Numeratur item inter potentiales Iustitiæ partes Deum respicientes pœnitentia. Hanc virtutem plerique negarũt B.V. & rectè si notio, vocis cortice prælata spectetur; hoc est si agatur de virtute detestante peccatum à persona propria admissum; constat enim in B. Virgine nullum ac ne leuiculum quidem, fuisse peccatum. Si tamen attendamr honestas virtutis pœnitentiæ in toto suo ambitu, potuit haud dubiè in B. Virgine habere locum, quia potuit odio habere peccatum in quocumque demum peccato reperiretur, & velle pro illo satisfacere ad reparandũ aliquo modo ius Dei violatum à peccatoribus. Et hoc sensu rectè virtutem pœnitentiæ non modò B. Virgini sed etiam Christo concedit Marsilius in 4.q.10. ad 6.& Suares t.1.3.p.d.19.s.1.*sub finem*, & t.2.d.4.s. 2. & t 4.d.7.s.1.n.10. Card. de Lugo disp. 6. de pœnit. num.12. Vas.3.p d.7.p.4. & alij quos hi proferunt. Neque sanè dubium esse potest, quin B. Virgo summoperè auersata sit peccatum quamuis eo non sorderet sicut Christus qui peccato obnoxius esse non poterat, summo odio alienatus est à peccato, & pro eo magno animi affectu satisfecit Deo. Proportionalem ergo affectum in B.Virginis voluntate agnoscere congruum est. Nec dubito quin piissima mater, multa sua opera satisfactoria vltro susciperet in eum finem satisfaciendi. Deo & diuinum ius à peccatoribus læsum, reparandi, id quod etiam commune fuit S.Ioanni Baptistæ, tam duras perpessiones spontè subeunti, quarum fructu satisfactorio in tam tenui, & vt aliqui addunt prorsus nullo, reatu suo, non egebat pro se ipso, sed Deo lubens in gratiam tam multorum grauia delinquentium offerebat, ære suo dissoluens contracta ab illis nomina. Quod æquè de B. Virgine licet asserere. Cadit verò perbelle in huiusmodi non indigos pœnitentia, & tamen eam in aliorum bonum amplexantes, egregius locus Eucherij ex homil. de initio Quadrag. [videmus (inquit) aliquoties, etiam illas animas pœnitentiam petere, quæ ab ineunte adolescentia consecratæ, pretiosum Deo thesaurum deuouerunt; Inspirante hoc Deũ, pro Ecclesiæ nostræ profectibus nouerimus, vt medicinam quam inuadunt sanis, discant quærere vulnerati, vt bonis etiam parua (adde vel aliena non sua) deflentibus, ingentia ipsi mala sua lugere consuescant: ac si quando iam illa persona quæ fortè minùs indiget pœnitentia, aliquod fide dignum, atque compunctum sub oculis Ecclesiæ gerit, fructum suum, etiam de aliena ædificatione multiplicat, & meritum suum de lucro proficientis accumulat; vt dum perfectione illius emendatur alterius vita, spirituali fœnore ad ipsum boni operis recurrat vsura.

ia.&c.Felix per quem, etiam in aliena salute exundant merita propria:Felix in cuius mentem redundat salus aliena.] Quod Eucherius ait de fructu aliàs redundante ex pœnitentiæ actibus per innoxium eliciti cum ædificatione, & impulsu noxiorum verò similiter pro se operandum, non minùs valet de fructu alteri patio per abstersionem reatus aut exoratam ex peccati odio contritionem: Hi enim actus, cum sint germina pœnitentiæ directius faciunt ad hoc institutum, & commodiùs aperiunt, quomodo piæ quoque animæ pro se non egentes pœnitentiæ (cuiusmodi fuit B. Virgo,) possint tangi affectu huius virtutis cum aliorum commodo.

FORTITVDO.

18. Fortitudo, vel sustinens est (huic enim tanquam operosiori primas tribuo,) vel aggrediens. Fortitudo sustinens Virginis mirè celebratur à Patribus instar omnium esse potest. Petrus Dam. ser. 40. ibi *sub finem* tractans Virgulam fumi ex vniuerso puluere pigmentario [Hic (inquit,) expressum est, quidquid exprimi potuit Species quidam integræ odorem reddunt, sed non tantum, quantum confractæ. Crebris enim tunsionibus supertritæ, remotiorem etiam locum odorifera conspersione refundunt. Sic & virtutes, in pace quidem fortiter redolent, sed fortiùs in tribulatione; quia virtus in pace acquiritur, in persecutione probatur, approbatur in victoria Vniuersus ergo puluis pigmentarius in Virgine consectus est, quia in ea virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit: & si cæteris per partes Spiritus afflurit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ superuenit. Nec integræ fuerunt in ea species, sed in subtilissimum puluerem comminutæ; quia ipsa est, quæ fortioribus tribulationum malleis superpressa, vidit suum & Dei filium affigi Cruci, militari lancea vulnerari, & inter duos latrones positum expirare.]

In hac heroica virtute B Virginis vendicanda, iam sat multi fuisse videmur superiùs tractantes eius ad Crucem constantiam & infractum robur animi in summis angoribus ex Filij amantissimi cruciatibus. Ostendimus enim de SS Patrum & grauissimorum Doctorum sententia quanta mentis firmitate B. Virgo illam malorum molem exceperit, quod est munus proprium Fortitudinis sustinentis; Nec est ea fortitudo tunc duntaxat cogitanda in B. Virgine cum Filio pendenti astitit, (quanquam tunc maximè) sed etiam à prima infantis Christi ætate vt benè considerauit Guerricus serm. 2. de Assumpt. agens de Virginis Languore. Et benè idem perpendit Rupertus adductus parte 1. puncto 8. ex l. 1. in Cantica, in expensione verborum illorum, *fasciculus myrrha dilectus meus mihi*. B. Virginem ratione fortitudinis sustinentis, dictam esse hortum nucum, quod in nuce, corticis amarities cum testæ duritia & fortitudine nucleum præmuniente iungatur, pulchrè meditatur Philippus Abbas lib. 6. in Cant. cap. 11.

Iam vero fortitudinis aggredientis specimen esse potest, in Virgine quod in nuptijs, repulsa in speciem, generosè tamen vrsit negotium pietatis. Item quod Filio prædicanti per non exiguos viarum labores, comitem se propè indiuiduam adiunxit, interrita ad difficultates, nec verita odium quo sciebat flagrare passim Iudæos in filium. Rabanus apud S. Thomam in Catena ad c. 2. Matth. illud singulare huius fortitudinis speciem in Virgine notat, quod recens nato Christo expleta Purificationis quadragena, tametsi Herodem extimescebat, intrepidè tamen aggressa est pueri ad templum deductioné, ne vel fibram, aut atomum legis ac debitæ numini obseruantiæ, præteriret. In eundem sensum Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Deip. tit. *Maria dilexit fortiter*, accommodat B. Virgini, illud Eccles. 7. *In omni virtute tua dilige eum qui te fecit* Ait enim B. Mariam exprompsisse insignem planè fortitudinem animi, quoties de Dei obsequio & cultu ageretur, nusquam trepidam nusquam hærentem aut moras nectentem, si causam Dei verti deprehenderet, sicque illud Siracidis monitum perfectè expleuisse, nec id in vna tantum aut altera occasione, sed per totam vitam quod est eius fortitudinis proprium, quæ nunquam subneruatur. & idcirco morti confertur, quæ nunquam moritur, & inferno qui nunquam perrumpitur. Sed quid prædicta omnia, ad eam alacrem, & generosam fortitudinem aggredientem, quam Beata Virgo prodidit, astare non timens cruce pellente timorem charitate? Ad eam inquam fortitudinem qua irrupit cuneos armatorum Christum ad horrendam mortem deducentium, non passa se à charitate Christi separari, siue periculo, siue gladio, siue instantibus, siue futuris. Neque hic silent Patres, vt parte 1. memorauimus Breuiter sed egregiè Ambrosius epistola ad Ecclesiam Vercell. (est num. 25.) *in fine* [Sed nec Maria minor (inquit,) quam matrem Christi decebat. Fugientibus apostolis, ante crucem stabat, & piis spectabat oculis filij vulnera quia spectabat non pignoris mortem sed mundi salutem,] Non male id ponderat Metaphrastes Orat. de vita & morte Deip. 15. Aug.

Temperantia subiectiuæ partes, variæ

19. Multæ omnino & admodum diffusæ sunt Temperantiæ propagines, quæ omnes in B. Virgine fuere eximiæ Attingemus breuiter, præstantiores, ac celebriores nonnullas, humilitatem, mansuetudinem, castitatem, atque modestiam.

Humilitatis in Virgine affectum obseruant passim Patres ex eo Virginis responso ad Angelum, *Ecce ancilla Domini*. S. Bernardus hoc egregiè expendit, nec non Petrus Chrysologus, & quotquot hoc mysterium Angeli nunciantis attingunt. Placet de mbo tosam legere. Petrus Abelardus ad calcem sermonis de Annunc. sic affatur Virginem occasione huius responsi. [Quid est quod ais Domina? Quid est quod respondes, Regina non solùm hominum, sed, & Angelorum ex hoc futura? Non dicis ecce mater Domini; vel etiam dilecta Dei, vel etiam ab ipso electa, cum sis singulariter prælecta. Quanto te ad sublimiora promissio extollit Angelica tanto summa humilitatis virtus te deijcit ad inferiora. Vbi obsecro illud est honorabile nomen quod vnigenitus tuus fidelibus suis imponit, cum ait; *Iam non dicam vos seruos, sed amicos?* Ille de honore suorum, in ipso quoque nomine dignatus est prouidere: Tu è contrario seruilem tibi conditionem, non erubescis adscribere. Ita Domina, vt ex te præcipuè illa humilitatis exempla sumantur ad quæ nos scriptura exhortans ait, *quanto maior es, humilia te in omnibus*. Ex hac tuæ disciplinæ regula, Virgo illa tui imitatrix Agatha & vna de numero prudentum, instructa dicebat, Ancilla Christi, sum ideo me ostendo seruilem habere personam. Et summa ingenuitas est, in

qua

quæ seruitus Christi comprobatur.] Addit alia in eandem sententiam.

Humilitatem B. Virginis, pulchrè præterea exprimit S. Bernardus serm. in illud *signum magnum*, ex eo quod Actorum 1. B. Virgo nominetur postrema. [Lego (inquit) in Actibus Apostolorum, quod redeuntes à monte Oliueti, vnanimiter perseuerabant in oratione. Quid si fortè Maria affuit, nominetur prima, quæ super omnes est, iam filij prærogatiua, quàm suæ priuilegio sanctitatis. *Petrus, & Andreas*, (ait) *Iacobus, & Ioannes*, & cæteri qui sequuntur: *hi omnes perseuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu*. Itáne, & mulierum se se vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc discipuli, quibus necdum spiritus erat datus, quia Iesus necdum fuerat glorificatus, quando facta est inter illos contentio de primatu cum Maria quanto maior erat, humiliaret se, non modò de omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est nouissima prima, quæ prima cum esset omnium, se se nouissimam faciebat. Meritò facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super Angelos exaltata est, quæ, & infra viduas, & pœnitentes, infra eam de qua eiecta fuerant septem Dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat.

Apud eundem Bernardum, Author sermonis de vite vera tractans violam quam statuit typum humilitatis, huic virtuti in Deipara eximiæ attribuit, quod Deus ex ea sit conceptus. Sic enim disserit. [Bonus profectò flos violæ, qui florem cœlestem Verbum æterni Patris, in vterum terreni floris Beatissimæ Virginis, mirifica dulcedine sui odoris attraxit, ipsa attestante quæ ait, *Exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo, qui respexit humilitatem ancillæ suæ*. Quid dicis? Numquid non alios flores habes? Habeo inquam; Tota enim florea nullius floris expers, quia nulla virtute careo, cum tota speciosa sim, & macula non sit in me. Habeo filium castitatis, quia prima votum conseruandæ virginitatis voui Domino. Habeo rosam charitatis, quia si non vsque adeò dilexissem Dominũ, vnde mihi tanta fiducia, vnde tanta audacia, vt nouum aliquid puellula tenera, & verecunda, & adhuc sub parentum iure, & præceptis legis constituta inchoarem? Sed vt verum fatear, audacem faciebat amor; coegit rosa ardens seruilem timorem deuorans, vt facerem nouum votum, & singulare lilium, vt possem quandoque dicere dilecto meo candida sum, & rubicunda, sicut, & tu candidus, & rubicundus. Habeo, & alios quoscunque flores, sed nullum horum tanta dignatos prærogatiua, respexit in me Dominus vt florem violæ meæ. Respexit enim humilitatem ancillæ suæ. Et vultis videre omnes cui mutuaui flores meos quantum ex hoc flore sim consecuta. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Ex hoc* dico, quia respecta sum à Domino. Flos violæ meæ, quia nardus mea dedit odorem suum, quæ idem significat quod *viola*, id est humilitatis virtutem, qua fragrantia delectatus est Rex, filius Regis Deus Dei Filius, cùm esset in accubitu suo, id est in sinu Patris, & odore tam delectabili, quasi quadam illius violentia tractus est in me; & voluit concipi flos in flore, intra florem, id est intra Nazareth quod interpretatur *flos*, vt fieret ipse flos florens, hoc est Nazarenus. Concordant omnia flori; Concipitur flos manens in flore, hoc est in Nazareth. Bonus ergo omnino, & optimus violaceus flos qui odoris eius fragrantia, quasi quodam delectabili vinculo, florem cœli, in vterum nostri floris humilis Virginis inclinauit.]

Rupertus lib. 1. in Cant. pulcherrimè, & fusè de B. Virginis humilitate disserit, tractans, illud, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit fragrantiam odoris*. Accubitum enim Regis, sinum Patris æterni interpretatur, vnde Dei Verbum extitit pusilla specie nec in altum sesurgens vnquam, nardus humilitatis virgineæ, quam ex alto odoratus Rex gloriæ illectus est, & deorsum abductus, gaudens quod tanta humilitas inuenta esset in eo sexu à quo initium superbiæ progressum, totam humani generis massam corrupetat. Quod longior sit Ruperti in eam rem ratiocinatio, ibi legatur. Pereleganter item sed paulo prolixiùs quàm vt hîc adscribi possit Author Commentarij Ambrosio tributi in Apocalypsim ad c. 6. exponens sigillum tertium, Verbi Incarnationem cum immissione Mosis in aquas componens, fiscellam pice ac bitumine litam intra quam Moses inclusus est, interpretatur B. Virginem, cuius bitumen Virginitatis; pix humilitas Deum ad se aduocans fuit. Pars II. Partium VI, Hortus virtutum Deiparæ.

20 Insignem humilitatis affectum in ipsis Deiparæ verbis, Iosepho se postponentis, obseruat in hunc modum S. Aug. serm. 63 de diuers. c. 11. [Non est prætermittenda, fratres (maximè propter disciplinam fœminarum, sororum nostrarum,) tam sancta modestia Virginis Mariæ Christũ pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei, *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur*. Meruerat parere filium Altissimi, & erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, vt diceret, *Ego & pater tuus*: sed *pater tuus*, inquit, *& ego*. Non attendit sui vteri dignitatem; sed attendit ordinem coniugalem. Non enim humilis Christus, matrem suam superbire docuisset. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Pater tuus*, inquit, *& ego*: quia caput mulieris vir. Quanto minùs debent superbire cæteræ fœminæ.]

In hac virtutum gemma Virgini præcellentissimè vindicanda, multus omnino est S. Hildefonsus serm. 3. de Assumpt. Appono pauculam. [Facta est ipsa Thronus, quæ fuerat in carne templum Diuinitatis. Tantò speciosior præ cunctis, & sublimior, quantò, & gratia gloriosior refulsit. Hæc igitur diuina est recompensatio, fratres, de qua dicitur, *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*. Fundata enim erat profunda humilitate, & dilatata in charitate, propterea hodie tam sublimiter est exaltata. Sed quia celsitudinem, & magnificentiam throni perscrutari non possumus; saltem thesauros eius humilitatis, interdum perscrutemur, vt deinceps eius interuentu nobis meritis, ad gloriam donorum pertingere valeamus. Nam humilitas custos reliquarum virtutum est, & ideò venerabilis Virgo, quia virtutes multas sibi aggregauerat, custodem earum humilitatem in animo ferebat. Quam post perceptam gratiam ampliauit, & confessa est se esse ancillam, quæ mater erat Creatoris. Nihil nobilius, Fratres, Dei matre inuenitur, quæ se profitetur ancillam, nihil splendidius ea quam splendor elegit gloriæ. Nouerat enim B. Virgo, quia humilitas Deo semper placet, & ideo ex nuncio cum salutatur, nihil altum de se sapit, nihil præsumit, sed tota humilis ad Deum intendit, cui totum deputat quod est, & quod audit. Quapropter, & nos discamus Deo deferre. Discamus de nobis humilia sentire semper in omnibus: Discamus humiliari, quia author vitæ, ideo ad nos cum esset altissimus, humilis venit, vt nos humilitatem ex se doceret Magister veritatis.] Et inferiùs. [Magna promeruit præmia æternæ remunerationis, quia multum se

humiliauit

humiliauit inter immensa dona, inter diuinitatis commercia. Hodie à Domino multum exaltatur gloriosa. Denique ideò Christus humilis ad humilem Virginem venit, quàm elegit; vt de tam profunda humilitate triumphum erigeret salutis.] Fusissimè, & minutissimè de B. Virginis humilitate Rich. à S. Laurentio lib. 4. de Deip. *initio Modestia*, idest (moderationis animi, & humilitatis,) *exemplar secundarium*, idest post Christum eam nominat Geometra in Catena Corderij ad c. 1. Lucæ num. 30. B. Virginem humilitatis virtutem totam, & perfectè possedisse, ait Richard. Victor. suo c. 26. in Cant. & inde probat fuisse in Virgine cumulatissimam gratiam, quia fuit humillima. Obiter moneo plerosque Doctores B. Virg. humilitatem stabilire ex illis ejus verbis in Cant. suo *Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ*, indéque eruere primariam causam cur Deus ex Deipara homo factus sit, ad humilitatis virtutem in ea præcellentissimam pertinere. Ita Origenes hom. 8. in Luc. Augustinus l. 1. de Assumpt. & in expositione huius Cantici, vbi etiam Beda, Bernardus s. 42. & 45. in Cant. & apud eum Author Tractatus de vite vera cap. 17. & alij. Non videtur tamen genuinus sensus verborum Deiparæ, quia ea esset quasi ostentatio virtutis suæ à qua ostentatione honorum suorum B. Virgo aberat quam longissimè. Neque enim solidè pij commendant suas virtutes, sed eas potiùs studiosè celant, & occulunt. Germanus ergo sensus quem tradunt in hunc locum Titus, Bostrenus, Euthymius, ac Theophilactus, & benè confirmat Toletus in c. 1. Lucæ annot. 116. idémque Franciscus Lucas, fere B. Virginem exultasse in Deo salutari suo, eo quod dignatus esset se vilem, & abiectam benignè respicere, & in matrem eligere. Vox enim Græca ταπείνωσις quam hic adhibuit Euangelista vix vnquam vsurpatur ad designandam virtutem humilitatis animæ inexistentem, sed solet tantum adhiberi ad significandam abiectam conditionem, & vilitatem, quæ passim nomine *humilitatis* exprimitur: vt cum dicitur Gen. 29. *vidit Dominus humilitatem meam*. & Iudæis 6. *Intuere Domine superbiam eorum, & respice humilitatem nostram*, id est deiectionem, ac tenuitatem. Apud Psaltem quoque, *vide humilitatem meam, & laborem meum*. & alibi frequentissimè. Non est igitur confirmanda virtus humilitatis in B. Virgine ex eo quod ipsamet sit professa Deum in faciendis in ea tot magnis, respexisse humilitatem suam. Quamuis enim id verum sit, nec possit negari quin humilitas B. Virginis fuerit summa, & Deo acceptissima, & inter allectamenta corporandi ex ea Verbi Dei, rectè numeretur; tamen hic non erat sensus B. Virginis in Verbis præpositis sui Cantici quæ aliqui ad hoc propositum adhibent.

21 Mansuetudinem, *collactaneam humilitatis*, vocat S. Bern. serm. in illud *signum magnum*, indéque probat Deiparam fuisse mansuetudine præcellentem, quod esset humillima. Idem perpulchrè serm. in illud *signum magnum*, cum monstrasset ad Christum mediatorem, adiungendam fuisse hanc mediatricem, & vtriusque sexus concursum ad reparationem nostram opportunum fuisse demonstrasset, subdit; [Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, omnibus offerens lac, & lanam. Reuolue diligentiùs Euangelicæ historiæ seriem vniuersam, & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum, vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si (vt verè sunt) plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inueneris; age gratias ei qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum.]

Laudatam hanc rem adductum B. Bernardi locum, Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Deip. *pag.* 195. confirmatque ex Cant. 6. vbi sic eam affatur sponsus. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora.* [Suauis, (inquit) idest mitis & mansueta, cuius charitas non irritatur malis nostris. &c. Sicut etiam de filio eius dicitur in psalmo 144. quod *suauis est Dominus vniuersis*, sic, & dicendum est, quod Domina suauis est vniuersis.] Accommodat ad hoc ipsum illud Sap. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius*, & quod Ecclesi. 24. iuxta multorum Patrum interpretationem de Virgine dicitur, *spiritus meus super mel dulcis*. Nec non illud ex Cant. 4. *Mel, & lac sub lingua tua*, & illud Prou. 16. *Fauus mellis, verba composita, dulcedo animæ & sanitas ossium* Sed super has accommodationes efficax est ratio quam adhibet, ducta ex eo quod Christum cuius summa celebratur in scripturis dulcedo, & mansuetudo, de sua substantia compegerit. At constat pueros matrizare, vt loquuntur, idest maternum genium redolere: Vnde matris iracundæ ac rixosæ soboles, ægrè alterius erit genij. Ex filij ergo summa mansuetudine, de matris benignitate coniecturam facimus. Ipsa sola Christi intra eam conclusio per nonimestre, argumentum validum suppeditat, communicatæ matri benignitatis ac mansuetudinis Filij. Sicut enim pyxis, vt in hanc rem disserit prædicto loco Richardus, asseruatorum in ea aromatum fragrantiam retinet, ita & B. Virgo, educto licèt ex ea Christo, odorem virtutum Christi seruauit, eius præsertim quæ Christi velut characteristica fuit, hoc est mansuetudinis. Profecit Richardus ex S. Bernardo serm. 1. de Domini. 1. post Epiph.

Nolo missum hac in parte facere Origenem. Is homilia 8. in Lucam, proposita dubitatione quorsum B. Virgo, dixisset, *respexit humilitatem ancillæ suæ*, agitata omni nihil difficultate, tandem addit. [Consideret qui quærit talia, quoniam propriè in scripturis, vna de virtutibus humilitas prædicatur. Ait quippe Saluator, *Discite à me quia mansuetus sum, & humilis corde*. Quod si vis nomen huius audire virtutis, quomodò etiam à Philosophis appellatur, ausculta eandem esse humilitatem quam respicit Deus, quæ ab illis ἀτυφία siue μετριότης dicitur. Sed & nos quodam eam possumus appellare circuitu, cum aliquis non est inflatus, sed ipse se deiicit. Qui enim inflatur, cadit secundùm Apostolum in iudicium Diaboli, siquidem, & ille ab inflatione cœpit atque superbia. *Vt non* (inquit) *inflatus in iudicium incidat diaboli*. Respexit super humilitatem ancillæ suæ. Humilem me, (inquit,) & sectantem mansuetudinis deiectionisque virtutem, respexit Deus.] Habes, & placuisse nominatim Deo, mansuetudinem B. Virginis, & eam inter varias humilitatis propagines, acceptissimam fuisse tanquam redolentem radicis suæ sanctitatem, apud Deum gratiosissimam. Habet enim pro radice humilitatem, cuius etiam nomen metonymicè participat. Vt proinde respexisse Deum, humilitatem B. Virginis, idem sit iuxta Origenem, quod mititatem Virginis ex superbiæ defectu prodeuntem respexisse.

22 Virginitatem illibatam, amauit, & exquisiuit Deipara planè insigniter. Audi S. Anselmum l. de excell. Virg. c. 4. [Equidem hæc, duo ipsa iucundius

amabat,

amabat, ſcilicet virginitatem, & fœcunditatem; Virginitatem, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat; fœcunditatem, quia ſine hac, maledictum legis, quæ adhuc carnaliter cuſtodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen amor in ea ſeruandæ virginitatis, & excluſit ab ea timorem incurrendę maledictionis. Virgo itaque, & tenera, & delicata, regali ſtirpe progenita, & ſpecioſiſſima, totam intenſionem ſuam, totum amorem ſuum, totũ ſtudium ſuum, ad hoc intendit, vt corpus, & animam ſuam Deo virginitate perpetua conſecraret. Sciebat enim quòd quantò ſanctiùs eam ſeruaret, tantò ſublimiùs ei qui omnium caſtiſſimus, imò qui ipſa caſtitas eſt, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilius Domino eſſe cognouit, legem ſuperauit, ſpreuitque maledictum datæ legis, & credidit, reputans ſecum illum, cui placere quærebat, tantæ bonitatis, & tantæ ſapientiæ, vt ante ſe, vel de ſe tutum conſilium, ne quid peccati in iſtis ſubiret, inueniret, nec decepta eſt.]

Piè pro more S. Bernardus ſerm. 4. de Aſſumpt. Quæ vel Angelica puritas, virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus ſancti ſacrarium fieri, & habitaculum filij Dei? Si rerum pretia de raritate penſamus, quæ prima in terris Angelicam propoſuit ducere vitam, ſuper omnes eſt. *Quomodò* (inquit) *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Immobile propoſitum virginitatis quod nec Angelo filium promittente, aliquatenùs titubauit *Quomodò* (inquit) *fiet iſtud?* Neque enim eo modo, quo fieri ſolet in cæteris. Virum penitùs non cognoſco, nec filij deſiderio, nec ſpe prolis.] Hæc ex Anſelmo, & Bernardo adducta, expreſſiſſe videtur Richardus à S. Laurentio l. 3. de Deip. priuilegio eius 1.

Optimè, ac paucis, multa in hanc rem complexus eſt Greg. Neocæſar. orat. 2. de Annunc. tractans illud *Turbata eſt in ſermone eius.* [In hoc (inquit) Turbata eſt verbo: Nam ad quoſcunque virorum affatus, erat inſolita: & quietem atque ſilentium vt continentiæ ac caſtitatis matrem amplectebatur: cúmque puritatis atque integritatis immaculatum ſimulacrum eſſet, aſpectum ipſa Angelicum, ſicut plures ex Prophetis, non reformidauit: quoniam, & affinitatem quandam ac ſimilitudinem vera virginitas cum Angelis habet. Studioſè quippè ſanctiſſima Virgo lampadem virginitatis conſeruabat, & ne extingueretur, aut commacularetur, prouidè diligentérque curabat Et ſicut ſplendido amictus veſtimento, magnam rationem ac curam adhibet, ne qua inquinatione ac ſorde contaminetur: ita quoque ſanctiſſima Maria intra ſe cogitabat atque dicebat: Numquid fortè artificium aliquod ac ſtraudem, vel aſſentationem, iſte myſterij atque obſequij actus in ſe continet?]

De perfectione huius virtutis in B. Virgine, accipiendum eſt quod aliqui Patres dixerũt B. Virginem habuiſſe gratiam ſecundum naturam ſic Georgius aut vt alij vocant Gregorius Nicomed. orat. de Præſentat. Deip. vocans Deiparam hortum concluſum quem peccati cogitationes non poſſunt intrare, quæ naturà eſt ſpecioſa, & nullam ſuſcipiens maculam. Item Epiphan. iunior, expendens illud *quoniam virum non cognoſco.* [Non habuit (inquit) Virginitatem ſecundum continentiam, & pugnam, more honeſtatum fœminarum quibus vota, & ſtudium pudicitiæ eſt, ſed ex natura, quod extra omnium mulierum facultatem eſt, & à natura alienum.] Hæc non ferunt, virtutes infuſas atque adeò gratiam ſanctificantem fuiſſe B. Virgini connaturalem; (abſit; ſic enim non eſſet ſortita veram naturam humanam & creatam:) ſed ſenſus eſt, quemadmodum Adam ſi ſeruaſſet pactum primum caruiſſet carnia rebellione, & exercitium caſtitatis fuiſſet in eo abſque reniſu, & labore, cuiuſmodi ſunt quæ naturæ ſunt conſentanea: ita in B. Virgine propter, extinctionem, fomitis ex ſingulari priuilegio, virginitatis conſeruationem pugna caruiſſe.

Pars II. punctum VI. bonitas virtutum Deiparæ.

Præcellentiam præterea huius virtutis in Deipara, coniicere licet ex flagrantiſſimo amore quo erga amatores huius virtutis fertur, & odio erga oppoſitum vitium, auerſationéque eorum qui illo inquinantur. Verè de ea Damaſcenus in calce Orationis de Aſſumpt. [Et Virgo ipſa eſt, & Virginum amans. Pura eſt, & purorum amans. Quocirca ſi, & corporis, & animi caſtitatem colamus, ipſius gratiam adipiſcemur. Siquidem lutum omne fugit, ac cœnoſas affectiones auerſatur. Ingluuiem execratur. Fœdiſſimæ fornicationis vitiis infeſta eſt. Huius impuras, & ſceleſtas cogitationes, non ſecus ac viperarum fœtus, fugit. &c. Cum puritate, Virginitate, ac pudicitia pulchrè illi conuenit, ſempiternámque cum illis pacem colit, eáſque humanè, & comiter exoſculatur.] Æquè iſta in Virginem etiámnum viatricem, & inter nos ſuperſtitem, ad veritatem licuit dicere. Videndus de puriſſima, & nitentiſſima ſpecie huius virtutis in Deipara, Guerricus Abbas ſerm. 1. de Annunc. Quæ aduersùs vndecunque nitentem in Deipara Virginitatis florem, occaſione matrimonij verè cum Ioſepho, iniri obtendi poterant, diſiecta ſufficienter ſunt ſuperiùs parte 1. puncto 4. confutato Heluidio, qui poſt editum Chriſtum, conueniſſe Ioſephum atque Deiparam blaſphemauit, occaſione fratrum Chriſti qui leguntur in Euangelio. Quod blaſphemum ſpurciloquium, conſtantiſſimè ſemper abominata eſt Eccleſia. Quanquam multò monſtroſiùs terriúſque in his ſeculorum finibus blaſphemauit, anno 1609. Martinus Voillinſ. ciuis, & inſtitor Baſileenſis, capite minutus ac rogo poſt mortem ſolutus in cinerea, in Surſeé Heluetiorum vrbe per Magiſtratum Lucernenſem, ob eam horribilem, calumniam Deiparæ illatam quam vel referre pollutio eſt, quod ſcilicet poſt editum Chriſtum, Deipara, cum aliis viris quam cum Ioſepho, conſuetudinem habuerit. His auditis tundenda ſunt pectora, ſuccenſendúmque æuo noſtro, quod eiuſmodi ab inferno eructationem immanis ſacrilegij, immotis in ſceleratum illum elementis omnibus, ſuſtinuerit. Abſcedo citus, tantam impietatis grauenlentiam non ferens.

23 Verecundia, Virginitatis ſepes eſt, & tutamen, vt docet Author libri de ordine vitæ apud Bernardum, commendans hanc dotem in B. V. Quam etiam inde celebrat verus Bernardus ſerm. de verbis Apocal. *ſignum magnum.* [Gratiſſima ſanè (inquit,) gemma in diademate, micans in capite ſtella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quia putat quod hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit. Magis ex Euangelio id probemus. Vbi enim aliquando loquax, vbi præſumptuoſa fuiſſe videtur? Foris ſtabat quærens loqui filio: nec materna authoritate aut ſermonem interrupit, aut in habitationem irruit in qua filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Euangeliorum, (ſi benè meminimus,) non niſi quater Maria loquens auditur. Primò quidẽ ad Angelum, ſed cum iam ſemel atque

iterum allocutus eam fuisset Secundò ad Elizabeth, quando vox salutationis eius Ioannem exultare fecit in vtero; & ea magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curauit. Tertiò ad filium, cum iam esset annorum duodecim, quod ipsa & pater eius dolentes quæsissent eum. Quartò in nuptiis ad filium & ministros. Et is quidem sermo, certissimus index ingenita mansuetudinis, & virginalis verecundiæ fuit.]

24. Rupertus l. 1. in Cant. ad illud, *pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis* B. Virginē ab hoc fœminei sexus singulari ornamento, exquisitè commendat. Ait enim alloquens B. Virginem, [Pulchritudo tua, pudicitia est, quæ multùm apparet, & spectabiliter lucet in genis tuis, quia non foris vagatis oculis, sed sicut soliuaga & auis castissima turtur, solitudine delectabaris, & solitariā te Angelus inuenit átque salutauit. Non ita pulchræ sunt genæ mulieris, qualem Sapientia denotat, *Ornatu* (inquit) *meretricio preparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis*. Verùm vt taceam de eiusmodi, pudicarum omnium Virginum Viduarum, atque Continentium, pudor, siue pudicitia, religiositas, aut verecundia, tuis genis, tuis oculis comparata, non est verecundia, non est pudor, non est, aut vix meretur dici pudicitia.] Sumit pudicitiam non pro castitate & sanctimonia corporis, sed quod ipse vocis cortex præfert, pro studio pudoris, & verecundiæ cura, ac (vt mox addit) moderamine decentissimo oculorum, & in genis sublucente colore virtutis, iuxta antiquum de rubore pudicè verecundantis pronunciatum.

Idem Rupertus eodem libro 1. circa illud, *sicut fragmen mali punici genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet*, sic differit de B. V. verecundia. [Genæ tuæ sicut fragmen mali Punici, id est verecunda es, sicut decet Virginem longè dissimilem filiabus illis quarum cuilibet dicendum fuit, *Frons mulieris meretricis facta est tibi, & erubescere noluisti*. Fragmen mali Punici, & rubet, & ampliùs quàm integrum malum redolet Sic & tu singulariter verecunda es, & multis per bonam opinionem, in bono exemplo proficies. Quid autem est dicere, *absque eo quod intrinsecùs latet*, nisi ac si diceret; & illud quod intùs in conscientia latet, ampliùs laudabile est. O verè laudabilis verecundia, vbi & intus conscientia munda, & foris facies verecunda est. Nam vbi est aliquid quo mens erubescat, non adeò laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia quid est, nisi religiositas summa? Et hæc virtus sine dubio malo punico debuit assimilari quia gratiosa est intuentium oculis, & interdum suo silentio non minùs ædificat, quàm sermo prædicationis.] Hoc postremum dicit propter mala punica in sacerdotis veste, tintinnabulis permixta quæ symbolum fuisse prædicationis ritè administratæ, continenter monstrat Rupertus. Quod autem verecundiam, & virtutem vocat, & religiositatem, laxè dictum est. Nam neque verecundia propriè loquendo est virtus, sed frœnum vitij; quandoque adiaphorum, vel etiam malum; neque cum adminiculatur virtuti, (prout hîc eam spectauimus,) refertur ad religionem, vt est per se euidens ex varia obiectorum diuersitate. Sed hæc suo loco discussa in Morali nunc missa facio, contentus multo magis valuisse in B. Virgine, quàm in Laurentio illo Mediolanensi, quod dixit de eo Ennodius in Dictione ad Honoratum Nouariensem. [Vernat in eo boni operis princeps, & honestatis mater verecundia.]

25. Modestia exterior interioris index in Virgine fuit planè eximia. S. Ambros. suis coloribus hunc virtutum florem pinxit in Virgine libro 2. de Virgin. Addo insignem locum Anonymi, descriptum à Richardo de S Laurentio lib. 5. tit. *de corporea pulchritudine Deiparæ*. [Ad membrorum beatæ Virginis excellentiam singularem laudes humanas addere necesse non est, cum ex vita illius sanctissima, totius virtutis forma resplendeat. Eius quippe in terris conuersatio, & omnibus sanctis imitanda proponitur, & etiam Angelis admiranda efficitur; quæ siquidem non solùm delectabat, sed & diuinos prouocabat aspectus. Quid enim aliud membra illius erant, nisi quædam spirituales linguæ, quas Spiritus sanctus sui plectro temperans modulaminis, suæ digitis præsentiæ, mouebat in harmoniam Angelicæ similitudinis. Idem namque Spiritus, qui eius animam sui furore caloris accenderat, membrorum quoque officia in eandem habitudinem suspendebat. Vnde nihil aliud in suis motibus resonabat, nisi nectar diuinæ humanæque sapientiæ, expressam de illa ineffabili suauitate, quam in Trinitate Patris & Filij & Spiritus sancti, maiestatis diuinæ essentia parti communicat, vel concordia. Ad huius puritatis excellentiam, nullam alicuius sancti pertingere scimus sanctimoniam, nisi soliùs Mariæ. quæ tanto Diuinitati erat vicinor, quanto Spiritus sancti muneribus ornatior, qui membra eius velut in quadam virginitate, idest, omnino in sanctitatis integritate custodiebat, vt nulli omnino subiacerent corruptioni, dum mundanæ vanitatis, vel carnalis illecebræ nulla colluuio, sibi aliquid ex eorum vsurparet officio]

26. Guerricus quoque serm. 1. de Natiu. B. Virginis perpulchrè differit de hac Virginis modestia, tractans illud Ecclesi. 24. *Flores mei, fructus honoris & honestatis*. [Non ait *flos* (inquit) sed *flores*, quia cum Virgo sancta est, flos Virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen, gratia singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus & foris, tota vernabat quadam florulentia & venustate pudoris. Nam & in te quoque, si castimonia perfecta sit, non solum reflorebit caro tua, sed & super te totum efflorebit sanctificatio quædam diuina. Non erit aspectus petulans aut vagus, sed pudicitia floridus: non sermo lasciuus aut ineptus, sed verecundia gratus, aut sapientia conditus Non prurient aures libidine audiendi noua, vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dulcia. Non erit incessus inordinatus, sed modestus. Non ipse habitus, non dicam meretricius, sed neque superstitiosus, imo religiosus, totiúsque hominis tui status, sanctimoniæ gratia florulentus.] Eiusmodi ergo fuit in Virgine compositio exterior vniuersa, siue modestia quandoquidem de perfectione castimoniæ in ea, ambigere nullatenùs licet.

Eundem externum B. Virginis hominem florulentum, & modestissimè compositum, exhibet scitè quoque Damascenus orat. 1. de Natiu. Virg. *sub finem*, alloquens ipsam [Quonam modo grauissimum tuum incessum exprimam? Quonam modo amictum? Quomodo oris tui venustatem, senilem in iuuenili corpore prudentiam? Honestus vestitus, mollitiem omnem ac luxum fugiens. Gressus grauis ac sedatus, atque ab omni mollitie remotus. Mores seueri, atque hilaritate temperati: Ita comparata eras, vt ad te nullus viris accessus pateret. Testis est metus ille in quem ex insperato Angeli alloquio incidisti. Parentibus morigera, & dicto audiens. Animus humilis in sublimissimis cótemplationibus. Sermo

Sermo iucundus ex leni anima progrediens. Denique quid aliud quàm Dei domicilium; [Quæ Galatinus l.7.de Arcanis c.5 in hoc Virginis decus protulit, eximia sunt. Versans enim locum ex cap. 61. Esaiæ, *induit me vestimentis salutis, & indumento Iustitiæ circumdedit me*, hoc iustitiç indumẽtum circundans interpretatur, aptissimam omnium Virginis membrorum, à vertice (vt ait) capitis, ad vngues vsque pedum, omniúmque sensuum compositionem vt idem sit, circumdedit me, ac, *vndique & ex omni parte valleuit me*. Quanquam quod cernulentam semper, & perpetuò figentem oculis terram, nisi inter orandum, imaginatur Deiparam, non pertinet ad consummatam modestiam: cuius est ita, oculos demittere, vt cum res fert, eosdem moderatè attollere non aueruetur. Saperet sanè ea pertinax oculorum deiectio, tristem habitum mentis ex nigrabile, à quo affectu longissimè abfuit *lætitia humani generis*, quo nomine B. Virginem signauit in eius laudatione S. Ephrem.

Clausula horti Virginei.

27 EST itaque Deipara hortus & paradisus virtutum omnium. Rupertus id elegantissimé & piissimè prosecutus est l.4. in Cant. tractans illud *hortus cõclusus soror mea sponsa* monstrans Virginẽ esse paradisum, primi terrestris paradisi antitypum, his præter cætera. (Ecce nouus Paradisus, nouæ plantationes quas plantauit vnus idemque antiqui paradisi plantator, dominus Deus. *Plantauerat autem Dominus Deus* ait scriptura *paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Ille est paradisus antiquus, paradisus nouus, paradisus cœlestis. Vtriusque plantator est vnus, idémque Dominus Deus. In illo posuit hominẽ quẽ formauerat, in isto formauit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De ista humo produxit omne lignum pulchrum visu, ad vescendum suaue lignum etiam vitæ in medio paradisi: Istam humum, istam terram suam benedixit & ex ea cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitæ Christum, Deum & hominem dominum paradisi cœlestis, de illo voluptatis loco egrediebatur fluuius ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita, De isto paradiso, ille fluuius, siue illud flumen egressum est, de quo Psalmista dicit? *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, qui inde diuiditur in quatuor Euangelia.) Plenissimè idem prosequitur, & hunc nouum paradisum veteri longè anteponit, Rich. à S. Laurentio l. 12. *ab initio.*

28 Dignus est qui huc aduocetur SS. Virginis studiosissimus Fulbertus ferm. 1. de eius Natiu. vbi hæc in rem præsentem præter cætera. [Confidenter asserimus quod nullo genere virtutum vacabat, cui plenitudinem inesse gratiæ Dei nuncius asserebat, Constanter etiam asserimus, quod anima ipsius & caro quam elegit, & habitaculum sibi fecit sapientia Dei Patris, ab omni immunditia & malitia purissima fuit, attestante Scriptura quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.] Verũ hoc nequaquam satis est: Nam depulsio sordium, non esset idonea aptatio diuinæ habitationis, nisi adiungerentur virtutum ornamenta, quæ decenter conuestirent & positiuè excolerent Dei domum Ita igitur fieri necessariò debuit in B. Virgine, vt esset dignum Deo domicilium. Et hoc est quod vult eo loco Fulbertus, per remotas sordes, abactam omnem animæ maleuolentiam Deum arctitatam exprimens virtutum omnium confluxum in animam B. Virginis, quæ illam vt Petrus Chrysologus ferm. 146. loquitur *collegium sanctitatis* effecerunt. Quo pertinet quod statim addit Fulbertus. [Depromebant itaque virtutes in cogitatione & affectu cordis eius, ineffabilem harmoniam quam ipsa creatrix & inhabitatrix eius, Dei sapientia delectabatur audire. Coruscabant foris in superficie sermonis & actus, vnde meritò possent homines glorificare Deum, & exempla salutis accipere.] Hoc est dicere nullum virtutis genus virgini defuisse, siue earum quæ interiùs occupantur, siue earum quæ externis obiectis distinentur. Et considerandum est cum Richardo Victorino suo cap. 26. in Cant. virtutes B. Virginis, non vt in nobis aduentitias plerumque fæces habuisse admixtas, sed synceras & puras fuisse. [Habuit (inquit) virtutes sine perturbatione vel passionibus vitiorum, & has possedit amore earum delectata, & gratia adiuta. Ideo in ipsa virtutes erant perfectæ, & in continuum vsum transfusæ, vt nihil aliud quàm bonum saperet, vellet, sentiret. Talis fuit in virtutibus subdit hanc esse causam, cur prædicata sit tota pulchra, quandoquidem in terris degens Angelicam puritatem, & diuinam similitudinem, morum perfectione, virtutum speciositate, adepta est.

Pars II. punctum VI. hortus virtutum Deipara.


Furfur doctrinæ.

29. NEc huic loco deest furfur. Multi inter actus virtutis Deiparæ numerant quæ ad virtutem non pertinent, aut valdè parum & vix dignè Deipara pertinent. Eiusmodi sunt actus quidam de impossibili obiecto, Notus est mihi homo, huiusmodi mercium diues propola, qui longa & accurata (pro viribus dissertatione conatus est, medullam Christianæ perfectionis, in his actibus consistere; cuiusmodi est ille ex B. Augustino iactatus, *si Deus esset Augustinus*, &c. Huiusmodi actuum pretiositatem, is quem dixi minutarum mercium in genere Ascetico propola, (qui se *Paulum à S. Maria* oprat denominari, tametsi non est de gente non sancta vt Paulus Burgensis, similiter dictus Paulus à S Maria) pro Christianarum virtutum defæcatissima perfectione venditabat. In his cudendis, assiduam fuisse B. Virginem, commentabatur. Peritioribus tamen & solidioribus spiritualis vitæ Magistris, actus illi tum demum non improbantur, cum aliud non occurrit circa quod voluntas exerceatur. Nec tanta in illis actibus perfectio agnoscitur, vt vel multum commendanda sit de eis assiduè obeundis sollicitudo, vel B. Virgini à iugi eorum exercitatione pangendum videatur encomium. Virtus enim in actione consistit; vnde quo magis obiectum, propter impossibilitatem, ab executione remouetur, eo parcior, in actu circa illud versante, micet honestas necesse est. Vt quid ergo circa tale obiectum locetur opera, cum sint ad manum obiecta ad praxim reuocabilia, quibus per actus nostros attingendis, multo plenior quæstus existat? Huc verò est, vt alia in causa aiebat Aristo, canceros edere, & cum esculenta pulpa desit, circa crustas plurimas occupari. Non dico cum Vasque prima parte, disputatione octuagesima-tertia à n. 23. actum circa obiectum impossibile, esse duntaxat actum intellectus, quo pronunciatur, fore

vt voluntas exerceret verum actum, si obiectum non esset impossibile: qua ratione, actus circa impossibile obiectum, non est actus virtutis moralis qui soli voluntati, non autem intellectui insidet. Hoc inquam non dico; sed supposito quod verè dari queat actus præsens in voluntate circa obiectum impossibile, quod rectè statuit Bellarminus lib 2. de Pœnit. c. 5. & Suares l. 1. de gratia c. 30. n. 13. ac l. 7. de Angelis c. 12. à num. 13. & tomo 4. 3. p. d. 3. sect. 3. num. 3. aio tam tenuem in eo actu honestatem ob obiecti impossibilitatem sublucere, vt nō fuerit B. Virgini ex eo mustaceo captāda laureola, nec sit cur tanto studio infigatur iugis eorum exercitatio. Certè in Deo, cui omnes actus ab imperfectione præcisibiles tribuendi sunt, non solent Theologi, hos actus tanquam pretiosissimum diuinæ voluntatis censum recensere. Neque igitur in B. Virgine, congruum est, tales actus celebrare, tanquam præstantissimos omnium quos eliceret, & in quibus assidua esset.

Non nemo, inter virtutes B. Virginis, recenset eius paupertatem; & quidem vt specialem virtutem. Quod secundum, tanquam eximium Virginis decus, magnificari non ita pridem memini die Præsentationi Christi, & Purificationi Virginis sacro. Cum enim per occasionem munerum à B. Virgine ea die templo illatorum, celebrata esset à Christiano Oratore, paupertas voluntaria B. Virginis; quæ par turturum aut duos pullos columbarum, quod erat tenuium, obtulit loco hostiæ diuitum; Excursione facta in quendam sopirorum Armachani ignium suscitatorem, dicam illi eo nomine impegit, & quidem tanquam violatæ fidei Catholicæ reo, quod cum imminutione ornamentorum Deiparæ, & in euersionem voluntariæ Religiosorum paupertatis, dixisset, paupertatem non esse virtutem specialem. Id enim perinde esse contendebat Orator, ac negare, Paupertatem esse vnum de consiliis Euangelicis, & spoliare Deiparam, ornamento illius vnius specialis virtutis. Frustra quippe ac falsò & Deiparæ paupertas voluntaria celebraretur, & Christus Dominus paupertatem tanquam consilium Euangelicum proposuisset, si in paupertate voluntaria, veræ ac specialis virtutis ratio non cerneretur. Ita perferuidè, & magno cum æstu, pro Deip ac protuendo hoc peculiari eius ornamento, & pro vnius consilij Euangelici tutela, Concionator, in vrbe primaria, ad concionem plenissimam. Et suffragatus fertur Strabo, iunctis pauperum spiritu numerosis aciebus.

Hic necessarium est cribrum. Paupertatem voluntariam esse consilium Euangelicum, quisquis inficias iuerit, damnas esto. Eiusdem paupertatis gradus varios in Dei Ecclesia probatos, retinendos ac probandos esse tanquam sanctos, & meriti apud Deum refertos, ratum & fixum habetur, & qui id improbauerit, cum Gyraldo de Abbatis Villa, & Gulielmo à S. Amore damnatis iam olim erroribus, mulctator. Sanctissimam Virginem adamatæ voluntariæ paupertatis argumentum præbuisse, exhibitis egenorum muneribus, qua die Filium in templo stitit, extra controuersiam ponitor. Hæc inquam omnia, tot Sanctorum suffragatione, vel Ecclesiæ iudicio, ac piorum sensu, hactenus rata, exosculor; & nemo sanus communem Catholicorum existimationem ea in parte sollicitet. Itaque illud duntaxat discutiendum superest, an Paupertas sit virtus specialis, & qui ea in ratione specialis virtutis adimit Virg. reus sit habendus, imminutorū Virg. ornamentorū, & cōuulsi vnius consilij Euang. Hoc verò est, in quo Orator præ æstu impegit, & per crassam ignorantiam, dogma Catholicum cum placito philosophico vtrinque agitabili, vel etiam falso, confudit. Strabo autem (si verè suffragatus est,) non strabonem modò egit, sed planè cœcum in re morali. Quanta enim hallucinatio, & ignorantia quàm pinguis est, adeò abiuncta permiscere; Paupertatem quippe voluntariam, esse rem sanctam, & consilium Euangelicum Deo acceptissimum, est dogma Catholicum, quo nefas sit conuellere. Est autem philosophicum problema, an paupertas sit virtus specialis. Eius partem affirmantem tradit Aureolus quodl. 14. art. 4 & in 3. d. 33 q. 2. art. 2. Latéque Th. à I e s v in c. *nō dicatis* p. 1. c. 2. Imo ita esse certa fide tenendum, affirmat Barthol. à S. Fausto in Thesauro Religios. l 8. q. 15. Pars vero negans, insinuatur à Scoto in 3. d. 34. q. vnica *littera I.* quatenus tradit, duo esse tantùm primò concupiscibilia, è quibus petendæ sint subiectiuæ partes Temperantiæ; negátque ei binario adiungendum esse obiectum tertium nempè externas facultates, atque diuitias, quod sint merè bona vtilia. Idem docet ac probat Armacanus in defensione Curatorum, *Circa propositionem primam*, vbi in calce hæc verba habet. [Videtur nimis puerile ad istud probandum insistere cum nemo vt puto, nisi propter defectum in Physica, aut Logica, diceret oppositum. Subscripsimus nos quoque parti isti neganti, lib. 6. de virtut. num. 25. Et ratio breuiter est, quia diuitiæ sunt bona vtilia, iuxta illud, κτήματα, χρήματα, atque adeò diuitiæ non sunt amabiles nisi in ordine ad bonum cui deseruire possunt, nempe aut vitæ tuitionem, aut honorum, vel voluptatum adoptionem. Vnde earum amor, ab illa virtute negatur & modum accipiat necesse est, cuius est incumbere in finem qui diuitiarum amori præfigitur. Quare nullius est specialis virtutis, cui nomen Paupertatis conueniat, modum ponere amori diuitiarum, vel inducere ad earum abiectionem omnimodam, quod est Euangelicum consilium; sed id ad eam virtutem pertinebit, cuius honestati abiectio opum deseruiet. V. G. spectabit ad Religionem, si in opum abiectione quæratur expeditio ad obeundum Dei cultum: vel ad charitatem si quis se exoneret opibus vt effundantur propter Deum in egenos. Nudè verò in se sumpta opum abiectio, nullo apposito ei fine extrinseco honestante, adiaphora esset; nec vt sic, haberet rationem consilij Euangelici. En quanta pietatis anomalia, pro augendis per commēntitiam virtutem specialem Deiparæ honoribus, laborarit Christianus Orator? eique) si vera ferunt suffragatus Strabo, supra Vvalafridum, ac Glossatorem Fuldensem, Doctor profundus: Imò DoctorumPhœnix, sed qualem eam auem Tertulliani penicillus expressit.



PVNCTVM VII.

Gratiæ vniuersa quantitas in Deipara, à prima vitæ meta ad extremam



Spectatis iis quæ diximus de quantitate primæ gratiæ sanctificantis, collatæ B. Virg. in prima conceptione cum anima eius immissa est copori: Et iis item spectatis quæ tradidimus de variis modis augendi

augendi primam illam gratiam à Virgine per reliquam vitam, cruendum est quanta fuerit vniuersa B. Virginis gratia, cum in progressu vitæ, tum maximè in eius clausula.

Quantitas gratiæ in Virgine, ex eius causis vestigata.

1 GRatia enim prima, vt monstrauimus longè superauit primam gratiam cuiuscunque sancti, vt notum est ex terminis. Imo superasse quoque gratiam consummatam cuiuscunque singularis iusti, siue Angeli, siue hominis; vt hac etiam ratione fundamenta Deiparæ in montibus sanctis fuerint, omnino piè à quibusdam statuitur, consentaneè ad eximium optimi filij amorem, in optimam parentem, in qua complacitum est ei.

2 Cumulauit tam plenam támque confertam gratiæ mensuram, sacramentorum susceptio, & quidem frequens quoad Eucharistiam quæ sola ei erat iterabilis. Item iugis, & irrequieta meritoriorum actuum profusio, iam à primo conceptionis instanti, ad metam vsque vitæ, tam in vigilia, quàm in somno, cum plena, & accurata correspondentia ad omnem Dei impulsum; & cum maiori semper fructu quo plus progrediebatur, ob maiorem semper ac semper personæ ea gratia præhabita dignitatem, quæ ad meritum auctiùs confert. Quod B. Virgo in vigilia, & in somno quoque, semper elicuerit actum meritorium, non est quidem æquè certum de vtroque tempore. Est tamen admodùm verisimile. Et ita agnoscunt graues Doctores quorum aliquos adducit, & sequitur Antonius Fernandes de Moure, in Præceptum 1. Decalogi. cap. 2. §. 1. fauétque apertè Rupertus l. 5. in Cant. *sub initium*, tractans illud. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hæc rectè æstimanti, facilè patebit, gratiam B. Virginis post aliquot vitæ annos fuisse propè immensam. Sub tempus verò conceptionis Verbi Dei, fuisse magnam supra omnem æstimationem nostram. Necesse denique esse, calculos omnes, & quascunque arithmeticas subductiones nostrates, & numeros, deficere si eius gratiæ cumulum spectare placeat in vitæ meta, post tam diuturnam annorum supra 70. in iugi, & ne per somnum quidem interrupta, tam pretiosorum actuum exercitatione, & tot Sacramentorum susceptione, cum luculenta semper dispositione. Non dico, gratiam Virginis etiam in fine vitæ, fuisse infinitam re ipsa; Aio tamen tantam fuisse, vt confortata sit, & non possimus ad eam, vel concipiendam animo, vel oratione exponendam.

Probatio quantitatis cumulatissimæ quam in gratia Deiparæ agnoscimus, petita hactenus est ex causis eius proximis: sin minùs physicis, quod tamen de sacramentis nouæ legis multi asserunt, & de actibus non nemo haud ita pridem asseruit; (Videsis Gamachæum agentem de augmento charitatis, illúdque physicè ab actibus effici, agnoscentem: nec displicet Carboni in summa Morali Trac. 3. L. 3. cap. 5. dicto 4. & 5.) at certè moralibus, ad quarum præsentiam Deus non secùs gratiam infert, quàm si sacramenta illa vel actus, physicè agerent.

Item ex amore Dei in Virginem.

3 NVnc addenda est probatio alia moralis, ex amore Dei in B. Virginem. Quia cum amor facit omnia communia, vt habet vulgata parœmia; dubitari non potest, quin Deus sommoperè amans Virginem, quam ad tantum munus præelegit ab æterno, ditauerit eam bonis suis proportionatè ad amorem: quem feracem esse istiusmodi communicationis, docemur quotidiano aulicorum exemplo, qui pro proportione gratiæ qua apud Principem valent, affluunt diuitiis, per Principis liberalitatē. Cum ergo diuitiæ supernaturales, non aliæ sint à gratia, vel in ea radicentur, dubitare non licet de confluxu gratiarum in Virginem, per Dei beneuolentiam erga eam. Adiungi in eam rem posset consideratio Ruperti l. 1. de operibus Spir. sancti c. 7. & 8. nisi principio alibi conuulso niteretur. Sic ait enim tantum fuisse Dei amorem erga Virginem, vt propter eius amorem, amauerit quoque Synagogam siue populum Iudæorum. Sed quia hic Dei amor in Virginem, supponit alibi improbatam sententiam Ruperti de Christo, & Deipara ante peccatum prædestinatis, non immoror ei probationi amoris Dei erga B. Virginem. *Pars II. Punctum VII. Summa gratia in B. Virgine.*

Quod si Deum hominem spectemus, multò apertius erit, quantis opibus spiritualibus abundare par sit matrem Christi, ne erubescere cogatur copiosissimus filius, egente matre, quam, & per naturæ leges, & per beneficia quibuscum ipsa obstrinxit, diligere ardentissimè debuit. Consideratio sapidissima S. Anselmi l. de 4. virtutibus B. Mariæ c. 8. [Deus filius, (inquit,) consubstantialis, & coæternus, & coomnipotens Patri, editus ex Patre ante tempora, sine matre: voluit nasci de matre, sine patre sub tempore, elegítque hanc puellam pro amore quem habebat erga eam, in quam tota Diuinitas influeret & quæ Dei & hominis genitrix fieret. Amauit ergo eam antequàm nasceretur, vt esset de qua dignè nasceretur. Paruúsne hic amor est, vt faceret ea filia matrem, ex creatura, creatoris genitricem? Nec post partum amor defecit, imò incomparabile augmentum accepit. Sicut enim omnes homines ex vtroque parente geniti, departiuntur amorem in vtrumque parentem, ita Dominus Iesus ex matre genitus sine Patre, patris, & matris soli matri debuit, & persoluit amorem.]

4 Paulo pleniùs hoc ipsum argumentum amoris Christi in matrem proponit lib. de Excell. Virg. c. 4. vbi illud quoque argumentum quod ducitur ex cumulo bonorum Virgini ab optimo Filio concessorum, non prætermittit. Concludit verò in hunc modū (Quid ergo hîc dicemus; Estne putatis vlla mens hominis, quæ modum huius dilectionis quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare: quando & illi quod charius amabat (virginitatem illibatam) sic integrè seruabat, & eam tam dignè & castè fœcundatam, sui ipsius matrem fecit? Poteste quæso vllus hominum, aut Angelorum, istius amoris immensitatem penetrare, vel dignitati amoris illius quidquam cogitatu percipere compatabile; Erigite obsecro fratres mei, erigite aciem mentis vestræ, ad contemplandum tam ineffabilem & stupendam omni seculo huius mulieris gratiam & exaltationem.) Optimè, ea amore, ad gratiam ex amore communicatam adrepsit, est enim necessarius eorum nexus. Hæc tamen probatio sanctitatis Deiparæ prout proposita est, reducitur ad amorem, quo Deus vt sic, B. Virginem est prosecutus. Nam vt sic, seruauit eam concipiendo Virginem, & sibi Matrem, eam delegit. Quanquam facile est simile argumentum texere ex bonis quæ à Christo iam nato, matri optimæ obtigerunt. Nam quia non videt, quantum gratiæ cumulum, assidua per annos

triginta quatuor, conuersatio cum Filio conuehere debuerit tum in tenera pueritia Christi, tum eo iam prouectiore? Et quidem in tenera ætate, cum & sedulitas matris erga sobolem, reciproco Christi erga eam amori, perennem dabat ocasionem. Sola basia, & contactus pueri, beatam parentem reddere idonea erant. Nam si ut est apud Tertullianum lib. de Resurr. carnis; Limus in manus Dei ad figurandum Adamum perueniens; satis beatus fuit, quia solummodò contactus; quanto beatior Deipara, quæ non vt inanime lutum sed vt amore ciente amorem flagrantissima, à Deo contingebatur. Mulier profluuio sanguinis ægra, vt philosophatur Richardus l. de differ. sacrificij Abrahæ & Mariæ, contacta obiter Christi fimbria, retulit sanitatē: Quantò ergo iustius est immensa beneficia Virgini ex continuo, & quidem obsequio, & amorem prouocante, Christi contactu, obuenisse? Conuersatio verò cum Christo iam grandi, non carebat perpetuis gratiæ accrementis, amore Christi in Virginem continuatis obsequijs magis semper ac magis cumulato. Et vt defuissent obsequia, solus Christi conuictus, amorem mutuum incendebat; cum Christus, (quod ab eo dici solitum refert Origenes homil. 3. in Ierem.) rectè de se pronunciaret, Qui iuxta me est, iuxta ignem est.

Gratia Virginis abyssus, iuxta Patres.

5. EX his coniectari facilè potest, hoc gratiarum mare non posse per nos peruadi. Quare quod SS. Patres de tanta gratia agentes, facere solitos video, stupeamus ad eam, & admiratione defisi fateamur nos esse impares tantæ gratiæ pertentandæ, considerationis nostræ bolide. Iuuat referre nonnullorum Patrum dicta, de hac gratiæ velut abysso in Deipara. S. Epiphanius orat. de laudibus Deip. attingens exordium salutationis Angelicæ, quo Virgo dicta est *gratia plena*, habet hæc verba. [Gratia B. Virginis est immensa.] Et mox, eam vocat, [mare spirituale, habens gemmam cœlestem Christum.]

Damasc. orat. de assumpt. [Virgo vitæ thesaurus, gratiæ abyssus immensa.] Et orat. 2. de Natiu. Virg. [Tota spiritus thalamus es, gratiarum pelagus.

S. Anselmus de excell. Virg cap. 8. alloquens Virginem. [Immensitatem gratiæ & gloriæ & fœlicitatis tuæ, considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit.]

S. Bernardus serm. 3. de annunc. *sub finem*, ad illud *inuenisti gratiam apud Dominum*. [Quantam (inquit,) gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem, an generalem? Vtramq; sine dubio, quia plenam, & eo singularem quo generalem. Ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eo inquam singularem, quo generalem. Nam sola præ omnibus, gratiam inuenisti. Singularem, quod sola hanc inueneris plenitudinem. Generalem, quod de ipsa plenitudine, accipiant vniuersi.]

6 S. Hildefonsus serm. 3. de Assumpt. sic habet de S. Virgine. [Apud Dominum quanta pensanda sint eius merita, vel cogitanda præmia, puto quod nemo est qui ad purum edisserat, nisi qui potest verè perpendere, qualis vel quanta sit ista gratia, qua repletur ipsa? per quam venit in mundum Dei maiestas.] Nimirum quia B. Virgo accepit gratiam pro gratia, & per eam gratiam qua aptata est vt Dei mater congruè esse posset, promeruit imperfecto illo modo vt Deus ex ipsa carnem assumeret, ac veniret in mundum. Mox addit dona B. Virginis fuisse *immensa*. Rursusque inferiùs, illam Angelorum admirationem, *quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus mirrha & thuris*, ait venisse *de immensitate gratiæ B. Virginis*, quia vniuersæ virtutes in ea, respergebant ea incendio diuini amoris, suauitatem odoris]

Petrus Venerabilis lib. 3. epist. 7. propositione 2. [Quantum ad morum puritatem, quantum ad vitæ perfectionem, quantum ad omnium virtutum sanctificationem pertinet, B. Virgo etiam in carne posita, omnem creaturam vel humanam vel Angelicam, summè transcendit.

Amedeus Lausan. homil. 7. agens de Virgine post Christum in terris superstite. [At illa residens in arce sublimissima virtutum, & pelago diuinorum affluens charismatum, abyssum gratiarum, qua cunctos excesserat, credenti & sitienti populo largissima emanatione profundebat.]

Richardus Victorinus suo cap. 26. in Cant. [Meritò prædicatur pulchra, quæ & diuinam & Angelicam similitudinem in terris est adepta. Et quia humilitas locus est gratiæ Dei, adeò vt tantum gratiæ capax sit aliquis, quantum fuerit humilis, sicut virtutem hanc perfectè, & totam possedit, ita totam eam gratia impleuit, totámque decorauit.] Benè humilitatem locum vocat gratiæ Dei, nam Deus emittit fontes in conuallibus, & inter medium montium pertransibunt aquæ, vt Psaltes ait: Idest interprete D. Augustino ibi, gratiam Dei quæ *aquæ* nomine in scripturis venire solet, declinans à montibus, defluit ad valles, quod aliter, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sicut ergo B. Virgo fuit eminentissimæ humilitatis, ita & gratiæ fuit exuberantissimæ ac perfectissimę.

S. Bonauentura in speculo Virginis lect. 5. tam multa, támque excelsa, de hac gratiæ Virginis magnitudine tradit, vt nimius propè posset videri, nisi pius affectus potiùs, quàm nonnullorum eius verborum cortex attenderetur.

7. Agnoscunt ergo Patres & sacri Doctores, insignem omnino gratię quantitatem in B. Virgine. Idipsum aliis verbis efferunt alij Patres, cum dicunt B. Mariæ collatam esse gratiæ plenitudinem. Non me latet, quàm varijs modis, ea plenitudo gratiæ per Patres Virgini attributa, accipi posset. Rich. à S. Laurentio l. 1. de Deip. c. 4 (*pag.* 138.) quatuor numerat gratiæ in Deipara plenitudines. Nouem. S. Bonau. in speculo lect. 7. At Toletus in c. 1. Lucæ annot. 67. septem proponit, totidémque Bernardinus in explicatione salutationis Angel. c. 13. Optimus tamen illius gratiæ plenitudinis sensus esse videtur, vt Virgo dicatur gratia plena & plenitudinem gratiæ adepta, quia non accepit stillam gratiæ vt ferè contingit aliis, sed omnino ingentem quātitatem gratię adepta est, præ qua cumulus aliorum SS. gratiæ, videri possit portiuncula duntaxat. Id enim sonat vox *plenitudinis*, comparata ad aliorum diminutionem. Nec alia mens iis fuit, qui in Virginem, omnem gratiam confluxisse, pronuntiarunt. Idem quippe est, *plenitudo gratiæ, & omnis gratia*, vt ex D. Augustino notauit S. Bonau. in speculo lect. 7. perpendens illud, *omnia flumina intrant in mare*, quod ad Virginem accommodat, in quam omnia sanctorum charismata intrasse dicit: subditque non esse mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam (vtpotè gratia plenam,) gratia ad omnes defluxit. Omnem igitur gratiam, idest plenissimam & exuberantissimam gratiæ mensuram, tribuunt Deiparæ Patres. Andreas Cretensis orat de Virg. dormit. Virg. vocat, omnis sanctitatis thesaurum. Petr. Dam. serm.

serm. de assumpt. eam nominat, locum voluptatis omnibus gratiæ diuitiis cumulatum. Rich. à S. Laur. l. 3. priuilegio octauo, habet similia.

Fuit terminus extrinsecus, gratiæ purarum creaturarum.

8 EX dictis rectè concluditur, B. Virginis gratiam tantam fuisse, vt meritò statuatur terminus extrinsecus, respectu gratiæ omnium, & hominum, & Angelorum, vt Suares optimè admonuit l. 9. de gratia c. 6 num. 8. & 9. Certum est enim, nullam puram creaturam peruenisse, aut peruenturam esse, ad mensuram gratiæ quam sortita est B. Virgo. Eóque nomine sancti passim celebrant Virginem, tanquam sanctiorem Angelis, & longè post se, ac subtus se relinquentem omne quod est aut dicitur sanctum infra Deum: ita vt S. Damasc. orat. 1. de dormit. Deip. dicat; inter matrem Dei, & seruos Dei, infinitam esse distantiam. Et video astipulari passim cœteros Patres. Libo nonnullos.

9 S. Epiphan. orat. de laud. Deip. [quo pacto (inquit) beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existit: naturâ formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico.] *Naturâ Superiorem* vocat, non collata natura humana cum Angelica (sic enim vinceret Angelica, quippè spiritualis,) sed vsurpando vocem *natura*, pro eo quod est *verè, & reipsa*. Quem illius vocis vsum, apud Apostolum dicentem, nos nasci natura filios iræ obseruauit Anastasius in *ὁδηγῷ*. Itaque Virgo *naturâ formosior* idest per gratiam diuinitùs indultam, incomparabiliter pulchrior, est Angelis, verè ac re ipsa.

Petrus Damiani serm. de Assumpt. quoscumque sanctos præ Deipara, ait perinde se habere ac si non essent; nec plus lucere, quàm stellas in sole; & vtramque naturam, Angelicam inquàm, & humanam, superari ab ea, gratiæ immensitate. Et ser. 1. de Natiu. Virg. ait solum Deum excedere hoc opus suum cœtera omnia subtus eam iacere, quod cum constat non valere quoad naturam nudam, (vt præmisi.) valet quoad gratiam, & sanctitatem. Optimè serm. 3. de Natiu. Virg. [Quid mirum si hæc ineffabilis Virgo, in suis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cum, & ipsam generis humani naturam, excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non iudex Apostolorum Senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum, huic Beatissimæ Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit? sic namque ab Angelo dum salutaretur, audiuit: *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Quod, rogo, vitium in eius mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum; quæ adinstar cœli, plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium? *In Christo* enim, sicut per Paulum dicitur, *habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*. Nec mirum, si cunctorum merita transcendat mortalium, quæ, & ipsam superexcedit celsitudinem Angelorum.]

10 Richardus à S. Laur. lib. 3. priuilegio 8. [B. Virgo omnes sanctos, veteris, & noui testamenti supergressa est, non in quibusdam, sed in singulis virtutibus. Vnde dicit Cant. 7. *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi seruaui tibi.* Virtutes, & opera virtutum, appellantur poma propter refectionem, quia sunt cibus animarum; & propter sanitatē, cibus enim sunt infirmitatum; & propter odorem quia delectant, confortant, & refouent audientes, currentes in odoribus huiusmodi vnguentorum. Vnde Iob. 9. *Dies mei transierunt sicut naues poma portantes.* Dicit ergo, *omnia poma noua & vetera*; idest omnia priuilegia sanctorum noui, & veteris Testamenti in me collecta, & commassata, *seruaui tibi*; Custodiui scilicet in me, tibi attribuens quicquid boni habeo, & non meritis meis, quia *gratia Dei sum id quod sum* 1. Cor. 15. Et propter hoc dicitur Prouerb. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias.* Vide lib. 10. titulo. Vbi Maria comparatur lapidibus pretiosis. Voluit siquidem Christus, vt omni pulchritudini participaret mater sua, & esset mulier ex omnibus sicut dicitur Eccles. 7. Quære lib. 6. tit. *quod Maria mulier.* Propter quod eleganter dicit de ea quidem.

Sol, Luna Lucidior.
Et Luna Syderibus:
Sic Maria dignior,
Creaturis omnibus.]

Pars II. Punct. VII. Summa gratia in B. Virgine.

11 Philippus Abbas eadem comparatione in hanc rem vtitur lib. 6. in Cant. c. 10. [Luna sua, vt aiunt, non splendet lumine, sed magis alieno, & quod à sole accipit, refundit cœteris corpore pleno: ad lucendum quidem nocti specialiter assignata, sic solo Sole minor, vt stellis reliquis sit prælata: Sic etiam Virgo quicquid Lucis obtinet, quicquid gratiæ vel honoris, à Christo nouit esse qui est excellentiæ potioris: quo solo minor, ipsis sanctis cœteris principatur, nostras fugat tenebras, lucem reddere gratulatur.] Et lib. 4. eiusdem Operis c. 1. sic inducit loquentes de B. Virgine Angelos [Quæ est ista? Reuoluimus mulierum seriem præsentium vel precedentium ab antiquo, ex quo Eua quæ primùm facta est, consensum præbuit inimico; quarum multis diuersorum dona charismatum sunt indulta, interna mentis species, tam gratiæ, quàm industriæ manibus est exculta: Nullam harum huic similem possumus inuenire, sed hæc omnes inuenitur ineffabili gratia præuenire. Quæ est igitur ista cui soli datur excellentia specialis, vt mulier nulla prior, nulla ei posterior sit æqualis, vt nostro etiam videatur iam patrocinio non egere, imo, vt hominibus, ita, & Angelis, non natura sed gratia præeminere?]

Richardus Victorinus initio libri de differentia sacrificij Abrahæ, & Mariæ. [Quis audeat aliquem sanctorum, nisi solum sanctum sanctorum, Beatæ Mariæ Virgini anteferre, vel æquiparare? Indubitanter itaque, quod optimum est, tantæ Dominæ attribuimus.]

Piè admodum & pro solemni suo in Deiparam studio, diffusè Golielmus Paruus in illud Cant. 6. *Vna est columba mea*, cum recensuisset innumeram variè perfectarum animarum multitudinem expressam, adolescentularum, concubinarum, & Reginarum nomine, concludit Virginem præ omnibus spiritualibus Dei sponsis, vnam, & perfectam esse, omnibus quoad dona gratiæ supereminentem, supra omnem comparationem: & meritò spectato munere, ad quod sola diuinitus destinata erat concipiendi, & fouendi ipsummet gratiæ fontem Christum Dominum.

12 Grauiter, & eximiè, tametsi paulo fusiùs Petrus Cluniac. l. 3. epist. 7. propositione 1. vbi præfatus maiori,

iora charismata Virginis esse gratiam, & eius consectaria, subdit. [Hoc est charisma maius omnibus charismatibus: hæc est gratia, maior, vt sic dicam, omnibus gratiis. Hæc est, inquam, illa maxima, & superexcellens gratia, de qua Gabriël beatæ Virgini ait, *Aue gratia plena.* Hac gratia, hanc singularem Virginem, à tempore prolatæ Angelicæ salutationis, sic plenam vel repletam esse intelligo; vt ei aliquam creaturarum, siue cœlestium, siue terrestrium præferre nefas sit; conferre insuper absurdissimum sit. Hac virtutum vniuersarum gratia, cunctis creaturis excellentius illud omnipotentis Creatoris, non tantùm spirituale, sed etiam corporale hospitium impleri, & ornari decebat: vt sapientia Dei, quæ se delectari per singulos dies, quæ se ludere in orbe terrarum, quæ delitias suas esse cum filiis hominum, per Sapientem fatetur: quæ nec delectari, nec ludere, nec delitiari, nisi in sacris virtutibus, & sanctis affectibus, potest; in hac sancta, & super cœlesti virgine matre sua, præ cunctis hominibus vel Angelis virtutum gratia plena, magis delectaretur, luderet, deliciaretur. Præ cunctis plenè creaturis, & in terris virtutum gratia exornari, & in cœlis sublimi gloria illam decuit clarificari: quæ sola inter omnes creaturas, Matris Dei nomine meruit decorari. Nam cum multi dicantur Martyres Dei; cum multi dicantur Apostoli Dei, cum multi dicantur Prophetæ Dei, cum multi dicantur Angeli Dei, cum multi dicantur diuersorum ordinum sancti Dei: ipsa sola dicitur Mater Dei. Vnde iustum erat, vt iuxta quod Apostolus ad Hebræos loquitur. Sicut Moyses fidelis famulus in domo, sicut Christus vnicus filius dominans in domo: sic ipsa eius mater virtutibus, & gloria toti familiæ, post ipsum, in eadem principaretur domo. Sicut igitur est in ipsa singulare, ac super omnia post Deum, nomen Matris Dei: ita est singularis, ac super omnia post Deum, in terris, & in cœlis gratia, & gloria eiusdem Matris Dei.]

Tandem S. Chrysostomus Orat. de Hypap. agens de B. Virginis sanctitate. [Quid enim ea sanctius factum est? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non aliud quippiam siue visibile, siue inuisibile, inter opera Dei, melius ipsa inuenitur.]

13 Nec tantùm B. Virgo, est de facto superior sanctitate, & gratia omnibus sanctis qui sunt, aut fuerunt, vel erunt; sed nullus quoque est, fuitvè, aut erit sanctorum, qui possit ad quantitatem gratiæ eius peruenire, eóvè debeat aspirare. Quod Suares num. illo 8. rectè statuit; probátque ex eo quod augmentum gratiæ non parsatur nisi iuxta vires gratiæ, siue iuxta auxilia actualia quibus creatura præuenta, & roborata, assurgit ac sustollitur super altitudines terræ, & particeps fit amicitiæ Dei. Atqui illa auxilia distribuuntur hominibus iuxta certam legem à Deo statutam, & pro beneplacito Dei exaltantis mansuetos in salutem, ad gradus varios. Et cum gradus Deiparæ sit sublimissimus, & eminentissimus inter puras creaturas; nemini suppeditata sunt, vnquámvè suppeditabuntur tanta, & tam illustria auxilia, etiam sufficientia, quanta sunt suppeditata Deiparæ. Igitur nemo sanctorum pertingere vnquam potuit, poteritvè, ad gratiam, & sanctitatem B. Virginis: Estque ea gratia, terminus extrinsecus gratiæ, respectu omnium purarum creaturarum. Non quod sit minimum quod non, gratiæ sanctorum, vt philosophicos terminos vsurpem: (fortassis enim Sancti, nec ad multo inferiorem gratiæ gradum pertingere extrinsecè potuerunt;) sed quod nullibi infra Deiparam, sit, fueritvè, aut futura sit potestas pertingendi ad gratiam eius: quia sic decuit sustolli matrem præ famulis, vt paulo ante cum Damasceno loquebamur.

An Enoch quoque, & Elias, meritis, & gratia, Iubitus Virginem.

HOc cum sit extra controuersiam quoad omnes alios sanctos, fuit tamen qui subdubitandi occasionē ingereret, quoad Enochum, & Eliam. Hos siquidem sanctos, adhuc superesse, infra statum beatitudinis, & necdum morte perfunctos esse, sed translatos in sedem refrigerij, morte non gustata, tandem appetente mundi fine reuersuros, vt cum Antichristo depugnent, & pro vera fide subeant martyrium, videtur Ecclesiæ traditio cui perperam obstrepuit Alcasar in c. 11. Apocal. v. 3. not. 6. Validè verò eam traditionem firmant. A Costa l. 3. de temp. nouiss. à c. 6. Suares l. 5. contra Iacob. c. 14. & t. 2. 3. p. d. 55. Delrio in c. 6. Genes. ad vers. 3. num. 22. Tens l. 3. Isagoges difficult. 16. sect. 5. Maluenda l. 9. de Antichr. à c. 6. à quibus proferuntur in hanc rem innumeri alij. Supposita autem ea doctrina, Blasius Viegas in c. 11. Apocal. sect. 4. inhærens principiis generalibus de statu viatorum, & capacitate merendi in omnibus iustis mortalitatem nondum transgressis, affirmat Enochum, & Eliam reipsa mereri nūc quoque, post translationem suam, & merituros gratiámque sanctificantem auctiorem comparaturos, quousque felici morte consummentur in fine sæculi. At hinc ingeritur dubitatio, ne per meritum tot sæculis continuatum, adeo exaggerent suam gratiam sanctificantem, vt superet gratiam sanctificantem Deiparæ. Quamuis enim actus singuli eorum, non æquent intensione, ac perfectione actus singulos Deiparæ, tamen tam longa per spatium tot sæculorum accumulatio actuum meritoriorum, ne somno quidem, aliisvè humanæ vitæ necessitatibus interrupta, videtur supplere posse quod intensioni ac perfectioni cuiuslibet singularis actus deest. Quidni igitur cumulum gratiæ, Virginis meritis hic ab ea per annos circiter septuaginta elicitis comparatæ, adæquet cumulus gratiæ, per adeò multiplicata horum sanctorum merita acquisitus. Nec adæquet tantum, sed etiam superet.

Versans hanc difficultatem Thomas Maluenda l. 9. de Antichristo. c. 5. *ad finem* supposita continuatione status merendi in Enocho, & Elia post translationem cui continuationi haud grauatè adscribitur, imprimis ait se non dubitare, quin in vitæ clausula, sint actibus meritoriis superaturi, non modò omnes, & veteris, & noui Testamenti Sanctos, sed etiam B. Virginem. Quicquid tamen sit de aliis sanctis præsertim de Apostolis, quid Deiparam neget Maluenda, Enochum, & Eliam numero licet actuum meritoriorum superiores, etiam sanctificantem adæquare, siue eius merita prout feracia gratiæ habitualis. Deus enim matri suæ etiam in prima sanctificatione, maiorem gratiæ cumulum ab æterno prædestinauit, & in tempore contulit, quàm Enoch, & Elias in toto vitæ adeò longæ decursu essent comparaturi. Itaque actus meritorij quos elicuit Deipara, licet numero pauciores, erant tamen intensione ac perfectione, & proinde feracitate gratiæ, atque valore, potiores, actibus extensiuè multo pluribus per Enochum, & Eliam vita vniuersa profundendis. Non enim quo plures, sed quo perfectiores fuerint

fuerint actus hic eliciti, auctiorem gratiam sanctificantē pariunt. Eique cumulo gratiæ sanctificantis, ex opere operantis comparatæ, vult Maluenda adiungi cumulum gratiæ ex opere operato, à Deipara per annos viginti quatuor quibus Christo superstes fuit assidua præsertim Eucharistiæ perceptione acceruatum; quomodo augendi gratiam destituti sunt Enoch, & Elias, quos nemo finxerit, frequentasse post Christum Christiana sacramenta.

Hæc quamuis non sine prorsus improbabilia, & & ad elidendam vel eludendam difficultatem propositam possint vtcunque proferri mutuéque non parum possit maior sanctitas personæ operantis penes quem sequens meritum crescit tamen pungit semper aculeus ex tam longa, & nunquam interrupta sanctorum operum continuatione, magna semper, præsertim post translationem, alacritate atque intensione elicitorum. Quem aculeum multò facilius est hebetare, aut etiam reuellere, inita aliam sententiam de statu meriti abrogando his sanctis viris, eo toto intermedio tempore quod à translatione occæptum, prorogabitur vsque ad eorum regressum ad prædicandum, & mortem oppetendam. Tradunt eam sententiam Vasquez 1.2.d.216.c.4. Suarez l. 12. de gratia c.15. num.9. & t. 2. 3.p.d.55. sect. 1. Pererius l. 7. in Genes. q.5. de Enoch, (quamuis priorem quoque responsionem adhibeat) Cornelius in c 4 Genes. v. 27. quæsito 3. & ferè recentiores. Hac autem doctrina supposita, euanescit difficultas de adæquatione meritorum Deiparæ per merita Enochi, & Eliæ, quatenus feracia gratiæ, ob recisa tam multa sæcula à statu viæ eorum ea capacitatis merendi, per quæ sæcula continuatio, profusionit meritorum, difficultatem faciebat. His quippè sæculis recisis ætas Eliæ inter nos superstitis cum merendi aptitudine, & tempus quo post regressum hic durabit non pertinget ad annos 70. vt latè subducit Ægidius Camartus in opere de Elia c. 7. sect. 1. Enochus verò quamuis raptus sit post vitæ annos 365. tamen spectatis operum, & personæ conditionibus non attinget, nedum exæquabit gratiam à Deipara partam intra annos 70.

Furfur doctrinæ voluntaria hyperbole circà comparationem gratiæ B. Virginis, & purarum quarumuis creaturarum

14 Circa hanc veluti immansitatem gratiæ, quam sortita est Deipara, inualuit ab aliquot annis opinio, iam olim à Maytonio repudiata in 3.d.3 q.1. artic.10. quam nolim absolutè inter doctrinæ furfures recencere, eo quod ea magna erga Virginem pietate sit profecta, & à viris doctis sit tradita; tamen idcirco seponenda visa est, & in hunc Angelum conijcienda, quod est necessaria non sit ad virginis decus agnoscendum, & mera diuinatione nitatur, vt Vasques 3. p.d. 119. num.80. pronunciauit, nec quæ ad eam stabiliendam hactenus à variis sunt adducta, sint tenera firma, ac solida.

Sunt igitur qui contendant, gratiam B. Virginis, non modò absolutè esse permagnam, & tantam vt nemo singularis sanctus ad eam vnquam peruenerit, vel peruenturus sit, ac ne peruenire quidem potuerit, aut possit; quod hactenus astruximus: sed etiam contendant respectiuè tantam esse, vt si conferantur cum gratia omnium simul sanctorum Angelorum, & hominum, omnésque gradus extensim gratiæ, per puras omnes creaturas Virgine inferiores sparsæ, coalescant in vnam intensionem; futurum sit, vt solius Virginis gratia, sit maior & intensior. Ita fusè Suarez 1.2.3.p.d.18. sect.4. Val. 3.p.d.2. quæst 1.p.5. Salax. in cap. 31. Prouerb. à n. 81. Spinellus in Throno Dei c.61.n.11. Barradius t. 1.l.6.c.16 Proferunt in eam rem nonnulla testimonia, & rationes. Ex testimoniis illud maximè ad rem facere videtur, quod Petrus Dam serm. de Assumpt. ait, Deiparam merita singulorum, & omnium titulos antecedere. Et quod ait Damasc. orat. 1. de assumpt. inter Deiparam, & seruos Dei, infinitam esse distantiam. Et ita reuelatum esse S. Thomæ Cantuariensi habetur in libello ante annos certum quinquaginta edito, authore anonymo ex ordine. Minorum. Ibi enim legitur, [Diuo Thomæ Cantuariensi reuelatum fuisse diuinitùs, quod D. Virginis præmia gratiæ ac merita, longè excedant gratias, præmia, ac merita, omnium Sanctorum Angelorum, & hominum in vnum simul cumulum collecta.] Inter probationes ex ratione, eminet illa quæ dicitur ex maternitate. Quia enim ratione illius, Christus plus amauit Deiparam quàm Ecclesiam vniuersam, seorsim ab ea acceptam; sicut bonus filius bærea paternæ bæreditatis, plus diligit matrem; quàm vniuersam famulitium quantumuis copiosum ac multiplex: inde sequi videtur, B. Virginem plus solam accepisse gratiæ, quàm omnes simul sanctos collectiuè acceptos; quia gratia est id quo Deus aliquem sibi efficit amicum. Accedit quod B. Virginis gratia, accessit aliquatenus ad gratiam capitis, quia sicut Christus suffectus est Adamo, ita B Virgo suffecta est Euæ, factáque est adiutorium simile Christo, æquè ac Eua erat adiutorium Adami. Non potuit autem habere aliqualem rationem capitis, & reparatricis, ac mediatricis, quibus nominibus eam sæpè donant Patres, nisi de plenitudine eius, non singuli modo acciperent sed & omnes. Ac proinde supra omnium, etiam simul sumptorum gratiam, abundauit gratia eius; verúmque compensatur quod de hac forti muliere prænunciatum legimus, Prouerb. 31. *multæ filiæ congregauerant diuitias, tu supergressa es vniuersas*; non singulas duntaxat, sed vniuersas.

Pars II. Punctum VII. Summa gratia in B.Virgine.

15 Hæc omnia ægiè persuadent intentum. Et reuelatio quidem quæ præponebatur, non videtur admittenda, quia ex nullo probato Authore refertur; neque in tot Actis S. Thomæ Cantuariensis quæ diligenter conscripsere varij, sancto Martyri addictissimi, nulla mentio est talis reuelationis. Itaque dici absque sancti viri iniuria potest eam reuelationem esse suppositiam; neque S. Thomam, tale quid sibi reuelatum iactasse; sed ab aliquo, B. Virginis Zelo non secundùm scientiam flagrante, obtrusam se Sancto Martyri, nec plus euincitur propositis rationibus. Nihil enim efficiunt aliud, quàm esse in Virgine abundantissimam planè gratiam, præ qua cuiusuis sancti sigillatim sumpti gratia, vix plus quàm stilla videri iure possit; quod certum est, & extra controuersiam: sed non probant excessum illum de quo agimus. Quod manifestum est de locis Patrum, itémque de probatione petita ex aliquali multúmque diminuta ratione capitis, & reparatricis, ac mediatricis, ob productum Christum, eáque ratione omne genus boni conciliatum mortalibus. Hæc enim tametsi conuincunt gratiam Deiparæ debere absolutè esse permagnam, & gratia cuiuscunque sanctæ puræ creaturæ superiorem; tamen nequaquam probant excessum illum comparatiuum gratiæ Virginis, supra gratiam omnium purarum

creaturarum

creaturarum simul sumptarum. Quod verò postea obiiciebatur, Deum plus amare Virginem seorsim, quàm totum reliquum corpus Ecclesiæ, hoc negat Abulensis prologo 1. in Matth. q. 19. Et licet demus id admittendum esse, Christo vt homine prosequente matrem amore naturali quem filius ei debet à qua accepit esse; inde tamen nihil concluditur, circa gratiæ Virginis comparationem cum gratia sanctorum omnium: quia Christus vi tituli prædicti, non debet plus matri quàm omnibus, nisi in iis quæ spectant ad esse naturale; cuiusmodi non est sanctitas, & gratia. Itaque pro excessu gratiæ comparatiuo, cum omnibus omnino sanctis collectiuè sumptis, nihil profecto video quod eum inter solida Virginis decora, recensendum euincat.

Maternitas Dei, gratia formaliter sanctificans, recens inducta pietatis anomalia.

QVæ diximus, spectant quantitatem gratiæ Virginis, quasi continuam: nunc attingenda est noua pectoris heteroclisis circa quantitatem quasi discretam eiusdem gratiæ. Est enim qui recens, nouum genus gratiæ formaliter sanctificantis, & longè sublimiùs gratum facientis, iúsque ad gloriam conferentis, quam faciat gratia habitualis, in Virgine agnoscat; nempè Dei maternitatem. Hanc enim solam, seorsim à gratia habituali, sanctificasse Deiparam, & opera eius supernaturalia, digna reddidisse merito vitæ æternæ, contendit Martinus de Ripalda de ente supernat. disp. 79. *tota*. Fatemur quidem, Deiparam fuisse interuentu habitualis gratiæ sanctificatam, & iure vitæ æternæ donatam: Tamen etiamsi ea gratia abfuisset, potuisse eadem beneficia obtingere Deiparæ à sola maternitate, confirmat: illud in eam rem supponens, quod apud aliquos Theologos receptum est, gratiam sanctificantem, pugnare cum mortali peccato duntaxat moraliter, nec ea suo essentiali conceptu constituere hominem filium adoptiuum Dei; sed ea se tantùm conferre dignitatem in actu primo ad talem adoptionem: Ea suo autem sufficienti conceptu, constitui perfectione dignitatis cui debeantur principia supernaturalia ad omne genus obsequij supernaturalis.

Talem porrò esse maternitatem Dei, atque adeò maternitatem esse gratiam sanctificantem seorsim à gratia habituali, & non esse ordinis naturæ, sed spectare ad ordinem supernaturalem gratiæ, probat Author prædictus, ex scripturis, quibus gratia maternitatis celebratur, & Virgo ob maternitatem, gratia plena, & benedicta in mulieribus dicitur. Addensat præterea idem Author in eam rem, Patres qui summam Deiparæ sanctitatem per maternitatem, passim agnoscunt; sigillatim verò referendi non sunt hoc loco, quia Author cum quo agimus, eorum loca quàm sollicitè conquisiuit sect. 3. 4. & 5. & passim occurrunt similia iis quæ ab eo sunt prolata. Addit, præterea Author, argumenta à ratione: ac primùm ex sublimi dignitate maternitatis Dei; quæ tanta est, vt aliqui PP. citra omnem comparationem efferri dicant dignitatem Deiparæ, supra quæcunque iustorum decora. Inde oritur Deiparæ verum, & proprium Dominium in omnes planè creaturas, cui nec sancti Angeli, nec iusti quique reluctari valeant, sed parere iubenti teneantur; quod esse argumentum idoneum sanctitatis per solam maternitatem collatæ, inde eruit idem Author, quod dignitas nobilior dignitate gratiæ sanctificantis, non potest non sanctificare. Indidem Deipara habuit repugnantiam cum mortali peccato, quæ repugnantia est propria sanctificantis gratiæ. Item Deipara per maternitatem habuit similiter participationem Deitatis, propriam gratiæ sanctificantis, cum per maternitatem conferatur ius ad gloriam, quod ad sanctificantem gratiam sequitur. Præterea gratia sanctificans, confert mutuam cum Deo amicitiam, quam ipsam confert maternitas Dei: Tandem maternitas, corpus Deiparæ sanctificauit, & plurimas ei dotes supernaturales conciliauit. Hæc omnia Author cum quo agimus, magno apparatu testimoniorum, & argumentationum illustrat atque confirmat, concludens; agnoscendam esse hanc sanctificantem Deiparæ formam, non modò cum gratia habituali de vi formaliter sanctificandi certantem, sed etiam ea longè superiorem: ita vt supernaturalis dignitas maternitatis Deiparæ, digno exigentiæ moralis titulo, (quod solum habet gratia habitualis,) remoueat à suo subiecto peccatum cóferatque adoptionem in hæreditatem gloriæ; & seiunctim à gratia habituali, tribuat supernaturalibus virtutum operibus, valorem condignum coronæ gloriæ; quamuis hæc omnia physicè queant à maternitate diuidi, sicut à gratia habituali; & vtrique nouo Dei fauore coniungantur, quod ad formam personæ sanctificantem, & opera eius dignificantem, sufficere putat author cum quo agimus. Ex quo videtur illi eximium decus accrescere Deiparæ, quippè quæ per hanc nouam formam nulli alij iusto communem, sancta fiat, & quidem sublimiùs ac eminentiùs quàm vllus Sanctorum; sicut forma hæc maternitatis sanctificans Deiparam, est pretiosior atque dignior forma sanctificante reliquos iustos, puta gratia habituali.

Mihi vt ingenuè eloquar quod sentio, vt studium huius Authoris in exornanda Deipara, & ingenium quod vbique apud eum micat, hic verò in causa debili tuenda egregiè est prodiuum, commendatione dignissimum, ita noua hæc forma sanctificans Deiparam, anomalæ pietatis Virginis decora vndecunque captantis, germana soboles, repudianda videtur. Quod stabiliendum est, iactis principiis planè contrariis iis quæ aduersarius iecit. Et in primis, formam sanctificantem egere nouo Dei fauore vt sanctificet, non puto verum; contra quàm supponit principio aduersarius. Eóque gratis dato, fauore ex Dei decreto non adiungeretur maternitati Dei, sed quoad putas creaturas soli gratiæ habituali. Deinde maternitatem prout fundata est in influxu quem B. Virgo adhibuit in filij sui conceptionem, non admitto spectare ad ordinem supernaturalem, contra quàm etiam supponitur ab aduersario. Nam B. Virgo fuit verè, & propriè mater Christi, idipsum præcisè in conceptione filij exhibens, quod aliæ erga suos liberos. At liquet maternitatem aliarum matrum esse aliquid pertinens ad ordinem naturæ. Quod autem in conceptione Christi actiua, adiunctum fit aliquid quoad modum supernaturale, & quod illo ipso momento humanitas interuentu Virginis concepta, sit coniuncta personæ Verbi, hoc vel ad Virginem nihil attinuit, vel si attinuit, vt aliqui volunt, censentes Deiparam fuisse assumptam ad coëfficiendam vnionem hypostaticam, non attinuit tamen ad eam prout matrem; quia mater fuit per id præcisè quod aliæ erga suos liberos conferunt; quas constat tantùm suppeditare materiam, & vt mulierum ad naturalem corporis, & animæ

consertionem cooperari, quorum nihil supernaturale est, & ad formaliter sanctificandum conducens.

Iam si agendum sit authoritate et ratione, certum est, nouam hanc opinationem, visum iri malè subniam. Nam scripturæ disertè tradunt, beatam Virginem fuisse potiùs beatam quia audiuit legem Dei eámque custodiuit, quàm quia mater Christi fuit: quod aliter dicit D. Augustinus l. de sancta Virginit. c. 3. & 5. B. Virginem fuisse feliciorem, concipiendo Christum mente, quàm ventre. Nec dissimiliter tract. 10. in Ioan. & epist. 38. vbi præfert propinquitatem Deiparæ ex legis Dei obseruatione, propinquitati ex Christi conceptione. Suffragatur Iustinus q. 136. ad Orthod. & creditus Cyprianus serm. de passio. Dom. At hæc omnia falsitate laborarent, si maternitas esset forma sanctificans, & gratiæ habituali non modò ad sanctificandum æquipolleret, sed etiam præcelleret, vt fert aduersarij sententia, cui manifestè contradicunt expendentes propositam à Christo comparationem inter matrem se concipientem, & eandem legi Dei obtemperantem, Toletus Lucæ 11. annot. 64. & ad eundem Lucæ locum Maldonatus. Conferantur cum his testimonia quæ aduersarius pro se accumulat, & apparebit, quàm hæc sint infirmiora. Quid enim scriptura, Zach. 4. tradit Educendum esse lapidem primarium, & exæquandam gratiam gratiæ eius; quod Galat. l. 7. de arca. c. 3. ait à Rabinis ad B. Virginem Messiæ parentem accommodari: & in textu primogenio addi, eum lapidem educendum esse cum clamoribus quibus ingemineretur *gratia; gratia*. Eædem scripturæ vocant Deiparam gratia plenam, & in mulieribus benedictam. Patres gratiam Deiparæ affirmant esse propè immensam; quia ita decuit Christum eius filium. Hic est totus succus authoritatum siue ex scripturis siue ex Patribus diffusissimè propositarum ab aduersario. At perspicuum videtur, hæc omnia admodùm eneruia esse, & longè debiliora iis quæ pro receptissima sententia attulimus. Et idem dico de rationibus aduersarij; quæ tantum conficiunt, maternitatem esse dignitatem sublimissimam, & altiorem communi iustorum dignitate per gratiam habitualem; quod rectè concedit Suares t. 2. 3. p. d. 1. sect. 1. Et æquè concedendum videtur de dignitate Apostolatus, ac summi Pontificatus in Dei Ecclesia. Neque enim negauerim, S. Petrum prout Apostolum, & Pontificem Romanum prout Christi vices obeuntem, superare dignitate rusticum quempiam iustum, aut animum sanctitate clarum; idque euincit adoratio, ex qua etiam aduersarius pro Deiparæ maternitate argumentatur. Nam Pontifex est adorandus cultu hyperduliæ; quod non cadit in iustum simpliciter dictum. Quare sicut non obstante maiore dignitatis sublimitate præ gratia habituali Apostolatus, & Pontificatus non sanctificant formaliter; ita neque maternitas Deiparæ quæ entitatiuè fuit quid naturale, & quantumuis magnum conuexerit munerum cœlestium comitatum, eáque moraliter tanquam radix congrua exegerit, æquè ac Apostolatus; non tamen formaliter contulit sanctitatem; idque omnibus retrò Doctoribus incompertum fuit, atque adeò tanquam ad hæteroclitam pietatem pertinens, non est admittendum. Confirmatur, quia vel per maternitatem formaliter iustificantem intelligitur relatio maternitatis, vel eius fundanda ratio, hoc est actio materna ad quam ea relatio exurgit. At qui relatio cum sit purus respectus, non potest qualem siue iustum reddere. Idque si ita esset, Deipara post genitum Christum fuisset physicè impeccabilis, qui ea relatio quæ supponeretur sanctificare esset ab ea inseparabilis: nulla enim vi fieri potest vt non genuerit Christum, eáque relatione potiatur. Actio autem materna præterquam quod momentanea est, filio inest non matri, atque adeò non potest eam formaliter iustificare.

Pars II. Punct. VIII. Minora Virginis charismata.



PVNCTVM VIII.

Minora Virginis charismata, & interni in ea hominis ornamenta despicatiora; cùm quoad adeptionem primam, tum quoad factas postea accessiones.

PRÆTER gratiam gratum facientem, cum suis appendicibus connaturalibus spectatam, de cuius prima infusione, & subsecutis postea variis incrementis hactenus egimus; sunt alia quædam dona gratiæ; quæ dicuntur gratiæ gratis datæ; itémque alia quædam ornamenta interioris hominis, quæ licèt sint entitatiuè naturalia, tamen per accidens interdum infunduntur; súntque effectus prædestinationis in electis. Nimirùm scientiæ per accidens infusæ, & virtutes morales philosophicæ; quæ omnia, an, & quomodò in Virgine fuerint ac creuerint, videndum est, vt hæc de perfectionibus internis Deiparæ disquisitio, vndecunque compleatur.

Scientia per se acquisita, nequaquam infusa Virgini, sicut virtutes morum per se acquisita.

INitio autem ducto à prima adeptione huiusmodi ornamentorum, ac primùm eorum quæ intellectui adueniunt, sunt qui affirmant scientias suapte natura acquisitas, nec nisi per accidens infusas, obtigisse Deiparæ iam ab initio. Eas enim acceperunt primi parentes, non modò Adam, sed etiam Eua, iuxta probabilem sententiam. Quantò itaque iustiùs idem statuemus de vera omnium viuentium matre; damnorum ab Eua illatorum reparatrice, generatrice Dei Maria? Ita sensit Albertus, subscribitque S. Antoninus 3. p. tit. 15. c. 19. §. 2. Consentit Suares t. 2. 3. p. d. 19. sect. 3. inditam esse B. Virgini scientiam illorum naturalium, & moralium obiectorum, quæ necessaria vel conueniens sit ad perfectam prudentiam, & ad scripturarum intelligentiam, ac etiam ad penetranda, suadenda, & explicanda fidei mysteria: Tantùm dubitat, an huiusmodi scientia sit B. Virgini indita ab initio.

2 Mihi hæc dubitatio non videtur rationabilis: nec dubito, quin si infusio per accidens, scientiæ obiectorum prædictis finibus deseruientium, aliquando erat facienda, debuerit ab initio fieri; quia nulla occurrit differendi ratio. Verius tamen videtur, infusionem per accidens naturalium scientiarum, etiam cum limitatione proposita, non habuisse locum circa B. Virginem, cum ne in Christo quidem sit facta, vt dictum est lib. 4 de Christo sect. 2. c. 1; quandoquidem circa Christum, ac etiam circa B. Virginem, cessat necessitas huius infusionis, quæ viget pro primis parentibus, vt dictum est loco annotato. Æquè reiicio quod Salazarius l. de con-

scept.

cept. c. 32. n. 41 secutus Albertum, concedit B. Virgini aliam rerum naturalium à sensibus remotarum scientiam per se infusam & euidentem, naturali capacitate intellectus humani superiorem, qualis in Angelis cernitur. Hæc reiicio vt fecit etiam Suares loco allegato. Tametsi enim modus ille infusionis, nullam inuoluit contradictionem cùm sit connaturalis Angelis; tamen nullum est fundamentum affirmandi, quod ceipsa vsurpatus sit erga Deiparam.

De virtutibus moralibus suapte natura acquisitis, & humano labore parabilibus, controuersia est, sintne Virgini ab initio inditæ. Affirmat Suarez t. 2. 3. p. d. 4. s. 2. argumento ducto ex prima sanctificatione Euæ in qua probabilis sententia fert has virtutes fuisse diuinitùs communicatas. At multò iustius est idem pronunciare de Eua secunda, quæ cladem à prima Eua illatam instaurauit. Non repugno Quia cum hæ virtutes faciant simpliciter bonum habentem, & subiectum cui adueniunt perficiant in suo genere, non est cur Euæ initia, præstent hac ex parte initiis Deiparæ: quamuis aliter pronunciauerim de scientiis per se acquisitis, quæ habentem non faciunt simpliciter bonum, ac proinde tantùm paratæ sunt, quando, & quatenus parari humana Virginis industria, & applicatione potuerunt, vt suo loco dictum itidem est de Christo, cum quo propositionem qualemcunque seruat B Virgo, vt Eua cum Adamo.

Contrarium de augmento per actus Virginis proprias quoad vtramque partem, statuitur.

3 IAm quoad augmentum prædictorum ornamentorum, res caret difficultate. Nam siue agatur de incremento virtutum moralium per accidens infusarum per actus proprios; itémque de augmento scientiæ æquisitæ eiusuè sapientiæ quæ nostræ Theologiæ respondet, (quanquam hæc in electo sunt effectus prædestinationis, possúntque non parum conferre ad salutem:) tamen non est quod diu nos sollicitos habeant: Cum vix quicquam in illis qualibuscumque animæ ornamentis circa Virginé occurrat, quod singulare in ea sit, & non æquè ad omnes pertineat. Itaque generatim tantùm dico, virtutes per accidens infusas, non videri magnum incrementum accepisse per actus, quia non crescant nisi per actus proprios. At verisimilius videtur, infrequenter, vel fortè nunquam, Virginem elicuisse actus purè morales philosophicos, quibus solis actibus augentur illi habitus proprio subiecti marte. Vt quid enim vile metallum, æs V. G. aut plumbum adhibeat, cui æquè commodum sit, aurum adhibere, quod sit ad manum? Virgo igitur cum posset æquè commodè & expeditè prodire in actus virtutum supernaturalium per se infusarum, tarò videtur honestatem merè moralem ac philosophicam consectata; nec nisi ea despicato illo motiuo operata, tametsi acceperat ab initio, habitus ad illam honestatem ordinatos, ne vllum ornamenti genus Dei sanctuario deesset: Ac proinde non multum auxit habitus inditos initio, quos sola frequentatione actuum potuisset augere.

Scientiam verò acquisitam, quam supra diximus non esse ab initio inditam, parauit & auxit Virgo in dies, vt cæteri ipséque Christus. Et vt dicebam ea pars sapientię acquisitę quę respondet nostrę Theologiæ Christianæ, creuit in dies in B. V. per iugem & accuratam mysteriorum fidei ruminationem, & collationem eorum in corde suo, vt Lucas notauit. Tamen vix est quod de ea siue prout per eam per Virg. studium cóparata, siue prout subinde magis semper, ac magis cumulata & aucta, disseramus: cum nihil peculiare contineat in Virg nisi quod lene & tersum eius ingeniú, liberum plane a passionum fœculentia; diuina quoque assistentia peculiari, & variis extrinsecùs affulgentibus luminibus directum, multo maiore perfundebatur cognitione, quam aliud adhibita simili opera & conatu non dispari. Quare his dimissis, hæreamus in gratiis gratia datis.

De gratiis gratis datis, controuersia.

4. MOuit earum collatione & incremento in Virgine, dubitationem Petrus Cluniacensis lib. 3. epist. 7. propositione 1. Professus enim maiora charismata, hoc est virtutes infusas & gratiam non creuisse in Virgine in Pentecoste, & multò magis in aliis minoribus post Christum conceptum occasionibus, subdit. [Sed sicut ei nihil additum in maioribus confirmo ita ei aliquid in minoribus fortè adauctum, non nego. Quæ sint verò illa minora, & sæpè fatus, Apostolus docet. *Alij*, ait, *datur per spiritum sermo sapientia alij sermo scientia, alij gratia curationum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum* & similia. Dicuntur verò minora, respectu maiorum supra scriptorum; quia maiora illa, sine minoribus istis, saluare possunt. Nam sine sermone sapientiæ vel scientiæ, (non dico sine sapientia & scientia:) sine gratia curationum, sine Prophetia, sine discretione spirituum, sine generibus linguarum, sine interpretatione sermonum, saluari possum: sine charitate, & ei cohærentibus sacris virtutibus, non possum. Maiora ergo sunt, sine quibus salus non est minora dicuntur, sine quibus salua integra esse potest. Vnde quantum ad illa maiora, nihil vt iam dixi, die Pentecostes adauctum est B. Virgini: quantum verò ad ista minora, Apostolis quidem omnia data sunt, sed nescio vtrum & B. Virgini.]

Rem fusè agitat in consequentibus, & diù vrget difficultatem, vt ne in Pentecoste quidem gratias illas gratis datas, quibus Apostoli ad bonum aliorum ditati sunt, acceperit à Deo: non donum linguarum, non potestatem miraculorum, non alia munera ad Euangelizandum, & prædicandum, quod officium procul à Deipara ablegat, attento sexu: Nominatimque negat, B. V. cum in Ægyptum secessit subducens rabiei Herodis Christum paruulum, accepisse gratiam idiomatis Ægyptiorũ, vt affirmarat Gregorius ille cui respondet ea epistola. Post longam tamen difficultatis agitationem, & nonnullam propensionem insinuatam ad partem negantem, subdit. [Vt breuiter quod sentio exprimam, accepisse eam die Pentecostes gratiam illam linguarum omnium, nec affirmo, nec nego. Non affirmo, quia nullam necessariam vel probabilem causam, qua gratiam illam accipere debuerit, inuenio. Non nego, quia fortalsè alius inuenire poterit, ad quod ego nondum sufficio. Hoc tantùm constanter adstruo, (quod tamen supra iam dixi,) Beatæ Virgini post conceptum Dei filium, nihil de illis excellentibus sancti Spiritus donis, aliquo tempore, dum mortalis vixit, adauctum: De inferioribus verò nihil superfluum aut indecens additum; sed si quid omnipotentis filij Dei matrem de talium numero habere decuit, absque dubitatione adiunctum.]

Neque tamen cessuram Apostolis Virginem, si his

his numerum diuinorum minutus careat, contestatur Petrus Vener. Et prudanter profectò statuit de his gratiis, cum ait eas Virgini esse concessas, & in ea auctas, quas deceret illi concedi, & augeri. Sed non expleuit iustum desiderium lectoris qui illicò interrogabit, quasnam ex eis decuerit concedi, quæ decenter prætermitti debuerint? Hoc vt expediamus, secernendæ sunt variæ classes harum gratiarum gratis datarum. Quædam enim ad intellectum, vel subiunctas intellectui functiones pertinent; aliæ ad potentiam exequentem & operatiuam transeunter.

Expeditur quoad gratias ad intellectum per se primò aut indirectè pertinentes, breuiter præmissa earum notione

5 IN primo ordine gratiarum gratis datarum, sunt sermones sapientiæ & scientiæ, prout consistunt in externa interpretatione & locutione vndecunque apta & ornata; habéntque correspondentia in mente dona diuina quibus homo dirigitur in ordine ad sermonem quæ quamuis sint dona entitatiuè naturalia, ex S. Thoma 2.2.q.177. art.1. ad 1. tamen per accidens & secundùm modum, sunt supernaturalia. Et idem est de illa discretione spirituum quæ est gratia gratis data consistitque in iudicio materialiter certo & obscuro, quo humano in ordine aliorum vtilitatem, per specialem Dei instinctum, rectè ac verè pronunciat de vero Angelo, & de Satana transfigurãte se in Angelum lucis tametsi ipse homo certò non aduertat, se rectè procedere; nitatúrque motiuis ex se fallibilibus, quæ tamen in eo euentu sunt vera; alioqui enim Spiritus sanctus non moueret huiusmodi iudicium substantialiter quidẽ naturale sed tamen ex speciali Dei instinctu profectum Dona sapientiæ & scientiæ, aliter præterea sumuntur, & quidem magis propriè pro iudiciis ex Spiritus sancti instinctu, de conuenientia mysteriorum fidei, per rationes haustas ex ipsa mysterij substantia, eiusvè affectibus; Sed hæc dona sic sumpta non sunt gratiæ gratis datæ de quibus agimus sed dona Spiritus sancti.

6 Est vero in eo propriè dictarum gratiarum gratis datarum ad intellectum spectantium ordine, donum linguarum, & fide miraculorum, ex 1. Cor 12. & propheria. Fidem miraculorum, quæ est gratia gratis data, varij variè interpretantur, vt videre est apud Suarem prolego. 3. de gratia c. 5. n. 11. sed maximè commoda fidei illius notio est, qua dicitur esse ipsamet fidem diuinam, prout ita applicatam ad aliquod particulare factum, vt possit ingenerare fiduciam obtinendi miraculum quod expetitur à Deo, vt rectè philosophantur Soto 2. de natura & gratia c. 6. & Suares d. 8. de fide s. 1. n. 6. & 7 malè refragante Turriano 2. 2. to. 1. disp. 41. dub 3 & disp. 64. dub. 2. Nec est fidei catholicæ, quam dixi ad fidem miraculorum interuenire, adiungenda alia fides particularis, vt vult Vasquez 1. 2. disp. 210. capite 4. Propheriam qua occulta obiecta, siue futura, siue præsentia, aut præterita; & siue loco, siue suapte natura non patentia, vt sunt cogitationes cordium; (ad hæc enim omnia pertingere prophetiam habetur ex S. Gregorio homil. 1. in Ezech notauitque Sirenius l. 3. de fato c. 8.) constat interdum euidenter, plerumque ineuidenter procedere, percipiendo, prædicta obiecta occulta reuelante Deo, ita vt & res reuelata & Deus reuelans, possit à propheta, & euidenter & obscurè attingi. Ex quo liquet aliquam prophetiam differre à fide; quamuis vt plurimum obscura sit. Obiter ista, nec nisi in transcursu attigi de his gratiis, vt appareat an & quomodò infundi B. Virgini potuerint, ac in ea crescere.

Pars II. punctum VIII. Minora virginis Charismata.

Gratia circa sermonem, quatenus immissa, & aucta in Virgine.

7 ACcepisse ergò Virginem prædictas gratias gratis datas, ad intellectum pertinentes quas proposui aliquas quidem ab initio, quæ scilicet possunt habitualiter dari; alias verò pro occasione, quæ scilicet consistunt in actuali motione, non est difficile statuere, Nam quod attinet ad dona circa sermonem versantia, tametsi B. Virgo (quod vt est apud Petrum Cluniacensem l. 3. epist. 7. non ad prædicandum verbum Dei, sed ad illud generandum electa esset;) non est ad publicè prædicandum addicta; tamen quod priuatim cum variis, variarum nationum personis ad eam vndecunque confluxuris actura esset eáque informare circa res fidei deberet; instructa est omnibus gratiis ad sermonem pertinentibus intellectui immissibilibus. Perpulchrè id docuit Gulielmus Paruus in c. 6. Cant accomodans intellectui B. Virginis quod ibi de sponsæ dentibus dicitur, eos esse mundos ac nitentes vt gregem ouium post tonsuram ablutarum atq; fœtarum. Intellectus enim Deiparę tenens panem quotidianum mysteria inquam cœlestia mandens, cum esset simplex & mundus, nec vllo animali sensu è terreno lanitio prægrauatus, aut vlla carnis fæculentia contaminatus; idoneus erat, qui aliis quoque, mansum cibum cælestis doctrinæ porrigeret, & fætus nouos Deo progigneret. Id vero tam concinna & amœna informatione adhibita præstabat, vt mirari quoque circa eam possent qui accedebant in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius; ac si externi essent, agerent eum ea commodiùs & tutiùs: vt sanè viderur Magis contigisse, cum ad Christum adorandũ venerunt. Est enim mihi plusquam verisimile, Deiparam egisse cum illis vernacula ipsorum lingua tantáque sermonis sapiditate vsam in eis de Christo informandis, vt secundùm Spiritus sancti vnctionem cui primæ partes conuersionis Magorum absque controuersia debentur plurimùm ad eam contulerit. In Ægipto quoque peregrinantem, dono linguarum vsam, egisse cum Ægiptiis, rectè videtur censuisse Gregorius Monachus, vt refert Petrus Cluniac l. 3. epist. 7. qui tamen videtur potiùs refragari Gregorio; sed nihil profert quo persuadeat: Disertè hoc donum linguarum Virgini tribuerit Albertus c. 160. cui subscribit Pelbartus l. 7. Stellarij parte 3. art. 3. & Carthus. l. 1. de laud. Deiparæ art. 19. ac. Gerso serm. de Spiritu sancto q. 3. Habetur Tomo 2. operum. Et hoc donum cum possit esse habituale, videtur ab initio inditum Virgini, quamuis vsus eius non nisi in tempore, & pro occasione sit deprehensus. Non apparet tamen quod incrementum possit in his gratiis circa Virginem accidisse procedente tempore, cum species in quibus huiusmodi gratiæ consistunt, non perficiantur pedetentim accessu nouorum graduum: augmentum autem extensiuum, si speciei: omnes necessariæ sunt ab initio inditæ, (vt suppono) nullum potuerit contingere.

etiam, quid de augmento harum gratiarum gratis datarum sit statuendum. Cum .n. substantialiter idem sint cum fide, augentur quoad id quod ex parte potentiæ important, crescente habitu qui fidei denominationem retinet: quamuis sub denominatione prophetiæ, insolens sit mentio incrementi intensiui? quia sub eo respectu, connotat locutionem Dei, per ordinem ad quam nullum datur tale augmentum.

Classis alia gratiarum gratis datarum, curationes, & alia miracula spectantium, an, & quatenus in Virgine viatrice

12 ALter ordo gratiarum gratis datarum, continet potentiam miraculorum, siue ad sanitates præstandas, quæ dicitur gratia curationum; siue ad alia mirabilia patranda: sub qua ratione, sortitur varias denominationes. Huius autem gratiæ gratis datæ, Virgini communicatæ, nulla est mentio in Canonicis scripturis. Et idcirco D. Thom. 3. p. q. 27. art. 5. ad 3. eam ademit B. Virgini, præsertim cum ad eam non spectaret docere fidem Christi, & illam miraculis obsignare; qui est legitimus miraculorum vsus. Idem apertè censuit Petrus Vener. l. 3. epist. 7. propositione 2. qui addit, non idcirco B. Virginem, tametsi in carne mortali posita, non patrauit miracula, minorem fuisse quibusuis Thaumaturgis. Sicut neque Christus, minor est iis fidelibus, qui maiora ediderunt miracula, quàm ipse Christus ediderit, vt habetur Ioan. 14.

13 Nihilominus contraria sententia, pro tempore opportuno, (hoc est pro tempore post Christi ascensionem,) verisimilior est & tradita ab Alberto, & S. Antonio, subscribitque Suares t. 2. 3. p. d. 20. s. 3. Neque enim decuit B. Virginem, post Christi digressum, fidem quomodolibet docere; nempe priuatim, eámque miraculis tanquam diuino suffragio communire. Non ausim tamen affirmare, quod ad tempus vitæ mortalis Deip. pertineant, quæ indistinctè his verbis tradit Basilius Seleuciæ orat. 39. [Quis ingentem Deiparæ potentiam non miretur, quantopere superenunciat, quotquot honoramus sanctos; Nam si Deus seruis tantum impartitus est gratiæ, vt non tactu solùm ægros persanarent, sed & vmbræ proiectu idem præstarent:) Proponebant enim in foro medio ægros, vt Actorum liber edocet, & vmbra Petri morbos depellebat; Pauli verò nescio quis, apprehenso linteo manuali, & corporis ipsius extersò sudore, dæmones vltores abigebat?) qualem matri virtutem inesse cogitabimus? An non maiorem multo, quàm ei subiectis; Cuius notum. Ecquid mirum si viuentes virtute miraculorum pollebant sancti, quando eorum potestatem non vnâ cum ipsis demortuis humus consepeliuit; lapides enim qui horum occulunt corpora, iis qui malè aguntur,) si modò pro dignitate accesserint,) salutem dare possunt. Quod si his tam rara perpetrare concessit, qualenutricationis pretium Matri dederit; Aut quibus etiam gratiis illustrauerit? Tametsi nihil habet Basilius, quo orationem restringat, ad tempus abiectæ iam per Virginem mortalis vitæ? posséntque facilé quæ retulimus aptari ad tempus vitæ post Christi ascensionem: Tamen videatur potiùs accipienda de miraculis per Deiparam iam beatam editis, quæ innumera semper fuerunt, & eximia plus quàm vllius cuiuscunque è cœlestibus: quod monstrant Vincentius in speculo histor. l. 7. à c. 81. ad 120. Brendebachius. l. 2. collationum sacrarum. Spinellus in Throno Dei cap. 20. fusiss. & ad finem operis tract. de miraculis Deip. Bonifacius l. 3. & 4. & 5. histor. Virgin. & alij absque numero. Agnoscendum igitur est, concessam fuisse Virgini, etiam per aliquod tempus vitæ mortalis, gratiam gratis datam miraculorum. *Pars II. punctum VIII. Miracula virginis Charismata.*

14 Neque tamen solliciti esse debemus siue de collatione in primo initio, siue de incremento huius gratiæ. Hæc enim gratia, non est numeranda inter collatas B. Virgini in primo momento sui esse: nec postea aucta dicenda est, quia non est habitus aliquis intrinsecus supernaturaliter immissus supra naturam: sed est entitas naturalis, quæ per extrinsecam diuinæ omnipotentiæ coniunctionem, assumitur ad patrandum opus supra vires naturæ, cum Dei gloria ita fert. Itaque diuina potentia, à principio vitæ B. Virginis, non se coniunxerit ei ad operandum supra naturalem suam exigentiam; (neque enim tunc operandi tempus appetiuerat;) meritò negamus hanc gratiam gratis datam, concessam fuisse B. Virgini, eodem tempore quo concessa est gratia sanctificans. Cum autem venit plenitudo temporis, quoad filium confirmationem & manifestationem dignitatis Deiparæ consentaneum fuit edi per eam miracula; affuit Virgini diuina assistentia, eodem proportionaliter modo (intra gradum tamen debitũ,) quo astitisse Christi humanitati, monstratum est suo loco.

Furfur doctrinæ.

15 HIc aliqui indecorè magnificant Virginem, zelum eius habentes, sed non secundùm scientiam. Innumera, & omnis generis miracula, Virginis superstitis memorant, ab ea patrata etiamnum viuente Christo, imo in ipsamet Virginis adolescentia. Cógessit in eam rem multa eruditus recentior lib. 1. Elucid. Deip. tractatu. 13. cap. 11. Et multa quoque ex S. Germano descripsit Pelbarius l. 7. Stellarij parte 3. sed quis ille sit S. Germanus, hæreo dubius. Nam quæ ex eo describit, non redolent grauitatem S. Germani Constantinopolitani, à quo varia in Virginis laudationem habemus. Scio non esse indocili & peruicaci ingenio expendenda, quæcumque de sanctorum miraculis, prodita scriptis habentur. At memini tamen, de consilio Apostoli probanda omnia. Nec illud me latet, Virginem bis minimè solidis (forsitan falsis.) dubiorum miraculorum præconiis non egere: de qua quæcunque referantur & celebrentur miracula, illud tamen verissimè dici, fatendum est, quod de S. Malachia pronunciauit. S. Bernardus Maximum miraculum quod fecit, ipsa fuit. Quam ergo prudentem seueritatem, in scriptoribus qui res gestas & miracula sanctorum describenda suscipiunt, deposcebat meritissimò Melchior Canus l. 11. de locis c. 6. in secunda præsertim regula probati historici, questus à quibusdam monstra miraculorum vulgata, dum sanctis impié potius quam ridiculè lenocinantur, & plebeculam mulierẽ in animo habent; eam ego præsertim, circa Deiparæ siue superstiti, siue iam cœlis illatæ, & cum filio sursum regnantis, miracula exigere, omni iure videor: vt quo grauior & sublimior est persona, eo omnes circa eam leuis ingenij maculæ, & figmentorum suspiciones caueantur.



PVNCTVM IX.

Gratiæ obices, & quæcunque interni hominis dedecora, procul à Virgine ablegata.

1 BEATÆ Virginis perfectiones internas, hactenus prosecuti sumus; siue quæ in primo momento collatæ sunt, siue quæ postea accesserunt in vitæ progressu. Nunc attingendum est genus aliud perfectionis quasi negatiuæ, quod situm est in exclusione defectuum, ac dedecorum interioris hominis. Eiusmodi sunt quæ substantiam animæ, eiusuè potentias; intellectum, voluntatem, & appetitum inferiorem dehonestant. Quanquam de substantia, nihil hic dicendum occurrit. Nam defectus gratiæ sanctificantis qui in substantiam animæ cadit; pro primo momento exclusus est propugnando sanctam, & immaculatam B. Virginis Conceptionem. Pro reliqua autem vita, idem de eo substantiæ animæ probro statuendum erit, quod de peccato læthali inficiente voluntatem. Neque enim animæ substantia spoliatur gratia sanctificante, nisi interuentu voluntatis, à Deo se auertentis, & conuertentis ad bonum falsum. Itaque si nullum peccatum læthale voluntatem Virginis infecit vnquam; de quo postea. nulla item substantiæ animæ, à defectu gratiæ sanctificantis dehonestatio accessit. Quare in animæ potentiis hærendum est; omniaque ab eis probra ableganda: ab intellectu ignorantia, à voluntate peccatum actuale ab, ab appetitu fomes solutus, siue inordinatio & rebellio contra præscriptum rationis superioris.

Error procul à Virgine.

2 IGnorantia, vel est prauæ dispositionis, quæ etiam *error* dicitur, vel puræ negationis. Priorem Medina 3. p. q. 30. art. 1. & Suarez tom. 2. 3. p. disputatione 19. sess. 9. meritò à Virgine remouent. Est enim in eo defectu magna indecentia, nec minor spiritualis imperfectio, quàm in appetitus deordinatione non libera quæ tamen à Virgine abesse debuit Accedit quod error, vt tradit D. Augustinus lib. 3. de lib. arbitrio capite 18. est pœna per peccatum inducta. Vnde à beatis prorsus exulabit, ex D. Thoma opusc. 71. *unico*, & 1. 2. q. 5. art. 4 & contra Malonium ea in parte singularem, Suarez l. 2. de Angel. capite 31. numero 25. A primis item parentibus quamdiù innocentes vixerunt, abfuit error, ob perfectionem status illius, & debitam mali cuiuscunque ab eo exclusionem, vt philosophatur D. Thomas q. 18. de verit. art. 6. Fateor primos parentes, quamdiù in statu innocentiæ fuerunt velut in probatione, ac tyrocinio, obnoxius fuisse erroribus illis quorum permissio spectabat ad probationem fidelitatis eorum, quosque liberum arbitrium vitare poterat. Aliis tamen erroribus caruerunt ex peculiari ordinatione, ac custodia ipsius Dei, vt benè statuit Suarez in Cosmop. lib. 3. capite 10. & libro 7. de Angel. capite 4. numero 9. Cum ergo res ita se habuerint in statu innocentiæ circa primos parentes, fatendum est B. V. quæ sicut illi non probabatur. omnis erroris expertem vixisse. Sortita enim est omnes perfectiones statui innocentiæ consentaneas, præter eas quæ corpori mortali, & eius passionibus adiunguntur.

Quod si interdum incidebant occasiones in quibus homo præceps intellectum suum erroneo iudicio contaminaret, B. Virgo abstinebat erroneo iudicio absoluto, nec nisi modale iudicium ferebat de rei verisimilitudine & probabilitate: quod iudicium errore vacat, estque scientificum, & in Deum ipsum cadit, vt dictum est in Natur. Theol. d. 7. num. 46. Et sic accipio cum Molina in Cosmop. d. 26. *in fine* quod Lucæ 2. habetur, Virginem existimasse puerum duodennem esse in comitatu. Non enim absolutè iudicabat ita esse; quod fuisset errore labi. Sed ex adiunctis iudicabat verisimile & probabile esse, vel etiam probabilius & verisimilius, Christum esse in comitatu; quod modale iudicium verum erat, tametsi reipsa Christus in comitatu non esset, sed se subduxisset. Quare non egemus multis quæ in hanc rem congerit Maior in 2. disputatione 30. q. 4. *sub finem*, quamquam satis inclinat, vt fateatur B. Virginem errasse in ea existimatione.

Ignorantia negatiua, quatenùs locum in Deipara habuit.

3 QVod attinet ad posteriorem ignorantiam, quæ non est positiua; distinguendum est. Alia quippè est ignorantia negatiua, quæ est mera carentia scientiæ, absque debito vel decentia sciendi; alia priuatiua, quæ est rerum quas deceret vel oporteret scire. Illam ignorantiam cuius depellendæ nulla est necessitas vel decentia, cogimur planè B. Virgini adscribere. Neque enim si Christo Domino omnimoda scientiæ plenitudo debebatur, quippè homini Deo idem de B. Virgine pronunciandum est, cuius status & dignitas longè minùs postulat quàm dignitas, & status Christi. Varias congruentias ad hanc ignorantiam B. Virgini concedendam, conglobat Toletus Lucæ 2. annotat. 83. Ea tamen ignorantia, quam dixi vocari posse priuatiuam, in B. Virginem non cecidit. Nihil enim vnquam ignorauit eorum, quæ decebat ipsam scire. Quod videtur notum ex terminis. Quomodò namque Deus Verbum in tollenda tali indecentia matri amantissimæ defuisset? Insigniter id confirmant illa Richardi Victorini l. 2. de Emman. c. 27. cum duos Reges derelicturos terram Deiparæ, interpretatus ignorantiam & concupiscentiam, addit. [Terra vtique mortalitatis, passibilitatis nostræ, à facie duorum Regum suorum derelinquitur, quando natura mortalis, atque passibilis tam à vitio concupiscentiæ, quàm à vitio ignorantiæ penitùs emundatur. Hoc est vtique quod Beatæ Mariæ promittitur, cum ei ab Angelo dicitur; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Legitur de discipulis Saluatoris, & testibus transfigurationis, *Quia nubes lucida obumbrauit eos.* Si lucida fuit, quæ obumbrauit Discipulos Christi, quàm lucida rectè creditur, quæ obumbrauit matrē Christi? Sed si eius vmbraculum lucidum erat, ergo & lucem, & vmbrā exhibebat: Lucem ad depellendā ignorantiam; vmbram ad extinguendā concupiscentiam.] Hoc adeò certū habuit Rup. l. 1. in Cant. ad illud *indica mihi quem diligit anima mea vbi pascas*, vt etiam quando Virgo cum Iosepho dolens quærebat amissum filium, neget eam ignorasse quod agebatur: sed dicat eam tanquam Prophetissimam magnam omniū probè consciam, tamen dolendo quęsiuisse, & dolentibus condoluisse tacentem quę nouerat,

vt

vt dispensationi diuinæ suo silentio seruiret, tempus tacendi custodiens. Non subscribo tamen hac in parte Ruperto, nedum ignorantiam quameunque studiosiùs à Virgine depellimus, mendacium ei, sin minùs verbale, at saltem reale, & per facta affictetur. Ignorauit ergo aliquid ea in parte. Sed illa ignorantia erat tantùm negatiua, non autem priuatiua, pro qua sola à Virgine eliminanda solliciti esse debemus.

4 Itaque quia planè decebat B. Virginem Christum concipientem, & vtero gestantem, ac deinceps, penetrare arcanum mysterij Incarnationis, eo optimo modo quem leges diuinæ sapientiæ ferrent viatrici congruere; non dubito quin illud mysterium à tempore Incarnationis cognouerit, vt perelegantet tradit supra Richardus: miróque S Chrysostomum in psalm. 49. ad illud *manifestè veniet*, non modo B. Iosepho, sed etiam B. Virgini aliquo genenti, ignotum pronunciasse Incarnationis mysterium: ita vt nesciret B. Virgo, quod nasciturum erat ex ea sanctum vocatum iri, hoc est iuxta phrasim Scripturæ, reipsa fore filium Dei. Ea itaque D. Chrysostomi sententia, crudè accepta, ferri non potest. Cum execratione autem repellendus est Erasmus, in quem meritò concitantur Canisius l. 4. de Deip. c. 8. & Suarez t. 2. 3. p. d. 21. s. 1. Affirmauit enim Erasmus B. Virginem cum Christum genuit, nequaquam illum confestim adorasse: eo quod non constet, eam tunc cognouisse Christum esse Deum. Hoc blasphemiam sapit. Quomodo enim B. Virgo post partum ignorare poterat Christum esse Deum, quod ante Virginis partum non ignorabat Elizabeth, vt docent verba illa Lucæ 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Vbi de domino absolutè dicto, atque adeò de vero Deo est sermo, vt omnes Patres interpretantur. Præclarè in hanc rem, & Virginis de tanto mysterio notitiam, disserit S. Bernardus cum Hugone à S. Victore epist. 77. Ambiguum videri possit an S. Auitus epist. 3. p. 2. 3. hic cæspitauerit, & B. Virgini ignorantiam tribuerit Deitatis Christi iam adulti eum patrauit primum miraculum. Verba S. Auiti sunt per collaudatam fidem Cananeæ. [Si ista fidea est, vtique magna si constat non erit tecta, altera certè fuerat ad matrem illa responsio, cum comitante discipulorum Choro, festis nuptialibus inuitatus, deficiente vino ad faciendum miraculum posceretur; atque ille, *Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea*. Velut si diceret, Cur illud tantummodo peperisti, esse me credis si hoc solum mihi putas constare quod carnis est, non possum complere quod exigis. Sublimia hæc quæ à me requiris, de Patre attuli non in matre suscepi. Formato in te corpori debita infirmatis institutione opera virtutis iniungis. Benè me putas posse quod petis, si te, sicut mei corporis, sic matrem intelligas creatoris. Quod si solum te edidisse hominem velis, *Nondum venit hora mea*. Ergo eum ipse Dominus, hic perficiendo miraculo actus diuini, non repulerit genitricem, sed instruxerit ignorantem, videamus quid hinc cum Apostolis sua tractatu impensiore contulerit.] Non instruxerit sanè Christus, ignorantem genitricem, quoad incarnati in ipsa verbi mysterium, vt significat S. Auitus. Nullatenus quippe siue Virginis petitio, sine Christi responsio, eam Beatæ Virginis ignorantiam insinuat. Fortassis tamen dici possit, instruxisse Christus matrem de hora operandi primum miraculum, quæ nondum venerat, nondum patefacta tunc necessitate eorum qui ad nuptias inuitarant. Hæc est quod nos adigat agnoscere B. Virginem habuisse horam illam pro comperta, cum Christus ei dixit, horam suam nondum venisse. Igitur ex hoc Christi responso ad matrem, non colligitur vlla ignorantia dedecens B. Virginem, vt neque ex vllo alio Scripturæ testimonio; præsertim verò ignoratio diuinitatis Christi.

Pars II. Punctum IX. Probatur aterna procul à Virgine.

5 Quod si B. Virgo mirata refertur, super his quæ de Christo dicebantur, non est ea admiratio indicium ignorantiæ. quod Christus esset quod prædicabatur, hoc est Deus homo: nam & Christus miratus est absque ignorantia. Vide Tolentin. Lucæ 8. annotatione 51. Illa denique B. Paulini sententia epist. 43. placere non potest, qua pronunciauit beatam Virginem tempore passionis ignorasse filij resurrectionem. Proponam verba, vt lector dispiciat, possitne alicundè lux affulgere ad tantum Patrem ab eo de Virgine iudicio vindicandum. [Mariam ad Crucem Domini, in qua tunc sui tantum corporis filium cogitabat, materna mens duxerat, vt cum eum vidisset mortuum, humana infirmitate lugeret, sepeliendúmque colligeret: nihil sibi de ipsius resurrectione præsumens, quia subsecuturæ resurrectionis fidem, in oculis posita passionis pœna cæcabat.] Quæcunque tandem B. Paulini in his verbis mens fuerit, persto in sententia. Nam non ignorauit B. Virgo resurrecturum Christum, quem toties id contestatum probè nouerat. Quare næui omnes, & defectus à viatore detrectabiles B. Virginis intellectu absque vlla dubitatione ablegantur.

Sordes peccatorum actualium in Virginis voluntate, iuxta Sectarios.

6 Venio ad peccatum à voluntate Virginis remouendum, atque adeo non ago de peccato originali quod insidet substantiæ ipsius animæ, sed de solo actuali, siue graui, siue leui. Sorduisse graui peccato B. Virginem effutiuerunt nuperi sectarij benè multi, quos adducit Feuard. ad 3. Irenæi cap. 33. & Canisius l. 1. de Deipara capite 10. Allegant autem malignam (proh loquentis scelus, quo chartam inuitissimus polluo: malignam inquam restrictionem diuinæ potentiæ inter respondendum Angelo salutanti, & incarnationem nunciant. Item absurditatem, imò perfidiam graui reprehensione dignam, emittendi votum virginitatis perpetuæ. Ad hæc sui ipsius prælationem, etiam ipsimet Deo, cui cum imperio iubere auderet, quo torquent præproperam petitionem miraculi in Cana. Nec aliter sonare videntur illa Hugonis à S. Victore l. de modo orandi cap. 3. descripta, & approbata à Richardo de S. Laurentio l. 1. cap. 5. *sub finem*. [*deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum, vinum non habent*. Non dixit, peto, vt defectum poculi, vinum creando, aut commutando suppleas, sed hoc maternæ reuerentiæ priuilegium deberi existimauit, vt quidquid vel innuendo se velle significaret, pati à filio repulsam non debuisset. Et hoc quidem iustum fuerat, si tale aliquid ab eo petiisset, quod ille facere posset secundùm naturam, quam ab ea acceperat. Nunc autem quodammodò iustè reprehenditur; quia ab ea natura, quam non dederat, obedientiam in miraculo exigebat. Et dicimus ei. *Quid mihi, & tibi est mulier?* Miraculum enim facere; Dei est virtus, non hominis, & ideo cum à matre Christus homo de

de miraculo requiritur, idem non quasi homo, sed quasi Deus, mulierem non matrem de præsumptione causatur, Maria enim à Christo, non quasi mater exigere à filio, sed quasi mulier (si necesse fuisset,) miraculum humiliter postulare debebat.) Vrgent denique ammissionem Christi pueri, & interpellationem Christi prædicantis, in quibus graues culpas agnoscunt.

8 Hæc quidem, & alia probrosiora quæ proferre religio vetat, de Virgine sanctissima impij sectarij quibus miser solo nomine Beatus Rhenanus ad librum Tertulliani de carne Christi in argumento libri, suffragator accessit, captato contra recentiorum (vt ait) Theologorum placitum, de B. Virginis impeccantia, patrocinio antiquorum, Origenis, Augustini, atque Chrysostomi in psal. 13 ad illud *vsque ad vnum*. Vt taceam homiliam de Simeonis occursu quæ idem habet, sed dubius Chrys. fœtus est. Huius authoritas, Philipp. Abbatē videtur abstraxisse, vt videre est l. 6. in Cant. c. 13. Origenē liquet homil. in Genes. incredulitatem ad vocem primam Gabrielis obiicere B. Virgini: Et hom. 17. in Lucam, in explicatione gladij quem transfixurum Virginis animam prædixerat Simeon, tribuisse Virgini hæsitationem de Christi resurrectione tempore passionis. Constátque eandem opinionem placuisse quibusdam Græcis eum secutis, vt Amphilochio hom. de occursu domini, & Tito Bostreno, & Theophilacto in capite 2. Lucæ. Nec non inter Latinos, Author. qq. vet. & noui Testam. q. 73. quem Rhenanus nomine D. Augustini allegat, cum tamen sit Hilarius ille Diaconus orbis Deucalion, vt alio loco monstraodom est. Chronicon Alexandrinum in eandem sententiam adducit S. Basilium, cum deuenit ad Christi ætatem, & tempus infantiæ eius decurrit. Alios plerosque collegit Poza lib. 4. Elucid. tract. 2. cap. 4. nec omittendus Rupertus in c. 2. Math. ad illud, *quod nascetur ex te sanctum*.

Repelluntur authoritate, & ratione.

8 Nihilominus B. Virginem nonquam actualiter peccasse, certissimum est, vt ea sensu Ecclesiæ docet Trident. sess. 6. can. 23. Et idem definitum olim fuisse in Consilio Claromontano. refert Vega lib. 14. in Trident. cap. 18. Esse de fide, censet Corduba lib. 1. quæst. 17. §. 1. & q. 44. propositione 1. Exclusioni cuiuscunque peccati à Virgine, annuunt passim Patres ex quibus multa in hanc rem colligunt Spinellus in Throno Dei cap. 7. Coccius tom. 1. lib. 3. art. 1. Valent. 3. p. disputatione 2. quæstione 1. p. 3. Iustinianus latè in epistolam Iudæ vers. 25. à numero 7. Paucos signare selectiores, operæ pretium videtur, dimissis innumeris, qui B. Virginem vndecunque incontaminatam, & super quàm cogitare possimus, puriorem, ac nitentiorem prædicant.

S. Epiphanius orat. de laud. Deip. [formosior (Deipara) & ipsis Cherubin, & Seraphin, & omni exercitu Angelico.] Hoc non diceret S. Epiphanius, nisi perspicuè supponeret Virginem nunquam peccasse. Constat enim Angelos Sanctos, semper caruisse peccato. Si igitur B. Virgo illos superauit spirituali pulchritudine quæ peccatū remouet omnino fatendum est, eam nunquam peccasse.

B. Virginem hisce titulis defæcatissimis & ab omni labe peccati seiunctissimis exornant Græci in precatione vsuaria ad Deiparam ex libellis orationum decerpta, & Cathemerino Græcanico per Ioannem Syluium concinnato, inserta. [Incontaminata, impolluta, incorrupta, immaculatissima, sanctissima, illibatissima, venerandissima, Dei beneficio gratiosa Deiparens, Dei fauore beatissima, desponsa Deo Domina, supra modum benedicta, celeberrima atque gloriosissima mater Dei nostri, Deipara, ac semper Virgo Maria, honoratior Cherubin, & gloriosior incomparabiliter Seraphin, quæ in cœlis benedicta es, & in terra gloriosè celebraris: quæ Deum Verbum, hominibus viuificato atque admirabili partu coadunasti; eiectámque nimiam generis nostri cœlestibus coniunxisti; quæ desperatorum spes firma extitis eorum qui impugnantur potens auxilium, oppressorum inexpugnabile præsidium, periclitantiū portus tutissimus, parata defensio eorum qui ad te recurrunt; omnium denique Christianorum asylum patrocinium, tutela, atque exultatio, intercede pro nobis.]

9 S. Augustinus l. de natura, & gratia cap. 36. [Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.] Quamuis eo loci D. Augustinus, præsertim agit de peccato originali, vt superiùs aduerti puncto 2. Tamen eius assertio generalis est, & eius ratio æquè militat aduersus omne peccatum. Et ita S. Augustinum accepit Richardus à S. Laurentio, vt mox referam, & magnus Albertus in procœmio operis de laudibus B. Virginis.

S. Hildefonsus sermone 1. de Assumptione B. Virginis perpulchrè confert illam cum Arca testimonij, quia & in se habuit manna, panem inquam illum qui de cœlo descendit, & legem seu tabulas, à quibus nunquam deflexit; supra eam verò fuit propitiatorium, & Cherubin hinc inde obumbrantia, quia nullum ei extrinsecùs obrepsit peccati contagium, protegente cœlesti fauore. Itaque & intùs, & extra à peccato immunis fuit iuxta S. Isidorum, qui paulo ante eodem retulerat arcæ inauratioaem; auro mundissimo apposito intus & foris, iuxta edictum Domini Exodi 25.

10 Petrus Damiani serm. 3. de Natiu. Virg. [Quid sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ, charismate plena fuit? sic namque ab Angelo, dum salutaretur, audiuit, *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Quod, rogo, vitium in eius mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli, plenitudinis totius diuinitatis, meruit esse sacrarium?]

Et serm. 40. tractans illud *quæ ascendit de deserto*. [*Quæ ascendit (inquam) per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris vniuersi pulueris pigmentarij*. Ista est speciosa inter filias Ierusalem. Desertum est vastitas huius mundi, in quo bestiæ agri frequentiùs ludunt, vbi Princeps ille nequissimus, omni fortitudine principatur. Desertum autem dicitur, quasi derelictum à virtutum administratione, cum earum conuentus, abundante iniquitate, ad proprios resolauerit. *Quæ ascendit*, inquit. In huius sæculi vanitates, omnes vel descendere, vel cadere cognoscuntur, rarúsque qui non vel descendat, vel cadat in huius turbulentissimæ profunditatis oceanum. Sola illa Mater, & Filia Creatoris, nec descendit,

nec

nec cecidit; sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est.]

11. S. Damascenus Orat. 1. de Natiu. B. V. omnes in ea ad peccatum aditus abseratos, sic obseruat, alloquens ipsam. Sanctam omnem, & cum animæ visilitate coniunctam cogitationem habes: contrà, superuacaneam omnem & animis exitiosam, antequàm gustes, eijcis. Oculi tui semper ad Dominum, perenne atque inaccessum lumen intuentes. Aures diuinum sermonem audiunt ac Spiritus cythara oblectantur: per quas Verbum carnem assumpturum, ingressum est. Nares vnguentorum sponsi odore deliniuntur, quod quidem diuinum vnguentum est sponsi exhaustum, atque humanitatem suam vngens. *Vnguentum enim effusum nomen tuum*, inquit Scriptura. Porrò labia tibi sunt, Dominum laudantia, ipsiusque labiis adhærentia. Lingua & fauces, Dei verba discernentes, ac diuina suauitate ad satietatem vsque fruentes. Cor purum ac labis expers, Deum spurcitiæ omnis carentem cernens, ipsiúsque cupiditate flagrans. Venter in quo habitauit is, qui nullo loco capi potest. Lactis vbera, quæ Deum puerum Iesum aluerunt. Porta Dei, perpetua virginitate prædita. Manus Deum gestantes, & genua (thronus Cherubinis sublimior), quorum ope atque adiumento manus languentes, ac genua dissoluta, robur contraxerunt. Pedes, Dei legi tanquam lucerna deducti, ac post eam irretorto cursu properantes, quoad vsque amatum ad amantem pertraxerunt. Tota spiritus thalamus es, gratiarum pelagus; tota pulchra, Tota Deo propinqua.]

Fulbertus Carnotensis homil. 1. de Nat. Deip. quam nomine homiliæ approbatæ consuetudinis apud Richardum à S. Laur. l. 5. de laud. Deip *ferè initio*, allegatam inuenio, quia initium ab illis verbis habet. [Hoc imprimis astruere fas est, quod anima ipsius & caro quam elegit & habitaculum sibi fecit Sapientia Dei Patris, ab omni malitia & immunditia, purissima fuerunt, affirmante scriptura, *quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

12. Philippus abbas tametsi alicubi incommodiùs loquitur vt vidimus, tamen aliàs explicatissimè astipulatur huic veritati; vt lib. 2. in Cant. c. 5. sic inducens Deum affantem Virginem ab Originali labe purgatam. [Te potens eques, auriga doctus per medium maris duco, & hinc inde remotis fluctibus ad terram viuentium solidam te perduco. Stat à dextris & sinistris, aquarum imminens altitudo, in modum maceriæ fixas tenet inuisibilis fortitudo: Obstupescunt & mirantur nouo & insueto genere se teneri, quadrigæ datur viam, & vndas labiles non timeri. Sic enim versans & conuersans inter medium peccatorum, hinc gentium stultitiam, illinc attendens scandala Iudæorum, ex eorum malitia non culpam tibi contrahis non peccatum; non frangeris opprobriis, non iter deseris præmonstratum. Nec solùm caput tuum non premit, vel opprimit vndæ congeries imminentis, sed nec riuus prætereuns, pedes attaminat incedenti, imo pede sicco, puro vestigio, munda vita, viam præteris huius mundi, nullo vitiorum attactu lacessita.] Rursus lib. 4. eiusdem Operis c. 1. [Viuens in corpore, mortis necessitatibus obuoluto, vitam vitiis obnoxiam, cursu peragit impolluto.]

S. Bernardus ser. 2. de assumpt. [Virginalem domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtique comitatur. Absit enim vt proprij quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.] Et mox. [Proprium Matris delictum non habuit; nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longè fuit. Sit ergo Lazarus apud eos quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari, secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris, vt in thalamo Virginali, inueniatur Martha & Maria tantùm.] *Proprium peccatum* quod à Virgine remouet disertè contraponit peccato originali, quod quamuis insit vnicuique proprium iuxta Tridentini definitionem, tamen spectato principio vocatur peccatum commune. Itaque S. Bernardus perspicuè B. Virginem omni actuali peccato eximit. Idem Epist. 174. [Ego puto quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem; quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum, reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitæ & iustitiæ, omnibus obtineret.]

Pars II. Punctum IX. probra interna, procul à Virgine.

13. Guerricus Abbas serm. 2. de Assumpt. sic inducit loquentem Virginem. [Ne iudices temerarium, quod maiora me quærere videar, *Osculetur me osculo oris sui.* Siquid mihi conscia essem, contenta essem cum Maria Magdalena, osculo pedum, vbi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia in omni vita non mea, non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare, da osculo oris, gratiam gaudiorum.] Idem serm. 2. de Annunc. exponens quomodo Virgo dicta sit *Petra deserti*; Isaiæ 16. non modò puram vsquequaque & nitentem à peccato exhibet Virginem sed addit, [sensu quoque ipso, aduersus illecebram peccati, tota insensibilis erat & lapidea.]

Petrus Cluniac. lib. 5. epist. 7. nitentem semper, ac puram ab omni actualis culpæ labe, S. Virginem profitetur.

Ekebertus Abbas in deprecatione ad Virginem; sic eam affatur. [Hortus conclusus in es Dei Genitrix, ad quem deflorandum, manus peccatoris nunquam introiuit. Tu sanctorum areola aromatum, à cœlisti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas.] Subdit paulo post, quàm fortiter B. Virgo aduersus omnes vitiorum & peccatorum duce Satana acies, & bellauerit & vicerit. Sub initium item deprecationis dixerat eidem; [Tu mundum hunc immundum & lubricum impolluto calle transisti, & adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum sanctitate fœcundabaris, vt sola solio Regis æterni, immediatè approximare mereris.

14. Richardus Victorinus l. 2. de Emmanuele c. 25. ad 31. multus est in Beatissimæ Virginis exquisitissima puritate celebranda. Sed concinnè c. 29. bella vsq; ad terræ finem contrita, interpretatus securitatem à tentationibus; scuta autem de quibus eodem psalm. 45. interpretatur excusationes in peccatis; addit, hæc scuta in Virgine esse combusta igni. [Quia vbi non est locus accusationi, nullus proculdubio relinquitur excusationi. Quem sua namq; conscientia in nullo accusat, non est vnde excusare se oporteat. Virginalis itaq; illa puerpera cui nihil de plena virtutũ consummatione defuit, in nullo omnino excusatione aliqua eguit. Nam si vel impossibilitas ipsi aliquid in ea de aliqua virtutum perfectione minuit, profectò pro ea parte, eadem ipsa impossibilitas ei ad excusationem fuit. In eo ipso itaq; supereminentis, & supra modum æstuantis amoris

datus cœlitus ignis, designata excusationem omnium scuta eaussit, quia plenitudo gratiæ charitatisque consummatio nihil spiritualis infirmitatis, nihil imperfectionis reliquit, quod vel per impossibilitatem excusari oportuerit. Ex his itaque aduertere licet, quod Emanuelis nostri puerpera in omni fuerit virtutum consummatione perfecta. Quis illud primum, & maximum mandatum sic vnquam impleuit? Quis sic vnquam implere potuit? *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua?* Ea hac vtique exæstuantis amoris flamma, exusta sunt scuta illa iam dicta.] Non potuit Richardus, explicatiùs à Virgine remouere omne peccatum actuale. Sed non minùs perspicuè aut validè in Opusculo de differentia sacrificij Abrahæ & Mariæ, vbi assumens B. Virginem nec metu patiendi, nec metu cadendi expetiisse abitum è vita, probat eam non posse vrgeri desiderio mortis, metu cadendi, [quia in carne qua Christi carnem genuit, atque nutriuit, nihil contradictionis portauit. Ad momentaneum contactum dexteræ salutaria, leprosos mundator, ad tactum fimbriæ mundata est, & illa, quæ fluxum sanguinis patiebatur, quantò magis illam ab omni contagio mentis, & corporis mundari oportuit, quæ tamdiù totum in vtero, quæ toties totum in gremio circumplexa fuit? quæ illius, vt sic dicam, medelæ quæ tollendis omnibus omnium morbidorum morbis, satis superque sufficere possit?] Argumentum ei geminum quod Basilius Seleuciæ erat. 39. petit ea lapidibus quibus constant tumbæ sanctorum, & ex vmbra ac semicinctiis B. Petri, per quæ Deus tot, & tanta operatus est, indubio argumento quod longè acceptiorem habeat matrem sanctissimam. Nisi quod Basilius inde eruit potestatem Deiparæ, Richardus verò elongationem à culpa. Et quanquam agere duntaxat videtur de tempore quod intercessit post Christi conceptionem, tamen idem insinuat de anteriori quoque Virginis ætate; cum eo tamen discrimine, quod ante conceptionem Christi, posset in Virginem cadere peccatum, non item post Christi productionem; quod discrimen nunc non moramur, contenti intentissima iuxta Richardum vniuersa Virginis vita.

15 Confirmatur insigni loco ex eodem Richardo, suo capite 26. in Cant. vbi exponit illud *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* [Beata (inquit,) Maria Virgo, tota pulchra fuit, quia sanctificata in vtero. Ab vtero quoque egressa, nec mortale vnquam nec veniale commisit. Et ante conceptionem quidem filij Dei, priùs per gratiam custodita est à peccatis. Post hanc verò ita confirmata est ex virtute altissimi, obombrata, & roborata, vt peccatum omnino committere non potuerit. Ex quo templum Dei facta est, ita priuilegiata est, vt nullatenus aliqua macula potuerit deturpari. Tota item pulchra fuit, quia plena gratia, vt nec vllum vel minimum veniale in ea fuerit, quominùs in ea locum gratia habere potuerit. Cum enim aliquis aliquod veniale committit, tunc non meretur, nec augetur in eo gratia. Tota ergo fuit pulchra, quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum.] Addit inferiùs, dæmones quoque, obstupuisse, videntes immunitatem eius à peccatis. Cum nemo vnquam Sanctorum fuerit, qui alicui maculæ peccati actualis non subiacuerit præter ipsam. [Luna enim quæ nocte splendet, & stellæ non sunt mundæ in eius comparatione; Idest hi vitæ sanctitate lucent vt Luna, vel stellæ, in nocte huius vitæ, obtenebrantur in eius comparatione. Obtenebrantur enim stellæ, Idest Sancti caligine humanæ culpæ, sed B. Virgo, tota pulchra fuit, quam totam illustrauit, & perfudit Sol iustitiæ, vt nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ.]

Diuinissimè quoque in hanc rem disserit suo c. 39. in Cant. tractans illud, *Species eius vt Libani,* quod ad Virgines aptat, & concludit. [Species itaque Christi, sunt virgines, sed beata Virgo specialis eius species, quæ speciem suam nunquam per aliquod peccatum mortale vel veniale maculauit. Vnde speciem eius Rex cœlestis concupiuit, in ea carnem sumens, amplius hanc speciem decorauit, quia ampliori eam gratia repleuit. Mundo itaque tenebris obuoluto, & deformato, adeò Solem iustitiæ speciosum forma præ filiis hominum edidit, & ita lumen cæcitatis, & speciem deformitatis speciosam restituit. Ipsa igitur singulariter species Christi præ omnibus speciosa, Christóque simillima, non solùm speciem Christi ipsa habens, sed etiam aliis hanc restituens. Maria itaque supra homines est, in eo quod nunquam peccatum commisit, sicut homines inter quos nullus inuentus est, qui faciat bonum, & non peccet. Supra Angelos quoque est, quia eos puritate supergreditur, dum diuinitatem clariùs illis contemplatur. Nec tantum peccatum non commisit, sed etiam aliorum peccata deleuit. Nec solùm in se lucida fuit, sed etiam lucis radios ex se emisit, quia per eam mundus lumen gratiæ accepit. Inter diuina itaque, & humana, media, & mediatrix est Maria, vt humana supergrediatur, dum tam sublimia per filium operatur.]

16 S. Birgitta in celebranda Immunitate B. Virginis, à quocunque etiamsi minutissimo peccato, frequens est. Sed luculenter id expressit lib. 1. reuelat. c. 31. ex S. Ioannis Baptistæ reuelatione. [Ista Regina cœli sic pura fuit, quod vna macula peccati, inueniri nunquam potuit in ea, à principio ingressus eius in mundum, vsque ad vltimam diem mortis ipsius. Nec omnes Diaboli, tantam impuritatem reperire poterant in ea, vbi cuspis acus poni posset. Ipsa verè erat purissima. Nam non decuit Regem gloriæ iacere nisi in vase purissimo, & mundissimo, & electissimo præ omnibus Angelis, & hominibus.] Et lib. 3. c. 8. ipsa Virgo de se loquens inducitur. [Ego sum illa quæ ab æterno in charitate Dei, sum, & ab infantia mea Spiritus sanctus perfectè erat mecum. Et sicut de nuce exemplum habere poteris, quæ cum crescit, dilatante se testa, quæ extrinsecus est: ità vt nux semper sit plena, & nihil in ea vacuum, quod capax sit alicuius rei exterioris: Similiter, & ego ab infantia mea, plena eram Spiritu sancto, & iuxta corporis, & ætatis meæ accrescentiam, tam affluenter me totam repleuit Spiritus sanctus, quod nihil in me vacuum reliquit ad peccati alicuius introitum. Et ideò illa ego sum, quæ nunquam peccatum commisi veniale nec mortale. Ego quippe in charitate Dei tam ardens eram, quod nihil mihi placuit, nisi perfectio voluntatis Dei.]

S. Anselmus frequenter agnoscit summum per vniuersam vitam Deiparæ nitorem à peccatis actualibus, sed pulchrè eo loco quem descripsit Albertus Magnus in calce procœmij, Operis de laudibus, B. Virginis. [Ego puto quod copiosior sanctificationis benedictio in eam descendit, quæ ipsius non solùm sanctificauit ortum, sed etiam vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod alteri nemini in natis mulierum creditur esse donatum.

Decuit

Decuit nimirum Regi nam Virginum, singulari priuilegio absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret Redemptorem, munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret.]

Laurent. Iustin. serm. de Annunc. [Quis huius Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namque sui conceptione, in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo, priùs est sanctificata, quàm nata. In ipso enim vtero materno, iam posita super illam gratia sanctificationis effulsit, vtpotè ei quæ electa erat, vt pareret Deum. Nouerat opus suum ille, qui fecerat, & quale futurum erat, certissimè agnoscebat. Hinc est, quod Virginem ipsam tam largo imbre Spiritus irrorauit. Erat planè sicut à carnis colluuione immunis, ita, & ab omni peccati labe extranea.]

17 Richardus à S. Laurentio l. t. c. 1. *in fine*, post mulis in hanc rem, [Fuit immunis ab omni peccato. Sed numquid in summo? Vtique in summo creaturæ; vnde Augustinus; Quotiescumque loquimur de peccatis, nullam de Beata Virgine facimus mentionem. Anselmus etiam dicit, quod ea puritate nitebat, qua sub Deo maior nequit intelligi.] Locus Augustini quem profert, allegatus iam est ex libro de Natu. & gratia c. 36. Locus verò S. Anselmi habetur l. de Conceptu Virgin. cap. 18. estquè apud S. Thomam, & omnes Scholasticos velut axioma, omnibus probatum, & indubitatum. At liquet B. Virginem falsò assertum iri nitentem ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi; si peccato aliquo actuali, quantumuis minuto sorduisset, vt rectè inde argumentatus est Richardus: qui eiusdem libri c. 3. tractans cur B. Virgo dicatur *stella maris*, idcirco eam denominatam sit *stellam maris*, quia per vitæ puritatem clara semper, & lucida fuit, non habens in se maculam, & tota pulchra. Item quia cum aliæ stellæ circumuoluantur, & gyrent perpetuò, sola stella nostra polaris Maria, immobile punctum quod est cœli principium, inseparabiliter adhærens, tenuit immutata per peccatum; persistens immobilis in iugi, & irrequieta cæterorum hic sanctorum, modò ad occasum deflexione, modò reuersione ad ortum. Ne verò quis eam nominis *Maria* notationem, qua iuxta quosdam *mare amarum* sonat, traheret ad aliquam peccati actualis amaritudinem Virgini inspergendam, disertè admonet, eam amaritudinem minimè pertinere ad peccatum vel pœnitentiæ gemitum, quæ in Virginem cecidisse negat, sed ad dolorem pro filij perpessionibus, & excæcatione populi Iudaici, quàm fuisse sibi iugis amaritudinis materiam, Paulus tanto Virgine inferior, Rom. 9. contestatur. Idem Rich. lib. 2. particulæ 2. [Credamus insuper, quod immaculata, & sine peccato vitam duxit in mundo, præseruata à Sapientia Dei, quæ *non intrat in animam maleuolam, nec habitat in corpore subdito vitiis, & peccatis*. Sapientiæ 1. Ipsam enim velut pupillam oculi, semper ab omni nocumento Deus Trinitas conseruauit. Vnde dicit, de ea, *nocte, & die seruo eam, indignatio non est mihi*. Isaiæ 27.] Et lib. 3. non multum ab initio; laudato in hanc rem loco S. Bernardi supra adducto ex eius Epistola 174. huc accommodat quod Deipara Cant. 6. dicitur *electa, vt sol*, quem nec ignis comburit, nec aqua emollit, nec gladius scindit, nec fœtor corrumpit, nec vitrum impedit. Hoc item esse ait, quod sub imagine ciuitatis sanctæ Hierusalem dictum est, Apocal. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem, & mendacium*, qua triplici labe exclusa, peccatum cogitationis, oris, & operis, à Virgine remotum affirmat. *Pars II. Punct. IX.*

18 Sed quid sanctos, & pios doctores adduco, qui præseruationi Deiparæ à quouis veniali peccato attestentur, cum etiam externi idem senserint? Antiquos Rabbinos ita pronunciasse, legere est apud Galatinum l. 7. c. 2. & 11. Et idem visum Masumeri, cuius verba adscripsit Mendoça l. 2. florum problem. 3. *probra interna procul à Virgine.*

Ratio huius veritatis non est quærenda alia quàm beneplacitum Dei, qui summè complacuit sibi in animâ B. Virginis: quam cum destinasset ad summum munus quod puræ creaturæ possit committi, congruum fuit sic decorari, vt nihil in ea esset matre Creatoris indignum: cuiusmodi profectò esset quodcunque peccatum, non graue tantùm, sed etiam leue. Vt propterea sensus Ecclesiæ, teste Concilio Tridentino sess. 6. can. 23. ferat, non obstantibus variis vniuersalibus scripturarum, & Conciliorum locutionibus, quibus traditur non esse qui non peccet; tamen B. Virginem nunquam peccasse, atque adeò illis vniuersalibus sententiis non comprehendi sicut ab eadem Synodo, non comprehenditur iis locis quibus natiua omnium inquinatio asseritur. Et consentaneè ad hoc, addunt DD. B. Virginem cum orationem dominicam recitaret, ex præscripta à Christo orandi formula; petitionem illam: *dimitte nobis debita nostra*, non nisi in persona Ecclesiæ pronunciasse, vt rectè statuit Toletus in c. 11. Lucæ annot. 13. & Aug. de Ancona ad 5. petitionem orationis dominicæ q. 3. qui ponderat proprietatem vocum *dimitte nobis*, non *dimitte mihi*. Præstiterunt Deiparæ hanc impeccantiam, singularia auxilia quibus à Deo præuenta est, & firmata in bono: ita vt nunquam conciderit, vel etiam leuiter titubarit.

Fundamenta contraria, euertuntur.

19 QVæ in contrarium sunt adducta, nullius planè sunt momenti. Scripturæ enim quas aduersarij ad peccatum Deiparæ affricandum consarcinant, nihil minùs ferunt, vt Vasques planè prosequitur 3. p. d. 120. c. 3. & 4. Imo furor aduersariorum, & mania in Dei sanctuarium apertissimè proditur, iis blasphemiis fundendis, quibus illud conspurcare satagunt. Quid enim sceleratius, quàm malignè restrictæ diuinæ potentiæ arguere Virginem, sonantissimam diuinæ potentiæ præconem, toto propè suo Cantico? Quid spurcius, quàm eidem dicam impingere ob deuotam numini Virginitatem? Prætulisse se Deo Deiparam, immanis calumnia est, nullo ex capite probanda. Filiò iussisse cum imperio, & arroganter, falsissimum est. Vel si vspiam apud pios, aliquid illud imperium matris in filium redolens legitur, glossandum est, vti factum à Richardo de S. Laur. l. 3. priuilegio 9. [Cum omnes alij (inquit) sancti, & Angeli, possint Christo supplicare, & à Deo exaudiri. Vnde, & dicit eis, *Petite, & accipietis*. Matth. 7. Ipsa sola, materna authoritate potest ei vt filio imperari. Quod signatum est 3. Regum. 2. vbi legitur, Salomon, qui signat Christum, respondisse matri suæ. *Pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam, &c.* Ad hoc etiam figurandum 3. Regum 10 dicitur, quòd Rex Salomon, *Dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit, & petiit ab eo, &c.* Quæ videlicet Regina significabat Mariam. Ideò sic oramus eam, *Monstra te esse matrem*, quasi diceremus ei, imperiosè, & materna authoritate supplica pro nobis filio tuo. Itē illud, *Ora patrem, iube natum.*

Dicunt

Dicunt autem quidam, hoc non benè fuisse dictum. Sed mentita est iniquitas sibi. Nonne legitur Lucæ 2. de Iesu, *quod erat subditus illis*, scilicet Mariæ, & Ioseph propter Mariam? & ibidem, quod ipsa materna fungens authoritate corripuerit filium, dicens, *Fili quid fecisti nobis sic?* & paulo post subiungitur, quod audita correctione materna, patienter & absque murmure *descendit cum illis Nazareth, & erat subditus illis.* Non enim euacuabitur præceptum in patria illud Dominicum. *Honora patrem & matrem.* Exodi 20. sed perfectissimè adimplebitur. Nihilominùs hæc omnia intellige de reuerentia quam Dei filius exhibet matri suæ, & in subiectione, qua Christus fuit subditus parentibus, formam humilitatis nobis & obedientiæ commendauit: nec fuit illa subiectio necessitatis, sed pietatis, sicut dicit ibidem Glossa, & quid parentibus debeamus ostendit.]

20. Habemus hinc, idoneam glossam illius imperij Virginis in Filium, quod interdum insinuatur à piis cæteroqui viris, quorum quædam dicta attigit Richardus. Et addere poterat illud Petri Damiani serm. 44. *sub finem*, vbi sic affatur Virginem. [Nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis releuare. Quomodò enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua, carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans sed imperans; Domina, non ancilla. Moueat te natura, potentia moueat, quia quantò potentior, tantò misericordior esse debebis.] Hugo Victorinus non dissimiliter lib. 3. Miscel. c. 44. [Quomodò illa potestas tuæ potentiæ poterit obsistere, quæ de carne tua carnis suæ suscepit originem? Accedis ad illud reconciliationis altare, non solùm rogans, sed & imperans.] Æmulatus quoq; istos est Cantipratanus l. 2. Apum c. 29. num. 28. his verbis. [Quis non videat & plenè collaudet, illam misericordiæ patronam & matrem, quæ speciali priuilegio, Christo potest imperare vt Filio, & reconciliare miseros quos noxa proscripserat?] Hæc omnia, eo quo Richardus modo, sunt accipienda; eâque temperatione adhibita subducuntur sannis Nouatorum, qui perpetui sunt in exaggeranda atrocitate huius (vt blaterant) erga Christum iniuriæ, per speciem honorandi Deiparam.

21. Porrò longè alio, hoc est Dei Spiritu, postulationem matris pro vino in nuptiis Cana, (cui postulationi hanc calumniam inædificarunt aduersarij) accepit S. Bern. l. de gradibus humilit. *ferè in fine.* [Disce (inquit,) & in matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiā retinere. Disce verecundia decorare fidem, reprimere præsumptionē. *Vinum*, inquit, *non habent.* Quàm breuiter, quàm reuerenter suggessit, vnde piè fuit sollicita. Et vt discas in huiusmodi magis piè gemere, quā petere præsūptuosè, pietatis æstū pudoris temperans vmbra; conceptam precis fiduciam verecundè suppressit. Non frontosè accessit, non palam locuta est, vt audacter coram omnibus diceret: Obsecro fili, deficit vinum, contristantur conuiuæ, confunditur sponsus, ostende quid possis. Sed licet hæc aut multo plura pectus æstuans, feruens loqueretur affectus; priuatim tamen potentem pia filium mater adiit, non potentiam tentans, sed voluntatem explorans. *Vinum*, inquit, *non habent.* Quid modestius? Quid fidelius? Non defuit pietati fides, voci grauitas, efficacia voto. Si ergo illa cum mater sit, se matrem oblita non audet petere miraculum vini, Ergo vile mancipium cui permagnum est filij simul ac matris esse vernaculum, qua fronte præsumo petere?] En quàm abest ab arrogantia, & imperio inuerecundo, matri respectu Christi tribuendis, S. Bernardus.

22. Amissio Christi duodennis, fuit planè innoxia, vt liquet ex iis quæ habet Toletus in c. 2. Lucæ annot. 70. Denique interpellatio Christi concionantis, conficta est. Et quamuis vera esset, potuisset esse honestissima, quippe facta ad Christum à nimio labore refocillandum, vt ex Euthymio obseruat Castro in histor. c. 15. *in fine.* Accipe longè aliter in hac parte, de B. Virgine statuentem, quàm impij Sectarij faciant, S. Bernardum serm. io illud *signum magnum.* [Gratissima sanè (inquit,) gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat quod hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria: Ex Euangelio id probamus. Vbi enim aliquando loquax, vbi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat quærens loqui filio: nec materna authoritate aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit in qua filius loquebatur.] Apage igitur nugas aduersus Dei matris innocentiam ex Scripturis.

Molliti, vel modestè retecti quidam Patres circa Virginis impeccantiam.

23. NEc firmiora sunt quæ adducebantur ex Patribus. Inprimis quia respiratio paucorum illorum qui adducebantur, non posset officere sensui explicatissimo tot aliorum Patrum in contrarium. Deinde illos ipsos qui proferebantur, alibi aliter sensisse constat. Sanè Origenis egregium locum, planè contrarium ei qui adductus est ex hom. 17. in Lucam, legere licet in Catena Corderij Lucæ 2. vers. 35. vbi conceptis verbis infidelitatem remouet à B. Virgine, & omnem vitiosam affectionē tempore passionis Christi nominatímque gladium pertransceuntem animam, quem de infidelitate alibi acceperat, rectè hic exponere. [Beatissimæ (inquit) ac semper Virginis Mariæ animam, gladius pertransiuit, sub ipsam salutem Christi passionem; illa nusquam diffidentibus cogitationibus concussa, non infidelitatis iaculis vulnerata, nec pro iis quibus gauisa fuerat in dolorem mutata, sed permittente viscera materna crucifixo filio agere, quæ propria sunt insitæ compassioni. Quid enim mater non passa sit, videns suum Filium, eúmque maximè qui humana erat natura sublimior, maleficorum supplicia sustinentem? Hæc vtique passio Verbi immaculatissimæ Matri, quouis gladio acutior acerbióque accidit. Tametsi enim multa habuerit argumenta, vt sciret Filium suum esse Deum incarnatum; attamen non in omnibus soluit naturæ leges, sed intra honestatis limites, naturæ quæ illi propria sunt, indulsit. Quocirca passionem horribilem cernens, maternis oculis propositam spectaculo, quasi plaga gladij, eius anima concidebatur, atque diuidebatur.]

24. Locum Chrisostomi adductum in contrarium, ex commentario in psal. 13. Suares t. 2. 3. p. d. 4. s. 3. *in fine* diluit negando eum commentarium extare. Sed hoc malè negatur. Itaque præstat Chrysostomum exponere de admiratione quadam & stupore, quò visa re noua, animus ita defixus hæret, vt quasi dubitare videatur. Quod si ea responsio minùs quadret, dicendum erit cum S. Thoma 3. p. q. 27. art. 4. ad 1. S. Chrysostomum excessisse. Sic enim diluit S. Thomas quod D. Chrysostomus dixerat, B. Virginem miraculum à Christo expetiisse ex vanitate, & inanis gloriæ captatione. Quid si verò

interpola

interpolatrices,& adulteratrices manus, textum cocorrupisse quis dixerit, cum Leonæ Castrio in c. 7. Esaiæ ad v. 14 atque Poza de variis Patrum locis circa hanc materiam ita pronunciante lib. 4. Elucid tract. 2.cap.4.Certè homil.de Purificat.S.Chrysostomus diserte habet, Deiparam nunquam peccasse.Quod è diametro pugnat cum illis aliis Chrysostomi locis, in quibus Deiparæ peccata agnoscit. Multus est in Chrysostomo hac in parte emaculando, Siatus Senensis lib. 5. bibl. annot. 104.& lib.6. annot.58. & 138.139.140.

25 De Ruperto, hæreo anceps.Nam tametsi quod sæpè admonui,eius authoritas in dogmatibus non est tanti : tamen ea tradit loco citato, quæ ferri nulla ratione queant, si cortex verborum spectetur. Ait ergo aliud esse Spiritum sanctum dari ad remissionem peccatorum,aliud verò dari ad diuersas operationes de quibus Apostolus 1.Cor.12.Hoc secundò modo, fatetur Spiritum sanctum esse datum B. Virgini omnium primæ, nec ante punctum conceptionis Christi. Nam vt omnino sanctum esset quod ex ea nascebatur, oportebat ipsam sanctificari, id est emundari ab omni peccato, tam actuali, quàm originali. Sic ibi Rupertus tractans illud *quod nascetur ex te sanctum.* Vbi dissimulo, quod ait, vt Christus omnino sanctus esset, oportuisse matrem sanctificari. Renera enim quamuis mater Christi sorduisset peccato, Christus ex ea nasci potuisset, neque tamen minus sanctus fuisset, quàm nunc sit : quia sanctificatio orta ex vnione ad Verbum,& fons totius fecunditatis sanctitatis Christo communicatæ, fuit independens à sanctitate matris, vt dictum est lib. 4. de Christo s. t. cap. 5.sed hoc (vt diui dissimulo.

Illud verò quomodò ferri potest, quod B. Virgo prima omnium mortalium, acceperit remissionem peccatorum ? Videtur sanè id esse, quod S.Thomas opusc.1. c.16. damnat hæreseos.Nec leuitur difficultas, si dicamus, nomine *remissionis peccatorum* intelligi gratiam peccatorum remissiuam. Nam ne hoc quidem verum est:cum anteriores quoque iusti, sint donati eo beneficio. Et quanquam hoc exponi posset per ea quæ apud ipsum Rupertum leguntur l.4. de processi. Spir. sancti c.1 8. tamen quæ glossa commodè exponet, quod dicit Rupertus, B. Virginem primùm accepisse remissionem peccatorum & actualium, & originalis, in momento conceptionis Christi?An non saltem sanctificata est in vtero ante natiuitatem ? Quare quid in mentem venerit Ruperto, vt ista tam multiplicitet erronea effutiret, planè non assequor, nisi vel eodea vitiatus est, vel quid aliud subest verbis, quàm eorum cortex præferat.

26 Cœteroqui sunt apud Rupertum loca ipsis solis radiis scripta, pro ostentissima ab omni actuali labe Virginis anima. Libro enim 8. in Cant. sic habet alloquens Virginem. [Nunquam aduentus spiritualis accipitris,tibi esse improuisus:aut te consequi, imo nec tibi appropinquare potuit.] Ibid. lib. 4. [mens tua nulli vitio, nulli spiritali nequitiæ, fuit vnquam penetrabilis.] Item lib. 6.[Tu ô libera Sunamitis, ô dilecta singularis, libera es ab omni iugo peccati.] Denique quicquid Rupertus, aliusvè quispiam aduersùs summum Deiparæ nitorem voluerit,B. Virgo nullo vnquam vel minimo peccato sordnit. Laudat S. Paulinus carm. 5. Baptistam, semideum (vt ait) virum qui labe immunis ab omni, cum sua tam fæuis cruciatit corpora pœnis, præscripsit quid nos vel post peccata decerct;Estque non inuerisimilis sententia quam nulli censuræ obnoxiam statuunt Suares t.2.3.p.d.sp.24. sect.4. & Driedo l.1.de grat.& lib.arbit.cap.5.parta 2. tuentúrque absolutè. Catharinus l. de eximia Christi prædestinatione, & Galatinus lib.7. de Arcanis cap.9.nempe S.Ioannem Baptistam,nunquam ac ne tenuissimè quidem peccasse. Quantò instius ergo idem de Virgine statuendum ? Pars II.Peccatorum IX. probra interna,procul à Virgine.

Locus Ebrard.contra Valdenses c.4.est duriusculus? Agens enim de obedientia præstanda Dominis etiam Dycolis, ait. [Nunquid non Dominus qui sine peccato erat, voluit subditus esse Ioseph & matri suæ, qui sine peccato non erant?] Tentauit hoc durè dictum mollire Gretserus ibi,dicendo, hæc ad solum Iosephum pertinere, ea locutionis figura qua latrones Christum in cruce pendentem blasphemasse dicti sunt, cum vnus tantùm ea labe sorduerit & discipuli de vnguento pretioso in Christi caput effuso murmurasse feruntur, cum solus Iudas murmurauerit vt habet Ioannes c.12.Fas esset circa ea exempla tricari sed si ea mollitio dicto ab Ebrardi adhibita non placet,linea inducta obteget eam feditatem.

Inordinationes nostrates,à Virginis appetitu ablegata.

27 PErgo ad appetitum sensitiuum Virginis, omni dedecente inordinatione & effrœnatione liberandū. Fuisse in Virgine affectus nostros, debet esse extra dubium,cum fuerint etiam in Christo.Idque in particulari, & sigillatim quoad Deiparam, de variis affectibus & passionibus appetitus monstrat Canisius l.4.de Virg.c.13. Difficultas tantùm est, de defectibus quibus in nobis actua illi grauantur anteoccupando & præueniendo rationem, eámque vt gemit Apustolus, captiuando sub lege peccati. Hos enim nostrates defectus & depopulatricis flammæ vagum ardorem,& vniuersa perlustràs incendium, (vt loquitur Author sermonis de Circumc. apud Cyprianum,) & Apostoli sunt expetri mœrentes. Ibidémque elegantissimè sub aliis variis metaphoris, eam appetitus rebellantis aduersus spiritus ferocitatem, eodem sermone describit. Idem verò optimè, & concinnissimè de more serm. de Natiu.Christi; quanta esset Deiparæ hac in parte pax,his verbis exprimit. [Spiritus sanctus possidebat domum suam, & templum quod sibi consecrauerat, adornabat. Seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat : lætificabant consolationes huiusmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia,concupiscentiarum ludibria abigebat,legem mentis,lex carnis non infestabat,rebellio nulla quietem spiritus affligebat.] Non potuit aptiùs & venustiùs, omnem rubiginem defectuum nostratium, à B.V. appetitu detergere. Idem ferunt illa Aretæ in c.12.Apocal.quibus B Virginem appellat [puram, à terrenis rebus liberam,& alienam,& in terris æqualem Angelis.] Addetem & illud Hesichij orat. 2. de Deip. [Mariam concupiscentiæ fumus non attigit.] Sed video respondeti posse, peculiarem esse rationem motuum carnalium ; ita vt illi ipsi qui motus aliquos inordinatos peccati expertes in Virgine non refugiunt, id tamen renuant admittere de motibus carnis, vt videre est apud Philippum Abbatem lib. 2. in Cant. capite 7. móxque referam ex Petro Cellensi. Et insigniter idem de motibus carnalibus tradit Guliel. Paruus in capite 7. Cant. ad illud *iunctura feminum,*

num; & ad illud *umbilicus tuus crater* ad quem locum egregiè quoque idem habet Rupertus lib. 6. in Cant. ac optime etiam Richardus Victorinus in psal. 71. monstrans Beatam Virginem dictam idcirco esse *vellus* quia vellus est lana recisa à carne.

28 Vniuersaliter, & quidem optimè, & fusissimè purgat appetitum Virginis, Nicolaus Monachus S. Albani Epist. ad Petrum Cellensem: (est nona inter epist. Cellensis) vbi hæc præter cætera. [Sed modis omnibus constare nobis debet, quòd Virgo singularis, nunquam in carne, in qua & de qua Christus homo factus est, motum illicitum sensit, nunquam legem membrorum sensit, nunquam quod non voluit egit, nunquam sensit quod sentire non decuit.] Et hoc voluit Georg. Nicomed. orat. de oblatione Deip. cum dixit, eam esse speciosam natura Nec non Epiphanium Constantinop. cum similiter dixit eam ea natura fuisse pudicam. Locum infra dabo agens de autocolia. Itaque communis inter Catholicos Doctores sensus, ferre videtur eum quem dixi ritorem appetitus B. Virginis.

Hinc liquet de summa illa pace terræ Virginem, perpulchrè expressa à Richardo Victorino l. 2. de Emman. cap. 18.& 29. hic præter cætera, intet exponendum illud, *derelinquetur terra à facie duorum Regum suorum.* [Quid quæso miracoli, quid prodigij fuit, quod terra maledictioni addicta miseriæ exposita, ab omni vitiorum exactione & inquietudine libertima, plenam pro hac parte pacem obtinere potuit? Attendite obsecro, quàm magnum quàm mirabile fuerit hoc prodigium in oculis Prophetę, in cuius considerationem simul & admirationem, pariter omnes inuitauit, cum dixit; *Venite.& videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Quæ autem fuerit illa prodigia quæ tantoperè miratur, consequenter adiungitur, cum dicitur; *Auferens bella vsque ad finem terræ, arcum conterens, & confringens arma, & scuta comburens igni.* Quæ est ista obsecro terra, de qua bella omnia funditus auferuntur, nisi illa de qua idem Propheta alibi protestatur, *veritas de terrâ orta est, & iustitia de cælo prospexit?* De hac itaque terra, omnia pugna tollitur, in hac terra, pax plena reparatur, *Arcum* (inquit) *conterens, & confringens arma.* In arcu & sagitta percussio quidem est, non tam virtuosa quam artificiosa. E contrà, in gladio & hasta, percussio profectò est, non tam artificiosa quàm virtuosa. Per arcus ergo intelligimus tentationes fraudulentas; per arma verò tentationes violentas. Attende itaque, in quantæ securitatis arcem se erexit ad quam tam violenta quàm fraudulenta tentatio nullum de cætero accessum habere iam potuit. *Arcum* (inquit) *conterens, & comburens arma, & scutu comburens igni.* Sicut per arcum seductiones, sicut per arma oppressiones, sic & in scutis intelligimus excusationes: de quibus in Propheta sic habes. *Non declines* cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Excusationes sanè quasi quædam vitiorum scuta sunt, quibus se contra veritatis iacula muniant, & contra virtutum iaculationes, non mediocriter defendunt. Sed illud oportet sciri, quia vbi non est locus accusationis, nullus procul dubio relinquitur excusationi. Quem sua namque conscientia in nullo accusat, non est vnde se excusare oporteat. Virginalis itaque illa puerpera, cui nihil de plena virtutum consummatione defuit, in nullo omnino, excusatione aliqua eguit. Nam si vel impossibilitas ipsa, aliquid in ea de aliqua virtutum perfectione minuit, profectò pro ea parte eadem ipsa impossibilitas ei ad excusationem fuit. In eo ipso itaque supereminentis, & supra modum æstuantis amoris, datus cœlitus ignis, designata excusationum omnium scuta exussit, quo plenitudo gratiæ charitatisque consummatio, nihil spiritualis infirmitatis, nihil imperfectionis relinquit, quod vel per impossibilitatem excusari oportuerit. Ex his itaque aduertere licet, quod Emmanuelis nostra puerpera, in omni fuerit virtutum consummatione, perfecta.]

Abactis sectarij aduersantes. Quidam Patres explicati.

29 Sed reclamant impij Nouatores, quorum spropudiosa in hanc rem dicta, malo pressa. Et vtinam cum suis autoribus, extra infernum exaudiantur nunquam. Prostant verò scriptis commissa apud Canisium l. 4. de Deip cap. 4.& apud. Feuardentium l. 10. The. Caluin. capite 3. 5. 6. 7. 8. 9. Nonnulli item Patres visi sunt interdum minùs retinentes hac in parte, adscriptus Deiparæ indecoris & vitiosis motibus. Collegit varia eorum loca Baptista Poza l. 5. Elucid. tract. 16. cap. 2. quibus videri potest addendus Petrus Cellensis l. 9. epist. 10. vbi ex instituto, ac fusè confirmat B. Virginem sensisse motus rebelles appetitus sensitiui, sed absque consensu vllo. Ea epistola est apologia anterioris epistolæ, quæ habetur l. 6. epist. 23. & impugnationum Nicolai prædicti, quæ habentur ea epist. 9. Igitur in ea epist. 23. distinguit Cellensis duplicem B. Virginis statum; nempè ante, & post conceptionem Christi, & varios appetitus motus. [Concedo (inquit,) & credo si quidem, quod sæua libidinis incendia, Deo præoperante nunquam senserit, vel ad modicum: cætera verò impedimenta humanæ fragilitatis, quæ naturali origine, siue scaturigine, de natura procedunt, ante diuinam conceptionem sentire potuit, sed nullatenùs consensit. Et præueniente si quidem gratia, & in Virgine sua prælodia habente, fomes peccati anhelando extremum spiritum trahebat, solum sepulchrum ei supererat, donec veniens Spiritus sanctus defunctum perpetuæ sepulturæ mandauit, & serpentem antiquum suo gladio iugulauit. Dictum namque fuerat. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Vnde Hieronymus: Et si cæteræ Virgines imitantur illam vsque ad conceptum partus, & Gabrielis nouæ salutationis obsequium, deinceps totum diuinum est, quod operatur in ea, quis teste Angelo, Spiritu sancto, & virtute altissimi obumbratur. Ante hoc ipsum sanè vetus Virginis quamuis mundus, quamuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quamuis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur, (vt ita dicam,) ac si lana candidissima, suique coloris dealbata. Ad quam sanè cùm accessit Spiritus sanctus, quasi ipsa eadémque lana, cùm inficitur sanguine conchylij, vel muricis, vertitur in purpuram, versa est & ipsa sine coitu in matrem; vt non sit iam admodum quod fuerat, sed purpura veracissima ad indumentum & gloriam summi Regis diutiùs aptissimè dedicata. Vt nulli deinceps ea vti vsu fœmineo licuerit, nisi

nisi Deo. Post conceptum itaque suum meruit crystallinam soliditatem quæ ante gratiæ plenitudinem non exuerat teneritudinem, sed puram, sed sanctam, sed immaculatam, quæ consensu vti nullatenus potuit & si aliquatenus admota tentatione percelli potuit, non ad læsionem, sed ad probationem, non ad mortificationem conscientiæ sed ad confirmationem gratiæ, & ostensionem constantiæ.]

30. Verùm de illis Patribus qui obijciebantur, dicendum est, mentem eorum duntaxat fuisse B. Virginem, passiones nostras expertam, quod verum est, sed ita tamen, vt propassionum non passionum rationem habuerint & ad nutum aduocatæ; non autem nolenti ingestæ ad nutum item repressæ fuerint, non autem pertinaciter infixæ, colluctanti rationi superiori ægrè cesserint, Aduersus hoc secundum, nihil è Patribus profertur vel si ex vno quopiam proferretur deserendus modestè esset & pro Virgine hac in parte purganda certandum. De Petro Cellensi multò minus curandum est si verè voluit quod aliqua eius verba præferunt. Tametsi enim antiquus est (quippe æqualis S. Bernardi) & verè eruditus ac comptus scriptor ? tamen non est eius autoritas tanta, vt cogat nos depretiare B Virginem. Reuera tamen significat non semel ea epist. 10. Cellensis ne ante conceptionem quidem Christi Domini aliter se habuisse appetitum Deiparæ ad motus illicitos & tentationes quàm se habuerit appetitus Christi viatoris, cui suggeri extrinsecus tētatio potuit, obrepere verò aut irrepere introrsum nullo modo potuit. Idem ferunt illa verba epistolæ 23. libri sexti. [Multiformiter peccatum sentitur. Aliquando cum peccato, aliquando sine peccato. Quod in præsenti occurrit, sentio peccatum aliquando tanquam ignem, aliquando tanquam picem, aliquando tanquam lapidem, aliquando tanquam æram. Ignem generat delectatio, picem consensus vel ipsa perpetratio: lapidem consuetudo, vel obstinatio, æram serpentis sibilatio, quæ Virginis nostræ fores potuit pulsare, sed non penetrare. Hortus enim erat conclusus. An non eadem Domina potuit calcare super serpentes & scorpiones, ita quod nihil illam noceret? Rc itaque integra potuit hoc modo sentire peccatum, non autem consentire peccato. Potuit debellare omne peccatum, sine vulnere, sine pudore, sine silentij sui concussione, sine futuri partus violatione.]

An præuentio motuum appetitus, fuerit penes Virginem; atque adeò habuerit ne fomitem?

31 RAtum igitur esto, nullam fuisse in appetitu Deiparæ deordinationem, nullū indecorum motum: tantum abest, vt eis succubuerit. Idque certum esse, existimat Toletus in c. 1. Lucæ annot. 74. quamuis addat, non esse planè certum, an omnes motus appetitus; etiam qui rectè rationi non aduersantur, fuerint in B. Virginis potestate, ita vt posset eos aduocare: nec eius vlli affectus exurgerēt, nisi quando ipsa vellet, & quantum, ac quomodò vellet, vt in Christo accidisse certum est; & contigisse quoque Deiparæ, [etiamsi negant S. Thomas 3. p. q. 27 art. 4. ad 1. & Val. 3. p. d. 1. q. 1. p. 3, *sub finem*, Carthug. l. 14. de Deip. hom. 7.) tamen vt probabile, & rationi consentaneum affirmet idem Toletus: cum præuentio illa hominis per affectus indeliberatos deriuetur ex originali peccato, cuius Beata Virgo expers fuit. Itaque motus

appetitus sensitiui in B. Virgine, non sunt denominandi *passiones*, vt in nobis, ob inuoluntarium exortum quo ea pati cogimur: sed debent vocari *propassiones:* sicut in Christo ob plenam appetitus subiectionem sunt denominandi Id quod latissimè confirmat Poza l. 3. Elucid tract. 16.

Pars II. Punctum IX. probra interna, procul à Virgine.

32 Hoc si restringatur ad motus appetitus rectæ rationi aduersantes, alijs verbis dicitur, B. Virginem caruisse semper fomite in actu secundo: vel absolute caruisse fomite peccati. Quod damnat quidem Caietanus; sed astruit aduersus eum Palacius in 3. dist. 3. disp. 1. c. 3. & Vasq. 3. p. d. 118. cap. vltimo. Alij diuersis vocibus, reipsa eodem sensu, dixerunt in B. Virgine fomitem peccati fuisse in actu primo duntaxat; quippe ligatum; vel vt alij loqui maluerunt, extinctum ac mortuum saltem post Verbi Dei conceptionem. Quæ limitatio necessaria non videtur. Nam etiam ante peractam conceptionem Christi B. Virgo ob secuturam aliquando conceptionem erat Spiritus sancti sacrarium: quod esse planè nitens ac mundum, non à peccato tantùm, sed etiam à peccati pronitatibus & illicibus, consentaneum fuit. Itaque extinctum fomitem in Deipara, potiùs quàm ligatum, meritò statuunt Suarez t. 2. 3. p. d. 4. s. 5. Salaz. c. 28. de concept. §. 2. Catharinus l. 2. de concept. *ad* 3. *prima acies*, Vega 14. in Conc. 18. Tol. in cap. 1. Lucæ annot. 67. Val. 3. p. d. 1. q. 15. p. 3. & d. 2. quæst. 1. puncto 4. Vasq. 3. p. d. 118. cap. 4. Canisius lib. 1, de Deip. cap. 10. alijque recentiores passim. Est tamen (vt dixi,) horum ab ab alijs dissidium, merè de nomine, quod optimè attigit Raym. Iord. p. 1. cap. 1. siue enim ligatum, siue extinctum fomitem peccati dicamus, perinde est ad eam virginalis appetitus perfectionem exprimendam, quam proposuimus; nempè quod appetitus eius, nihil spinarum, ac tribulorum nostratium in ea germinauerit, ea speciali priuilegio diuino, quale hominibus innocentibus fuisset concessum, si ea terrena beatitate per Adami culpam non excidissent. Estque Virgini iure tributum, quia diuino decreto hac in parte sortita est restitutionem in integrum.

Furfur doctrinæ. Ac primùm cuiusvis ignorantiæ à Virgine etiamnum viatrice, remotio.

33 NOn defuerunt qui circa proposita puncta, heteroclises inueherent. Quoad perfectionem intellectus, nonnulli ne ignorantiam quidem puræ negationis, etiam quæ est mera carentia scientiæ absque debito, aut decentia sciendi ademerunt Deiparæ; saltem à tempore concepti Verbi Dei. Ita refert Petrus Cluniac. lib. 3. epist. 7. propositione 2. ex datis ad se literis à Gregorio Monacho: qui argumentabatur ex eo quod in beata Virgine essent omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei ex quo Christum habuit. Quomodo ergo aliquid ignorare potuisset? Addebat item argumentum ex vniuersali omnium rerum notitia communicata S. Benedicto in raptu quodam descripto à S. Gregorio. Decuit autem, vt nihil minus acciperet Dei mater, nec raptim tantùm in transitu, sed permanenter, quantò sublimior est matris, quàm famuli quantumuis benedicti, eminentia.

Hanc illius Monachi, ex Virginis nimio studio exercitationem redarguit Petrus Vener. Inprimis ex Lucæ 2. vbi refertur, Deiparam existimasse, puerum IESVM esse in comitatu. Ignorabat ergo, cum ibi nō esse. Quin etiā per triduum quandoquidē illū dolens

quærebat, necesse est vt ignoraret vbi esset. Postea quoque reperto iam puero, cum de eius recessu benignè mater expostulasset, respondissétque Christus, an nesciret se in his quæ æterni Patris erant esse oportere, subdit, Lucas, *& ipsi Maria, & Ioseph non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos;* Quæ verba non possunt cum Cartusiano l. 2. de Deip. art. 14. ad solum Iosephum restringi per tropum: manifestissimè enim ferunt, B. Virginem etiam post Verbi Dei conceptionem, non omnia prorsus perspexisse, ac ne omnia quidem ad Christum attinentia: vt Canisius etiam fatetur l. 4. de Deip. c. 19. Quantò magis alia pleraque, quæ cognoscere nihil interat Virginis? Argumentum ex thesauris diuinæ sapientiæ in Virgine reconditis, est planè friuolum. Neque enim B. Virgo, per thesauros diuinæ scientiæ, & sapientiæ quos localiter in Christo continebat, reddebatur sciens formaliter, sed Christus solus. Quod addebatur de S. Benedicto, æquè ineptum est: quia neque D. Benedictus omnia sciuit, etiam in rapto illo qui adducebatur: neque si ex singulari priuilegio ad maiorem sanctitatem formaliter non pertinente, id obtigisset S. Benedicto, existimandum est idem esse tribuendum B. Virgini, præsertim stabiliter, & plusquàm in transcursu.

Item impeccabilitas Virginis viatricis.

34 SVnt qui Virginem quoad voluntatem magnificent, non modò remouendo ab ea peccatum, sed etiam peccandi potestatem: quod putant affirmari ab iis qui agnoscunt B. Virginem etiam durante via, fuisse in gratia confirmatam. Confirmationem quippe in gratia, putant excludere concursum ad peccandum, atque adeò conferre impeccabilitatem per peccatum commissionis, cui iungenda est adactio ad bonum cum eius prætermissio esset vitiosa. Ita de B. Virginis confirmatione in gratia, Valentinus Herice. 1. p. d. 24. à num. 28 Suares l. 3. de prædest. c. 10 n. 11. Castro in histo. Deip. c. 2. num. 6. Disertè quoque Rich. à S. Laurentio l. 3. de Deip. tit de 12. priuilegiis B. Mariæ in 7. & l. 7. aptans Virgini nomen *firmamenti pag.* 446. tradit, B. Virginem post Christum conceptum, ita confirmatam esse in bono, vt peccare vltrà non potuerit. Id quod confirmat l. 4. tit. *de domino tenente dexteram,* vbi latè (tacito licèt eius nomine,) exscribit Richardum Victorinum qui l. 2. de Emman. c. 28. 29. 30. & 31. agnoscit B. Virginis impeccabilitatem post Christi conceptionem: cui item disertè attestatur suo c. 26. in Cant. Disertè quoque B. Virginis impeccabilitatem agnoscit Gulielmus Pepin. in Rosario Aureo serm. 15. huc aptans illud, *Et sic in Sion firmata sum.* Quod quantum sit B. Virginis decus expendit eiusdem operis serm. 3.

35 Hæc tamen laus Virginis non est solida. Nam quandiu B. Virgo fuit in hac vita mortali, non debuit locari extra conditiones status illius, inter quas est flexibilitas arbitrij in vtramque partem, atque adeò potestas peccandi. Nec confirmatio in gratia quæ B. Virgini adhuc viatrici negari non potest, continetur carentia potestatis peccandi. An non enim Apostoli erant in gratia confirmati, qui tamen & peccare poterant, & Ioanne Apostolo teste teipsa peccabant? Et quamuis non nisi leuia peccarent, tamen non destituebantur potestate peccandi grauiter, vt S. Macarius hom. 27. agnoscit. Igitur confirmatio in gratia, consistit in vbertate auxiliorum congruorum, quibus voluntas efficaciter illicitur ad bonū, tametsi eluctabiliter, atque adeò cum potestate peccandi. Ea enim vbertas auxiliorum congruorum iuncta diuinæ protectioni exteriori, sufficientissima est, vt intelligamus hominem in gratia sanctificante firmari: Idest ita in ea stabiliri, vt certò ea non excidat, quamuis posset excidere si luberet.

Scio esse qui ad explicandam confirmationem alicuius in gratia, aduocanda necessariò putent auxilia efficaciter prædeterminantia, quibus voluntas nequeat refragari; vnde sequitur impeccabilitas, si agatur de peccatis omissionis. Ita Val. 1. p. d. 1. q. 23. p. 4. §. 2. *in fine.* Et t. 2. d. 8. q. 3. p. 3. §. 12. propositione 6. Nec esse improbabile quoad B. Virginem, latè prosequitur Suares l. 10. de grat. c. 8. à n. 13. contra Vasquem id negantem 3. p. d. 120. c. 2. Sed quicquid sit de possibilitate spectata diuina omnipotentia, non est tamen admittendum, ita factum esse reipsa. Nam præterquàm quod ea impeccabilitas nō est nisi inadæquata; (neque enim spectat confirmationem in gratia respectu habito ad peccata commissionis;) constat ægrè retentum iri meritum: quia ea adactio ad operandum, futura est cum determinatione ad certum, & determinatum motiuum, & ad circunstantias quascunque singulares. Vnde excinderetur libertas operis, simúlque meritum: cui conseruando Dur. in 3. d. 3. q. 4. n. 7. negat B. Virginem esse confirmatam in bono per donum inhærens, tollens potestatem peccandi. Et quamuis mox num. 8. admittat probabile esse, ereptam fuisse Virgini potestatem peccandi, per assistentiam extrinsecam tamen vniuersus eius discursus, tantùm fert, quod collata eo modo sit Virgini impeccantia, non impeccabilitas.

36 Quare confirmationem Deiparæ in gratia, quæ supra communem aliis quibusdam sanctis confirmationem, continet exclusionem omnium næuorū & labecularum infuscantium gratiam, præstat exponere per extrinsecam Dei protectionem, iunctam subtractioni concursus ad peccandum, & moralibus auxiliis congruis potentissimè (quamuis suauiter, & delectabiliter) pellicientibus ad operandum quæ Deus mandat. Et ita quoad Virginem philosophantur Suares parum sibi constans t. 2. 3. p. d. 4. s. 4. & l. 10. de grat. c. 8 n. 19. Salaz. in c. 31. Prouerb. à n. 132. Palac. in 3. d. 3. disp. 4. Mol. 1. p. q. 14. art. 13. d. 18. memb. 4. ad 7. & ea parte Ocham in 3. q. 2. *litera C. & D.*

Videsis an non etiam idem voluerit his verbis S. Ephrem serm. de margarita pretiosa, quanquam agit tantùm de tempore post conceptum Christum. [Ad ortum solis, cuncta redduntur splendida: apparénsque foris sol; illuminat vniuersa: quid agat in cubiculo, totus ad vnum admotus? Accedit Paulum Christus, ex cœlo eum illuminans, & ad pietatem transferens: fecitque lupum ouem, & persecutorem Apostolum; crudelem misericordem, & obedientem atque tractabilem, eum, qui olim inobediens atque intractabilis fuerat: & cur non multo magis intus in Maria Virgine cum esset Deus Verbum, ipsam ab omni corruptione atque mutatione alienam effecit? Pro arrhabone fidem accepit puellæ; & non ampliùs propendens erat gratia: sed dum iure optimo incorruptionis vim illi præbet, fides naturam adduxit: & hanc excipiens gratia, non ampliùs esse corruptibilem passa est: verùm sibi ipsam adiunxit, sicut Rex vas priuati alicuius hominis proprium faciens; atque ita facta est sancta Maria, non iam mulier, sed Virgo, & gratiæ plena: sicut cibus iumentorum regius efficeretur, si Rex illum participaret, ex eóque vesceretur. Non dico immortalem illam fuisse, sed quòd ab appetitu seducta euersaque non fuerit:

cúmque

cúmque gratiæ efficacia illuſtrata eſſet, rubiginem quam natura habebat, adhærentem ferro, gratia mundauit, & illuſtrauit, conſeruauitque.]

Miſſam hoc loco facio ſententiam Ioannis Zamori qui l. 2. de Eminentiſſ. Deip. perfect. c. 48. inde ſtabilit Deiparæ impeccabilitatem pro qua certat, quod iis robuſtiſſimis, & fortiſſimis gratiæ afflatibus præueniretur quibus ad operandum inferretur neceſſitas, excluſa tantùm coactione. Id enim ad veram libertatem qualem contra Caluinum tuentur Catholici, ſatis eſſe affirmat Author prædictus: proindéque ait, B. V. manſiſſe liberam, quamuis admodú prædictum neceſſitaretur, & ſtatueretur impeccabilis. Diſcuſſio huius doctrinæ, dimittenda (vt dixi) hoc loco eſt, quod, & in Morali diſtinct. 5. accuratè ac plenè ſit inſtituta, & quod alienum ab hoc negotio videatur in eas tricas deſcendere. Suppono tamen, omnem illam doctrinam eſſe reſpuendam, tanquam malè omnino materiatam, & fundamentis planè ruinoſis ſubnixam.

Ac denique fæcunditas iuxta quoſdam, iuxta alios ſterilitas motuum dedecentium in appetitu.

57 QVoad appetitum Virginis, profeſſus eſt Petrus Cellenſis l. 6. epiſt. 23. ſe ad maiorem Virginis gloriam, motus illicitos ex eius appetitu progerminantes admittere, vt eſſet locus merito, ex compreſſione, & victoria illorum motuum. Sed hoc indecorum decus, iam reieci ſupra. Nunc aliud non magis fundatum adduco, quo dicitur appetitum Virginis ex indiuiduali perfectione hoc habuiſſe, vt non niſi ſanctos motus, & ad bonum ferentes excideret. In quam rem adducitur ſimilitudo guſtatus, qui cum idem ſpecie ſit in omnibus hominibus; tot tamen diſcrimina ſortitur, vt in vno amara velit, in altero dulcia, hîc legumina adamet, ibi alia longè diuerſa eſculenta. Similiter enim quamuis appetitus ſenſitiuus nobis implantatus ſit *radix peccati*, vt loquitur S. Auguſt. 13. Ciuit. c. 22. & epiſtola 89. vel *mater peccati*, vt idem ait hom. 42. ex 50. vulgo dicitur *fomes peccati*; tamen in Virgine, idem ſpecie appetitus ſenſitiuus, per ſuam indiuidualem differentiam non erat niſi fomes, & radix, & mater virtutum, quatenus non ferebatur niſi ad ſanctos, & optimos motus: & quod in iuſtis longa exercitatione, & habituum facilitantium comparatione aſſequitur; vt ſcilicet condoceſiat ac cicuretur, nec ad ductum ſeſſoris recalcitret; hoc in Deipara à prima implantatione in corpus eius, ſit aſſecutus ex vi ſuæ indiuidualis differentiæ, quam excogitaſſe non poteſt monſtrari Deo impoſſibile: ac proinde cenſendum eſt, talem de facto eſſe productam in Deipara, vt ad omne bonum facta à natura appareret. Ita eruditus quidam recentior, in opere de B. Virgine l. 3. tract. 15. capite ſecundo, Fauet quantum poteſt, tametſi non vult apertè ſuffragari, Didacus de Celada, Tract. de Iuditha Figurata à n. 7.

58 Hæc Virginis gloria, eſt apertè inanis: quia talis appetitus ſenſitiuus qui ſuapte natura bona ſenſibilia non proſequatur, niſi quæ rationi conſonant, impoſſibilis eſt. Nam appetitus ſenſitiuus, ex ſua natura proſequitur bonum ſenſibile, ſuppoſito quod affuit quatenus ſenſitiuo, & natura ſentiente prædito, accommodatum. Tale autem bonum, ea ſua natura tale eſt, vt poſſit eſſe inhoneſtum, accedente prohibitione ſuperioris, quantumuis alioqui purum, & labe vacans. Quid enim vitij erat in pomo pulchro viſu ac ſuaui, poſtquàm acceſſit diuinum de eius guſtatione interdictum, quod vitium non æquè in pomo fuiſſet ante latam à Deo prohibitoriam legem? Et tamen quicunque appetitus humanus benè diſpoſitus, eodem modo in illud obiectum ferri potuiſſet, poſt latam à Deo legem, atque priùs. Vel ſi ferri non potuiſſet, differret ſpecie ab aliis appetitibus humanis: quia minima variatio in obiecto adæquato alicuius facultatis, mutat ſpeciem. Vnde ſi appetitus B. Virginis fuiſſet talis qualem hæc opinio eum ſtatuit, fatendum eſſet illum fuiſſe diuerſæ ſpeciei à noſtro, quod nemo admiſerit. Nec licet dicere, hanc eſſe tantùm diſcrepantiam indiuidualem. Hoc ſi quis dicat facilè refelletur. Nam diſcrepantia indiuidualis, tantùm aſſignatur penes meliorem conditionem actionum alicunde prodeuntium, non autem penes obiecti adæquati varietatem. Sic anima Chriſti, ex probabili ſententia, eſt indiuidualiter perfectior aliis animabus, profunditque operationes intra eandem ſpeciem perfectiores. V. G. intellectiones liquidiores, & luculentiores: non tamen dicitur habere obiecta potentiarum diuerſa, alioqui cùm potentiæ ſpecificentur ab obiectis, dicenda eſſet differre ſpecie, quod nemo dixerit. Similiter ergo appetitus Virginis, ſi haberet pro obiecto natiuo adæquato ſola bona ſenſibilia, præſcripto rationis conſentanea, differret ſpecie ab appetitu noſtro, & conſequenter fons illius, id eſt anima Virginis, differret ſpecie ab animabus noſtris; quod nemo quantumuis Virg. magnificè laudare ambiat, auſit fingere.

Pars II. Punctum IX. probra interna, procul à Virgine.

PVNCTVM X.

Virginis mortalitatem transgreſſa, gloria, & honores, in cælo, & in terra.

1 DECVRRIMVS ordinem gratiæ, expoſitis eius initiis, progreſſu, & conſummatione, ac immunitate ab omni labe, & defectu indecoro Deiparæ. Nunc reſtat exponenda gloria, cuius gratia eſt ſemen. Poteſt autem diſtingui multiplex gloria; nempe corporis, & animæ. Hæc rurſus ſubdiſtinguitur in eſſentialem, & accidentariam ſtabilem; præter gloriam aliam accidentalem, fluxam, & mobilem. Attingamus ſingulas.

Virgo mox ab obitu, rediuiua.

GLoriam corporis adhuc obtigiſſe Deiparæ, fuerunt qui negarent, aut reuocarent in dubium, non niſi ob negatam vel in dubium reuocatam Deiparæ poſt mortem reſurrectionem iam factam. Dubitauit de ea obiter Petrus Cluniac. l. 3. epiſt. 7. probatione 8. *ſub finem*. Item creditus Hieronymus, ſiue Sophronius ſerm. de aſſumpt. S. Hildefonſus ſerm. 6. de eodem feſto Beda de locis ſanctis cap. 6. Ado in Martyrol. ad 15. Auguſti in plenioribus editionibus, & ibidem Vſuardus. Fulbertus ſerm. perperam adſcripto D. Auguſtino qui eſt 35. inter ſermones de Sanctis (non enim authorem habere Auguſtinum poteſt, vt patet ex memorato ibi Iſidoro, qui tanto poſterior fuit Auguſtino:) Contrarium tamen certum habuit Cantipratanus l. 2. de

Apibus c. 29. num. 11. & Catharinus l. de consummata Christi,& Deiparæ gloria *ferè per totum*, disputans contra nonnullos, qui eo tempore hoc reuocarant in dubium. Temperatiùs Baronius, ad Martyr. Rom. 15. August. tantùm ait, Ecclesiam Dei in hanc partem videri propensiorem. Tanta tamen est propensio, vt non censeam ab morigero Ecclesiæ filio, aliud dici posse.

Triduo igitur post sepulturam (reuelatio facta S. Elisabethæ Vngaricæ quam Baron. ad 15. Aug. ex Ioanne Belethо S. Elisabethæ æquali, l. de offic. c. 141. & ex S. Antonino commemorat quadragesimo die post id factum haberi surrexisse B. Virginem, & corpore animæ suæ denuo conserto assumptam esse in cœlum, latissimè confirmat Author libri de Assumpt. B. Mariæ Tom.9 Augustini. Et idem habet certa fidelium persuasio, cui obsistere quoad assumptionem corporis, (dimissa certa temporis designatione) ingenti temeritate non vacaret, vt benè statuunt Canisius l. 5. Marial. cap. 5. Suares t. 2. 3. p. d. 21. s. 2. Castro in Histor. Deip. cap. 21. *in fine*, Baron. anno Christi 48. num. 12. Non esse tamen de fide affirmant Canus l. 12. de locis c. 11. Soto in 4. d. 43. q. 2. art. 1. & Gabriel serm. 2. de Assumpt. Sed esse de fide contendit Catharinus supra, & valdè inclinat Corduba l. 1. q. 17. §. 1. & significat etiam Cantipratus loco allegato.

2 Mihi satis est dicere, non esse de ea corporis Deiparæ resurrectione, & in cælestem gloriam assumptione, dubitandum. Vnde nullæ vspiam reliquiæ corporis Beatæ Virginis inueniuntur, præter nonnullos capillos quos Olyssipone seruari testatur Fernandius in c. 31. Genes. sectione 9. numero 14. itémque præter vestes, & zonam (de qua ex variis Raderus 2. p. virid. 29. Augusti) & nonnulla alia extrinseca de quibus latè Spinellus in Throno Dei cap. 29. num. 48. & Ferreolus Locrius lib. 5. Mariæ Augustæ à c. 19. ad 46. His extrinsecis annumerandæ sunt fasciæ, siue sudarium, aut sindon. Nam Deiparæ fascias sepulchrales asseruatas esse in Blachernensi templo Costantinopoli, tradit Nicephorus l. 14. cap. 20. quem Baronius anno 453. num. 22. putat cum S. Germano Constantinopolitano pugnare; cum iste in Oratione de Domini fasciis, dicat asseruatas in templo τῶν ὁδηγῶν; sed S. Germanus agit de fasciis quibus Christus puer à matre est inuolutus. Niceph. autem agit de fasciis sepulchralibus ipsius Deiparæ. Itaque non colliduntur Germanus & Nicephorus, vt putabat Baronius. Qui item demiratur, quomodo Deiparæ Sepulchrum, transferri Constantinopolim potuerit, & inter reliquias asseruari. Quomodo enim excisum in viuo saxo monumentum, transferri potuisset? Sed id Græci non de Sepulchro lapideo, scripserunt: sed de loculo siue Sarcophago, vt Damascenus orat. 2. de Assumpt. disertè habet; loculum vnà cum fasciis sepulchralibus à Iuuenale Archiepiscopo, petentibus Imperatoribus transmissum referens. Alias quasdam extrinsecas (vt loquebar,) B. Virginis reliquias, haberi alicubi notum est. Lachrymas B. Virginis asseruari ait, Malonius ad Palæotum de sacra Syndone c. 13. n. 10.

Lactis item virginei reliquias alicubi monstrari non diffiteor, vt Mirabelli in Apulia, vbi ingens miraculum ad lactis virginei phialam factum, scribit Balinghen in Deip. Calendario 20. Aug. Quod lac fortassis ex eo genere est, quod miraculo expressum ex quibusdam Deip. imaginibus interdum legimus. Et ita censuit Henric. Instit. tr. de Sacramento miraculoso p. 3. q. 1. Confirmatúrque, quia Chrysost. Henriq. in Menolog. Cisterciensi 13. Maij narrat ex imagine Castellion. lac copiosum profluxisse multoties: Ex imagine quæ erat in Monasterio montis S. Rup. in quo corpus S. Hildeg. asseruatur, profluxit lac, & sanguis anno 1302. cum miles sacrilegus gemmas quinque chrystallinas pectori imaginis appressas ablaturus, sculptum quintæ gemmæ quæ Virginis vberibus infixa erat, auellendæ admonisset; fur sacrilegus ad effluxum illum attonitus frustra conatus insperso vbertim puluere, sistere liquoris copiosius semper manantis scaturiginem, præmentis inopia in profluentem Nahum procurrens, per aquam transiit ad æternos ignes. Lacteus ille sanguineúsque liquor à Sanctimonialibus inibi degentibus studiosè collectus, & vitro immissus, in sacrarium est illatus, vbi hodiéque religiosè visitur. Narrat ista Brendebachius in sacris collationibus l. 3. c. 21. Potuit ergo lac B. V. quod in Apulia magno miraculo illustratum dixi, ex hoc miraculoso lactis genere esse. Sicut sanguis ex imagine Berytensi transfixa exceptus per varias Ecclesias quaquauersum transmissus, religiosè asseruatus est, vt ex plerisque antiquis memorat Baron. ad diem 9. Nouemb. Neque tamen idcircò velim ad huiusmodi lac miraculosum ex imaginibus collectum referre quæcunque è lacte B. V. alicubi residuo sunt prodita. Quidni enim (quantumcúque id subsannet Erasmus in colloquio de peregrinatione,) potuerit Deus ad fidelium consolationem, & honorem sacrorum vberum per quæ paruo lacte pastus est per quem nec ales esurit, (has vt sanguinis sui alicubi iuxta declarationem Pij 2.) sacri lactis particulas reseruatas velle. Huiusmodi præsertim fuerit lac illud B. V. quod Robertus de Monte Sigebertum continuans ad annum 1224. prælatum in pyxide narrat ab Episcopo Bethleëmitico in prælij fronte quo tria millia Christianorum, 40. millia Saracenorum fuderunt. Alia exempla fortè occurrerent alibi. Lac Deiparæ quod ipsa immulsisse dicitur & S. Fulberto laboranti, & Monacho cuidam ægro confestim sanato, fortè fuit liquor Medicus, lactis nomen ab albore sortitus. S. item Bern. apud Chrysost. Henriq. in Menolog. Cisterc. 20. Aug. Deip. lac dicitur immulsisse, quod item de S. August. hinc à vulnere inde ab vbere retracto traditur, sed hoc totum mysticum est. Qui vero panes vulgò donantur nomine *Lactis B. V.* eos ex rupe per paucas guttas matris lac Christo immulgentis in eam delapsas, emollita in puluerem candidissimum, planéque colore lacteum, paruulis panibus immisceri solitum, scribit Castr c. 10. hist. n. 2.

Non aliæ vspiam orbe toto visuntur B. V. reliquiæ quam quales nunc memorauimus, & ad aliquod horum capitum referendæ omninò sunt illæ B. V. reliquiæ, quarum mentio est apud Gregorium Turonensem l. 1. de gloria Martyr. cap. 9. At quis credat, Deum corpus in quo habitauit, ita abiectum, vt si in terris superesset, non honestaretur veneratione condigna, quæ aliis plerisque sanctis corporibus, diuino munere obtigit? Argumentum est morale duntaxat, sed ineluctabile si perpendatur accuratè. Cum enim certum sit, corpus Deiparæ quod Deum intra se habuit, & formauit, non vidisse corruptionem, vt planè statuit creditus Augustinus serm. de Assumpt. & Amed. hom. 7. nullæque vspiam (vt dixi) extent vel minimæ è B. Virginis corpore reliquiæ, quas adeò alıè latere si superessent, vt nullibi colerentur, nemo verisimile duxerit, & dignum filij Dei in matrem prouidentiæ colligitur planè efficaciter, B. V. redituam, corpore æquè ac anima in cœlos illatam esse. Nec verò par fuit, corpus quod animæ nunquam negotium facesseret, ab anima gloriosa diu seiungi, B. denique

Christi portitorem, Deiparæ ventrem, ac vbera quæ Christum lactarant, irremuneratа manere, ad generalem vsque anastasim.

De gloria Corporis Virginei, coniectura.

3 SIc constituta resurrectione corporis Deiparæ, non licet de gloria eius ambigere, quæ animæ gloriam inseparabiliter consequitur. De eius verò corporeæ gloriæ perfectione, & quantitate, non est longa disquisitione adhibita statuendum. Quis enim non videt benedictum illud corpus nulla vnquam labis fuligine maculatum, quod tantis sibi officiis Christum demeruit, cuius portio Deo ipsi coniungitur, in signi, & præter communem morem cumulata gloria, exornari debuisse? Nisi fortè non creditur Dei filius honorare matrem, aut ei cui soli obstringitur (vt S. Methodius scitè dixit homil. de hypap.) nolle impensas curas, & beneficia rependere. Quis ergo illius corporis splendorem nullis nostratibus comparationibus adæquandum; quis dotes illius armarij vitæ; quis prærogatiuas, & ornamenta nullis aliorum Sanctorum corporibus vel concessa priùs, vel deinceps concedenda, fando explicet? Processionem solemnissimam, (sic enim appellat,) in huius arcæ deductione ad locum suum, per Christum, & cœlites omnes obuiam effusos peractam, describit copiosè. Richardus à S. Laurentio l. 6. de Deip. *pag.* 410. & Dionysius Cartus. l. 4 de laud. Deip. art. 11. & 12. Addit verò Dionysius art. 17. dotes corporum beatorum, eo illustriùs viguisse in rediuiuo Deiparæ corpore præ corporibus omnium sanctorum, quò gloria animæ ad quam hæ prærogatiuæ progerminant, est in Virgine supra omnem comparationem perfectior.

Visio Dei, primaria beatitudo animæ, statim ab obitu concessa Virgini, non priùs.

4 PRincipiauit gloriam corporis (de qua hactenus,) gloria animæ, quæ in puncto mortis collata est Deiparæ. Cum enim nihil prorsus haberet purgandum, nullius egit moras in Purgatorio. Itaque confestim à morte vidit Deum, cúmque vultum domini quem requisierat per totam vitam, clarè sicuti est, contueri cæpit tunc primùm Non enim placent, qui claram Dei visionem quæ præmium comprehensorum est, Deiparæ in via concessam dicunt, præsertim frequenter Multóque feruentiùs repellendum est, quod B. Virginem, à tempore concepti Verbi Dei fuisse simul viatricem, & beatam, pro certo habet Aoendanius in Mariali serm. de Annonciat. discursu 7. *sub finem.* Sed est placitum apertè temerarium, & contra omnes Patres ac Doctores, qui id tanquam peculiare Christo tribuunt, quod simul fuerit viator, & comprehensor. Vnde ergo hæc nouitas visionem Dei perennandi in Deipara, à momento concepti Verbi? Præter quàm quod consequenter ad hanc doctrinam, admittenda esset in B. Virgine fixa gratiæ quantitas, à momento Incarnationis, iuxta ea quæ supra p. 3. sunt adducta: Cum tamen certum sit, gratiam Virginis, per totam eius vitam augeri potuisse, & verò auctam esse. Quare valeat hoc figmentum, de concessa permanenter B. Virgini, visione Dei, à puncto concepti Verbi.

5 Concessam tamen aliquando, affirmant Albertus, Gerso, Antoninus, & alij quos piè. & probabiliter locutos, statuunt Vasques 1. p. d. 55. & 56. Suares t. 2. 3. p. d. 19. s. 4. Et affirmat quoque Bruleser serm. in illud *Verbum caro factum est*, initio Cartusianus l. 2. de laud. Deip. art. 32. Spinellus in Throno Dei c. 6. n. 10. De tempore commorantis in eius vtero Christi, affirmat Pelbartus l. 1. stellar. p. 6. art. 3. c. 3. *gaudio* 8. & lib. 2. parte 2. art. 3. *gaudio tertio*, vbi ea Linconiensе l. 4. Angel. hierar. cap. 6. frequentissimè cognouisse Virgini in vita mortali Deum videre, intrepidè asseritur. Pro ea visione concessa Virgini in primo vitæ momento, pugnat latè Zamorus l. 2. de emin. Deip. perfect. c. 56. signant præterea in particulari varia tempora, quibus contendunt Deiparam in vita mortali Deum vidisse, Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 10. & Salazarius l. de concept. c. 38. §. 4. Marcon. disp. 1. de visione Dei c. 4. n. 7. Fernand. in c. 27. Genes. s. 3. num. 11. Pinto Ramires de conceptione Anthologia 22. nmer. 753. & num. 670. & Beozonius in psal. 86. cap. 40. traditione 13. qui contrariam sententiam, negantem quod B. Virgo Deum clarè in vita mortali viderit, pronunciat minùs probabilem.

Part II. Punctum X. Virginis gloria in cœlo, & in terra.

6 Est tamen ea sententia, omnino vera. Docet eam disertè S. Athanas. serm. de SS. Deipara; & Anthoc. q. 11. ad Antiochum, ac Philippus Abbas l. 3. in Cant. cap. 19. & l. 6. capite 5. Nec argumentum quod petitur ex visione Dei, concessa Moysi, & Paulo viatoribus, proindéque non neganda Deiparæ viatrici, validum est. Tum quia visio secundùm multorum sententiam, non est beneficium spectans formaliter ad sanctitatem animæ, quod solum priuilegium cuiuscunque puræ creaturæ extendendum est ad Deiparam: Tum quia falsum est, siue Moysem, siue Eliam, siue quemcumque alium infra Deiparam, vidisse aliquando clarè Deum in vita mortali, vt benè supra monstrat Vasques. Nec enim ea visio quæ statum comprehensorum constituit, consentanea est statui viatoris. Certè infert amandi Deum necessitatem, & meriti exclusionem: vnde cedit potiùs in viatoris dispendium, cui hæc vita concreditur ad negotiandum, & copiosam meritorum messem colligendam. Itaque ne vlla ratione viam cum termino misceremus, adhærendum censui sententiæ quæ negat visum vnquam Deum à B. Virgine, in vita mortali. Quod si aliquando vberior lux ad perspiciendam maternitatis dignitatem, aliamvè similem causam fuit ei consentanea in hac vita; facile fuit Deo, per scientiam infusam quæ meritum non excludit, affundere Virgini copiosos cælestis luminis radios, absque visione clara Dei, quam reseruatam dixi, ad primum è corpore digressum, & instans mortis; quo verum fuit dicere, tunc primùm Virginem non viuere vitam mortalem.

His pridem editis, prodiit viri doctissimi Tomus prior t. p. cuius lib. 6. q. 14 c. 1. & 2. accuratè hoc punctum excutit illud in primis statuens toto c. 1. cum Dyonisio Richelio in S. Dionysium de cœl. hierar. c. 4. art. 9. non esse dubitandum, quin B. Virgo etiamnum viatrix Deum aliquando viderit, tametsi quandonam illum viderit, non sit æquè exploratum, de de quo postea idem Author plenè disserit c. 2. Quod ergo B. Virgo per tempus viæ aliquando Deum viderit, affirmat idem Author esse communem sententiam Scholasticorum, quibus suffragari ait plerosque Patres; sed licet aliquot recentiores Scholastici ita tradant, plurimi tamen dissentiunt: Ex Patribus autem vix vllum adducit qui perspicuè id tradat; & qui omnium clarissime loqui videtur Author libri de Natiuit. Virg. non est reuera S. Hieronimus, qualem

eum esse arbitratur Recupitus, sed alius longè ignobilior Scriptor, qui quotidianam visionem Dei tribuens Virgini, videtur accipiendus potius de contuitu abstractiuo, per quem Deus in conspectu viatorum sisti dicitur, quam de simpliciter dicto contuitu, & intuitiua visione. Rationes addensat in hanc rem idem author omninò multas. An primùm argumentatur, quod Deus potuerit sic honestare matrem suam viatricem. Quidni enim? Quod si potuit, ergo voluit: nam ita decuit. Sed hoc postremum non placet: quia visio clara non decet statum viæ, imò ab eo abhorret, vt supra attigi. Nec firmius est argumentum ab eodem Authore ductum ex maternitate, & concredito filij regimine, quibus debuit annecti clara cognitio filij, qui vtique Deus est, ac mysteriorum fidei quorum præcipua quæque inuoluunt Deitatem. Negatur tamen, ad notitiam viatrici consentaneam, exigi intuitiuam visionem Deitatis, quæcunque sit persona porè creata viatrix: nam ad quodcunque eius munus sufficienter obeundum, potest sufficere notitia aliqua altior vulgari notitia viatorum, etiamsi non intuitiua Dei, in eo mysterio, aut munere inuoluti. Additur ratio ex dominio Deiparæ etiamnum viatricis in omnia existentia creata; quod dominium, infert omnium cognitionem, quæ conferri expeditius, & compendiosius non potuit, quam in verbo. Sed hoc argumentum vtroque pede claudicat. Nam neque illud Deiparæ dominium in omnia creata, ratum est: neque etiamsi admitteretur, egeret cognitione creaturarum in verbo. Rationes quæ subijciuntur nimiù probant. Ducuntur.n.ex similitudine cum Christo visione Dei prædito, & ex gratitudine filij erga matrē à qua de congruo habuit accelerationē sui esse, & vnionis cum Deo, vt proinde decuerit vicissim accelerari matri visionem tantopere ab ipsa expetitam, & dispensari cum ea in lege omnibus viatoribus communi, denegato eis Dei contuitu; sicut cum eadem dispensatum est in tam multis alijs, puta in incursu peccati originalis, aut etiam debiti eius in vsu rationis præcoquo, ac per somnum in puerperij, & mortis doloribus, ac fomites aliusque nonnullis. Has rationes dico nimium probare, quia ex eis heberetur, Deiparam tota vita habuisse iugem Dei visionem, qualem Christus habuit, & sicut perpetua fuit dispensatio peculiaris cum Deipara in plerisque illis legibus communibus. At iugis illa, & perpetua Dei visio manifestè pugnaret cum statu viatricis. Itaque omnes illæ rationes pro temperaria visione, æquè iugem, & perpetuam visionem comprobaturæ, labant, & seipsis concidunt, & optabat quidem Deipara videre Deum in quem tanto affectu ferebatur: tamen eius desiderium cum esset diuinis legibus conforme, non erat de visione in statu viæ aliud planè ferente, sed de visione in statu claræ notitiæ consentaneo, ad quem anhelabat iuxta fines à Deo positos, cum placeret Deo ipsam dissolui, & esse cum Christo. Ex his patet, quam debilibus argumentis stabiliatur à Recupito visio Dei per B Virginem viatricem in momento incarnationis Verbi, in Natiuitate Christi, & in eiusdem Resurrectione, atque quod verisimiliter, & piè addendum censet in Ascensione, in Pentecoste, in articulo mortis ipsius Deiparæ, antecedenter tamen, ad mortem ipsam, vi amoris beatifici causatam. Mihi in nullo prædictorum euentuum, verum videtur, Deiparæ adhuc superstiti, & viatrici, communicatam reipsa esse visionem beatificam, ob rationes quas initio attigi. Certissimum tamen est ex fide, in digressu primo à corpore, animam Deiparæ quippè nitentissimam, & nullius purgationis egentem, illicò clarè vidisse Deum.

Fornax amoris in beata Deipara anima, eique commensum gaudium.

7 Visionem claram, excepit amor exinde necessarius, & longè perfectior quam in via. Quamquam amorem Virginis inadæquatè eundem numero, continuatum esse, in via, & in patria, probabilissimum censet Suar. disput. 3. de charit. s. 3. num. 2. Et t. 2. 3. p. disput. 21. sect. 2. Sanè vel pro nullo beato, vera est sententia S. Bonauenturæ in Theologia mystica c. 2. parte 2. cum explicat quartā petitionem orationis Dominicæ; vel vera est pro B. Virgine. Affirmat eo loco S. Doctor, amorem quo Deus in altera vita diligitur non specie tantùm (quod cuincit identitas obiecti formalis,) sed etiam numero, eundem esse cum amore viæ. Hoc quoad communes iustos, ægerrimè intelligitur. Nam vix reperitur qui modico aliquo ante mortem spatio, dispositus consentaneè sit ad profundendum actum amoris; præsertim iam perfectum qualem habiturus est in cœlo; sed ob indispositionem corporis institutum est operationum rationalium. Si tamen aliquando contigit, vt aliquis in raro quodam euentu roboratus sit ad eundem numero actum inadæquatè spectatum continuandum, non est dubium, quin id maximè de Deipara sit affirmandum; quæ sub mortem, heroicum, & admodùm intensum actum amoris eliciens, eundem in altera vita continuerit quoad gradus illos remissos quos hîc præhabuit, cumulauitque noua intensione post mortem. Ea verò incrementi accessio, faciet quidem vt actus totus sit numero diuersus non tamen illa eius portio quæ præhabebatur in via.

8 Quominus dicam actum amoris qui extra viam elicitus est à B. Virgine, fuisse adæquatè, & simpliciter eundem, cum eo qui eliciebatur sub viæ terminum, quando Deipara operata videtur secundum totam latitudinem suæ charitatis habitualis; obstat quod videatur incredibile, visionem claram Dei non procreare auctiorem sui amorem, quam cum non conspiceretur Deus intuitiuè. Itaque tametsi charitas habitualis Deiparæ, quæ commensuratur gratiæ sanctificanti, cum qua proportionem seruant visio, & amor patriæ, operabatur in Virgine sub vitæ metam secundùm totam latitudinem habitus, nullo planè eius gradu otiente: non tamen operabatur secundùm totam latitudinem ei in patria debitam, ea longè fortiori præuentione diuina, meritoriæ latitudini habitus charitatis commensuranda; quæ eodem habitu pleniùs ac melius vti potest, cum libet, & par est, vt sanè contingit in re præsenti. Hæc igitur erit fornax charitatis Deiparæ in altera vita, præ minore incendio viæ. Guilelmus quidem Paris. l. de retribut. Sanctorum charitatem quemcumque viæ, præ charitate patriæ, ait esse, vt modicam scintillam ad fornacem. Hoc verissimè de Virgine dixerim, quam cum fornace incēsissima Babylonica, in quam coniectus est quartus similis filio Dei pulchrè componit Damasc. orat. 1. de Assumpt.

Gaudium quo beatitudo Deiparæ completa est, visionem, & amorem veluti fontes suos consequetur Christo in sinum optimæ parentis, pro diebus quibus viderat mala dies bonos, & meram lætitiam rependente. Quantum verò sit futurum hoc gaudium, æstimandum est ex quantitate gloriæ essentialis hactenus propositæ. Seruat enim gaudium

propor

proportionem cum gloria essentiali; huius autem quantitas, pendenda est penes gratiam sanctificantem, cuius quanta fuerit copia in B. Virgine, plenè supra monstratum est.

Sublimitas essentialis gloriæ Virginis, infertur; & ratione, ac authoritate firmatur.

9 EX ibi ergo dictis, inferendum est, tantam esse Deiparæ gloriam essentialem, vt infra Christum, omnes supra hominum, & Angelorum choros, specialem chorum constituat. Sicut in ordine gratiæ quæ gloriæ semen est, omnibus planè infra Christo inferioribus, supereminet. Ita rectè Sybillanus decade 2.c.10. q.2. Hoc voluerunt Patres, tam magnificè támque sublimiter de gloria B. Virginis pronunciantes. Petrus Damiani optimè serm. 40. tractans illud, *pulchra vt luna, electa vt sol*, quod Virgini accommodat. [Quid (inquit) luna pulchrius, cum stellis coruscantibus in signifero limite, reliquorum siderum splendorem excedit? Considera quàm stellaris, & serena vibratio, quàm luminosus fulgor circularem orbem tanti syderis superfundat, vt aliorum luminum claritatem, non mediocriter offuscet. Sic, & Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & euecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, luna tamen, & magnitudine præeminet, & splendore Sic vtramque naturam, Virgo singularis exuperat, & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum. *Electa vt sol.* Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Multò enim altius aliquid habet claritas Solis, quam Lunæ: quia, & si illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat: hic verò lucidiùs incandescens, ita sibi siderum, & Lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint & videri non possint. Similiter & Virga Iesse, veri prævia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum habeat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec possint, nec debeant apparere.]

Idem serm. 45. qui est primus de Natiuit. Virginis, tractans illud de throno Salomonis, *rotundum erat in posterioribus*, quod æquè ac alia de eo throno, aptat ad Virginem. [Posteriora (inquit) Virginis Assumptionem eius intellige, in qua finem vitæ mortalis accepit, quæ vitam reddidit orbi. Et nota cum quanto Sacramento transitum Virginis, scriptura comparet rotunditati. In rotundo nec principium, nec finem poteris inuenire: ita & gloria, quæ eam de hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem, de qua nil aliud possumus dicere, nisi quia *gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*. Similiter enim locum accepit Rich. à S. Laur. l. 10. de Deip. *pag.* 560.

10 Richardus Victor. suo cap. 39. in Cant. multa præfatus de B. Virginis in terris sublimitate, & luce gratiæ terris per eam affusa, addit. [Nec solùm per eam lux gratiæ in terris, sed etiam visio Dei animabus data est in cœlis. Hæc beata, est illud signum magnum in cœlo, mulier amicta sole, quia sol diuinitatis infulget ei, & circumfulget eam, & totam occupat, & post eam maximè illustratam, cœli ciuea illuminat. Ipsa Solis huius splendorem primò, & præ omnibus suscepit. Ipsa amicta est hoc sole, & perfectè, & præcipuè diuinitatis fruitione perfunditur. Et quasi hanc induit, dum tantam eius plenitudinem accepit. Ideò verò hoc Sole amicta est in cœlo, quia in terra perfectè Christum induerat, sicut dicit Apostolus. Et gratia plena fuit. Est autem Luna sub pedibus eius, idest, Ecclesia triumphans, quia inferior est, & post eam. Hoc Sole illustrata luna defectum patitur, & ideò quia omnis homo præter eam, defectum aliquem habuit, illustrari ab hoc potest, non æqualiter vestiri.] *Pars II. Punctum X. Virginis gloria in cælo, & in terra.*

11 Quamuis autem perfectio beatitudinis essentialis, non petatur ex obiectis secundariis, sed ex eo solo obiecto primario, nempe Deo vt in se est; multique alio quopiam inferiores beati, plura secundaria obiecta in Verbo videant, quàm superiores; quia scilicet ea obiecta secundaria pertinent ad statum inferiorum illorum beatorum, non item ad statum superiorum: tamen quia B. Virgo sub Christo est aliquatenus causa vniuersalis in genere gratiæ, tenétque veluti locum Euæ matris viuentium, cuius vel curæ, vel tutelæ ac protectioni, commissa sunt omnia ad aliorum beatorum statum pertinentia: propterea admittendum est B. Virginem plura in Verbo videre, quàm videat vllus singularis beatus infra Christum. Imo tam multa solam videre, quàm videant illi omnes; & præterea alia quædam quæ ipsi non vident, quia ad specialem ipsius Virginis statum pertinent. Nempe ita decuit glorificari Dei matrem, & sic honorari ac extolli, adiutorium simile sibi Verbo homini datum, vnde beatis omnia bona velut ex fonte vberrimo dimanarunt.

Exposita Deiparæ accidentali gloria, transitus.

12 PErgo ad gloriam accidentalem Deiparæ; quæ multiplex distinguenda est. Quædam enim est intrinseca, vel quasi intrinseca transeunter tantùm; quædam est intrinseca stabiliter vt aureolæ, quas multi volunt esse formas intrinsecas. Item quædam est extrinseca in cœlo repensa, siue consistat in veneratione cœlitum omnium Deiparæ exhibita, siue in morali potestate in cœlo, & in terra: quædam verò gloria accidentalis extrinseca, rependitur Virgini in terris, vt cultus omnigenus eidem à mortalibus exhibitus. Sed illa quidem intrinseca gloria, quæ instabilis est, consistitque in gaudiis accidentalibus, ex bonis quæ à viatoribus, in bona beati exempla continentibus fiunt, itémque in reuelationibus extra Verbum, aut in impetrationibus, aliisque huiusmodi non est quod nos diu remoretur, cum sit ferè omnibus beatis magis aut minùs communis. Quanquam dubitare non licet, quin hæc omnia in B. Virgine, superent similia dona aliorum beatorum, cum fundamenta huius multiplicis gloriæ accidentalis, sint, & plura, & illustriora in Deipara, quàm in aliis beatis. Quam verò latet, quanta in dies cuiuis hominum generi impetret Deipara? Siue corporea bona, aut temporalia, siue spiritualia, aut æterna spectemus, nullus est beatorum infra Christum, per quem plura, & certiùs impetranda sperare liceat.

13 Imò sunt, qui omne planè bonum, per eam nobis actualiter impetrari, & conferri contendunt. Ita Salazar. in c. 8. prouerb. à num. 167. & in c. 31. n. 118. & tract. de concep. c. 41. & Benzo in psal 86. c. 28. & 43. fauétque S. Germanus orat. de assumpt. verbis illis. [Nemo donum vllum consecutus,

nisi per te dilecta Deo.] Et orat. de Zona & fasciis Deip. [Nullus est qui saluus fiat, nisi per te, ô sanctissima ! Nullus est qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima ! Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ô castissima ! Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima.] Pusè S. Bernardus serm. de aquæ ductu, vbi contestatur sic esse voluntatem Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam, idque esse collum Ecclesiæ, per quod omnis à capite influxus dimanat. Et serm. 3 in Vigil. Natiu. Dom. *in fine*. [Quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, vt per illam acciperes quicquid haberes, quæ per hoc quod Mater est, genuit tibi Deum: per hoc quòd Virgo est, exaudita est pro reuerentia sua, in causa tua & totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei vt saluaretur per filiorum generationem, si sola Virgo, sufficeret sibi, nec benedictus fructus ventris eius mundi pretium esset. Cùm ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est: quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.] Idiota in contempl. de Deip. in prologo, & Richardus, à S. Laurentio l. 2. de Deip. part. 1. causa 12. imitati Petrum Damiani serm. 1. de Natiu. B. Virginis *in fine*, hoc sensu videntur nominasse Deiparam, *Thesaurariam Dei, ac Christi* A Rabinis ex antiquo oraculo dictam *Mitraton* idest *principem facierum*, quod quotquot ad Deum accedunt, per eam admittantur, notat Franc. Gregorius cat. 1 tono 5. c. 6. Hinque vlterius infert Alarcon tract. de prædest. c. 6. n. 3. B. Virginem meruisse de congruo præstinationem omnium hominum, sicut Christus illam meruit de condigno. Nam si in tempore omnis gratia, atque adeò omnis prædestinationis effectus, datur per impetrationem & merita congrua Virginis; necesse est ad æternam eiusdem doni prædestinationem, qua decretum est de conferendo eo dono, impetrationem & merita Virginis interuenisse.

14 Hæc sententia est satis pia. Ab ea tamen dissentit Ruis. disp. 38. de prædestin. s. 2. Nec sanè video, vbi illud actuale meritum congruum Deiparæ, vel impetratio, respectu omnium donorum quæ nobis à Deo obtingunt, fundari satis possit. Nam quod Patres interdum videntur id dicere, cum docent omnia nobis bona per B. Virginem obtingere, facilè exponitur de causalitate mediata; nempe ratione Christi quem produxit. Apertè ita se exponit Adam de Perse in Allegó. Til. ad c. 24. Ecclesiastici. [Oliua (inquit) fructifera, mater misericordiæ Virgo Maria. De oliua profluit pinguedo olei. Fundit gratiæ plenitudinem, misericordiæ vnctionem profert mater Christi. Quàm iucundum, quàm suaue est illi cohærere? Quàm salutiferum intra puerperæ diuersorium demorari. Si infirmus es, de diuersorio illo abundanter profluit oleum infirmorum. Si sanus es, & de testimonio conscientiæ arridet tibi iustitiæ sanitas, oleum lætitiæ suscipis ex Maria. Species morum, operum decor, meritorum gloria, totum de gratia Mariæ suscipitur, cum amatur. Cum enim plena sit gratiæ, & tota misericordiæ deliciis affluens, nihil gratiæ omnino accipimus, quod non nobis conferat partus eius.] En cur dixerat, ex B. Virgine profluere omnem gratiam. Similiter credidimus Bernardus serm. 1. in *Salue Regina*, B. Virgiginem esse nobis vitam, docet; quia vitam Christum nobis peperit, & precibus infundit.

15 Quæ item causa est, cur interdum B. Virgo vocetur *autrix meriti*, vt apud Augustinum serm. 17. de Natiu. Dom. & apud Hieronimum epist. de Assumpt. Aliàs autem vocatur *mediatrix nostra*. Loca varia signaui l. 5. de Christo tractando titulũ Mediatoris. Fusus in eam rem est Salazarius l. de conceptione capite 11. Eandem ob causam apud aliquos æquè audit *redemptrix generis humani*, saltem partialis: dicitúrque dedisse animam suam in redemptionem pro multis, vt loquitur Gulielmus Paruus ad c. 1. Cant. in Catena Delrij, circa illud, *Vineam meam non custodiui*. Ab aliis dicitur cooperata nostræ redemptioni, nempe partim ratione Christi, partim ob consensum voluntatium cum eo patiente. Qua ratione apud S. Birgittam l. 1. reuelat. c. 35. leguntur hæc verba. [Dolor Christi, erat dolor meus; quia cor eius erat cor meum. Sicut enim Adam & Eua, vendiderunt mundum pro vno pomo, sic filius meus & ego, redemimus mundum quasi vno corde.] Lauspergius hom. 48. de pass. dom. Virginem vocat *participem & comparticipem redemptionis nostræ*: nempe quia suppeditauit Christo pretium redemptionis, & magno affectu impendit se ac superimpendit Christo redemptori nostro iuuando, ministrando, ei dum opus redemptionis nostræ perficeretur, eique ad calcem perducto præsto fuit: ac quantum ad ipsam attinuit, illud omnium seculorum negotium promouit. Abest hinc non multùm Rich. à S. Laur. l. 1. part. 2. *sub initium*, quod prædixerat Isaias c. 63. in persona Christi, *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*, sic intelligendum est, & securè potest sic exponi. Verum est Domine, quod non est vir tecum, sed vna mulier astat tibi crucifixo, quæ, quascunque plagas, quæcumque vulnera, quoscumque dolores sentis, & suscipis in tuo corpore; compatiendo suscipit in visceribus cordis sui. Et sicut dira lancea perforat latus tuum, sic eius animam pertransiont dolorum tuorum gladij vniuersi. Sic igitur patet, quemadmodùm hæc mulier cooperata sit ad salutem mundi.]

16 Non sunt tamen ista vel passim promenda, vel absque conuenienti interpretatione. Nam certum est, Christum caruisse socio redemptionis nostræ. Nominatímque B. Virginem nihil contulisse ad complendum pretium nostrum, pulchrè his verbis tradit S. Ambrosius epist. 85. agens de ea ad Crucem filij stante. [Fortassè quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionem aula regalis, etiam sua morte putabat se aliquid publico additurum muneri. Sed IESVS non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore seruauit. Vnde & dicit, *factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber*. Suscepit quidem affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxilium.] Hæc S. Ambrosius quæ verbatim descripsit Arnoldus Abbas in Deiparæ laudatione *sub finem*. Neuter verò existimasse censendus est, B. Virginem ignorasse redemptionem mundi opus Christi solius. Absit enim vt tanti viri, tam crassam ignorantiam B. Virgini tribuerint. Sed sensus eorum est, B. Virginem existimare fortassis potuisse, moriendum sibi esse cum Filio redimente mundum, idque Deo acceptum fore, si se offerret ad concomitantem mortis perpessionem, qua ergo Filium morientem, testaretur affectum suum. Idque faciens, aut potiùs subiens, aliquid publico muneri addere visa esset, non quo munus illud alioqui mancum expleretur, sed quod concomitanter illi adiungeretur, & aliquatenus, extensiuè cumularet atque perficeret. Cæterùm nemo ausit reuocare in dubium, quin planè certum sit totam redemptionem nostram, formaliter & præcisè loquendo, à solo Christo dependisse, vt benè circa

hæc

hæc Virginia Epicheta monuit Malonius ad c. 4. Palæoti de sacra syndone nu. 20. & ante eum Cartusi. 2. de laud. Deip. art. 23. Itaque (vt dixi,) hæc Patrum dicta, mulliendasunt, & accipienda in sensu proposito Qua de re denuò, observatione 4. ad Nomenclatorem.

Deiparæ accidentalis gloria, stabilis, Aureola Virginitatis ei vindicata.

17. Iam accidentaria Deiparæ gloria stabilis, est ea quæ continetur aureolis: illis inquam speciali bus præmiis quorundam heroicorum actuum; nempe Virginitatis, doctrinæ Euangelicæ, & martyrij, quorum ratio exponitur in tractatione de beatitudine. Et aureolam quidem Virginitatis, constat Deiparæ competere) cum fuerit Virgo Virginum. Et ita rectè Pelbartus lib. 10. p. 2. quæsito 3. post S. Thomam in 4. d. 49. Item Sibyllanus decade 1. c. 3. q. 9. Nec refert, quod Virginitatis observatio in Deipara ob extinctum fomitem, vacauerit difficultate, vt tradit Epiphanius Constantinopol. interpretando ea verba *virum non cognosco*. Locum eius adducit Castro c. 1. Histor. Deiparæ num. 5. Idem videri potest voluisse Guerricus Abbas serm. 2. de Annunc. qui rationem reddens cur B. Virgo ab Isaia sit denominata, *petra deserti*, præter cœtera ait idcirco dictam esse petram, [quia sensu quoque ipso, aduersus illecebram peccati, tota insensibilis erat & lapidea.] Quæ tametsi ab eo vniuersaliter prolata, & æquè valentia de quocunque peccato, præsertim tamen valere debent de peccato maximè illecebroso, cuiusmodi est quod Virginitati infestum imminet, & tanti ornamenti possessionem nobis difficilem reddit. Vacauitigitur difficultate in Deipara, Virginitatis custodia. Neque tamen idcirco negandum ei est speciale decus, quod Virginitatem operosè, & inter magnas difficultates retinentibus, diuinitùs est constitutum, supra præmium essentiale beatitudinis. Quantumlibet enim Virginitatis custodia supponatur mollis & expers spinarum; nihilominus tamen observationi suapte natura arduæ, debetur aureola; Est quippe per accidens, quod difficultas ob vberem affluxum gratiæ, exulauerit ab ea observatione.

18 Aureolam quoque doctrinæ siue Magisterij fidei & virtutum, adepta est B. Virgo quæ ad iustitiam erudiit tam multos, ipsósque inprimis fontes Israël, aquis disciplinæ compleuit: Apostolos inquam & Euangelistas erudiuit, vt egregiè planè prosequitur. S. Anselmus supra adductus l. 1. p. 9. & Amadeus Lausan. hom. 7. ac Rupertus in c. 2. Matth. Et quanquam publicè non prædicauit per sexum prohibita, tamen priuatim erudiuit innumeros. Qua distinctione, discrepantes circa hoc DD. sententias componit Cartus. l. 2. de Deip. art. 5. Aliter quoque Virgini hanc aureolam vendicant, Albertus super *Missus est* c. 117. & Pelbartus l. 10. p. 2. art. 2. quæsito 1. Dicunt enim B. Virginem prædicasse factis, & mundo Christum protulisse, qui fuit summus sapientiæ, & veritatis Magister. Sed ratio quam dedimus, est expeditior & planior.

An aureola Martyrij, tribuenda Virgini. Pars affirmans.

19 De aureola martyrij, variè vetij. Dimissis autem iis qui fabulosè commenti sunt B. Virginem cruenta morte defunctam, & communi martyrio decoratam fuisse; inter eos qui B. Virginem sicca morte obiisse consentiunt, quidam B. Virgini aureolam martyrij formaliter & propriè concedunt, vt Spinellus c. 11. operis de Deipara numer. 2. Cartus. lib. 4. de Deipara, cap. 18. Carthag. lib. 12. de Deipara homil. 6. Pelbartus lib. 10. Stellarij p. 2. art. 2. quæsito 1. & pleniùs l. 3. p. 2. art. 3. Catharinus lib. 3. de concept. immac. persuasione 7. Lucas Castellinus appendice ad librum de exigentia miraculorum pro SS. Martyrum canonizatione puncto 1. fusissimè. Fauent Patres qui B. Virginem vocant martyrem, vt Sophron. hom. de assumptione Philippus Abbas epist. 14. Richard. à S. Laurentio l. 3. de Deip. priuilegio 10. p. 192. Amed. Lausan. latè, ac pulchrè homil. 5. Alij vocant plusquam martyrem, vt S. Bernard. sermone in illud, *Signum magnum*, [Verè tuam (inquit) ô beata Mater, animam gladius pertransiuit. Alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Iesus (omnium quidem sed specialiter tuus,) ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset,) aperuit latus. Sed vtique, tuam tuam vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirùm anima iam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat auelli; Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plus quàm martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirùm corporeæ sensum passionis excessit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit, sermo ille reuera pertransiens animam, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus? *Mulier ecce filius tuus?* O commutationem: Ioannes tibi pro Iesu traditus, seruus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodò non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio, scindit? Non miremini fratres quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit, se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longè id fuit à Mariæ visceribus, longè sit à seruulis eius. Sed fortè quis dicat; Numquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Nunquid non sperabat continuò resurrecturum? Et fidenter: super hæc doluit crucifixum? Et vehementer: Alioquin quis nam tu frater, aut vnde tibi hæc sapientia, vt miteris plus Mariam compatientem, quàm Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.]

Pars II. Punctum X. Virginis gloria in cœlo, & in terra.

20 Eodem modo plusquàm martyrem, Virginem pronunciant Hildeph. ser. 1. de assumpt. Rich. à S. Laur. *supra*, S. Ansel. de excell. Virg. c. 4. Laur. Iustin. de triumph. Christi agone c. 18. S. Birgita l. 1. reuelat. c. 52. Iacobus de Valentia latè in Cantic. Deiparæ vers. 4. dignitate 9. & alij quos appendunt Malonius ad c. 4. Palæoti de sacra sind. *in fine*, Henriques l. de fine hom. c. 10. n. 8. & Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 7. *in fine*: qui singulari quodam dicendi modo ait, B. Virginem adeptam esse aureolam martyrij ex opere operato; idest, non vi perpessionis mortis, sed ex mero Dei beneplacito vltra meritum Virginis. Idem decus martyrij supereminentis à Virgine toleraci, ferunt illa Richardi Victorini sido c. 26. in Cant. [Super hæc martyrio decorata

decorata fuit. Ipsius enim animam pertransiuit gladius, non materialis, sed doloris. Quo martyrio, grauiùs passa fuit quàm ferro. Quantò enim incomparabiliter amauit, tantò vehementiùs doluit. Vnde sicut non fuit amor sicut amor eius, ita nec fuit dolor similis dolori eius. In martyribus magnitudo amoris dolorem leniuit passionis: sed beata Virgo, quantò plus amauit, tantò plus doluit, tantóque ipsius martyriũ grauius fuit. Vnde quia plus omnibus dilexit, & iuxta magnitudinẽ amoris, erat vis doloris; grauiùs passa fuit mente, quàm martyres carne.]

Sic enim Rupertus in illud Cant. 3. *ascensum purpureum.* [Cum pia mater dicit, ascensum suum esse purpureũ, se Martyrẽ profitetur, & sibi mori lucrum. Illustre eius martyrium à prophetante Simeone euidenter insinuatum fuit cum loquens de filio diceret, *Tuam ipsius animam, doloris gladius pertransibit.* Planè gladius, acutissimus, dolor dominicæ passionis, animam piæ matris penetrans, atque transuerberans, eam spiritualiter commori filio facit. Martyres alij fuere moriendo pro Christo: hæc commoriendo Christo martyr fuit, & commartyr Christi. Illorum corporale, matris spirituale, & proinde præstantius, martyrium fuit. Plus est esse commartyrium fuit. Plus est esse commartyrem Chrysti. quam martyrem Christi. Martyres suo, hoc est, hominum, foris sanguine: sed Maria filij, hoc est Dei, sanguine intùs rubebat.]

21. Ferunt. præterea Martyrij Deiparæ præcellentiam quæ pro Martyrij illius veritate, etiamsi B. V. sicca morte obierit, addensanit exprimens Augustinus sensum & episto. 59. ad q. 9. Philippus Abbas epist. illa 14. [Mariam Virginem (inquit) martyrem esse dicit, quæ non contentiosè authoritate Euangelicæ contradicit: cum prædicta & scripta sit illa senetẽtia Simeonis quod illius animam pertransiret gladius passionis: *Et tuam,* (inquit) *ipsius animam pertransibit gladius.* Si Martyr est cuius carnem transit gladius corporalis, quis neget esse martyrem, cuius animum vexat, & quasi exanimat tribulatio temporalis? cùm multò sit acerbior passio, qua vexatur animus naturaliter immortalis illâ, quam sustinet caro citò deficiens & mortalis. Plerique etenim tam inconsolabiliter contristantur, tanto dolore, tanta miseria cruciantur; vt cùm suo cruciatui non possint remedium adhibere, magis diligant mortem carnis, quàm præsentem angariam sustinere. Cum Maria videret suum & Deum & filium iniustè iudicari, opprobriis, irrisionibus, sputis, colaphis, flagellari, manus & pedes clauis, latus lancea perforari, extensum in patibulo morte turpissima condemnari; quis pinset mater affectuosa; quantam in animo tulerit læsionem, quo affectu ad cor suum retulerit filij passionem. Adeò inuenta est mater pro filio doluisse, vt quod in carne filius, credenda sit mater in animo pertulisse: eique non clauorum, sed dolorum spicula sunt infixa, & ipsa cum filio viuens cum mortuo crucifixa. Æstimo quia cum in conspectu matris, filius in patibulo moreretur, si eidem matri optio donaretur; mallet citò moritura corpore crucifigi, quàm victura diutiùs in animo sic affligi. Quis ergo dubitet eam martyrem extitisse, quam sic inuenitur dolor intimus afflixisse: quam secuit & pertransiit tribulatio districtior omni serra vel gladio bis acuto, filio moriente, & ab omni velut ope miserabiliter destituto? Quod attendens Simeon; *Tuam* (inquit,) *ipsius animam pertransibit gladius.* Ille etiam qui per Spiritum sanctum Missæ canonem ordinauit, & Mariam & Ioannem esse martyres latenter affirmauit: dum in catalogo Sanctorum, vbi non nisi Martyres, memorauit, & Mariam præ cæteris, & Ioannem cum cæteris nominauit.]

Ad extremum S. Hildefonsus serm. 2. de Assumpt. sic scribit de Virginis Martyrio. [Post Christum qui caput est & Deus totius Ecclesiæ, hæc Virgo gloriola refulget, etiam super choros vt cantatur, exaltata Angelicos, clarissima inter Virgines, candidior inter Martyres: quia etsi illi Martyrio coronati dealbarunt stolas suas in sanguine Agni, nihilominùs hæc beata & venerabilis Virgo, candidior dignè prædicatur; eo quod etsi corpora Martyrum pro Domino supplicia pertulerunt, nihilominùs hæc admirabilis Virgo, in anima, passa teste Domino comprobatur. Ait enim Simeon, vel Dominus ad eam; *Et tuam ipsius animam, pertransibit gladius.* Quod si gladius vsque ad animam peruẽnit, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis cum videret Dominum pendentem, etiam plusquàm martyr fuit, quia in animo non minùs amoris, quàm mœroris est intùs gladio vulnerata. Parata enim stetit, si non deesset manus percussoris. Beata Dei genitrix, iure plusquàm martyr mater est, quæ nimio amore vulnerata, testis extitit Saluatoris, & præ mœrore, in animo, cruciatum sustinuit passionis.] Hæc omnia suadere videntur, non esse negandam B. Virgini præstantissimam aureolam martyrij, cum de tot Patrum sententia, fuerit verè martyr, & plusquàm martyr.

Causas adeò præcellentis Martyrij, & (vt ita dicam) archimartyrij B. Virginis, acerbiora & plura passæ, quàm passi sint vlli martyres, eas profert Author libri *de perpetuo Deiparæ gladio, à momento Conceptionis ad suam vsque mortem.* 1. Martyres cœteri quo plus amore in Deum flagrabant, eo minùs sensere cruciatus diuina consolatione leniente dolores, è contrario Deipara quo plus amabat, (& incensissimè amabat) eo acerbiùs cruciabatur, quia sicut amor incensus erga aliquem leue reddit quod pro eo quis patiatur, ita durius est quem tenerimè diligas, conspicari, graui cruciatu subiacentem. 2. alij Martyres in sola carne sua inimica spiritui & digna multari plectebantur: Et Deipara in corpore filij innocuo & digno quocumque amore cruciabatur. 3. Beata Virgo pluris æstimauit Christi vitam, quàm quilibet Martyrum æstimaret suam: Atque adeo plus doluit Deipara quàm omnes Martyres 4. Martyres alij pro Deo patiebantur. Deipara sicut Christus pro impiis & peccatorib. tolerabat. 6. Martyrium Deiparæ ex S. Bernardo serm. de verb. Apocal. *signum magnum* fecit martyrium cordis, in quo pro angoris cremento augescit cruciatus, qui in carne patientibus obtunditur & hebescit pro tormenti atrocitate. 6. Martyrium Deiparæ protractum est à primo Incarnationis momento ad mortem vsque ipsius Virginis, vltra annos 60. vel etiam 70. iuxta sententiarum varietatem. Cœterum autem Martyrum perpessiones quàm celerrimè sunt consummatæ. 7. à posteriori licet colligere præcellentiam martyrij Deiparæ ex præcellentiore eius aureola; de qua Suares t. 2. 3. p. d. 14. s. 4. & Spinellus in Throno Dei c. 11. n. 2. Vnde Ecclesia quæ cæterorum Martyrum cruciatus ad summum semel quotannis recolit; Deiparæ martyrium quot hebdomadis peculiari festo in Sabatho celebrat. Hæc autem prædictus, astruens martyrium Deiparæ longè præcellentius aliorum quorumcumque purorum hominum martyrio, atque adeò etiam longè nobiliorem & illustriorem aureolam.

Eligitur

Eligitur cum temperatione, pars negans.

22. CONtraria tamen sententia, quæ negat Virginem habuisse formaliter aureolam martyrij, perspicua videtur. Tradunt ea Suar. t. 2. 3. p. d. 21. s. 4. Salas. t. 2. tract. 2. d. 8. n. 75. Corduba l. 1. q. 49. §. *alio modo*, Sotus in 4. d. 49 q. 5. art. 2. Abul. Matth. c. 3. q. 20. & alij quos adduco in opere de Martyrio p. 2 c. 1. n. 4. vbi ex iis quæ ad verum martyrium & consequenter ad martyrij aureolam præsupponenda sunt, perspicuè euici Deiparam verè & formaliter martyrem non fuisse, ac proinde non esse adeptam martyrij aureolam. Ludicrum verò est existimare, Deum hoc præmium & decus singulare, constitutum pro victoria arduæ actionis vel perpessionis, tribuere ei qui neque egerit, neque perpessus sit. Sic enim suam ipse constitutionem pessundaret. Quamuis autem si aureola esset qualitas quam Deus victori imprimeret, facilè intelligi posset, Deum illam conferre ei qui nihil egisset aut passus esset, tamen si aureola sita est in æstimatione morali honorifica, & clara cum laude notitia, absque vllius physicæ qualitatis impressione, vt admodùm probabiliter statuit Lessius l. 2. de summo bono n. 169. perspicuum est, aureolam martyrij, non posse sine figmento (à quo Deus abest longissimè,) concedi illi qui fundamento idoneo talis claræ notitiæ perennis, caruerit. Fundamentum autem illud est mors reapse obita pro veritate reuelata; non item condolentia de Christi doloribus; vel perpessiones quæcunque pro Deo citra mortem toleratam, saltem in causa sua naturali, nisi miraculo fuisset impedita. Fuerit igitur B. Virgo eminenter martyr, quatenus plura pro Christo subiit, quàm multi martyres: & gladio doloris, anima eius transfixa est, patiente Christo: non tamen idcirco dicenda est fuisse propriè & formaliter, martyr, atque adeò neque donata est aureola illa peculiari, quæ formaliter martyribus rependitur ex diuina lege. Rationes verò quibus Deiparæ Martyrium longè præcellentius astruebant, adeò leues sunt, vt peculiari confutatione non egeant, suppositis ijs, quæ nunc attigi.

Potestas Virginis in cælo & in terra.

23 AD aureolas (si decora sunt extrinseca, vt nonnullis videtur,) accedunt decora illa extrinseca, quæ potestate morali vel cultu & veneratione, cum cœlitum, tum mortalium continentur. Potestas moralis hoc loco ea est, penes quam Deipara denominatur *orbis regina*, & *domina cæli & terræ*. Quod vsque adeò mortalium mentibus altè insitum est, vt passim non aliter Virginem denominent, quàm *dominam* & *reginam nostram*, antonomasticè & absque addito: fremente licet Caluino, qui spurcissimè queritur, dici à nobis *Reginam*, quæ se vocauit *ancillam*. Quasi verò eam vocemus *reginam domini*, cuius se ipsa meritò *ancillam* dixit. Est ergo Regina mundi, seu cæli & terræ, non Domini. [Maria (ait Arnoldus Bonæ vallis in Encomio) lingua Syriaca *Domina* dicitur: Christus Dominus, Maria Domina, & licet ipsa se Christi profiteatur ancillam; hoc seruitutis genus omni regno sublimius esse intelligitur. Constituta quippe est super omnem Creaturam: & quicumque Iesu curuat genu, Mariæ quoque pronus supplicat & accliuis. In supernis & inferis admirationi est Virgo puerpera: stupent dæmones, gaudent homines, in cœlo gloriam Deo concinunt principatus, & potestates] Vide quomodò ancilla domini, quomodò simul mundi regina. Eam porrò denominationem, sortita est Deipara, non falso titulo vt apud Ethnicos Mater Deorum, quæ absolutè appellabatur *Domina*: Et idcirco Seruius notat, Maronem per catachresim vocasse Iunonem *Dominam* cum dixit 3. Æneidos. *Pars II. Punctum X. Virginis gloria in cælo, & in terra.*

Iunoni cane vota lubens, Dominámque potentem
Supplicibus supera donis.

[Sanè *Dominam*, (ait ad eum locum Seruius) propriè matrem Deum dici, Varro & cæteri affirmant. Nam & Proserpina ibi à Virgilio *Domina* est appellata, quod ipsa & terræ Domina esse credatur, sicut & Mater Deum. Itaque illud ex 3. Æneid.

Et vincti currum Domina subiere leones.

De matre Deum, ex proprio apud Ethnicos vsu, dixit. Sed (vt præmisi) absque titulo idoneo. At is non desideratur in vera Dei matre, quatenus omnia apud filium summum omnium Regem potest; tam ob coniunctionem cum eo, fundatam in maternitate, quàm ob insignia merita, quæ cum in gloria fuerint consummata, meritò dicimus Virginem in gloriæ aditu, donatam esse summa morali potestate in omnia subiecta eam iacentia. Fuit hic sensus Athanasij in Euangelium de Deip. sub finem, vbi sic habet. [Quia ipse Deus est Rex qui natus est ex Virgine, itemque & Dominus, ea propter, & mater quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propiè, & verè censetur, liceat que nobis ista congruenter dicere, dum ad ipsam, & ad eum qui ex ipsa genitus est, carniferum Filium respicimus.] Similiter dissetit S. Ioannes Damascenus 4. de fide c. 15. & quia Syrus erat, eodem refert eam nominis *Maria* etymolog. ex Syro idiomate in quo vox *Maria* Dominam sonat. Sed dimissa argumentatione ex etymologia quę à Galeno dicta est grandicrepa in speciem, sed infirma probatio, audiatur potiùs qui egregiè in hanc rem disserit Leo Augustus orat. de dormit. Deiparæ. His præter cætera. [Benedictam Virginem ad se se per mortem aduehens Rex, & Filius & suæ gloriæ participem faciens, supra omnem creaturam ostendit gloriosiorem ita vicem rependens pro carne assumpta per quam æquè ac nos formatus est ille qui Patris est figura expressissima, carnémque, ac sanguinem pro nostra conditione participauit, & pro maternis officiis illi reddens, vt proxima, & authoritate pollens assistat, quo fit, vt quasi è mundo non abscesserit, neque procul à nobis abierit, sua mundum præsentia priuauerit, sed ex hac vita egressa, communibus perpetuò beneficiis eos afficiat, quorum ad communem vtilitatem in vitam ingressa est. Commoratur nobiscum, adhuc inferiora perlustrans; Imo verò nunc ad omnia pertingit, animatum cœlum omnes æquè fouens, & guttas beneficentiæ stillans, & arentem vitæ nostrę statum, è flammis peccati prouenientem, humectans. Iam per omnes permeans cum facilior est peragratio, & materno affectu cognatos, prouisens, ad leuamen molestiarum paratissimum fit auxilium, pro salute omnium vigilans, immaculatas pro omnibus extendens palmas; in quibus fuit vniuersorum salus gestata.]

24 Testantur hoc infinita bona, quæ mortalibus quâ apud Deum valet gratia, exorat & confert indies. [Per matrem (inquit Amedeus Laus. hom. 8.) filio, per Virginem reconciliatur Deo, vitæ dati, penitùs substracti. Desiderium peccatorum peribit,

desidē

deſiderium verò Beatæ Mariæ perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miſeriæ, & luto fæcis, vt de peccati ergaſtulo, & profundo iniquitatis, indulgentiæ dono reſpirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit diſperſos, reuocat auerſos, eruens eos qui ducuntur ad mortem, quóſque trahi cernit ad ſupplicia, liberare non ceſſat. Non ſolùm autem animarum ſaluti, verùm etiam humanorum corporum ſanitati, atque neceſſitati pia diligentia prouidet, & medetur. In locis quippè memoriæ ſanctitatis eius dicatis, claudis greſſum, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbénſque innumera beneficia ſanitatum. Accedunt ad eius limina rei tundentes pectora, confitentes delicta; & accepta venia, læti ad propria reuertuntur. Accedunt etiam mente capti, capite languidi, phrenetici, maniaci, arrepticij, nocturno timore aliquóve phantaſmate, ſeu certa malignè incurſione deluſi qui recepta ſoſpitate, diuini muneris largitatem aſſequuntur. Accedunt nihilominùs ad eius veſtigia, qui amaro ſunt animo, mœſti, egeni, afflicti, deſolati, ære alieno obligati, quodque grauiſſimum eſt, viuentes cum decoris nota reſperſi. Horum & omnium de quacunque tribulatione clamantium, illa libens preces ſuſcipit, & Nato ſupplicans, omne malum ab eis miſeratrix auertit.] Et mox. [Earum harum aſſertionum exempla plurima, quæ vt notiſſima, & peruulgata, compendiosè prætermus. Sciendum verò certiſſimè quòd creberrima miracula, innumera beneficia, ſpiritales viſiones, cœleſtea reuelationes, ſublimes conſolationes almæ Parentis Domini, orbi terrarum aſſiduè corruſcabunt, donec finem mundus iſte ſeneſcens inueniat, inclareſcente regno, cuius non eſt finis [Idem locis propè innumeris proſequitur Richardus à S. Laurentio in opere de Deipara, ſed nominatim libro 12. *fere initio* exponens portas ciuitatis Dei, de quibus accipit illud Iſaiæ 60. *Aperiantur portæ tuæ iugiter, die & nocte non claudentur.* Hoc autem perinde eſſe ait, ac dicere B. Virginem, omnibus ad eam beneficij expoſcendi gratia accurrentibus ſemper patere, nec portas miſerationum eius, vlli vnquam occludi, qui ſupplex ad eam confugerit. Quinetiam addit portam oris eius, ſemper patere ad Deum, in gratiam peccatorũ vt reſipiſcant, & reuertantur ad cor. Nec minùs ſollicita eſt pro iis quos flabra tentationum agitant, vt firmentur in bono, nec Satanæ pellaciis, & fraudibus capiantur. Specialiter verò cenſetur conferre ad hæreſeon extirpationem iuxta illud *cunctas hæreſes ſola interemiſti*, de qua prærogatiua rurſus infra.

Peculiarem efficacitatem Deiparæ in cœlo regnantis, ad omnes corporis, & animi morbos depellendos, celebrat Georgius Nicomedienſis orat. in SS. Anargyros Coſmam & Damianum. Sub finem quippè orationis, demiſsè vrgens hos Beatos cœlites, ad munus ſanitatum impertiendum fidelibus, adhibet pro motiuo, quod B. Virginem habitori ſint promptam cooperariam. Habetis (inquit, cum verbis, tum rebus ipſis fauentem largitoris Matrem, ac creaturum Reginam interceſſionem illam exaudiri facilem: fœminam inquam, vti gloria incomparabili, ita & ſupplicationum efficacitate, ſemotis à materia mentibus omnibus, Deique ſimulis prælatam, quæque ab ipſo datore acceperit, vt eius preces nunquam in caſſum cedant per quam infirmũm hominum genus, poſtquã verè bonam valetudinem amiſiſſet, ſanitatem recepit, morborúmque adnatorum depaſcentia cohibita eſt: per quam morbos inferens inobedientia ceſſauit, terrenumque humanum genus, ſanis obedientiæ virtutibus potitur; per quam lethiferum peccatum, à malis conuehendis impeditum eſt, ac iuſtitiæ copia in hominibus abundauit: per quam veros mortis tyrannis profligata eſt mortuique diſſoluti à ſeculo potenti Filij eius virtute coaptatis membris ad neſciam ſenij vitam fuerunt euocati; quæ ſola vitæ immortalis porta per quam tranſitus non patet, appellata ſit, per quam incorruptionis penus potiuntur; atque mortales immortalitatis diuitiis aucti ſint; per quam primorum parentum fluentea copiâ lachrymæ repreſſæ ſint, gaudíque flumina, tum illos, tum eorum poſteros eius magnalia intelligentes à ſeculo irrigauerint. Angelorum inquam honorificentiam, inceſſabilem eorum gloriationem, humani generis plenam lætitiæ gloriam. Eius gratia eorum propitia precibus fauénſque, qui in neceſſitatibus cum ita tempus exigit, orant, non vobis tantùm adeſſe monſtratur, ſed & tunc feruenter inuocantibus, ſuam ipſa vtique inſpectionem curámque intelligere tribuit.] Habemus poteſtatem in cœlo, & in terra conceſſam Deiparæ. Vocaui *moralem poteſtatem*, hoc eſt, non inexiſtentẽ ex titulo quopiam afficiens eum qui *Dominus* appellaretur, cuiuſmodi tituli ſunt hæreditaria ſucceſſio, emptio donatio; & ſimiles quibus comparatur humanum dominium. Fateor quodcunque dominium continerit nuda facultate morali, non autem phyſica qualitate, quod ridiculè (mea quidem ſententia) aſſertum recolo à collega quondam meo in Theologica profeſſione Antonio Gren. nemine vel anterius, vel poſteriua ſuffragato. Quamuis autem hoc ita ſit, tamen dominium quod caret titulo veluti directo nec fixum eſt niſi in gratia eius qui ſic Dominus dicitur, apud eum qui vero titulo potitur, poteſt non incommodè denominari *facultas moralis*; quatenus etiam ſi qui ſic Dominus eſt, non habet quod directè & propriè conſtituit Dominum, habet tamen per gratiam, & fauorem apud verum Dominum, facultatem vtendi re alienæ. Quæ enim per amicos poſſumus, cenſemur poſſe per nos ipſos. Et in hoc ſenſu, admitto vniuerſale Deiparæ dominium in omnia purè creata, quia cum filius verus omnium Dominus, nihil matri negatum velit, ipſa quoque mater, cenſeri. ac dici poteſt omnium filij dominio obnoxiorũ Domina, vtique per filium aut in filio: quod eſt eſſe Dominum moraliter, hoc eſt ſecundum prudentem æſtimationem, quamuis non ſtrictè & rigorosè. Sic igitur ſtatuo de dominio vniuerſali Deiparæ in cœlo & in terra. Sunt qui illud quoque ad Purgatorium protendant, qua de re pronunciauimus in tract. de Purgatorio. Illud etiã veriſimile proditur, B. Virg. aliquos præueniſſe non ſubitent Purgatorium, ſuis eos precibus muniendo. Quod de Alexandro tertio narrat Menologium Ciſtercienſe 17. Auguſti, & de aliis alij. S. Hildefonſus ſerm. 5. Aſſumpt. fideli (vt ait) præſumptione, pia temeritate, etiam ad Infernum extendit Virginis potentiam remedium aliquod & refrigerium, ac immunitatẽ à vexatione dæmonum concedens, damnatis in die Aſſumptionis B. Virginis. Hanc indulgentiam alibi exponximus.

Vtriuſque

Vtriusque Hierusalem erga B.Virginem honores vniuersè.

25 IAm cultus, & honor, Deiparæ iam gloriosæ per cœlites exhibitus, inde æstimari, & conijci potest, quod Christus ipse in cœlo honorat, & collaudat matrem suam, vt Amed. Lausan. hom. 7. pulchrè prosequitur. Beati igitur cœlites, qua sunt visus mentalis perspicacia, & voluntatis nullo affectu distortæ rectitudine, aduertentes plenitudinem bonorum à Deo in Deiparam iam gloriosam magnificentissimè profusam, non possunt non honorare eximio cultu, arcam sanctificationis Domini, & vt Hierem. cap. 17. vocauit, *locum sanctificationis nostræ.* Vident hanc esse petram, de qua omnes filij adoptionis, per Christum ex ea progenitum, sunt excisi. Agnoscunt quanta inibi miracula Deus sit operatus, & venerationem à Moyse terræ inaccessæ delatam ob perceptos ibi diuinos afflatus exhibent terræ viuentium quæ præ illa dicenda est sancta sanctorum, vt Damasc. rectè pronunciauit orat. 2. de imag. *in fine.* Multus est in his cœlitum erga Deiparam iam gloriosam honoribus exponendis, Carmel. l. 4. de laud. Deip. art. 15.

Æmulata fœliciter cœlestem Ecclesiam, ea quæ adhuc in terris militat, B.V. cœlo illatam, omni cultu & veneratione prosequitur meritissimò, vt contra rabiem Sectariorum diligenter monstrauit Canisius l. 5. de Deip. à cap. 8. & Coccius tom. 1. l. 5. art. 13. suppetunt autem tantæ venerationis tituli complures, de quibus sigillatim Ragusa 3. p. tomo 2. d. 44. nempè contactus Christi maternitas, sanctitatis maxima. Et titulo quidem sanctitatis tametsi eximiæ, non debetur Virg. specificè diuersa adoratio, sed tantùm qualis exhibetur alijs iustis; cum idem specificum adorationis fundamentum commune illis sit cum Deipara, cui tamen intra eandem speciem adorationis & cultus, altius quippiam & sublimius debetur.

26 Titulo maternitatis, (iuxta S. Thomam 2. 1. q. 103. art. 4. ad 2.) exhibetur Virgini cultus hyperduliæ: quem, quod Vasq. l. 1. de adorat. d. 8. c. 2. negat esse nobiliorem cultu qui ob sanctitatem rependitur, audiendus non est. Verè quidem ille sumit, eò nobiliorem esse cultum, quò dignitas cum fundans est altior atque sublimior. Sed non benè subsumit, sanctitatis dignitatem, sublimiorem esse maternitate. Nam tametsi sanctitas plus prodest habenti, quã prodesset maternitas, si seiungeretur à sanctitate; & ad conciliandum Dei fauorem potior sit sanctitas, quàm maternitas, vt Christus ipse Lucæ 11. significauit. Tamen dignitas maternitatis, cum spectet ad ordinem vnionis hypostaticæ, est multò eminentior, ideóque nobiliorem cultum deposcit. Habemus exemplum in Magistratu improbissimo, qui præ homine priuato vitæ innocentissimæ, colendus & honorandus est; eo quod munus quo fungitur, quamuis eum sibi (vt ita dicam,) meliorem non reddat, tamen sublimius sit, & illum alijs venerabiliorem efficiat. Est igitur hyperdulia quæ titulo maternitatis exhibetur, multò nobilior, quàm dulia exhibita ratione sanctitatis, quantumcunque intra duliæ speciem emineat. Et ita Suarez t. 2. 3. p. d. 22. sect. 3. ac Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 4. Quibus tamen non subscribo, quatenus existimant B.V. ratione maternitatis posse coli adoratione latriæ, profecta à virtute religionis qua Deus colitur. Hoc non admitto. Nam quamuis maternitas, indirectè inuoluat Verbum tamen directè & formaliter, (qua ratione est fundamentum cultus,) est dignitas creata & finita, ac proinde non nisi cultum inferiorẽ eo qui Deo præstatur, fundare potest. *Pars II. Punctum X. Virginis gloria in cælo, & in terris.*

27. At si spectetur tertius titulus penes quem dicebam B.V. esse cultu dignam, nempè Christi contactus; præsertim non qualiscunque, sed maternus, & cum continentia & locatione caulali, sic facilè datem, secluso scandalo, & probè seiunctis cultus fundamentis, B.V. esse adorabilem adoratione latriæ, multo magis quàm Crux, & claui, quibus latriæ cultus impenditur ob Christi contactum, & moralem cum eo vnitatem. Nec refert quod crux & alia passionis Christi instrumenta, non sint secundum se capacia adorationis, sicut est B. V. quæ est causa cur D. Thom. 3. p. q. 25. art. 5. neget B. V. posse adorari suprema latriæ adoratione. Hoc inquam non refert. Nam inde tantùm habetur, rectè diuidendum esse; & spectandos, ac secernendos prudenter esse titulos colendi, ne sub despicatiore titulo qui concomitanter cum isto nectitur exhibeatur cultus supremus: Non tamen habetur, quin omnibus ritè aptatis, fas sit deferre supremam adorationem Virg. æquè, ac cruci: quatenus ob contactum est moraliter vna cum Christo.

Tacta sigillatim officia militantis Ecclesiæ erga Deiparam.

HActenus generatim de cultu Virginis in Ecclesia militante, & accidentali pentium Virginis gloria. Sigillatim verò exhibet cultum illum Ecclesia partim festis diebus Virgini colendæ addictis, partim dedicatione templorum, aut imaginum, & religiosa ad eas luminum incensione; partim denique officij recitatione, ac inuocatione, & interpellatione crebra in necessitatibus; quæ & cum honore eximio coniuncta est in actu exercito, (vt sic dicam,) & eum quoque in actu signato inferre & adiunctum habere solet. Fusissimi in his omnibus religiosæ circa Virginem venerationis officiis illustrandis, fuere varij.

Quoad festa & templa, iustum tract. habet Spinel. in opere de Deip. de festis verò sigillatim Azor. t. 2. l. 1. c. 17. ad 23. Suarez lib. de festis c. 8. & t. 2. 3. p. d. 22. s. 1. Bonifac. l. 2. histor. Virg. c. 5. Quod frequentius recurrit inter Deip. festa, est festum. Sabbathi, de cuius in honorem Virg. consecrati initiis satis incertis, multa Spinellus c. 29 operis de Deip. à n. 14. Eum latè stabilit Coccius tomo 1. l. 3. art. 6. Præclarè verò de eo argumento iustum opus emisit Augustinus Vvichman., Canonicus Nobertinus Titulus operis est, *Sabathismus Marianus.* Breuiter Petrus Damiani opusc. 33. cap. 4. sigillatim de templis Virgini dicatis, extant lucubrationes integræ. Celebriora signarunt Canisius libro 5. Marc. à cap. 23. & Bonifacius libro 5. histor. capite 1. 2. 3. & 4. Ferreolus Locrius libro 4. Mariæ Augustæ, *toto.* Dum templis extræ sunt imagines. De cultu imaginum Virgini sacratarum multa Canisius libro 5. Marc. c. 22.

Officium peculiare à Monachis recitandum, instituit Petrus Damiani vt videre est apud Baronium anno 1056. qui anno 1095. addit Vrbanum 2. in Concilio Claremontano vsum illum approbasse, & vt per quosuis Clericos ac fideles vsurparetur, sancisse. Aliqui tamen hoc officium longè antiquius fuisse volunt, nec admittunt fuisse à Petro Damiani institutum, sed tantùm, restitutum. Ita Reuerend. P. Ioannes Bona. in Psallentia

hæc quidem isto modo peragebantur. Faciebat autem hoc quilibet illorum vbicunque tandem degeret vsque ad obdormitionem Deiparæ. At quando ex toto mundo in vnum conuenerunt ducti per nubes,propter translationem Dei genitricis, & Dominæ, iustis persolutis,post sepulturam illius, videlicet tertia die se se refocillantes,& post sumptū cibū surgentes,fragmentum panis quod Christo sepositum, & destinatum erat,more consueto exaltarunt: cumque illud *Magnum nomen* pronunciarent; (ô inopinatum miraculum:)quę mortua fuerat,viuentis instar, nubibus, & lucidissimis Angelorum choris circundata,in sublimi apparet; *Auete*(inquiens) *Ego vobiscum sum omnibus diebus*;Hoc solatium, & gaudium verbis Filij,illis impertiēs. Discipuli autem miraculo obstupefacti,loco eius,*Domine Iesu Christe*, exclamarunt, *παναγία Deipara adiuua nos.* Deinde ad sepulchrum adeuntes, nec inuento sanctissimo corpore, verè sibi persuaserunt,eam tertio die,instar sui filij,corpore cursus indutam, ex mortuis resurrexisse,& in cœlum assumptam esse, vt ibi cum Christo regnet in sæcula sæculorum.]Est ergo. *Panagia*, Deiparæ Epith. præcellentem, & vndecunque plenam eius sanctimoniam sonans. Ab Deipara verò, translatum ad panem in honorem Deiparæ exaltatum, imitatione Apostolorum triduo post Assumptionem Deiparæ, vt habet ex Græcorum hodiéque sensu Franciscus Richardus loco annotato;addens eam persuasionem de Assumpta Deipara reperto eius sepulchro vacuo, testatos Apostolos exclamasse, *Astitit Regina à dextris Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Additamentum verò ad hunc ritum venerandi & inuocandi Deiparam,apud hodiernos Græcos est, integri panis superiorem crustam cultello decerpi à Sacerdote in trianguli formam;& perfosso pani tres cereolos accensos vnà iunctos, ad expressionem S. Trinitatis immitti; crusta prius decerpta velut in vmbellæ modum supra cereos reposita. Tum hymnis Triumphalibus,non absque astantium succinentium sacerdoti pro concentu Deiparæ dictis,panem thure suffiri,& sic benedictum iuniori inter astantes tradi,ac submotis tribus quos dicebam cereis, & ad ternas domus partes applicitis, panem à sacerdote in frusta sectum distribui astantibus,à quibus non prius ori admouetur, quàm acclamarint, *Panagia Deipara adiuua nos.* De ea Græcis peculiari Deiparæ inuocatione,& salutatione,non plura.

Latinis ea Deiparæ inuocatio familiaris est,quam ab Hermanno Contracto proposit. Ecclesia occidentalis vniuersa frequentat. Initium eius est *Salue Regina*; Quanto vero aduersùs hoc Canticum efferbuerint sectarij, legere est apud Canisium l.5.de Deip. c.13. sed nihil in eo iure sugillari posse, latè prosecuti sunt Hieronimus Angestus in Antileg. Georgius Fernander in eius Apologetico Augustinus Alueldian. in assertione contra obmurmuratores Deiparæ,Gaspar.Scharegerus l.de implorat.Sanctorum Canisius l.5. de Deip. c. 13. Bellarminus l. de orat. cap.15.& Suares l.3.de nat. c. 9. à n. 19. Perillustrem, & admodùm piam eiusdem Cantici exegesim subministrabit Petrus Sutoris l.contra Antichomaritas c.23. leguntur quoque inter opera S. Bernardi in hoc Canticum sermones quatuor,quos tametsi Franciscus Biuarius in Bernardo vindicato lib.2. §. 10. mordicùs S. Bernardò arrogat,tamen neque sancti viri stylum neque pietatem redolent. Esto clausula illa *ô Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria*,ad S. Sernardum sit referenda vt ad authorem, teste Gulielmo Elsenrenio in Chronicis spirensibus Meditationes varias quibus,hoc Canticum illustrauit Franciscus Costerus cum præfatione Apologica nihil attinet memorare. Meditatio verò super *Salue Regina*, æquè immissa S. Bernardi lucubrationibus, cuius initium est *Ad salutandam Virginem*, S. Anselmo Lucensi Antistiti adscribitur à Posseuino *in Anselmo*, Rithmica Ecphrasis eiusdem Cantici à S.Bonauentura concinnata legitur 2. p.Opusculorum.Multas ex eodē S.Doctore, & aliis priscis iuxta ac recentioribus, hymnodias B. Virgin. aceruauit iusto opere,F.Ioannes Baptista Grimaldus ord S.Francisci.

Pars II. Punctum X. Virginis gloria in cœlo,& in terra.

At vix vlla est Deiparæ in Latina Ecclesia inuocatio frequentior,& vniuersaliter, quàm quæ exercetur recitatione Rosarij. Ita appellant genus orandi contextum ex multiplici salutatione Angelica, & aliquoties repetita oratione Dominica, de quo latè præter cœteros Nauarrus in Miscelaneis de oratione authorem eius statuens S.Dominicum ord. Prædicatorum parentem;In quo adhæsit Alberto de Castellano in opere de Rosario,& protrito multorum sensui ex quo etiā idē tradidit Pius.V.in Extrau.cuius initium est,*Consueuerunt*.Sed reclamant,qui hoc inuentum adscribunt Petro cuidam Monacho Benedictino,vt Pontacus in Chronologia,& Polydorus Virgilius l.5.de Inuentor.c. 9. & cum Arnodo Vvion.Benedictus Haephtenus l.2.disquis.Monast. tract.4.disq.1 *fructu decimo*:Verùm Petrus ille, non fuit ord. S. Benedicti, sed Eremita Anthianensis, belli sacri tubicini ac Pyrphorus sub Vrban. 2.Alij, (vt Henricus sedulius ord. Minor.Commentario in c.2.vitæ S.Claræ Assisiatis,) Petro duntaxat adscribunt instaurationem frequentioris vsus Coronæ B. Mariæ; quòd æquè dicit Sedulius de inuentione Rosarij per S.Dominicum, quem authorem huius pij vsus fecerat, moxque non nisi roboratorem statuit,cum Gulielmo Pepini in Rosario aureo mystico, & in septem sermonibus de Rosario.Vt vt verò res habeat quoad primum Authorem; vsus eius est planè sanctus, quicquid in contrarium garriant sectarij,rectè explosi à Canisio l.3. de Deip.c.10.& l.5.c. 26.& à Suare l. 3. de orat.cap.9.à num.10. nec non à Thoma Sayllio 3.p. Thesauri litaniarum, in defensione Rosarij *à pag.*268. Nam singulæ Rosarij partes,sanctæ sunt:repetitio verò earundem precum non ob[l]edit sanctarium illarum partium honestatem vt euincitur ratiocinatione Lactantij lib. 4. cap.28.Nec item obstat huic Christiano ritui,quod Turciæ quoque habent suam coronam precatoriam, quam vocant Tespe,cuius tres sunt partes,& partis cuiuslibet,decades tres,insuperque tres globuli ita vt omnium summa sit nonaginta. In prima parte, ter & tricies dicunt, *Subsan Allas.* In secunda, toties *Ellhemdun'illas.*In tertia totidem vicibus *Alas hecuer.* In suis Melchitis præeunte illo quem Ionam dicunt,quotidie quinquies ista commemorant; quidam domi multo etiam sæpiùs Refert ista Thomas Sayllius 1.p.thesauri litaniarum *pag.* 22.quæ nego decolorare vtcunque affinem Rosarij vsum. Nam quicquid est pulchrum,sequitur Momus,vt Tertullianus admonuit.Et verum est pleraque nobis esse cum externis communio, iuxta S. Augustinum l. 2.Corinth.1.Faust.c.23.penes Ecclesiam tamen est sola veritas,& vtilitas. Non est inuerisimile,primos Christianos pręsertim rudes Dauidici Psalterij,vel ex memoria vel ex libro decurrendi, ab initio Ecclesiæ frequentasse ad eum modum iteratam centies atque quinquagies, orationem Dominicam, imitatione centum, quinquaginta psalmorum Dauidis, & scribit Alanus de Rupe in Rosarij

Rosarij Apol. c. 8. & corollam è globulis adhibuisse (vtad manum esset, labantis memoriæ subsidium. Noc est etiam inuerisimile, ita peccatum S. Barth. Apostolum, quem ferunt, quot diebus centies, & quot item noctibus centies, cum totidem adgeniculationibus, fudisse Dominicam orationem. Accessisse verò iisdem Christianismi initiis salutationis Angelicæ recitationem, ad recolendum Incarnati Verbi mysterium, & B. V. patrocinium, siue pio inuanto primorum illorum Ecclesiæ Doctorum, siue ipsa Deip. docente, & reuelatum esse Paschali Bayli Ordin. Minorum scribit Ximenes in eiusdem Beati Actis cap. 34.) non inuerisimiliter asseritur. Hæc dicantur pro vsu vetusto non improbabiliter. Reuelationes tamen huius vsus, factas SS. Ambr. Augustino Hieron. Gregorio Magno, quas Alanus de Rupa in Rosario Christi & Mariæ parte 2. cap. 2. & parte 4. cap. 32. & in Apologia cap. 8. addensat, non præsto certas; sed puto confictas Nec quod addunt alij de mirifica Rosarij per Bedam atque S. Bernard. propagatione, eos esse solidum; Et idem statuo de militibus à S. Leone IX. Ostiam vsque aduersus Saracenos progresso, iussis inter pugnandum manu tenere Rosaria. Nisi horum solidè affirmatur. Hæ sunt formulæ communes inuocandi Deiparam.

Nolo missam facere piam praxim quotidianam venerandi, & religiosè inuocandi priuatim B. Virginem, à Richardo de S. Laurentio subministratam l. 2. de B. V. partic. 5. [Voluntas (inquit) Filij est, vt matrem illius, & Dominam nostram, benedicamus in omni tempore, scilicet nocte & die, in prosperis & aduersis, & vt laus eius semper versetur in corde & ore nostro, de ipsa meditando ipsam laudando, orando benedicendo, illi gratias agendo, eius magnalia prædicando, & vt laus eius sit quasi frenum in maxillis nostris, nos refrenans à vitiis linguæ. Vnde & ipsa promittit cum filio laudatori suo. Isaiæ 48. *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Item vt impleas illud Psalmo 102. *Omnia quæ intra me sunt, benedicant sanctum nomen eius.* Et benedicenda sunt quotidiè singula membra eius, vt singulis membris nostris benedictionem reportemus ab ea. Itam benedicendi sunt pedes, quibus Dominum portauit; Venter, in quo portauit; cor, vnde in eum fortiter credidit, & feruenter eum dilexit; vbera, quibus lactauit; manus, quibus nutriuit; os & lingua, quibus ei dedit felicia oscula nostræ redemptionis; nares, quibus censit suaueolentem fragrantiam humanitatis eius; aures quibus dulcia eius eloquia delectabiliter auscultauit; oculi, quibus ipsum deuotè respexit; corpus & anima, quæ Christus in ea omni benedictione consecrauit. Et salutanda, & benedicenda sunt cum omni deuotione, hæc sacratissima membra, ita vt singulis dicantur singulę salutationes, scilicet, *Aue Maria* duę ad pedes, vna ad vterum, vna ad cor, duæ ad vbera, duæ ad manus, duæ ad os & linguam, duæ ad labia, duæ ad nares, duæ ad aures, duæ ad oculos, duæ ad animam & corpus. Et sic in vniuerso sunt viginti salutationes, quæ in modum pensionis quotidianæ, cum singulis, & totidem genuflexionibus, si fieri potest, coram imagine sua, vel altari, persoluendæ sunt Virg. gloriosæ, iuxta illud Psalm. 144. *Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum*, &c. Et sicut dicunt qui experti sunt, & testantur qui à viris sanctis audierunt, via posset adinueniri modus alius seruitij, qui tantum Virg. complaceret, vel ex quo tanta deuotio redundaret diligentibus eam. Item per singula eius membra, post genuflexionem, adorationem, & salutationem, sic dicendum. Dulcis Domina, adoro & benedico beatissimos illos pedes, quibus Dominum super terram portasti, benedico & adoro beatissimum vterum illum, in quo Christum baiulasti; & sic cæteris membris, & sensibus, commemorando actus suos quibus Domino seruierunt: quod meliùs dictabit deuotio, quàm sermo; meliùs gratia quàm scriptura.]

His si accedat imitatio B. V. nihil deërit ad perfectam eius laudem. Vix enim est nobilior laudandi Sanctos ratio quàm eorum imitatio vt D. August. non semel dixit. Idque Ecclesia seruari erga B. V. à fidelibus maximè intendit, proponens ideirco eam, vt Ideam secundùm Christum omnis sanctitatis atque pietatis, & adhortans omnes, vt ad eius se formam & exempla fingant, quod in summum Virginis honorem cedit, si ab vnoquoque pro suo gradu & prudenter fiat. Quod addo, quia sunt nõnulla quæ B. Virgo sanctissimè & perfectissimè, fecit, quorum tamen imitatio neque omnibus indicitur, neque congruit. Tale est quod S. Epiph. hær. 78. vetebatur ne in exemplum traheretur puellę Deo consecratæ habitatio cum viro in eadem domo. Id enim quod B. V. ex speciali inspiratione fecit sanctissimè, absurdè exprimeretur imitatione à sacris virginibus; & fortassis id memorauit S. Epiph. ad sugillationem Agapetarum quas duplici homilia confixit eo tempore S. Chrys. Æquè absurdè Sacræ Virgines vellent frequentare nuptias, quia B. Virgo illas adiuit in Cana; quod absurdè allegandum esse à Virginibus, latè tradit Rupertus in capite 2., Ioann. Non plura Deiparæ honoribus.

29 Non mirum sic à cœlitibus, sic item à mortalibus, accurri ad Mariam Deip. benedicendam, laudandam, inuocandam. [Sicut enim punctum (ait S. Bern. s. 2. de Pentec.) in medio terræ, in vtero videlicet Virg. Mariæ, qui mirabili proprietate *terra medium* appellatur: Ad illam enim sicut ad medium, sicus arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum, respiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis.] Collandans sanctos Anargyros, Cosm. & Damian. Georg. Nicomed. vrgens illos ad suppetias humano generi ferẽdas, proponit illis quod habituri sint suffragantem ipsorum erga mortales miserationibus Deip. [Habetis (inquit) cum verbis, tum rebus ipsis fauentem largitoris matrem, ac creatorum Reginam; Intercessionem illam exaudiri facilem, fœminam inquam vti gloria incomparabili, ita & supplicationum efficacitate, semotis à materia mentibus omnibus, Deique famulis prælatam, quæque ab ipso datore acceperit, vt eius preces nunquam incassum cedant, per quam infirmum hominum genus, ac postquàm verè bonam valetudinem amisisset, sanitatem recepit, morborúmque ad naturam depascentia, cobibita est; per quam morbos inferens inobedientia cessauit, terrenúmque humanum genus sanis obedientię virtutibus potitur; per quam lethiferum peccatum à malis conuehendis impeditum est, ac iustitiæ copia in hominibus abundauit, per quam vetus mortis tyrannis profligata est, mortuique dissoluti à sæculo, potenti filij eius virtute coaptatis membris, ad nesciam senij vitam fuerunt euocati, quæ sola vitæ immortalis porta per quam transitus non patet appellata sit, per

quam

quam incorruptionis penus potuerint, atque mortales immortalitatis diuitiis aucti sint, per quam primorum parentum fluentes copia lachrymæ repressæ sint, gaudiique flumina, cum illos, tum eorum posteros, eius magnalia intelligentes à sæculo irrigauerint.] En cur ad Deiparam accurrunt omnes, mortales æquè, ac immortales, subsidium ab eius precibus, ac suffragatione captantes, & vnanimes vno ore in ea collaudantes Dominum.

Hæretici soli, erga Deiparā iniurij & inofficiosi.

30 SOli Hæretici in B. Virginem, diuinæ sanctificationis arcam furunt, rabiuntque. Notaui iam in eam rem aliqua superiùs Cautiône 1. præambulari. Et alia peti possunt ex Bosio l. 9. de lignis à capite 6. nec non ex Ferreolo Locrio l. 1. Mariæ Augustæ c. 3. & 4. Quæ Iacobus Gretserus in Præloquiis ad tres Authores contra Valdenses c. 3. Chronico Altissiodorensi adducit eiusmodi sunt, vt absque horripilatione legi nequeant, nedum referri. Inter antiquos Hæreticos qui maximè insaniuit in Deiparam, fuit Constantinus Copronymus, Leonis Isaconci filius mali corui ouum pessimum. Is vt erat spurcissimus, & fœtoris etiam corporei amantissimus (nam etiam stercore bubulo sese illicebat, & gratissimos habebat qui se ita) nitentissimæ, ac purissimæ Dei Matris, fuit osor acerrimus, vt multis refert Theocteristus in actis S. Nicetę Confessoris, his præter cætera. [Quam Christus sibi in domicilium elegit gloriosissimam inquam, suam matrem omnibus aliis rebus creatis superiorem, omnium hominum salutem mundi patrocinium, quæ propter Virginitatis suæ præstantiam, propè Deum versatur; huius inquam venerandum nomen multis modis ab Ecclesia expellere studuit: Eius verò intercessiones per quas mundus consistit, illas ne nominari quidem voluit, cum diceret, nemini eam posse opitulari.] Addit Theocteristus similitudinem ab hoc spurciloquo adhibitam; crumenæ nimirum quæ auro referta, est pretiosa: nihili verò fit tum est vacua. Non secus B. V. iuxta nefarium Copronymū, cum vtero gereret fuit aliquid magni pretij, ratione, contenti intra pretiosum illud vas Christi Dñi. Eo autem per partum excusso, hoc erat Maria Copronymo, quod aliæ mulieres. Eius nomen quod abolitum volebat nequam iste, erat nomen *Deiparæ*, nec non coniunctum illud *S. Maria* Præcidebat enim prænomen *Sancti* & *Sancta* ab omnibus cœlitum appellationibus, vt legitur in vita S. Stephani Iunioris per hunc nefarium hominem succisi. Quod autem eam inuocari vetabat, impiè (vt cætera) ab eo factum est, & contra perpetuam Ecclesiæ praxim, triginta circiter testimoniis communitam apud Serarium l. 1. litaneutico c. 12.

Recentiores Hæretici eodem sunt acti spiritu, & irreuerentissimè se gesserunt erga matrem adeò honorificatā vt omni laude dignissimā. Vt cautione illa prima notabam, & hic opportunè est refricandum cum omni detestatione, apud Lucam Tudensem l. 2. contra Albigens. c. 9. refertur, nefarios illos hæreticos B. Virg. effinxisse monoculam, vt derisui pateret. Iidem teste Guil. Nang. matrem totius puritatis nefandissimè appellabant *meretricem* (Tundamus pectora ad tam detestandum porciloquiū.) Elizab. Angliæ Reginā è Calend. expungi iussit festum Nat. B V cuius loco, substituit diem suum Natalitium, quia ea die nata erat. Ita referunt plerique. Quamquam Sanderus l. 3. de Schism. Anglic. tantum ait Natiu. B. V. esse ab Angelis abrogatam in ratione dici festiuæ, eámque Calend. suo adscripsisse atris, & minusculis literis: Natiu. verò Elisab. solemnissimè agitasse in ipso profecto Natiu. Deip. quo Nat. Elisab. in Calend. notatur rubris, & maiusculis literis. Passim alij apud Canis. in tract. cedro digna de B. Maria fœda illuuie conspurcant nitentissimam hanc Virg. omni nostro encomio superiorem. Et plurima addensauit Author in eiusdem operis Mariani præfatione. Res profectò dignissima quam cœlestis censura perstringeret. Oza ob contactam arcam Dei nutantem, graues subitò pœnas dedit. Puella cum cadauer Constantinæ vxoris Heraclij Imperatoris efferretur, funebrem pompam de superiore loco prospectans, improuidè conspuit in Constantinam exanimem, & statim apprehensa, ac cremata, infeliciter Imperatrici parentauit. Quis dubitare possit, quin arca vera Dei viui, irreuerenter, imo impiè, ac blasphemè contracta, diuinam vltionem in hæc Satanæ organa, seriùs ocyùs aduocet; Nec impune sit hominibus nefariis, cœli terræque Imperatricem despuisse, non in feretro iacentem, sed in cœlo regnantem? Mentitionem impegerunt ora hæc impura, & scelerata Emman. Imperatori orat. de dormit. Deip. sic asserenti. [Hoc euenire omnibus necesse est qui aliquem de Maria serm. habere voluerint. Alterum enim è duobus erit omnino, aut nihil dicere de Virg. aut si dicas, laudari. Nulla enim ratione fieri potest, vt loquaris de illa, & laus non sit quod loqueris: quandoquidem & ipsa, & quicquid spectat ad ipsam, celebratissimam habent gloriam.] At nefandissima hæc ora, nec linguatio sed cæmento, ac muro obstrui digne inuenerunt, vnde suam spurcitiem, ac malignitatem testatam facerent, detrahendo de innocentissima omnium præconiorum materia, verèque omnium laudum concentu; de sup. Traiano adulatoriè à Plinio dictum in hanc superbenedictam Virg. perbellè cadit.

Quamquam non adeò mirum videri debet, exosam esse Hæreticis Deip. quæ contriuit caput serpentis, cuius genimina sunt omnes hæreses; & sola interemit cunctas hæreses in vniuerso mundo, vt habet Antiph. Eccl. quam Demochares de sacrif. Missę t. 2. & qui de rebus Virdun. Eccl. scripserūt in Concilio Ephes. editam produnt, & à S. Pulchr. Episc. Virdun. inde redeunte, ad limbum imaginis Deip. quam pingi curauerat appositum ferunt. Antiquum certè est illud Virg. elogium, cum eius mentio habeatur apud Sophr. serm. de Assumpt. nec non apud S. Bern. serm. de B. V. ex verbis Apocal. Anselm. in c. 1. Cant. Rup. l. 1. in Cant. ad illud *equitatui meo, assimulaui te.* Differunt de eo plenè Canis. l. 5. Marialis c. 9. & Morales l. 3. in Matth. tr. 7. n. 6. qui mōstrant inde depromptum esse hoc decus Deip. quod omnes hæreses quibus Ecclesia impetita est, profligatæ semper sint precibus, ac meritis Virg. sanctissimæ. Quod si S. Euphemia ob celebratum in eius templo Synodum Oecumenicam à Constantino Episc. Tij orat. de Inuentione reliquiarum eius dicta est, *oris hæreticorum frænum validissimum*, quantò potiore iure B. V. vendicabit sibi titulum de quo agimus, planè cum isto recidentem? Abeo interminatus his B. V. osoribus intortum à S. Martino Papa anathema vt refertur in actis de eius Exilio cum per calumniam insimulatus esset, malè sentire de ea. [Quisquis beatam super omnem creaturam, & naturam humanam, absque eo qui genitus est ex ea, venerabilē semperque Virg. matrem videlicet Domini nostri, non honorat atque adorat, anathema sit, & in præsenti sæculo & in futuro.

Pars II. Punctum X. Virginis gloria in cœlo, & in terra.

Vanissimum verò est quod Sectatij suæ impietati obtendunt, cantantes se pro Deo pugnare hac in parte. Ea quippè Deiparæ à nobis tribui quæ iuribus Christi officiant, ac nominatim quod *mediatricem*, appellemus, cum tamen teste Apostolo *Vnus sit mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus*. 1. Timo 2. Hanc istorum cornicinam cantilenam, repello illis Bernardi verbis serm. de verbis Apocal. *signum Magnum*. [Prudentissimus, & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed vtiliùs omnino refecit: vt videlicet, nouum nobis formaret Adam ex veteri, Euam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus; siquidem, & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè, & potens mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio Deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter, & iudicium: quia etsi didicit ex iis quæ passus est, compassionem vt misericors fieret, habet tamen & iudiciariam potestatem. Denique Deus noster, ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodùm fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei. Iam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: Inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior quàm Maria.] Excurrit in Mariæ benignitatem, tum concludit, [Age gratias ei qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit omnibus misericordiæ sinũ apetuit vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius.] Patet ex his quo sensu B. Virgo dicta aliquando sit *mediatrix ad mediatricem* absque occasione principaliter, & in seuera vocis notione singularissimè dicti, mediatoris Christi Domini. Itaque obstruatur os loquentium iniqua, & malignè blasphemantium honores in Catholica Ecclesia delatos Deiparæ, aduersus Christi iura pugnare, & Idololatriæ cœno sordere.

Furfur doctrinæ, quoad essentialem, & accidentariam Virginis gloriam.

31 ATtingamus furfures circa multiplicem gloriam Deiparæ hactenus expositam. Delirium cuiusdam circa gloriosum corpus Deiparæ, non splendens ac fulgens, quale erit cæterorum beatorum post resurrectionem atque iudicium, sed variegatum quale est paui; retuli, ac explosi facula 20. ad Idiotam: vbi etiam tactum est duplex ludibrium essentialis beatitudinis Virginis, specie honoris auctioris, & gloriæ plenioris. Nempe quod Virgo absque specie expressa Deum videat, & quod ad principiandum actum visionis, qualiscumque is demum sit absque termino interno producto seu specie expressa, non interueniat lumen gloriæ ex parte potentiæ, vt interuenit circa alios beatos. Hæc recoquere, ne otio ac tempore abutar, non vacat. Nihil enim minùs commodum, quàm talia promere de Virgine; quę tantum abest vt ad auctiorem eius honorem pertineant, vt potiùs imminuant, & euertant eius gloriam; quod sufficienter indicatum est loco annotato.

31 Quoad accidentariam Virginis gloriam, ea illius amplificatio displicet quam Salaz. l. de concept. c. 32. §. 1. inuexit, & copiosiùs etiam stabilit in c. 8. Prouerb à n. 112. ad 147. cui subscribit Scipio Agnellus l. 3. de cruce interna Deiparæ dissert. 4. & aliquot sequentibus, ac Ioannes Ferrand. in prodromo ad regnum Galliæ regnum Mariæ, necdum vulgato. Nempè quod Deiparæ ad gloriam prouecta, non eam duntaxat moralem potestatem quam superiùs expressimus sit sortita, sed etiam verè ac propriè dicto, cum Iurisdictionis tum proprietatis dominio, super omnia creata Christo inferiora potiatur; eóque etiam potita sit etiamnum viatrix; imo vt addit Salazarius l. de concept. c. 5. à n. 6. eam prærogatiuam sit nacta à primo momento sui esse, intuitu futuræ maternitatis. Hunc enim vnicum talis domini titulum, in Virgine siue concepta, siue gloriosa, agnoscit idem author. Nam quod titulus donationis non interuenerit, perspicuum est vt fatetur cap. 108. n. 121. Titulus autem sponsæ Spiritus sancti, vel SS. Trinitatis, præterquàm quod non est nisi metaphoricus, non potest sufficere ad communicationem dominorum sponsi cum sponsa, vt patet ex sponsis & vxoribus vulgaribus; nominatímque ex mundi Reginis, quas nemo imperij Regij consortes agnoscit, nisi ratione fauoris, & gratiæ quæ apud Reges maritos valent, non autem ob propriè dictam participationem dominij. Itaque restat titulus maternitatis, quo vno nititur prædictus author, ad vendicandum Virgini, (præsertim gloriosæ,) dominium prædictum.

Subscribere videtur Nouarinus in Vmbra Virg. à num. 1147. corrogatis variis testimoniis. Et plurima etiam addensat Spinellus in Throno Dei c. 6. numero 5. quibus Deipara quia mater Christi omnium Regis est, Regina omnium denunciatur. Apertè id habet Athanasius ad finem orat. de Deip. [Quandoquidem ipse rex est qui natus est ex Virgine, idémque, & Dominus, & Deus, ea propter, & mater quæ eum genuit, & regina, & domina, & Deipara propriè, & verè censetur, licebítque nobis ita congruenter dicere, dum, & ad ipsam, & ad eum, qui ex ea genitus est, carniferum filium respicimus: Nunc scilicet adest Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta, variegata, eo quòd secundùm sexum fœmineum, regina, & domina, & mater Dei appellari debeat] Damascenum, Rupertum, & Anselmum, ad idem allegat Mendoça lib. 2. florum Sacrorum problem. 1. confirmátque aliis additis in c. 2. Regum annot. 15. s. 3. n. 30. Fusè item astipulatur Benzonius lib. 1. in Cant. Deiparæ c. 18. De nonnullorum denique recentiorum sententia, omnes quotquot aliquid in orbe terrarum possidebant, ex quo Virgo orta est, debuisse illud Virgini cedere tanquam titulo maternitatis veræ dominæ, si ipsa cessionem admittere voluisset. refert Poza l. 2. tr. 17. c. 16 qui ait se id reiicere non audere; quod nullum inde oriatur incommodum, & ad pietatem promouendam conferat, Virginísque honorem auctiorem contineat.

Huius Dominij in res omnes Christo atque adeò etiam Deo subiectas extensio adæquans Dominij Christi extensionem, consectarium esse videtur quod aliqui Deiparam ad cœlos subuectã in eodẽ throno cum Christo collocãt, eo trahentes quod Regina dicitur astitisse à dextris Regis. Allegantur in eam rem aliqui

aliqui Patres vt Athan. orat. de sanctiss. Deip. & Hildephonsus serm. 1. de Assumpt. clariùs Damasc. orat. 1. de dormit. B V S. August. serm. de Assumpt. Sophron. serm. de Assumpt. ad Paul. & Eustoch. & Anselm. lib. de excell. Virg. cap. 8. verba Augustini sunt formalissima, quæ ego apud eum quidem non reperio etiam in apochryphis, & supposititijs, tamen eius nomine referuntur. [Angelicam transiens dignitatem, vsque ad summi Regis thronum es sublimata, vbi posuit idem Rex filius tuus quod ex te suscepit, ibi te posuit Reginam de qua illud sumpsit. Neque enim fas est alibi te esse, quam vbi est id quod à te genitum est.] Nec parcius Petrus Damiani serm. 1. de Assumpt. verbis illis. [Sublimis ista dies, & splendidiori luce refulgurans, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris euehitur, & in ipsius Trinitatis sede reposita naturam etiam Angelicam, sollicitat ad videndum.] Similia habet Richardus à S. Laur. l. 12. de laud. B. M. & Pelbartus l. 10. Pomerij p. 2. part. 1. c. 2. & Castanæus in Cat. glor. Mundi parte 12. consider. 5, qui tamen se remittit ad Dominos Theologos. Denique anceps hæret qui horum aliquos adduxit author triplicis coronæ Deip. tract. 1. c. 11. § 5.

33 Alios quosdam amplificandorum decorum & honorum B. Virginis nauos curatores, mirabiles aliquos actus in eam rem suadere & proferre video. E benè multis eiusdem fariuæ, specimen paucorum qui nunc occurrunt adscribam. 1. *Vellem esse Monarcha totius orbis, & darem illum B. Virgini.* 2. *Vellem dare B. Virgini meum locum in cœlesti gloria, si nullus inibi esset locus pro B. Virgine.* 3. Ex custodià è B. Vrsulæ monialibus, pia prææ. *Si ego essem mater Dei, & B. Virgo esset quod ego sum, vellem cedere dignitate matris Dei, eámque B. Virgini tribuere.* 4. *Mallem esse in inferno, quàm si B. Virgo non esset mater Dei.* 5. *Amo te Christe Deus, propter matrem quam diligo.* Hos actus celebrat, & ad eos cudendos hortatur Author oupetus, Primum cap. 9. deuotione 8 *pag.* 270. secundùm ibidem deuotione 2. *pag.* 134. Tertium cui sppingit *Selah pag.* 136. Quartum cap. 2. deuotione 2. *pag.* 48. Quintum cap. 6. deuotione 8. *pag.* 187. Opus vniuersum huiusmodi honoribus erga Deiparam scatet. Author enim qui præ affectu erga B. Mariam, obiecta veteri nomenclatione se nuncupat Paulinum à Mariamburgo, vel Paulum à S. Maria (homine communi cum illo Archiepiscopo Burgensi ex Iudæo, & Christiano & Antistite:) nihil omittit ad decora B. Virginis, & cultum eius, quoquomodò pertinens. Vnde tanta est (apud alterum præsertim sexum) celebritate, vt pela cosia ac tecusis operum eius editionibus, ferè Salesianas & Scobarianas editiones æquantibus, assiduè Satigentur, non sine buccina.

Dominium vniuersale proprietatis, Virgini tributum, exploditur.

34 Mihi omnia prædicta partim conficta, partim otiosa & inania, atque adeò reijcienda videntur. Nec timeo imminutioni pietatis ex eorum relectione, cum pietas solidus cultus sit, non figmentis suboiaus. Nego igitur Deiparam esse strictò iure dominam mundi, siue dominio proprietatis, siue dominio iurisdictionis quoad idoneą huius dominij obiecta. Nullus enim suppetit talis dominij titulus. Ec vt reliquos dimittam, quos etiam aduersarij fatentur nòn esse solidos, ne titulus quidem maternitatis, idoneus est ad fundandum hoc Deiparæ dominium. An enim Reginæ matres, regnum ponuntur in tertenis Regnis? An in primatis familijs, mater vidua, strictò ac proprio iure, domina est bonorum quæ filijs Pater reliquit testamento, aut aliter? Nemo non videt, quàm ista sint contra communem sensum, & existimationem. Itaque Beata Virgo cum satis per seipsam splendeat, non eget his commentitijs titulis: satisque est, vt ab omnibus coli, ac etiam à rebellibus metui debeat, quod mater sit Christi, & omnia apud eum possit: ac proinde sit domina omnium, & Regina mundi, in filio, atque per filium Nec plus voluit Athanasius, aliive Patres, quotquot B. Virginem ex eo quod Deipara sit, reginam & dominam deominari voluerunt. Perspicuè enim, ex eo quod Christus rex largiatur Deiparæ omnem gratiam, debere Deiparam denominari heram & dominam, confitetur Athanasius, vel quisquis illius de sanctissima Deipara homiliæ author, cuius verba infra adducam.

Part II. Paulum B. Virginis gloria in cælo, & in terra.

Consequens ad extensionem dominij Deiparæ in res Christo ac Deo subiectas, æqualitas Throni res ridicula est, aut etiam insana, vel impiooida hyperbole ex pietatis non secundùm scientiam abundantia exoriens. Quis enim credè & rem ad veritatem rigidè exigendo, sustineat audire B. Virginem in throno Maiest. Dei sedere? Demus sanè Deiparam habere in cœlo Empyreo supra omnes sanctos materialem thronum fulgentissimum, & quàm cogitare licet ornatissimum. Fateamur quoque similem corporeum thronum humanitati Christi prouisum esse. Nam quanquam is thronus neutri potest vsui esse ad accendam fangationem ex statione, vt per se actum est; passim tamen admittitur ad ostensionem Maiestatis. Videndus quoad thronum Christi qui his pridem vulgatis prodijt, Gabriel de Eohao in Empyreologia exerc. 18. f. 3. quoad thronum verò Deiparæ exerc. 19. f. 7. sit igitur ita. Attamen vt throni Deiparæ æquet thronum Christi, & vt Deipara dicatur sedere in ipsomet throno Dei, aoxeses sunt quæ nos propinant rideodos hæreticis, quia cum B. Virgo sit pura creatura, ferri non potest vt æquetur creatori, & symbolis gloriæ eam æqualitatem ferentibus honestetur. Iosaniem ot Collyridiani Deiparam statuentes *Deam*; Patum verò, aut nihil different ab insanientibus circa eum titulum Deiparæ tributum, qui et vendicant ipsum Dei thronum, vel eam à dextris Christi sessionem quâ aliqui Patres memorant trahunt ad æqualitatem throni eius, atque adeò etiam gloriæ, cum throno, & gloria Christi. Apage talem æqualitatem Christo inionctam, Patres verò quos superius ab istis proferri retulimus, reuera nihil tale affirmant, sed insinuate duntaxat volunt, eminentiam gloriæ tepensæ à Christo tantæ matri, supra gloriam, & essentialem, & accidentariam omnium purarum creaturarum, allusione facta ad honorem matri Betsl. delatum à Salomone 3. Reg. 2. qui tantum abest vt pertigerit ad æqualitatem, dominij & honoris, vt potius mox mater petitionis suæ repulsam tolerit. Similiter ergo mater Deipara ad honorem supra honorem, & gloriam omnium purarum creaturarum euecta est, & eatenus Christo assistere dicitur, sed salua semper Christi excessu.

Discussa pia et iolitas male actuosorum erga Deiparam.

35 QVod attinet ad actus B. Virgini honorificos, quos postea retuli a quibusdam vsurpari, dandum quidem est aliquid piæ simplicitati, ac incenso affectui eorum qui fortassis aliquando censuerunt, se ea ratione colere, & ritè venerari B. Virginem. Nam pia mater, quæ imitatione Dei affectum potius pensat, quàm effectum, potuit tales actus, (si quando contigit eos bona mente elici) acceptos habere. Itaque in rusticanis, & simplicibus personis, vel deuoto fœminco sexu, dissimulari vtcunque posset hæc ratio colendi beatam Virginem, cum ab eis vltrò vsurpatur. Vt autem hæc ab iis, qui pro tempus debent esse Magistri, doceantur, & commendentur, ac prælo mandata vbique vulgentur, abusio est digna correctione. Actus quippè expositi per se spectati, & sola eorum natura considerata, ferè videri possunt otiosi, & inepti quibus Beata Virgo colatur, præsertim in tanta vbertate solidorum actuum, eidem Virgini sanctissimæ per honorificorum.

Quis enim non videat, desiderium illud promotionis suæ in Regem totius mundi, quo regno vellet se abdicare, & illud B. Virgini conferre? Periculum est, ne multi eo desiderio ad fouendam ambitionem suam abutantur. Velle autem locum qui in cœlo sibi obtigerit, dare B. Virgini si alium ipsa non haberet, stultum est: quia sedes Beatorum, cum à Deo ipso pro cuiusque meritis, & radicaliter rem spectando, pro bona voluntate sua assignentur; eorum duntaxat esse possunt, quibus obtingunt: nec secundùm charitatem ordinatam, atque adeò absque peccato, potest quispiam velle suo loco iam obtento alteri cedere, præsertim indigno; cuiusmodi planè est quisquis ibi locum non habet post excessum è vita, & abstersum planè restum. Itaque quilibet rogatus suum in cœlo locum concedere, deberet respondere illud Christi, *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre.*

Tertius actus, confictus est ad imitationem cuiusdam æstus amoris, vulgo adscripti Sancto Augustino. Sed planè immeritò, cum sit actus omnium prudentum iudicio ridiculus; quippe nixus multis impossibilitatibus, & pugnantissimis contradictionibus, quibus Deus qui est ipsa veritas, non amat inædificari pietatem. Itaque valdè miror, scriptorem cœteroqui serium, ac solidum, Nicolaum à Saltu in via salutis per amorem cap. 18. toto §. 4. omnibus viribus conniti; vt ei actui quem attribui sancto Augustino refert ex Simeone Martino Eremitano in eiusdem sancti Patris vita *pag. 61*; magnum honesti pondus, & syncerissimæ, ac supra quàm dici possit, defæcatissimæ charitatis pretiosissimum affectum inædificet cum tamen nulla possit, certissimè ecta charitas in actu malo, cuiusmodi iste esset, si Deo in mentem veniret; quod absit, vt vel fingendo admittamus. Nam si Aug. esset Deus, & Deus esset August vt refert hæc portentosa suppositio, relatio sui in Augustini commodum per Deitatis abdicationem à se, & eius translationem in Augustinum ens potentiale, & creatum sorderet peccato, quia præposterum est, & moraliter inordinatum, atque adeò peccatum; referre creatorem ad creaturam; & pro bono creaturæ flagrantissimo affectu dilectæ velle destrui creatorem; quod tamen præstat vanissimus ille actus, qui Deo per impossibile suppositio affingitur. Reuera enim non duntaxat per consequentias (vt autor cum quo agimus) sed intrinsece, ac immediatè actus prædictus est vitiosus, & refugiendus, quia ipsis veluti præcordiis eius imbibitur virus. Quod autem addit, hac ratione illum quoque actum à Sanctis omnibus vsurpatum, *vellem amare Deum quantum ipse est amabilis, atque adeò quantum ipse se amat*, fuit explodendum; Admitto hoc totum Neque verum est sanctos omnes hunc actum vsurpasse: quinimo actus ille ad superbiam luciferianam accedens, imo eam superans (cum is qui talem actum elicit non modò velit esse vtcunque similis altissimo, sed idem planè cum eo,) nemini sobrio, nedum sancto in mentem venit, vel si per primam apprehensionem subiit intellectum illico ab eo resiluit, non secus quàm à presso angue. Facessant ergo nugæ impietate intermista blasphemæ, & si cui vacat exercere ingenium, id præstet in solidis, & à fermento nequitiæ, ac malitiæ liberis argumentis, cuiusmodi est quod excurimus. *Si ego essem Deus, & Deus esset Augustinus*, vellem me abdicare Deitate, vt ipsam in illum transferrem me de grado deiecto. Idem ergo est de B. Virgine quoad proportionalem actum transferendi maternitatem Dei in illam.

Quartus actus quem à S. Birgittæ filio Carolo vsurpatum, refertur l. 7. Reuelat. c 13. in homine militari qualis ille erat, tolerari potuit: non tam ratione pretij talis actus, quod verè est in eo perexiguum, præ aliis plerisque nobilissimis actibus solidè vsurpabilibus erga B. Virginem, quàm ratione affectus iodiei simplicitatem compensantis. Vbi notanda est diligentia scriptoris, qui enim actum à S. Birg. elicitum dicit, & insignem compensationem à B. Virgine eidem actui heroico repromissam per visum refert, addens probabile esse Carolum quoque S. Birgittæ filium, elicuisse eundem actum. Hic dico diligentiam scriptoris cespitasse. Nam loco qui allegatur, S. Birgitta nihil tale à se dictum, vel à B. Virgine repromissum docet, quale refertur ab hoc scriptore: quem proinde aduertisse oportuerat, non esse prudentis, cum visa diuina, & oracula ac promissa narrantur, ea ex alieno fide transcribere. Haud dubiè enim is quem author exscripsit, infideliter visum illud diuinum commentus est. Quod autem scriptor addit, verisimile esse vsurpatum à Carolo S. Birgittæ filio, hoc ipsum est quod apud S. Birgittam narratur, non vt verisimiliter coniectatum, (quod scriptor fecit,) sed vt reipsa gestum, & vsurpatum à Carolo.

Quintus actus, si sensus esset amari Christum quia beneficus fuit erga B. Virginem, benè haberet. Nam tunc ratio amandi Christum, non esset Deipara. Sed ea in te nihil esset singulare, cum tamen author hunc actum statuat vt singularem, ac minimè protritum, sicut omnia pietatis erga Deiparam opera quæ addensat toto opere. Sensus ergo illius actus, *Amo te Christe Deus, propter matrem tuam*, ex mente Authoris, is est quod ratio amandi Christum, est B. Virgo; ita vt bonitas & perfectio B. Virginis, non respectiuè ad Christum, sed in se quasi absolutè spectata, sit motiuum amandi Christum. At hic modus amoris, vt minimùm est incongruentissimus. Neque enim par est, amare Christum ob amorem alterius puræ personæ creatæ, cum qua aliquatenus connectatur. Sicut nemo congruè Christum amaret, ob perfectionem S. Petri, quia fuit Christi Apostolus. Nec rectè quispiam amaret

Deum,

Deum, vsurpans pro motiuo amoris, bonitatem creatam quæ cum Deo essentialiter connectitur. Quis enim ferat eum qui diceret, *amo Deum, quia Paulus habet bonitatem amabilem*, non intendens amare Deum tanquam fontem à quo ea bonitas profluxerit, sed sistens in ea bonitate creata, cuius subiectum in eo amandi modo, præponitur Deo? Nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Neque reuera actus ille est actus amoris Christi vt constat ea doctrina S. Augustini in psal. 30. conc. 3. ad illud, *non erubescam quoniam inuocaui te*. Monstrat enim non inuocari Deum, si vocetur propter aliud quippiam, ita vt ipse non sit inuocationis motiuum. Similiter ergo, amor Christi propter Deiparam, vt rationem formalem amandi, non est amor Christi, vt falsò obtenditur.

Adoratio Deiparæ in Christo, honor inanis & reprobandus.

36 SEd neque ille Deiparæ honor probandus est, quē Fortunius Licetus Tomo altero de quæsitis per Epistolam c. 37. pag. 196. valdè sibi probari dixit, secutus, vt putat, Didacum de Celada in Iudithæ figuratæ Appendice. Sed Celada non dicit clarè quod ei adscribitur: nimirùm quod reliquiæ Deiparæ Virginis in ipsa Eucharistia conditæ, possint inibi peculiari quadam adoratione adorari. Supponitur enim à Liceto ex præmissis c. 36. quod corporis Christi eleméta quæ B. V. corpori Christi suppeditauit, intacta perennent in Christo, atque adeò inueniantur quoque in Eucharistia. Elementa corporis Christi, vocat, partes seminales ex Virgineo semine, & carnosas, ea Virginis sanguine Cõpactas, vt verè dicere potuerit B Virgo, *hoc nūc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Ea lacte autem è Deiparæ mammillis instillato per triennium Christo infanti, plurimæ eius partes coaluerunt. Et cum semen, ac sanguis, & lac animarentur priùs anima ipsius B. Virginis, & rectè item numerantur inter corporis Christi, elementa, quæ B. Virginis partes ob materiam eorum in Virgine præiacentem, haberi debeant, & in Eucharistia supersunt, quia tales partes è quibus Christus primū coaluit, & in pueritia accreuit, perennant in corpore ad mortem vsque. Id quod peculiari Dei prouidentia in corpore curatum existimari potest, vt prærogatiua Deiparæ esset illustrior. Ex hoc ergo fundamento infert Sebastianus apud Licetùm c. illo 36. & approbat Licetus c. 37. competere B. Virgini honorem specialem; quatenus bona pars substantiæ materialis, Christum in Eucharistia existentem compingentis, est aliquid pertinens ad Deiparam: cui proinde substantiæ, etiam vt existenti in Eucharistia, deferendus sit cultus hyperduliæ, Virgini proprius. Nam ea substantia etiam vt subest speciebus sacramentalibus, est substantia B. Mariæ & pertinet ad eius partes: atque adeò eis (illa honor hyperduliæ respondet, præter cultum Latriæ quem eædem partes deposcunt prout diuino Verbo copulatæ. Sanè cadauera sanctorum & sanguinem effusum in martyrio, licet in aliam speciem abierint, venerantur cultu duliæ Sanctorum propriæ, quia habent eandem numero materiam priùs vnitam sanctis superstitibus. Similiter igitur sanguis, & semen, & lac Deiparæ, quamuis cesserint in Christi substantiam, ob retentam tamen eandem numero materiam quam in Virgine præhabebant, adorari debent cultu hyperduliæ, Virginis proprio. Et quia in Eucharistia est verum Christi corpus in eo corpore structo ex materno fœminæ sanguine, & lacte, rectè adoratur mater adoratione hyperduliæ: ac eo magis quo sanguis semen; & lac Virginis non sunt nisi vt matris in corpore filij. Hactenus Scriptores prædicti. *Pars II. Punctum X. Virginis gloria in cælo, & in terris.*

Hæc tamen erga Virginis gloriam sollicitudo, mihi videtur ablegandā; quippe si rectè æstimetur, coniuncta cum Christi iniuria, quales honores Virgo non amat. Et in primis, dimissis philosophicis tricis circa seminis & sanguinis ac lactis animationem ab his authoribus suppositam, reiiciendam autem inata solidam doctrinam philosophicam; quis ferat voces illas *bonam partem substantiæ Christi in Eucharistia, adorari cultu alio quam latria*, Cultu nimirum hyperduliæ, inferiori? Potior pars Theologorum (inter quos Vasques 3. p. d. 96. Valentia 3 p. d. 1. q. 24. p. 1. & Ragusa t. 8. diss. 48.) contendit ne ipsam quidem humanitatem Christi provt per mentis negotiationem à Dei Verbo præcisam, esse adorandam, si stare velimus (vt sanè par est) vsui ab Ecclesia probato. Quomodo ergo inuehemus cultum Deiparæ in Christo, inferiorem cultu ipsius Christi proprio? Aut quomodò hoc non est deiicere substantiam Christi de throno Regio, & ad inferius subsellium eam detrudere? Nihil porrò eiusmodi ferunt loca quædam Patrum quibus aduersarij nituntur; eo quòd dicant carnem Christi, esse carnem Mariæ. Id enim sufficienter accipitur de origine carnis Christi quoad partes purè primigenias, quæ verè deceptæ sunt ea B. Maria, ratione materiæ è qua primò compactum est corpus Christi: etiam si caro Christi quæ est in Eucharistia, neque maiori ea parte, neque fortassis ex aliqua, ampliùs ad Virginem pertineat. Videsis dicta superiùs parte. 1. puncto 5, nu. 24. & 25. Quid porrò vetabit si hæc doctrina de B. Virgine adorabili in Christo admittatur, similiter agnoscere, esse aliquid in Christo obnoxium peccato & detestabile, quod via absque labe proferri potest? Nam sicut hæc substantia quia pertinuit aliquando ad B. Virginem, tametsi iam coniuncta Verbo & compingens Christum, statuitur adorabilis sola hyperdulia; ita hæc eadem substantia, quia pertinuit ad B. Virginem, in via peccabilem actualiter, & obnoxiam peccato originis quoad debitum illius incurrendi, posset dici substantia obnoxia peccato. Et quia in aliquo progenitorum Christi, pertinuit ad personam reprobam & detestandam, posset eadem fuligine denigrari. Quemadmodùm enim prima elementa corporis à Virgine Christo communicata, quia primigenia erant, perennarunt in Christo, & vsque ad mortem perstiterunt irresoluta, iuxta Autores cum quibus agimus: ita hæc eadem materia (saltem ea parte,) in maioribus Christi præiscens, deuenit ad Virginem à patre, imminuta; & ad hunc ab auo, & ita consequenter. Atque adeò cum videatur verisimillimum aliquem illorum Christi maiorum fuisse reprobum, esset nunc aliquid actu in Christo quod pertinuisset ad reprobum, proindéque esset detestandum. Video quàm hæc argumentatio sit imbellis. Sed iuxta aduersariorum principia, valida est & potenter viget.

Certa salus cultorum Deiparæ, reiecta.

37 ESt & alia amplificatio gloriæ accidentalia Deiparæ quoad impetrationem pro nobis. Sunt enim qui contendant, impossibile omninò esse, B. Virginis cultorem damnari, eo quod B. Virgo impetramtea ei sit auxilia congrua, quibus si cadat infallibiliter resipiscat ante mortem tan-

démque

démque saluetur. Ita Mendoça lib. 2. florum sacrorum, problem. 9. qui adducit nonnulla loca Patrum, quibus asseritur impossibile esse vt pereat, qui ad Mariam accesserit: quo pacto locutum refert S. Anselmum. Et ita ex eius oratione de laude meritorum B. Virginis, refert Ricbardus à S. Laurentio l. 2. de Deipara part. 5. Similem locum ex Anselmi libro de quatuor virtutibus B. Mariæ c. 8. referre meminit l. 5. de Christo sect. 4. in fine. Videndus etiam lib. de excell. Virgin. cap. 12. & in alloquiis cœlest. num. 27. Item S. Bernardus homil. 2. *super Missus est*, ait, propitia Virgine peruenire ad cœlum. Huc etiam haud ægrè accedit Richardus à S. Laurentio lib. 1. de Deip. part 3. cum ait. [Si quis obligatus esset multis debitis, & haberet vnam petiam terræ, quæ sine cultura, sine seminatione, in vno anno tantam fructus afferret copiam, quod posset de fructu illo soluere totum debitum, & semper viuere de residuo, multùm diligeret petiam illam terræ. Talem fructum protulit nobis Maria, quæ est terra nostra idest nobis data; quo scilicet fructu redempti sumus ab obligatione gehennæ, & de quo abundanter viuere possumus in æternum. Propter hoc dicitur Deuteron. 8. *Benedicas Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Multùm ergo debemus diligere Mariam, quæ talis terra est, & fructum eius, nec eam cambire pro alia voluptate.] Ludouicus Blosinus in Canone vitæ spiritual. c. 18. sic habet. [Fieri non potest vt pereat, qui Mariæ sedulus, & humilis cultor fuerit.] Videatur simile pronunciatum apud eum inter dicta Patrum cap. 5. At hoc est quod alius licet verbis, Angeli, Basso Anicensi referente, dixerunt Dæmonibus apud Petrum Damiani opusc. 33. cap. 2. [Hæc ad æterni iudicis poterit venire conspectum, qui Genitricis eius sibi prouidit auxilium.] Alia adducit Hippolitus Mataccius in Notis ad sermonem 1. Adami Persennæ numero 5. Denique nuperus quidam in Tractatione de Deipara pag. 655. ex Pomœrio l. 3. q. 4. n. 4. & ex Calendario B. Virginis 26. Decemb. hoc Christi ad B. Virginem promissum refert. [Mater quicunque te orabit per meos dolores, conteretur in fine vitæ.] Cum autem contritio aduchat certò gratiam sanctificantem, & possessio gratiæ sanctificantis in fine vitæ, inferat possidenti certitudinem salutis, perspicuum est inacta istos propositum cultum B. Virginis, certa salute beate colentem. Cæterùm quia fides promissi illius vacillat, nec confirmatur satis locupletibus testibus, sola superest in hac re difficultas ea propositis locis Patrum, aliisque similibus.

38 Verùm sensus prædictorum Patrum, longè alius est. Tantùm enim monstrare volunt, quantum sit momenti in B. Virginis clientela; ita vt spes magna sit, neminem qui B. Virgini piè ac perseueranter famuletur, malè periturum. Haud quaquam enim vana spes inijcitur quod sicut de B. Barbara ad bonam mortem interpellata, piè creditur, suis apud Deum precibus, mater optima, vel impetrabit auxilia quibus in finem conuertatur ad cor, ita vt iustificetur si in peccato erat, vel exorabit beneficium assequendi Sacramenta per quæ Deo concilietur. Quod aliquando factum est valdè supra naturam. Vnum exemplum atteao. Stephanus Lonsoscius, Sigismundi Imperatoris in bello aduersus Turcas præfectus anno 1415. cæso vniuerso exercitu, in cadauerum strue vltra biennium bæsit, miraculo prorsus stupendo? Post tam longum enim tempus, quidam ad aceruum illum cadauerum hærentes, vocem subinde repetitam è medio aceruo exaudiunt, sanctissima Iesu, & Mariæ nomina identidem ingeminantem. Pauore simul, & stupore perculsi post notatum locum emissæ vocis in caput incurrunt, quod hominis se diceret B. Virginis addictissimi, cui *Stephano Lonsoscio* nomen: quodque inexpiatus tali bello cecidisset, periturum sibi in æternum fuisse, nisi precibus beatissimæ Dei Parentis concessum illi à Deo fuisset, vt fandi compos perstaret, donec animam confessione expiasset; idque aduocato confestim è vicino pago Sacerdote, religiosè perfecit, causam indulti sibi à Deo tanti beneficij professus, quod septem quotannis festa, pridie pane duntaxat, & aqua ad vitam sustentandam adhibitis, exigere religiosissimè solitus esset, & de sanctissimæ Deiparæ honoribus fuisset per quàm sollicitus. Sic locata in tuto salute, & Sacramento Dei erga se euulgato, conticuit, & blando mersus sopore feliciter quieuit. Qui religionem Lonsoscij erga Deiparam memorauit Antonius Bonf. dec. 3. rerum Hung. l. 3. septena quæ dixi festa expressit, sed singulatim nullum memorauit: Qui autem tunc viuebat antiquior eiusdem oræ Scriptor Pelbartus à Them. in Stellario Deiparæ lib. 12. attic. 1. vniuersè tantùm ait, ipsum ob singularem affectum erga obsequium B. Virginis, eam gratiam esse consecutum, & addit de alio absse viso qui mersus in Danubio per triduum bæsit in aquis, nec misérante Deo defunctus est, ne periret in æternum defectu confessionis. Sed ab insonante voce monitus est, eam in se Dei beneficentiam exprimi, quia benè coluerat Deiparam. Itaque post triduum emersus viuus ad ipsum Pelbartum cui Christiano peccata expiaturus illicò accurrit. Est ergo spes magna omnib. feruidis Deip. cultoribus reposita, quod non peribunt in æternum. Infallibilem tamen resipiscentiam à peccato, vel perseuerantiam in gratia, nemini quantumuis erga B. Virginem religioso, spondere possumus absque errore; cum perseuerantia non cadat sub meritum neque vllum supperat cœlestè diploma, quo piis Deiparæ cultoribus, auxilia congrua certò infallibiliter sint promissa. Vnde nolim subneruari vllo modo affectum erga cultum sanctissimæ Virginis, quem tot exempla testatissimum faciunt fructuosissimum esse, quamuis citra infallibilitatem æternæ salutis. Eum animum induerunt erga Deiparam electi omnes, sed cum timore & tremore salutem suam operantes: de protectione quidem & patrocinio tantæ matris, plurimùm concipientes spei bonæ; at citra omnem infallabilitatem ac certitudinem.

Noua inanitas, querentium de nimio Deiparæ cultu.

IN extremo agmine collocanda est crassa anomalia quam refert Ludouicus Abey Theologus Parisiensis & inibi ad S. Iodocum Parochus, præfatione ad Opus suum de Traditione Ecclesiæ circa venerationem Deiparæ. Testatur enim aliquos specie Catholicos sed reipsa multarum circa fidem & Religionem obliquionum compertos machinari maleficium circa cultum B. Virginis, causantes eum cultum apud Catholicos esse nimium, & hac in parte hodiernam Ecclesiam non consentire cum primitiua quæ temperatius colebat Deiparam. & ita vt Dei intibus non officeretur, quod fieri contendunt per hoc recens adeò flagrans & incensum studium erga B. Virginem. Nam quanmm erga eam æstuant fideles, tantum temittunt de studio quod ex

ex toto animo debetur Deo. Hæc non tam est anomalia pietatis, quàm Satanæ versutia ad eripiendum fidelibus præsidium à Deo prouisum in protectione Deiparæ quæ suis cultoribus atque clientibus non deest. Itaque non modò audiendi non sunt qui talia insusurrant, sed etiam maximè auersandi ac repellendi. Non essent quidem probandi qui in honore Reginæ iudicium non diligerent, quales olim fuere Collyridiani apud Epiphanium, & nonnulli insulti in hoc opere exagitati nec non ille male sanus apud Cæsarium l. 2. miraul. c. 12. qui Deo nuncium remisit, faciens Diabolo fiduciarij obsequij sponsionem; Deiparæ autem nunquam adduci potuit vt renunciaret. Sed hoc non spectant ij de quibus nunc agimus Specie enim augendi honoris diuini, si minuatur cultus Deiparæ sanctus & nitens, insidiantur pietati, fidelibus peruitili & multipliciter necessariæ, quàm mendaciter fingunt officere iuribus Dei: cum è contrario honores Deiparæ, cedant in auctiorem honorem Dei cuius B. Virgo est factura, agnoscens se ab eius liberalitate quæcumque honoris ac venerationis fundamenta sortitam. Mendacissimè verò iactant hi nouelli Antidicomarianitæ, priscam Ecclesiam non adeò incaluisse in Virginis matris venerationem, cum certissimum sit & luce clarius, summum semper fuisse in Ecclesia Christiana studium colendi B. Virginem, vt per omnia Christiana secula monstrat laudatus supra Theologus, Ludouicus Abelly Thomas Bosius l. 9. de signis gnis c. 7. & alij innumeri qui de ea veneratione recens scripserunt. Specimen sensus Sanctorum Dei in proloquio ad hoc opus Cautione. 1. Quæ enim ibi ex Patribus multorum seculorum attulimus de nunquam plus satis laudanda B. Virgine æquè ferunt cultum eius numquam fore adæquandum fundamento cultus quod in ea reperitur. Sunt enim vel eadem vel planè nexa, laudis & venerationis fundamenta. Itaque serpentem non insibilo, mordentem proteramus & cum S. Germano Orat. de Præsentat. Lubentes dicamus. [In Mariam si quis innumera dicat elogia, nunquam sequetur scopum, tantum abest vt illum attingat & propositum in laudanda assequatur, cùm illa superet omnem disertam linguam & omnem mentis aciem præteregrediatur. Etenim eius magnalia vastissimum pelagus fecit gutta illa cœlestis quæ ab ipsa manauit Idcirco immensitatis eius diuitiæ, nulla vi comprehendi possunt, nec ablumi deliciæ. Et in quauis quidem alia re datur planè satietas: in laudanda verò & celebranda Virgine, non est præ iucunditate voluptatis, epulantium modus. Hinc fit vt laudationum ansæ quas ipsa porrigit, coniici mente non possint. Et quia indeficiens est fons, & hauriendo non exhauritur, imo quò plus hauritur, eo maiorem centies aut millies aquarum copiam effundit, ideò fieri non potest, vt desinant qui hauriunt: Siquidem dum hauriunt, aquæ mysterium redundat, & redundatio mentes etiam vincit incorporeas, quanto magis immersas corporibus? *TANTA EST BEATISSIMA ET IMMACVLATISSIMA VIRGO.*] Remiserunt isti nonnihil de insania aliquorum Hæreticorum qui repetente & latè exagitante Petro Sutoris l. in Anticomalitas c. 15. omnem prorsus laudem ac venerationem abrogarunt B. Virgini, qui erat insaniæ vertex fuste non disputatione contundendus. Hi verò nouelli, nimium nunc Deiparæ cultum proscribunt: Rectè si sobrietatem solùm deposcerent qualem toto hoc opere exquisiuimus, sed malignè, & nequities quatenus frigidam tentant affundere rationabili obsequio, & sobriæ pietati.

Pars II. Punctum X. Virginis gloria in cœlo, & in terrâ.

Clausula precatoria.

39 HOc animo in huius operis meta, ad te accedo pia mater verbis Athanasij, aut quisquis autor fuit orationis de Sanctissima Deipara. *sub finem.* [Audi filia Dauidis, & Abrahæ; & inclina autem in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia, & domo Patris tui. Parentes enim tui sumus, secundum generis, prosapiæque rationem, nostráque filia es, quia ex nobis genita es. Decet enim te matrem regeneratricem, Dominam, ac heram cognominari, eo quod ex te prodiit Rex Dominus, ac Deus noster: assistentem illi nobis quidem terribili tibi autem dulci omnémque gratiam largienti: Qua de causa factum est, vt *gratia plena* appellata sis, vtpote quæ omni gratia abundares, idque per superuenium in te Spiritus sancti. Ideóque vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis, & spiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus? Recordare nostri Sanctissima Virgo, quæ etiam à partu, Virgo permansisti, & tribue nobis pro exiguis istis eloquiis, magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum. Tu quippè gratia Plena es.] Iuuat illas quoque viri religiosissimi & cœlestibus viris clarissimi Dominici Prutheni, apud apud Treuiros Cartusiani, pias de te voces, ab ipsis Angelis repetitas, vsurpare, quibus ad imitationem Ambrosiani Cantici collaudaris.

Te cœli Reginam laudamus, te mundi Dominam honoramus.

Te laudant iure vniuersæ Creaturæ, Matrem immensæ claritatis, Aulam Summæ Trinitatis. Sole diuinitatis amicta, Lunam supplantans benedicta, tota glorificata, stellis es coronata.

Tu æterni Patris filia dilecta, Tu filij Dei genitrix electa, Sancti quoque sponsa Paracleti.

Tibi omnes obediunt Angeli.

Te cœli cœlorum inæstimabiliter amant.

Tibi Cherubim & Seraphim ineffabili voce proclamant Salue, Salue, Salue, ô Domina gloriæ. Pleni sunt cœli & terra, suauitatis gratia tua.

Tu Apostolorum Regina.

Tu Euangelistarum doctrina.

Te Propnetarum laudabilis numerus,

Te Patriarcharum veneratur cunctus;

Tu Martyrum victoria.

Tu Confessorum es gloria.

Te Paradisi Rosæ, virgines formosa, laudant, vt & Continentes in choro suo canentes; Aue Regina dulcissima, gaude Domina nostra dignissima;

Quæ gratiam sanctis infundis, quæ liberas animas de profundis.

Te ergo nos rei rogamus ô Genitrix Dei; succurre populo isti quem redemit pretiosus sanguis filij tui D. N. IESV Christi.

Superna fac & nos cum Sanctis gloria munerari.

Per te mereamur mater Sancta, piè semper consolari.

Tot prerogatiuis sanctitatis, coronata in gloria Patris.

Tot

Tot priuilegiis dignitatis, gaudens iure Matris.
Iucundare, lætare, gaude, maior omni laude.
O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

Hæ ſint voces meæ per vniuerſam hanc vitam; In eaſdem cum SS. Angelis omnibúſque cœlitibus erumpam, per totam quanta quanta erit, æternitatem.

Egi de Chriſto, egi de matre. [Dulcis dominus (aiebat P. Dam. ſerm. 11. *in fine*,) dulcis Domina; quia ille Deus meus miſericordia mea; hæc Domina mea miſericordiæ porta; Ducat nos mater ad Filium, filia ad Patrem, ſponſa ad ſponſum qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.]



SCAPV

SCAPVLARE MARIANVM, ILLVSTRATVM, ET DEFENSVM.

A R.P. THEOPHILO RAYNAVDO,
Societatis Iesu Theologo.



REVEREND^mo IN CHRISTO PATRI

P. HIERONYMO ARI,

ORDINIS B. MARIÆ DE MONTE CARMELO GENERALI MERITISSIMO.



QVOD, præſentibus nobis, receperat R. P. Theophilus Raynaudus; fore vt altera hæc MARIANI SCAPVLARIS editio Paternitati tuæ inſcriberetur, illud hodie animo perlubenti exequimur PATER REVERENDISSIME; Teſtes enim fuimus ſingularis ſtudij, liberalitatis, & adhortationum quas ſæpius adhibuiſti, vt prela noſtra quantociùs, non MARIALE modo, ſed Tomos omnes alios deſudarent. Verum cùm inopina mors ſenem immortalitate digniſſimum, antequam abſoluta eſſent omnia, nobis rapuerit; toti poſteritati commendandum volumus amorem quo in illum ferebare, vt ſæpè ex eius ore accẽperimus vix habere ſe Romæ Paternitate alium beneuolentiorem. Iam verò tua in vniuerſum Ordinem merita, cui ſupremi Numinis conſilio Præfectus es, quis digno præconio poſſit extollere? Loquuntur omnes Belgij, Galliæ, Hiſpaniarum quę Prouinciæ, quas ſapientiæ, & integritatis tuæ lumine colluſtraſti? Quapropter ſub patrocinio tantæ virtutis, maleuolorum vngues, ac dentes effugiet hæc diſſertatio, *de Carmelitico B. Virginis Scapulari.* Pretioſum illud Palladium eſt, & amuletum ſecuriſſimum, quo protecti, mortis miſſilia, ictuſque diſcriminum omnium nullo modo reformidamus: Nec iam in Gallia deinceps geſtabitur ſub veſte latens, quaſi timeret incurrere in oculos inuidiæ, aut impietatis, cùm ſacram eam Teſſeram ex paterno imitamento ſibi nuper ſuperinduxerit noſter ADEODATVS LVDOVICVS. Quare tacebit illius cœleſtis præſidij allatrator importunus. Quid enim deinceps metuendum, ſi Marianæ ſimul, ac Regiæ veſtis ſuſceperis patrocinium? In tutò erit videlicet, ſi te illius tutorem præſtabis. Palàm edet miracula virtutis inſitæ, & quaſi ſigna Te duce inferens in Hoſtes ſuos, vires ſuas magnificentius explicabit. Aſpirante tuæ benignitatis aura, volitabit glorioſè vexillum hoc cœleſtis Reginæ per vtriuſque orbis oras: & quot vinciet colla, tot corda deuinciet Heroinæ Virgini. Neque enim ſolummodo vexillum eſt ſacrum Scapulare, ſed vinculum, quo quamuis laneo, deuincti Homines quantumuis feri ferreique, Mariæ mancipantur; ſeruitute liberrima,

pronis capitibus ſub hoc religioſum iugum miſſis. Vinculum dixi: loricam clypeumque dicere debui; quo retorta ſæpè iacula, retuſæ ſæpè glandes, repulſi ſæpè gladij, mors ipſa propulſata ſæpiſſimè. Hac nimirum mirabili Panoplia ſuos cingit Clientes Virgo Fortiſſima dum ſuo eos Scapulari induit: ad omne pugnæ genus reddit expeditos, dum illos veſte ſua implicat efficitque certos victoriæ, hac ſua catena dum eos reuincit.

Non potuimus igitur majorem quam à nomine tuo huic opellæ conciliare commendationem. Vale REVERENDISSIME PATER, Noſque, Familiaſque noſtras ſacri huius B. Virginis pignoris obſeruantiſſimas ſacra tua benedictione impertite.

Serui Addictiſsimi
HORATIVS BOISSAT,
& GEORGIVS REMEVS.



REV:



PROLOQVIVM.

SCAPVLARE QVID, AC quotuplex, & de quo hîc agendum.



D argumentum multorum calamis studiosè subactum accingor, illud Gregorij Nysseni [a], meum faciens; [Sæpè nonnihil ad conciliandam pulchritudinem, confert etiam materia deterior admista meliori.] Confirmat hoc Nyssenus, ex concameratione templi in quo agebat ad populum. In ea quippè, ingeniosò artificis consilio, aurum affabrè factis sculpturis interſplendebat, cæruleis multorum angulorum circuitis distinctum vt dum colores variantur, aurum alteri collarum, illustriùs effulgeret. [Si ergò color cæruleus immixtus auro efficit vt multo pulchrior eius splendor emicet; non incommodum opinor fuerit, si iam pronunciatorum sermonum fulgori, nostrorum color hic niger appingatur.] Sed & Beseleel, (vt Nyssenus subdit,) ad Tabernaculi instructum, non ea tantum pretiosa quæ diuites subministrabant, admisit gemmas inquam, & purpuram aurumque, & argentum: sed etiam ligna & pelles, ac pilos capratum, quæ ab egenis religiosè suppeditabantur, non abiecit. Vt propterea par sit æquos Lectores, suprà ea scripta aurea, & gemmea, quæ ante nos eximij Scriptores in hoc argumentum contulerunt, nostra quoque etiamsi tenuia, & vilia, singulari tamen in hoc sacrum pietatis Instrumentum affectu, ac studio exarata, non aspernari. Vlteriùs consilij excusationem diffundere, vetat ad se vocans argumenti discussio; quàm à vocis notione auspicandam, sapienter admonet Ruffus Ephesius [a], & ex Socrate Epictetus, referente Arriano.

a *Orat.in suam Ordinat.*

a *L.de part. hum.corp. initio.*

A *Scapulis* dictum *Scapulare*, nemo non videt. Sunt autem *Scapulæ*, (laxata saltem vocum notione,) idem quod *humeri*. Tota illa scilicet corporis regio, quæ ponè pectori obiicitur, à qua & serui, dicti *Scapulares*, quia in seruis ea pars denudata tundebatur flagris. Quo spectat illud Claudiani.

b *Lib.1. cap.17.*

Quam miseri Scapulas tutabimur arte. 1 *in Eutro.*

Et illud Plauti in Asinaria.

Mirabar quid dudum scapulæ gestibant mihi;
Ariolarique occœperunt sibi esse in mundo malum.

Quin & Psalmo 90. Deus dicitur iusto obumbraturus Scapulis suis, idest humeris. Cuius quidem loci, vt rectè exposuit ibi Euthymius in eo sita est metaphora, [quod qui pugnat pro aliquo, stare ante eum solet, atque hoc pacto illum tegit atque obumbrat tergoribus suis. Scapulæ enim, illæ partes dicuntur, quæ inter medios sunt humeros. Dei igitur Scapulæ pro ea accipiuntur potentia qua conseruare nos solet, ac tueri.] S.Gregorius [c] per metaphoram metaphoræ innexam, id exposuit sumens *obumbrationem*, pro sublenatione quæ adhibetur assumptione oneris aut Sarcinæ humeris impositæ. Vnde sicut qui vmbram in æstu conciliat, subleuationem confert: ita qui sarcinam qua aliquis premitur, portandam cum eo assumit, oneratum, & pondere pressum releuat, eique Scapulis, siue humeris suis *obumbrare* dici potest.

c *Lib.32. mor.c.14.*

Scapulare itaque, tegumentum Scapularum siue humerorum sonat. Vnde minùs aptè Abelardus [a], exponens quoddam Heloisæ problema, quo petebat sibi exponi quid esset *Ephod lineum*, quo accinctus puer Samuel ministrabat; ait, *Ephod* illud fuisse superhumerale lineum, tunicæ superimpositum, ad honestius mundinsque ministrandum. [Quem ni fallor habitum, (ait Abelardus,) Monachi nunc imitantur cum opera manuum, in tunica & Scapulari desuper accincto, soleant exercere. Quid enim aliud Sca-

a *Probl.39*

pulæ, quàm humeri,[b] Aut quid Scapulare, nisi superhumerale?] Idem censent & alij.[b] Reuera tamen ægrè persuadetur, *Ephod* idem sonare quod *Scapulare*. Et meritò Ribera,[c] aliter exponit *Ephod*; quod videtur potiùs conferendum cum castula, & (vt passim loquimur,) *Superpelliceo*. Et potest etiam conferri cum thorace ad cingulum vsque protenso. Nam quod accinctus Ephod dicitur Samuel, non sonat cingulum eius fuisse Ephod: sed potiùs ipsum Ephod quo amiciebatur, cingulo fuisse astrictum. Itaque ad cingulum vsque pertingebat Ephod, quo adstricto salua erat expeditio ad ministerium. S Hieronymus,[a] describens vestimentum sextum Pontificium, ait, *Ephod bad*, sine superhumerale lineum, quo Samuelem puerum, & Dauidem in arcæ deductione vsum legimus, quodque iuxta Originem[b] omnes Prophetantes inter Prophetandum adhibebant, ad similitudinem Ephod Pontificij, hyacintho, bysso, cocco, purpura, & auro contexti, fuisse efformatum, sed tamen erat simplex, & lineum, quod ad continentiæ Sacris ministris consentaneæ expressionem, refert S. Gregorius[c]. Dicebatur autem Ephod, *superhumerale*, iuxta LXX. qui eam vocem Hebræam verterunt ἐπωμίδα: & iuxta Aquilam, qui vertit ἐπίρραμμα: quia quamuis extra humeros extenderetur, tamen humeros primum contegebat, vbi sisteret simpliciter dictum superhumerale, & Scapulare.

b Sixt. Senens. l. 3. Biblioth. cap. 12.
c Lib. 3. de temp. c. 10.
a Ad Fabiolam.
b Hom. 13. in num.
c Lib. 1. in 1. Reg. cap. 1.

Neque valde assentior iis, quibus S. Athanasius[a] describens res Magni Antonij visus est Scapularis Monastici, quale ex Abelardo describebam, meminisse, tanquam adhibiti à S. Antonio. Sic enim habet S. Athanasius. [Lauit ependyten suum, id est Scapulare. Sed hoc apertè est glossema alicuius; qui vocem *ependytis* subobscuram, eo interpretamento elucidatam voluit. Nam S. Athanasius qui Græcè scribebat, si Græcam vocem tegmini humerorum exprimendo destinatam adhibere voluisset, non *ependyten* dixisset, sed vel ἐπωμίδα, vel vt aliquando appellat ἐπωμίον. Accedit quod ea ependytis interpretatio, non comparet in plerisque S. Athanasij exemplaribus. Est igitur manifestum Scioli alicuius assumentum, qui vocem quodcunque extimæ vestis genus designantem, arctauit ad superhumerale. Aio igitur *ependyten* vestis cuiusvis extimæ nomen esse, vt patet ex omnibus Lexicis. Et benè statuit Nebridius à Mundelheim,[c] in quem post hæc edita incidi. Theophilactus apertè insinuat quod dico, ad illud Ioan. 21. *tunica sua cinxit se, erat enim nudus* Græcè pro *tunica* est ἐπενδύτης. Eámque Hieronymus Sopranis,[a] tractans rem vestiariam Iudæorum, censet esse vestem illam quam Martialis *Tyriam syndonem*,[b] appellauit Non quod esset ex purpura, sed quod esset textum admodùm frequens Tyriis piscatoribus, (vt habetur ex Theophilacto,) amiculum inquam illis ad manus paratum in subita operiendi sese occasione, signatum eo vocabulo. Quo item sensu accipiendum est illud Marci 14. de adolescente qui in Christi comprehensione, relicto festinè cubili, vestem quæ primò ad manum occurrit arripiens, séque vtcunque operiens, sequebatur amictus syndone super nodo, moxque à ferocibus iuuenibus tentus, dimissa syndone nudus profugit ab eis. Quamuis enim Marcus adhibuit vocem syndonis, idipsum tamen ea voce notatum voluit, quod Ioannes voce *ependytis*, quæ sonat extimam vestem. Aberrátque propterea Marianus Victorius, qui ad S. Hilarionis vitam,[a] ea verba, *habens pelliceam ependytem*; accipit de veste interiore, puta interula, vel subucula. Itaque vox *ependytis*, designans quodcunque tegmen externum, perperam apud S. Athanasium in glossemate apposito, accipitur pro solo Scapulari Esto externorum illorum tegminum, vnum sit Scapulare Id enim perspicuè patet ex fine adhibendi Scapulare; nimirum ad retinendam munditiam inter operandum, vt ex Abelardo vidimus. Et idem habet S Benedictus[b], qui enumerans vestes Monachorum, recenset cucullam, & tunicam in hyeme villosam: in æstate puram, & vetustam, ac Scapulare *propter opera*.

a c. 23. vita
b L. de S. Virgin.
c Antiq. Monast. epist. 54.
a digress. 1. §. 2.
b Lib. 4. Epigr.
a cap. 3.
b c. 62. Reg.

Quare *propter opera*? Est qui *opera*, à S. Benedicto dici putet, spiritualem recogitationem crucis, perpetuò à Religioso in corpore & animo suo circumferendæ. Sed hoc nullo modo quadrat, & in nullius planè interpretis mentem venit: cum vox *operum*, apud S. Benedictum, de corporali opere, & labore manuum sit vtique accipienda. Et disertè apud Cæsarium[b], S. Benedictus apparens Monacho qui abiecta toga Monastica, solum Scapulare induerat; obiurgauit eum, quod se illi stetisset in *habitu laboris*. [Adhibebatur ergò Scapulare Monasticum à Benedictinis, *propter opera*; vel quia breuitate, (non enim erat adeò longum, vt nunc vsurpatur) erat commodum, ad expeditè laborandum: vel certè quia ad tuendam alterius vestis munditiem quæ inter operandum periclitaretur, adhibetur Scapulare; sicut qui vasculis detergendis linteo se præcingunt, & anticam pallulam prætendunt. Ipséque Christus, abluturus pedes Discipulorum, ventrali

b Lib. 11. cap. 36.

linteo

linteo se præcinxit. Satis video, hoc non cohærere cum stabilitate Scapularis, quod extra operationem gestetur. Sic enim æquè præcauenda esset Scapularis inquinatio, ac maculatio vestis extimæ. Attento item vocis cortice, Scapulare siue Superhumerale propter opera adhibitum, solis humeris tegendis ad onerum gestationem, vsui esse oportuisset; cum tamen qui præcauent inquinationem ex plerisque operibus, & ministeriis sordidis, vesti anteriori pectus operienti, præcipuè prospiciant. Itaque ex mente S. Benedicti, vestis quam appellauit *Scapulare*, aliud obtegebat præter Scapulas, nec erat stabilis, sed finito opere quod potuisset vestes stabiles inficere, dimittebatur: sicut opifices ab opere cessantes, abiiciunt ventrale, quo inter operandum vtuntur. Et plerique super mensam, strophium pectorale ad vestium nitorem tuendum adhibentes; solutis epulis strophium deponunt.

Vox igitur Græca respondens *Scapulari* latino, est ἐπωμάδιον, vel ἐπωμίς, vel ἀνάλαβος. Quod tamen postremum nomen, non est confundendum cum alio affini ἀναβολεῖν', denominatione *rebrachiatorium*, constans duobus resticulis ad succingendas vestes, vt videre est apud Cassianum.[a] Quanquam omnes veteres Codices teste Ciaconio obscuras Cassiani voces exponente, legunt *Analaboys*. Id verò esse apertè mendosum iure censuit Gazotus. Malim ἀναβολέας legere cum eodem Ciaconio post Sozomenum. Eos resticulos Poëta[b] appellauit *redimicula*. At *Analabus*, longè aliud sonat. Est enim genus vestis Monasticæ, quæ quod duobus pannis hinc inde dependentibus ex parte transuersa, per humeros expassa contineatur, interdum dicitur *Crux*. Quo item nomine, donatur interdum Scapulare; manifesto argumento, quod idem sit Scapulare, cum analabo. Explicatissimè habet quod dico S. Dorotheus,[a] inter exponendum vestes Monachi [Analabus, (inquit,) ponitur in formam Crucis super humeros nostros Hoc est crucis symbolum gestamus, iuxta id quod dicit, *Tolle crucem tuam*] Et inferiùs [Habemus & analabum, idest Scapulare ab humeris pendens, quod est Crux.] Similiter S. Ephrem[b] agens de puero Monastica hac veste amicto, quem homo nequam interuentu Satanæ scrutans thesauros, abduxerat in specum Dæmonibus infestam, ait, [Dæmon conspecto crucis signo quo puer amictus & consignatus erat, non est ausus ei nocere; nam cum analabo, adduxerat eum vir ille.] Item in Euchologio, qui magno Schemate amicitur, cum induit analabum; dicitur crucem suam super humeros assumere, ad sequendum Christum.[a] Fuit qui censeret, hanc esse causam, cur Scapulare dictum aliquandò sit *vestis Apostolica*; eo quod scilicet Apostoli ex Christi monito sumpserint crucem suam, & secuti sint Dominum, quod ipsum præstant, qui religiosam vestem suscipiunt. Sic in Actis S. Gulielmi Gellonensis leguntur hæc verba [Veste Apostolica instar Crucis induitur.] Sed quid si nomine *Vestis Apostolicæ*, totum potiùs instructum Monastici habitus, expressum dicamus? Habitus enim Religiosi, rectè dici potest *Vestis Apostolica*; cum Apostoli fuerint verè, ac propriè Religiosi, & omnium Religiosorum duces. Quod si Græci, Habitum Religiosum, passim vocant *Schema*, siue *Habitum Angelicum*, (id quod etiam de Habitu benedictinorum, dixit Petrus Damiani[a], adducens Bonifacium IV. id asserentem;) quidni possit Habitus Religiosus appellari *vestis Apostolica*; quam qui induit, Crucem ipsam videatur assumere? Quia tamen hæc S. Gulielmi Acta non legi integra, & in vitis Patrum Occidentis vbi eorum compendium refertur, locus allegatus desideratur, non abnuo quominùs hic quoque locus de Scapulari instar crucis efformato accipiatur. Cuius rei confirmatio erui potest ex frequenti vsu, quo Scapulare ipsum *Patientia* nuncupatur.

Cùm autem tot testimoniis veterum sit exploratum, *Analabum*, vel Latinè *Scapulare*, ad humeros, siue scapulas tegendas fuisse adhibitum, non autem ad operiendum caput, quod cucullo, vel caputio inter Monasticas vestes tribuitur, ambigi potest quomodo Ioannes Hierosolimitanus[a] autor Operis de Institutione Monachorum, operimentum humerorum, tribuat caputio, siue cucullo: & inde peti dicat *Scapularis denominationem*. cum omnes alij, describendo Scapulare, aut Superhumerale, vel nullo modo caputij siue cuculli meminerint: vel seorsim egerint de cucullo, & seorsim de Scapulari; Et Cucullo quidem pressè accepto, prout nunc sumo, idest prout idem sonat atque Caputium, operimentum capitis tribuerint: Superhumerali autem assignarint humerorum, siue scapularum tegumentum. Extricarint hunc nodum qui dixerint, in variis oris, ac temporibus viguisse varium vsum. Ita vt alicubi, (etiam in suo Ordine, de quo Ioannes apertè agit, malè reclamante vno quodam recentiore,[a]) Cucullus Superhumerali consutus, vel ex eadem continua materia confectus, haberetur, vt vnum quid cum Scapulari, seu Superhumerali; alibi autem binæ illæ vestes, planè disiunctæ essent. Eo ferè modo

quo

a L. de habitu c.6.
b 9. Æneid. ad l. 1. c. 6. l. 3. hist. c. 13.
a Doct. 1.
b In vita S. Iuliani.
a Hugo Menard. ad c. 62. concord. Regul.
a Opusc. 28. in fine.
a c. 33.
a Philib. Fezay. priuil. l. concontro. 14.

quo inter Chartusianos passim, inter Franciscanos autem aliqui Cucullum habent Vesti talari continuum, aut assutum: alij verò Cucullum habent à Tunica omninò abiunctum. Et hoc secundo modo spectatum Scapulare, nullo modo ad caput operiendum pertinet, sed ad humeros duntaxat.

Ex dictis habemus, quid sit Scapulare vniuersalissimè acceptum, spectato tantùm vocis cortice: & quid sit Scapulare Monasticum, quæ est restrictior notio Scapularis. Sed est alia specialior vsurpatio *Scapularis*, prout designat Scapulare Carmelitici Instituti vestem extimam, B. Simoni Stocho, Carmelitarum olim Generali per Deiparam assignatum; de quo deinceps tota reliqua lucubratione, agendum erit.

Hanc spartam lubens volens suscepi excolendam, post egregios Carmelitani Instituti Scriptores, quos inter, Chrystophorum Syluestranum non vidi. E reliquis venere in manus meas, Gregorius Nazianzenus à S. Basilio, Ioannes Baptista Lezana, Leo à S. Ioanne, Cyprianus à S. Maria, Ioannes Cheronus, Thomas Aquinas à S. Iosepho: Philibertus Fesayus, & Irenæus à S. Iacobo. Externi se iisdem adiunxere, Ioannes Carthagena, & Aubertus Miræus. Accedo ad eos ipse quoque, quod ita probarint charissima Capita, mihique inprimis colendi Hieronymus Ary, Dominicus Campanella, Baptista Lezana, Bonauentura, Pinzonius Leo à S. Ioanne, Paulus à S. Ignatio, Stephanus Molin, Clemens ab Assumptione, Manuel à S. Francisco, & alij, quorum beneuolentiæ hoc pignus reponere dulce fuit.



OPERIS



OPERIS
PARS PRIMA
ASCETICA.



ARBOR apud Indos Occiduos, Iosepho à Costa referente, ficus est planè mirabilis; aeream hyemem, & virulentum simul ac semel, secundùm varias sui partes repræsentans. Priore namque semestri, pars vna viduata foliis, & in speciem arescens (vt apud nos summa hyeme arbores) horrescit luctuosum in modum; interim dum eiusdem arboris pars altera, foliis, floribusque conuestita renidet, mox eamdem hyemis aleam subitura; vernante in orbem parte altera. Sed eam vicissitudinem, atque alternationem, nunc non moror: contentus in eiusdem arboris binis partibus, coniunctas anni tempestates adeò dissentaneas, animaduertere; ita vt horrida simul hiems, ac verna species, in eadem arbore per partes varias coniungantur. Placet in hac tractatione arborem haud dissimilem machinari. Vnam quippè eius partem, florentem, & amœnam: alteram horrentem veluti hyemali concertationum hispiditate, adornabo. *Lib. 4. Hist. 32.*

Agi enim potest de Scapulari Mariano, vel primò inter pios, & veritatem huius Instrumenti pietatis ratam habentes: vel secundò cum ingeniis pruriginosis in dubium vocantibus, vel etiam subsannantibus hoc pietatis instrumentum. Prior ergò huius Tractationis pars, lenis est, ac placida, quam proinde cum vere floruleoto comparo. Posterior quæ hyemem flabris depugnantibus horrentem refert, *Polemica* est ac strepera: nec iam sedatè ac inter amicos transigenda, vt prior illa quam *Asceticam*; dico sed cum strepitu concertationis, contra murmurantes, & nescio quas feras arundinis (sic cum Augustino appellarim Scripturientes malè feriatos) bestialem sapientiam, non ad sobrietatem sapiendo, chartis illinentes per calamos, improuidè, imò infeliciter, & exitialiter adhibitos. Sic implebimus boni Tractatoris partes, quas Athenagoras statuit, veritatem sedatè proponere, & quæ in contrarium obtendi possunt, validè, fortiter dispellere. *In Psal. 67.*

***

CAPVT PRIMVM.

Origo, & causa Scapularis Mariani.

SCAPVLARIS de quo agendum suscipio, triplex præcipuè est agnomen. Virgineum appellatur, & Marianum à Virgine Dei Matre; cuius amonus est planè eximium. Stochianum denique appellatur, quia B. Simoni Stoch. per Deiparam est exhibitum. Vt proinde ante omnia, necessarium sit præmittere de ipso Simone quis fuerit, & quomodo hoc cælesti munere sit honestatus.

Compendio B. Simonis decora sic perstrinxit ad Vsuardum Molanus. [Ciuitate Burdegala, B. Simonis Stochij Carmelitæ, Deiparæ Mariæ singulariter deuoti, ac miraculorum coruscatione prægloriosi. [Subdit in Notis, ex catalogo Scriptorum Britanniæ vitam huius hominis Dei, à viris ea ætate claris fuisse descriptam. Nempè à Monaldo Rosario Vascone, Rolando Bocher Hannonio, & Nicolao Harlemensi Batauo. Officium verò Ecclesiasticum de eodem asserit iam ab anno 1497. confectum, & vsu receptum fuisse opera Roberti Bale iunioris, Carmelitani Brunhauiæ. Ad Autores rerum B. Simonis à Mulano annotatos, addendi sunt Palæonidorus, Lelandus, Grossus, Buësios, Chochellius, Curia, persæus, & laudans Tritemio, Ioannes Odeuvuares Mechliniensis Nec præteritum sinam Bedam Gallicanum de Cælitibus qui in Gallia floruerunt bene meritissimum, in Tullensem Episcopum designatum Andream Saussayum, pari pietate, ac eruditione Scriptorem. Omnes hi præter cæteros, de Beati Simonis apud Deum, & homines gloria, diffusè scripserunt. nos pauca de eo hinc inde, vt florigeræ apes libabimus, quantum ad præsens institutum videbatur operæ pretium. *In Mart. Gallic. 16. Maij.*

Natus est B. Simon, in maioris Britanniæ toto orbe diuisæ prouincia, cui nomen *Cantia*; Parentes habuit genere nobiles. Nec defuit qui pro vsu aliquorum, insignes quosque gentis Viros à Regia necessitudine celebrandi eum in Regiam prosapiam transscriberet. Quid tamen decus carneis

homini

hominibus magnum, Sanctis Dei nullo est loco qui sciant veram nobilitatem non ad Maiorum apices, etiam regios, esse admetiendam: sed ad virtutes quas interni hominis sublime genus, atque prosapiam, indigitauit S. Ambrosius, Cœlestem hanc nobilitatem exhibuit iam ab infantia B. Simon, animo iam tunc ad diuina propensissimo, & secundum Deum B. Mariæ, matris cunctorum viuentium, studiosissimo.

Lib. de Noë cap. 4.

Vix duodennis, exemplo Baptistæ, è paternis laribus secessit in Eremum, vbi domus illi fuit caua arboris truncus, vnde illi cognomentum Stock. quæ vox Britannis *truncum* sonat. Arborem produnt fuisse quercum annosam, cuius cauum cum adiacente solo, dumis aculeatis inhorrescebat. Hæsit eo in loco vir Dei per annos non paucos herbis in solo inculto sponte nascentibus pomis syluestribus famem sedans: sitim verò restinguens frigida ad testandam Dei magnificentiam (vt Philo disserit,) etiam in auia eremo, ac tesquis scaturiente. Fuit etiam cum allato per canes venaticos pane (Angelica haud dubiè instigatione Hominis Dei prospiciente) cibaretur. In ea escarum terrestrium tenuitate, vel ieiunitate interiorem hominem opiparè saginabat, dulci rationis propè assiduæ pabulo mentem nutriens, & ing● in cœlestibus epulis per illustrationes diuinas, & benedictiones dulcedinis quibus suauissimè perfundebatur; pensante Deo de more corporeæ tractationis inbonitatibus refertæ, damnum. Angeli super beatum Simonem ascendentes, & descendentes, cauum illud frequentabant: & docente sanctum suum Deo, mixta ex mortali homine, & immortalibus illis spiritibus schola conflabatur, vt à Saluiano de Mose in Sina cum Deo colloquente, est proditum.

Lib. 1. Allego.

L. 1. de prouid.

Quantæ capacitatis dicemus fuisse illud arboris cauum, non Simonem modo inquilinum, sed ipsum quoque Deum, & tot Angelicas turmas excipiens? Abietem tantæ crassitudinis, vt quatuor hominum vlnas complectentium impleret, & æqualis propè crassitudinis cedrum Cypriam, Plinius describit. Qui item prædonum Germanorum, singulis arboribus cauatis, homines ad triginta ferentibus nauigantium, vastissimas arbores memorat. Vix tamen aliquo sit loco ea vastitas, præ amplitudine illius apud Indos Occiduos castaneæ, quã textor cum textrina sua, totóque opificij apparatu inhabitat: eiusque concauum Equites octoni subibant, indéque nullo suo obstaculo prodibant; tanta erat vastissimæ arboris cauitas. Sed ego ampliorem supra omnem comparationem fuisse dixerim quercum illam, quæ sedem in ea figente Simone, Deo, & cœlestibus aulicis pro Regia fuit, instructa contra Satanæ acies propugnaculis, qualis illa apud Prutsos patentissima quercus, præsidio firmata, & bellicis munimentis validæ arcis instar, in longam belli remoram instructa, vt memorat Æneas Syluius. In sua quercu, longè alias acies fregit Simon. Verè *Sancta* quercus, non illa Druydarum ac Dryadum, execrandis sacrificiis dehonestata, & inde à rusticis, (vt lex Luitprandi loquitur) nomine *Sanctiua*. Ne cuius verò fides titubet circa Simonis in trunco commorationem diuturnam procul ab omnibus, suppetit exemplum afferre, Gerardus ex Diœcesi Coloniensi, profectus in Ægyptum de consilio B. Ludvvinæ, ibi reperit in vasta Eremo sellulam in arbore structam, quam incoluit per annos septemdecim, in rerum omnium caducarum egestate, sed in vbertate cœlestium deliciarum. Vix sit reperire aliquid affinius iis quæ de B. Simonis secessu scribuntur. Legesis acta B. Ludvvinæ lib. 1. s. cap. 11. Sanctus item Bauo, longè ante tempora Beati Simeonis in saltu Beth. annosæ fagi veluti aluum, in modum fornicis cameratam, quæ hominem certum posset excipere tanquam locum ab Angelis sibi præparatum inhabitare delegit, vt scribit in eius actis Theodoricus S. Trudonis Abbas, & ibi diutiùs hæsisset, nisi populorum frequentia illuc aduentans, virum Dei captare sedem quietiorem coegisset. B. Simeon nemine interpellante, cauum quod subierat quietè incoluit, & longè diutiùs.

Lib. 16. c. 40.

A Costa l. 4. hist. Ind. c. 30.

In Europa cap. 29.

Helias Sched. de Diis German. Syntagm. 2. c. 24.

Iam complures annos in suo cauo hærentem Simonem, Deipara edocuit de aduenientibus in Angliam è Palæstina seruis Dei, imitatoribus Eliæ, magna viris sanctimonia, & religione in quorum cœtum cooptari ipsum placeret. Itaque de trunci sui cauo egressus, ad eos visendos festinauit. Nec longa cum eis assuetudine, adeò illos sibi deuinxit, adeò ipse captus est eorum alloquiis; vt circiter octogenarius ad eos aggregari expetierit, & concorauerit. Aggregatus autem Spiritum Dei quem per tempus diutinæ secessionis plenè hauserat, effudit in proximo; discurrens quaquauersum in magnum animarum bonum, & non exiguam dilationem Ordinis Carmelitani: qui propterea Simonis præsertim opera, per Angliam vniuersam optimo odore fragauit. Cum verò subiisset animum sancta cupiditas: adorandi in loco vbi steterunt pedes Domini, cum bona maiorum venia, migrauit in Palæstinam, Spelæum Bethleëmiticum, & sanctum Golgotha, & loca cætera Christi vestigiis signata, religiosè lustraturus. Quam vniuersam peregrinationem ea quo è naui exscendit, obiuit nudipes. Pastus animo, locorum sanctorum Cardinalibus Christi operibus illustrium conspectu, Carmelum subiit; vbi per annos aliquot in exigua cella conclusus delituit, cælesti manna per Deiparam subinde refectus vt graues Scriptores à Delrio *a* notati prodiderunt. Ibi velut manducata, & auis cœli mystica vitam exegit sanctissimam, multus, imo totus cum Deo, ac Cœlitibus, Mundo nullus; donec inde digressus, & in occidentem regressus, pristi a amplificandæ apud proximos diuinæ gloriæ studia resumpsit. Et extitit fructus laborum commensus zelo hominis Dei cuius verba erant velut stimuli, & quasi claui in altum defixi, iuxta Sapientem. Vnde non mirum quod tantus fieret ab eo motus animorum, & tanta morum compositio in Auditoribus consequeretur.

a mag. q. 2. x. in fine.

Eccles. 12.

Magnum quoque inde Ordini Carmelitano ornamentum accessit, imò & præsidium eo tempore per opportunum; vt præsertim deprehensum est in ea procella, quæ sedente ad Ecclesiæ clauum Honorio IV. in Carmelitanum cœtum detonnit. Patres enim in oriente quidem perspectissimi, at in oris Occiduis vix noti, & pro recens exortis habiti, non leui turbine sunt exagitati, quasi peccassent in sanctionem Concilij Oecumenici, ob inductum citra assensum Pontificis, Ordinem nouum, cui extremum imminebat periculum, nisi Honorius per visum à Deipara edoctus, & de cætero crastino duorum ex ardentioribus Ordinis hostibus admonitus omnes obices perrupisset, & vrgenti negotium Simoni confirmationem Ordinis pro voto concessisset; demiratus viri pietatem, ac cœlestem sapientiam.

Vnde literas sciuerit qui non didicerat, vel cauo abditus

abditus, vel in cellâ conclusus, vel gyrans per prouincias & in modum fulguris coruscantis discurrens; si quis in controuersiam vocet, recolat θεοδιδάκτους illos, de quibus in Bernardo Ap. Gallica, & in Symbolis Antonianiâ. Iis annumeratus Simon, quomodo Sapientiam citra humanum studium comparatam obtinuerit, dubitatione vacabit. Fuisse verò à Theologicâ doctrinâ optimè constitutum, idque apud omnes fuisse compertum: monstratur ex laureâ Doctoris, quam in Oxoniensi Academia emeruit; cum vrgentibus Sodalibus ad acceptandum illud publicum Doctrinæ testimonium, lubentissimis Academiæ Magistris delatum; iuuandis cum maiori authoritate proximis, admittendum censuit. Quid quod emissia quoque in publicum Libris, inter Scriptores Ecclesiasticos celebritatem est adeptus? Recensentur hæ B. Simonis Lucubrationes publico datæ apud Pitsæum. *Canones cultus diuini, libro vno comprehensi: Homiliarum ad Populum de Christiana potentiâ, Volumen vnum: Vnum item Epistolarum ad Fratres, ad Christiparam Virginem Antiphona.*

L. de Scrip. Anglic. ad annum 1265.

Verùm laus doctrinæ, nisi accedat vitæ integritas & nitor, sordet apud Deum: & ex Spiritus Sancti oraculo, *circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua*; id est, interprete Cassiano; qui animæ ex scientiâ culmen incompositis moribus dehonestat, non secus facit, quam sus immunda aureum circulum naribus applicitum in volutabro luti demergens, ac fœdè consputcans. Ideò Simon eruditionem sacram quâ prænitebat, gemina sanctimoniæ quam studiosè inoculabat; tum demum commendabilem ratus esse sapientiam, com morum compositione & virtutum radiis colluceret; qui fuit semper sensus Sanctorum omnium, veréque Sapientum.

Collat. 14. c. 16.

Præ tam clarâ apud omnes famâ Sanctimoniæ, tanta luce Sapientiæ, tanto diuini honoris studio, & de sacri Ordinis profectibus solicitudine, Homo octogenario maior, cum generalia Ordinis Comitia haberentur, in Angliâ circa annum 1245. Variant enim Authores de huiusmodi Comitiorum, tum tempore, tum speciali loco. Vt vt sit in iis Comitiis Simon, non admodum longo tempore intra sacrum ordinem exacto, vt qui impleisset tempora multa, electus est in Moderatorem Ordinis Generalem, magnâ omnium consensione; vno ipso deprecante Sarcinam, & quantum potuit satagente pro retinenda loci sui humilitate.

Euectus ad Ordinis fastigium expolire & componere in sacro Cœtu omnia, & ad Maiorum sanctam æmulationem, opportunè, importunè accendere vniuersos ac singulos pro munere instituit. Sed nominatim affectum erga Deiparam altè in suorum cordibus defigi, quantâ potuit accuratione satagit. Nihil ille quidem remiserat de suo flagrantissimo in Deiparam studio, quod cum lacte hauserat. Attamen ex quo sacro Cœtui est adscriptus, & ex quo præsertim ad eius clauum sedere cœpit; sub Deiparæ tutelam, & se priuatim, & communiter Ordinem ardentissimo studio collocauit. Vt autem Præfecto sacræ Familiæ qui vacuum nomen non portet, nullo propè loco sunt propria commoda, præ sibi concrediti communis boni, fouendi & amplificandi desiderio; illud præsertim ab amantissima sibi Deipara assiduis precibus exposcebat Simon, vt pignus affectus sui erga sacrum Cœtum cui ipse præerat) & monimentum tutelæ perpetuò exhibendæ, assignare non grauaretur. Id quod maximè optandum habuit in tot Decumanis Ordini sacro infestis per auersam nonnullorum voluntatem, quorum in dies auctior concitatio timebatur.

Pars cap. II. Orgo Scapularis

Non defuit Clientis sui humillimis votis Deipara. Itaque cùm Simon Londini esset anno 1261. iuxta alios anno 1251. annis iam aliquot totius Ordinis præfecturam obiens, cælesti viso recreatus est. Obuersans enim ei conspicuè Deipara, Angelicis stipata cohortibus & coruscans splendore qui solem ipsum perstringeret, auditas abs se famuli sui voces renunciauit. Nec modo tutelam qualemcunque suam spopondit, sed etiam beneuolentissimè professa est, asciscì à se in filios quot quot in Ordinem adscripti, vel adscribendi, aut etiam adoptandi forent. Pignus autem tam singularis beneuolentiæ à Simone precante expetitum, esse voluit, Ordinis Scapulare; sic affata in genua, & præ gaudio in pias lachrymas colliquescentem Simonem. *Dilectissime fili, recipe tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelitis priuilegium; in quo quis moriens æternum non patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis & pacti sempiterni.*

Latum tricandi campum inuenisse sibi visi sunt in hac verborum formula, qui tricari amant. Sed ingenio docili nullæ hic occurrent salebræ. Nunc sepositis & in Commentationem Polemicam postea subiungendam amandatis tricis illis, aut vt planiùs loquar, pruriginosorum ingeniorum auersis à pietate abortionibus; amplector & exosculor propositi cælestia. Visi veritatem, eique sic suppositæ deinceps insistam.



CAPVT II.

Pontificia Scapularis Mariani comprobatio.

SCAPVLARIS Mariani & Sodalitij relig. Obseru. quamuis per Deip. ipsam (vt vidimus) constituta; tamen pro stylo in Christi Ecclesiâ recepto, à Pontificibus Christi Vicariis comprobanda fuit. Nam ne ipsæ quidem Scripturæ (tametsi literæ de cœlo ad nos delatæ, iuxta D. Augustinum) ratæ haberentur, nisi Ecclesiæ comprobatio, & (vt loquuntur) verificatio accederet. Euangelio non crederem (aiebat D. Augustinus) nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas.) Et doctor gentium, quamuis non ab hominibus neque per hominem, Euangelium suum didicisset, sed per reuelationem Iesu Christi; essetque de veritate doctrinæ quam annunciabat, adeò certus, vt vellet inlidi anathema cuicumque secùs prædicanti, vel si esset Angelus de cœlo: tamen ne qua vacillandi & nutandi causa daretur audientibus, scendit Hierosolymam videre Petrum; vt ab eo tanquam visibili Ecclesiæ capite comprobatum, Euangelium quod disseminabat, nulli

In Ps. 131. ad vers. 4. & in Ps. 149. ad vers. 2.

Contra Epist. fund. c. 5.

pateret, vel calumniæ, vel tergiuersantium cauillo. Itaque similiter, tametsi vt ferebat priuata reuelatio facta Beato Simoni, Scapulare Marianum erat secundum se instrumentum sacrum exploratæ pietatis, tamen, vt quoad nos facesseret omnis ambiguitas, necesse fuit cælesti illi viso accedere Ecclesiæ per suos Rectores comprobationem, qualem continent varia Pontificia diplomata quæ exhibitum venio, pauca de plurimis.

Ioannes XXII. Pontificatus sui anno I. die 3. Maij, ex facta sibi, (vt testatur) ante susceptum Pontificatum apparitione Deiparæ; imò ex sponsione promotionis in Pontificem sub hac conditione, Scapulare Marianum, quod vocat *sancti habitus signum*, authoritate sua communiuit. Mendosè quidam Codices, notam temporis consignant anno Pontificatus sexto. Quis hoc credat, in re sibi per Deiparam sub tali præmio commendata, hæsisse tamdiù Ioannem? Vecordis animi est, procrastinare in boni executione, idque meririssimò tanquam Caini lagem, exagitant Origenes [a] & Sanctus Ambrosius, [b] vterque post Philonem: [c] Ioannes igitur mox ab inito Pontificatu, demandatam à Deipara sancti habitus comprobationem est executus. verum est, Ioannem non meminisse Beati Simonis, & muneris eidem à Deipara collati: sed hoc non refert ad rem præsentem. Sicut cum Liberiùs, à Deipara per visum monitus est, de exædificatione templi Mariani in Exquiliis, quod item visum eadem nocte Ioanni Patricio obtigit; nihil decessit veritati visi vtrique eorum seorsim obiecti, quòd Liberiùs nihil à Deipara accepisset, de simili viso Ioanni exhibito, neque Ioannes de apparitione facta Liberio. Quare haud dubiè, visio Ioanni XXII. obseruata pro confirmatione Scapularis, spectauit illudmet Scapulare, de quo ante annos circiter sexaginta, visum Beati Simeoni obiectum fuerat. de veritate autem diplomatis quo Ioannes XXII. sacrum hoc Scapulare communiuit, dicendum infra.

a Hom. 4. in Gen. a l. 1. de Cain. c. 8. c 7. de sacr. Abelis, & Caini.

Alexander Quintus ex Petro de Candia Ordinis Minorum, summus Pontifex Anglis fuit addictissimus; quia puer Cretæ à parentibus abiectus, à Minorita Anglo illac transeunte susceptus, & in præcellentem Theologum in Anglia excultus, denique ad infulas Episcopales, & Cardinalitiam purpuram, ipsúmque summum Pontificatum euectus erat. Is ergo natæ in Anglia pietati, suffragatus luculenter est, dato diplomate quo Ioannis XXII. autographum abs se inspectum, & diligenter recognitum testatur: Eiusdémque autographi apographum verbatim exscriptum, suo diplomati inseriens, veritatem visionis Ioanni obiectæ confirmat, & concurrere in Beati Simonis apparitionem, fidem facit. Ex hoc porrò Alexandri diplomate, liquidum esse potest Diploma Ioannis vigesimisecundi, ab Alexandro firmatum, non minus cadere in Scapulare Marianum, quam ipsum Alexandri diploma: quod æquè dicendum est de posteriorum Pontificum Bullis; quibus Ioannis, & Alexandri diplomata memorant, inter comprobandum Scapulare Marianum, vt statim referemus.

Clemens septimus in diplomate quod edidit anno millesimo quingentesimo trigesimo. Pontificij sui anno septimo, rursúsque in alio diplomate quod legitur apud Manuelem Rodericum [a] allegat Bullas Ioannis, & Alexandri, eásque ratas habet; Aliorúmque insuper antecessorum suorum diplomatibus, idem esse firmatum testatur. Cúmque aliqui contra mussarent, & fidem diplomatum Ioannis, & Alexandri vocarent in dubium, discussionem causæ Cameræ Apostolicæ Auditori Generali commisit per hunc suum Iudicem delegatum, silentium perpetuum obstrepentibus indixit. a 2. q. regu. q. 7.

Paulus tertius, anno millesimo quinquagesimo trigesimo-quarto; Pontificatus sui primo, nouo diplomate cui Bullam Clementis septimi inseruit; & eam Bullam firmauit; & totum hoc negotium communiuit.

Paulus quartus peculiari diplomate cui Bullam Ioannis vigesimisecundi, indidit, sacri Scapularis religiosam obseruantiam, de nouo confirmauit.

Pius quintus, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, duodecimo Calend. Maij antedictorum omnium Pontificum circa hoc negotium constitutiones ratas habet singulari diplomate quod memorat Gregorius XIII. statim adducendus. Diplomatis Pij initialia verba sunt, *super dispensatione*.

Gregorius XIII. anno 1577. Pontificatus sui anno sexto, verbis amplissimis, Sodalitium Mariani Scapularis commendat. Nec tantum literas Apostolicas Ioannis XXII. & Alexandri quinti, ac Clementis septimi in actu signato memorat tanquam legitimas: sed etiam noua eas roboratione communit: referens idem fecisse qui immediatè ipsi præiuerat Pium V. & alios anteriores Pontifices.

Paulus quintus ab anno 1606. Pontificij sui anno secùndo, multiplici diplomate antecessorum vestigiis institit. Et cum inquisitor Auenionensis Ordinis Prædicatorum, negotium facesseret Carmelitanis circa diploma Ioannis vigesimi-secundi, vetarétque proponi de sacro suggesto quæ in eo continentur; Monitus Pontifex (F. Ioanne antonio Fezayo apud eum rem vrgente) stetit pro antiqua possessione: & obstrepentes compescuit, decreto in generali Inquisitionis Congregatione edito, de quo inferius. Similes motus in Lusitania per idem tempus excitati per illud decretum sunt sedati.

Idem Pontifex per S. Rituum congregationem, recognouit Officium Solemne de Beato Simone Mar. necnon aliud officium de eximio beneficio ei per Deiparam collato. In eo officio die decima-sexta Iulij recitando, visum Beato Simoni obiectum explicatissimè refertur, in lectionibus Secundi Nocturni, *per Cardinalem Bellarminum* compositis; quæ substitutæ sunt lectionibus, quæ prius legebantur ex sancti Augustini sermone trigesimo quinto, de Sanctis.

Tandem ad caput Pontificiæ comprobationis in quo versamur pertinet concessio largissima Indulgentiarum Sodalibus Virginei Scapularis collatarum, qui illecebra innumeri per vniuersam Ecclesiam Sodales, ac edente persuasione promissionis à Deipara factæ B. Simoni in fauorem Sodalium pium hunc ritum religiosè vsurpantium

pantium, magnâ voluntate in Sodalitium dant nomina: & obseruationes sacras in eo præscriptas, singulari pietate frequentant. Vnde potens argumentum, & meo iudicio ineluctabile ducitur, pro veritate visionis Marianæ. Præter quàm enim quod tot populos per vniuersum Christianum orbem in re Sacrâ hallucinari, fidem fabulonibus adhibendo, nemo sapiens verisimile duxerit; qui credat, Pontifices, & qui cum eis excubant circa Religionem; Episcopos item in suis quemque Diœcesibus, adeò altè stertere à tot seculis quibus hæc visio inter Fideles ac pios dilleminatur, vt non viderint imponi hac in parte Fidelibus per fabulamenta? Vel si viderunt, quis credat quod dissimularint, nec solliciti fuerint repagula opponere falsitati? Sanè si fabulati essent Carmelitæ, hanc narrationem iam olim venditantes vt veram; eiusdem noxæ rei essent Rectores totius Ecclesiæ, atque immediati Antistites, in quorum oculis, hæc per illos essent iactata. Quia vt est apud creditum Ambrosium, *a* vnum & idem est, mentiri & credere mentienti. Et vt docet Synodus Metensis, *b* non est immunis à crimine, qui cùm posset ac deberet eius initia, vel progressionem impedire, obmutescit, malè silens à bonis.

a l. de mort. fra. Brach. *b Cap. 8.*

CAPVT III.

Transcriptio in Specialem Virginis Matris Filium, & Fratrem, primaria Scapularis Mariani prærogatiua.

Ex primâ Origine Scapularis Mariani, per Ecclesiam ritè firmata; eruenda inprimis est, omnium eius prærogatiuarum præcipua; quæ sita est in speciali tum filiatione, tum fraternitate Solidalium, respectu B. Virginis. Vt autem vtraque hæc prærogatiua solidè stabiliatur, præmittenda sunt nonnulla.

Ante omnia verò, inlidendum est anathema spurco hæresiarchæ Heluidio. Est enim ex fide certum, quod ille nequam est inficiatus; B. Virginis vnicum fuisse Filium, Christum Dominum, illæso pudore ex eâ editum. Hoc ad fidem Catholicam pertinere, trado latè, tractans illud Christi attributum, *vnigenitus, ac primogenitus, in multis fratribus*. Neque verò, si Christus Lucæ 2. dictus est B. Virginis *primogenitus*, significatum idcirco est, eam alios post Christum Filios peperisse; siue de Viro susceptos. Vt enim Sanctus Cyrillus rectè vidit *1* *primogenitus* dicitur, ante quem alius ex eâ matre, non est editus; etiamsi illum nemo alius subsequatur. Annuúntque Iurisperiti ad *l. qui duos ff. de reb. dub.* & aliis locis quæ addensat Tiraquellus *b* Item non ex eo quod memorentur aliquoties in Euangeliis *fratres Christi*, consequens est fuisse Christo aliquos fratres, natos ex B. Virgine. Est enim Phrasis Hebraica, quâ omnes necessarij, dicuntur *fratres*. Itaque vt Blasphemi ab Ecclesiâ explosi sunt Antidicomarianitæ, ab Epiphanio *c* & Augustino *d* annotati, quibus adhæsit spurcus Heluidius, integra lucubratione à S. Hieronymo profligatus; de quorum sententiâ, B. Virgo habuit plures filios post Christum. Optimè in hos blasphemos agit S. Athanasius, *a* nec non S. Hildephonsus, *b* & alij perpetuæ Virginitatis B.

1 lib. de fide ad Regin. *b De primog. q. 1. princ. 23.* *c hær. 78.* *d hær. 56.* *... hæret.* *a Serm. de deip.* *b l. de perpet. Virg. B. M.*

Mariæ propugnatores. Hæc quamuis sint indubitata, agendo de corporeæ sobolis procreatione ex B. Maria, tamen mysticè ac spiritualiter, omninò multos ei fuisse filios præter Christum, agnoscunt Patres, quorum aliquot appendo.

Origenes, *c* præfatus Ioannem dilectum Christi discipulum, factum esse alterum IESVM, atque adeò alterum B. Mariæ Filium; addit, idem de quouis pio dicendum esse: [Nam si nullus est Mariæ Filius iudicio eorum qui de ipsâ sanè senserunt, præterquam IESVS, dixitque IESVS Matri, *Mulier ecce Filius tuus*, Et non *Ecce, etiam hic, est Filius tuus*; Perinde est ac si dixisset, *Ecce, hic est Iesus quem genuisti*. Etenim quis perfectus est, non amplius viuit ipse, sed in ipso viuit Christus, Cum in eo viuat Christus, dicitur de eo Mariæ, *Ecce Filius tuus Christus*.]

c Præfat. in Ioan.

S. Augustinus. [Maria faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodò Mater est; Spiritualiter autem & soror, & Mater. Ac per hoc illa vna fœmina, non solùm Spiritu, verùm etiam corpore, & Mater est & virgo. Et Mater quidem Spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Saluator, ex quo illa magis spiritualiter nata est, quia omnes qui in eum crediderunt (in quibus & ipsa est) rectè filij sponsi appellantur: sed planè Mater membrorum eius, quod nos sumus; quia cooperta est charitate, vt fideles in Ecclesiâ nascerentur qui illius capitis membra sunt: corpore verò, Mater ipsius capitis.]

l. de sanct. Virgin. c. 5. & 6.

S. Anselmus *b* egregiè disserens de totius creaturæ instauratione per Virginem, hac clausulâ obsignat disputationem. [Cuncta quæ Deus bona & vti... et fecit; in eo statu quo condita fuerunt, esse destiterunt, & per hanc Beatissimam Virginem in statum pristinum reuocata sunt & restituta. Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta, Pater & Deus omnium: ita Beata Dei Genetrix Maria, suis meritis cuncta reparando, Mater est & Domina rerum.]

b l. de excell. Virg. c. 11.

Rupertus expendens illud Ioannis 19. *Mulier ecce Filius tuus*, sic disserit. [Quo iure discipulus quem diligebat IESVS, Matris Domini Filius; vel ipsa, Mater eius est? Eo videlicet, quia salutis omnium causam, & tunc sine dolore peperit, quando Deum hominem factum de carne sua genuit; & tunc magno dolore parturiebat, quando (vt prædictum est) iuxta Crucem eius stabat.] Subdit diffusiorem explanationem parturitionis per Virginem Cruci astantem, spectatis tantis eius in illo euentu doloribus. Tum sic concludit. [Proinde quia verè ibi per dolores vt parturientis in passione vnigeniti, omnium nostrum salutem B. Virgo peperit; planè omnium nostrum Mater est.]

a l. 13. in Ioan.

Guerricus, *b* accommodans Deiparæ illud Isaiæ, *Habitabit iuuenis cum Virgine, & habitabunt in se Filij sui*, sic affatur Heluidium. [Quid hæretice, caput erigis? Quid mysterium pietatis ad occasionem perfidiæ rapis? Vnum quidem genuit, qui sicut vnicus est patri in cœlo, ita vnicus est Matri in terris: Neque enim sicut tu impiè blasphemas, alios postea filios genuit: sed intemeratum manet, sicut signaculum perpetuæ Virginitatis in Matre, ita Sacramentum Catholicæ veritatis in prole. Ipsa tamen vnica Virgo Mater, quæ se Patris vnicum genuisse gloriatur, eundem vnicum suum, in omnibus membris eius amplectitur, omniúmque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit Matrem

b Serm. 1. de Assum.

se

se vocari non confunditur. Eua vetus illa, non tam Mater quàm nouerca, quæ filiis ante propinauit iudicium mortis, quàm initium lucis, dicta est quidem *Mater viuentium*; sed inuenta est verius interfectrix viuentium; & genitrix morientium, cum suum generale, nihil aliud sit, quam mortem ingenerare: Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista impleuit mysterium; quæ & ipsa (sicut Ecclesia cuius forma est) Mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est vitæ, qua viuunt vniuersi, & quam dum ea se genuit, olmirùm omnes qui ex ea victuri sunt quodammodo regenerauit. Vnus generabatur, sed nos omnes regenerabamur: quia videlicet secundùm rationem seminis quo regeneratio fit, iam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semen carnalis generationis, sic in Christo ante initium, propter semen spiritalis regenerationis. Porrò Mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterij; cura quoque, se matrem eis præstat, & affectu pietatis.] De Christo omnium semine, (vt hic ait Gretserus) perelegantet S. Ambrosius in Psalm. 43. ad illud, *in gentibus dispersisti nos*.

Richardus à S. Laurentio [a] (cuius opus de B. Maria, sub nomine Marialis Alberti Magni, pridem est vulgatum, sed non ita pridem vero parenti est restitutum,) de hac B. Virginis maternitate respectu Christianorum omnium, sæpè disserit admodum piè, sed nominatim exponens titulum *Matris vitæ*;] Scilicet Christi, qua viuunt vniuersi; quam dum ex se genuit, nimirùm omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regenerauit. Etsi enim carnaliter genuit vnicum filium, in eo tamen spiritualiter Mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus, Rom. 8. vnde significanter dictum est Lucæ 2. *peperit filium suum primogenitum*. Ipsa est enim Anna, quæ prius sterilis quoad propositum virginitatis peperit hoc modo plurimos. Ideo dicitur Ecclesiastici 36. *Israël*, id est fideli, (populus Deum contemplans,) *quem coæquasti*, id est per fidem vnisti, vel cohæredem fecisti, *primogenito tuo*, id est Christo, qui est primogenitus mortuorum, id est Resurrectio Apoc. 1. Sicut enim Eua dicta est Mater omnium viuentium vita naturæ, Genes. 3. Sic Maria Mater est omnium viuentium vita gratiæ; Eua enim interpretatur *vita*, aut *Mater viuentium*. Ipsa etiam propter hoc figurata est per Saram, quæ licet non nisi vnicum filium carnaliter peperit Abrahamo, Cui dixit Dominus Genes. 21. *In Isaac, vocabitur tibi semen*, tamen Mater dicta est totius populi Israëlitici. Vnde Isaiæ 51. dicitur Iudæis, *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos*. Sic & Maria non peperit carnaliter nisi vnum verum Isaac, id est Christum qui est risus noster, & gaudium nostrum: tamen spiritualiter dicta est Mater totius populi Dei. Ipsa etiam Mater est vitæ, sed Eua fuit Mater mortis; quia per eam vita quam habuimus nobis ablata est, sed per Mariam restituta.]

[a] lib. 6. p. 397.

In hac antithesi Euæ Virginis primæ, & B. Mariæ Virginis secundæ frequentes sunt Patres. Signaui multos in Glossario ad Nomenclatorem Marianum V. *Virgo noua*, *Virgo secunda*. Et ita nominatim Iustinus, Epiphanius, Fulgentius, Bernardus, Hesychius, Anastasius, Sinaita, Cæsarius, Augustinus, & explicatissime Tertullianus, locis in Glossario annotatis. Quibus addendi Irenæus [a] (ad quem Feuardentius id locupletat) Athanasius, [b] Augustinus, [c] Chrysologus, [d] Concinnè Sedulius, [e] ita tum ea Virgine Christum canens.

> *Culpa dedit mortem, vt pietas daret inde salutem.*
> *Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis*
> *Nil quod lædat habens, matrémque obscurat honore.*
> *Sic Eua de stirpe, sacra veniente Maria,*
> *Virginis antiqua facinus noua Virgo piaret.*

Demum Arator, *Initio actæ*. Christianus, & ipse Poëta, in Historia Apostolica.

> *Porta Maria, Dei genitrix intacta creantis*
> *A nate formata sui; mala criminis Eua*
> *Virgo secunda fugat, nulla est iniuria sexus,*
> *Restituit quod prima tulit.*

[a] l. 5. c. 19. & l. 3. c. 33.
[b] Serm. de sanct. Deip.
[c] l. 3. de Symb. c. 4. & serm. 18. ac 35. de SS. & 8. 15. de temp. ac 27.
[d] Serm. 74. & 140.
[e] l. 2. Paschal.

Robertum de Abruscellis, virum pijssimum, proditum est, cum considerasset verba illa Christi ad Matrem de Ioann. *Mulier ecce Filius tuus*: & illa ad Ioan. de Matre Virg. *Ecce Mater tua*, ardenter optasse, vt hæc veritas de Deip. Eua secunda, & vera omnium viuentium Matre suorum animis penitissime infigeretur, ideoque Ordinem suum ex seiunctis Virorum, ac Mulierum cœtibus sic instituisse, vt fœminæ, veluti Marium Matres, præessent Viris; quibus Graue esse non deberet obsequi fœmineo sexui, eumque in Christo reuereri ac diligere, cum recordarentur ex hoc sexu vnam reparasse cladem nostram, & sub typo Ioannis constitutam esse omnium fidelium, veluti filiorum spiritualium, matrem optimam. Allatrauit quidem pium hoc, & simile Birgittanorum institutum Abelardus, [a] sed nihil euicit.

Æmulata autem idem Roberti factum S. Birgitta, cum nouum ordinem vnum Virorum, alterúmque Mulierum institueret, æquè præscripsit, vt communiter vterque Abatissæ subesset, vt narrat ad annum 1370. Henric. Spondanus; [a] Et idem habet Nauclerus generat. 46. traditurque etiam in Ipsa regula Saluatoris, suis præscripta à S. Birgitta. [b] Cum autem ea regula Birgittana, multoties fuerit à Pontificibus confirmata, & nominatim ab Vrbano V. & aliis quos consaluus ad l. 8. reuelat. [c] Notauit, eo ipso factum Roberti Abruscellensis, iterata confirmatione est roboratum, & pietas eius in Deip. sum pro matre assignatam, & in fœminæ sopia Viros præfectura adumbratam, iteratò stabilitur.

Esse igitur B. Virg. omnium Fidelium Matrem, ratum esto. Cum enim Fideles præditi fide viua, & gratia sanctificante, sint eo ipso Christi fratres, & cohæredes, habet itidem communem cum Christo Matrem: Nam mater Fratris, eo ipso alterius Fratris (V. G. primigeni) mater appellatur. Accedit quod B. Virgo sua intercessione auxilia Christi Fratribus exorat ad assequendam, vel retinendam gratiam sanctificantem, qua Filij Dei constituuntur: quod est aliquatenus efficere eos Dei Filios, & matris munere defungi. Huc reuoluantur necesse est multa acutiua, & diffusima de hac maternitate Christianorum attributa B. Mariæ disputata apud doctum recentiorem in Theologica institutione de vera religione. Ad eum ergo modum omnes fideles sunt Filij Beatæ Virginis, V. debit tractationem de Roberto Abruscellensi, num. 46. sed hæc non est filiatio

[a] In suorum calamit. Histor. c. 14. in fine.
[a] num. 2.
[b] cap. 14.
[c] c. 49. & 137.
[d] l. 3. d. 2. c. 4 & seqq.

liatio illa specialis respectu Deiparæ, cuius pignus esse statuebam Scapulare Marianum. Filiatio si quidem prædicta, omnes planè fideles comprehendit, nec est filiatio specialis, & ex peculiari titulo ad omnes æque fideles non pertinente: qualem nemo videtur negaturus quibusdam inter charos B. Virginis præcipuis, erga quos affectum prodidisse legitur, admotione ad vbera, & lactis Virginei instillatione. Quamuis enim lac illud non erat nisi similitudinarium, erat tamen pignus materni affectus, & tenerrimæ dilectionis erga alumnum, matrisque non dimidiatæ (vt Phauorinus loquebatur) argumentum Luculentum. Leguntur autem sic à Deipara lactati, D. Chrysostomus, vt est in Actis Henrici Susonis, quæ eundem fauorem ipsi Henrico à Deipara præstitum testantur. De S. Fulberto Carnotensi idem narrat Baronius ad annum 1028. de Guilelmo, & Vincentio. De S. Bernardo producitur vetus testimonium in Menologio Cisterciensi 13. Maij Alanus à Rupe in Psalterio Mariano prodit idem beneficium obtigisse S. Dominico Ord. Prædic. parenti. Isti ipsi Alano B. Virgini addictissimo, idem præstitum, scribit Iodocus Beyssel. De S. Catharina Senensi idipsum litteris mandauit Hyacinthus Coquetius, describens viscera materna B. Virginis erga Ordinem suum. Et de quodam Clerico in B. Virginis opera celebranda propensissimo, Vincentius Bellouacensis. Habuerunt ergo ipsi, & si qui alij tales notam specialis filiationis erga B. Virginem. Et similem ad minimum contendo suppetere pro sodalibus Scapularis Mariani.

cap. 10

part. 2. c. 3.

l. de Rosar. B. Virg.

l. 7. spec. histor. c. 84.

Enim titulum specialis filiationis, aliqui ex Iosepho Antiochono *a*, inde petunt, quòd Carmelitani, & eorum congreges, ex proprio instituto, toti sint in cultu Deiparæ, illam assiduè venerentur, & obsequiis frequentent, atque erga eam vt erga Matrem optimam afficiantur; non secus de tutelâ eius, ac beneuolentiâ securi, quàm boni filij de matris optimæ erga reuerentes filios affectu & protectione. Produnt filialem hunc affectum Ordinis Carmelitani erga Deiparam, obsequia varia quæ illi iam olim pendit: vt plenè, ac minutè prosequuntur, Arnoldus Bostius, [b] & Ioannes Baptista Leuena. [c] Hinc ergo factum dicunt hi Authores, vt Carmelitani & asciti ab eis Sodales, denominentur *speciales Filij B. Mariæ*: quæ non est noua denominatio, sed antiqua; quam ridiculè, & admodùm nugatoriè, aliqui sub initium superioris seculi, eripere tentarunt, dicentes; hos Fratres, eorùmque Sodales, dictos esse *Filios*, vel *Fratres B. Mariæ*, non eius quæ simpliciter dicitur: *B. Maria*, sanctissima Christi Mater; sed Mariæ Ægyptiacæ, ex insigni peccatrice celeberrimæ laude pœnitentiæ & sanctitatis. Vix credo meis oculis, cum adeò futilem ineptitudinem ab aliquibus nugonibus iactatam, lego apud Baptistam Mantuanum; è quâ iustâ Apologia ad Cardinalem Sigismundum Gonzagam, defricandi fuerunt. Extat tomo 4. operum: sed excæcarat huiusmodi ludiones, malitia eorum. Alioqui enim aduertissent, Pontifices non esse solitos appellare Carmelitanos, *Filios* aut *Fratres B. Mariæ*; sed semper (quantum aduerti) cum additô, *Virginis*, aut *Genitricis Dei Mariæ*; (quorum neutrum cadit in S. Mariam Ægyptiacam;) Id quod Mantuanus monstrat ex Diplomate Sixti IV. Cuius initium est. *Dum attenta*. Sed possent innumera talia adduci; quæ præstat premere, ne dum commentum ineptum seriò exagitatur, censeatur videri alicui potuis-

a In speculo prof. militiæ Ioh. primitiuæ cap. 12.

b Lib. de patron. c. 13. Lib. c de patr. c. 21

se credibile, vt S. Athanasius [a] & S. Epiphanius [b] monuerunt, vetantes quædam apertè falsa, vel etiam ridicula, insequi fortiùs.

Parl. 1. cap. 18. Specialis filiat. B. V per Scap.

a Epist. ad Epict. Hær. 77.

Implantant ergo titulum *specialium Deiparæ filiorum*, Carmelitanis, & eorum Sodalibus participatione attributum, Authores quos referebam, speciali affectui & cultui Carmelitanorum erga Deiparam. Et verum sanè est, hunc Ordinem ad quem per se primò spectat Scapulare Virgineum, fuisse semper Deiparæ addictissimum. Id quod Trithemius *a* benè notauit, & confirmat ex Sacello quod omnium primum sub B. Maria adhuc superstitis titulo in Carmelo monte fuit ædificatum, Saracenorum denique impietate dirutum anno 1191. vt notat Vvernerus *b* De præcipuo item Deiparæ tribus cultu pleraque annotauit Mantuanus, apud eum potiùs legenda. [c] Meminere quoque eiusdem templi Mariani veterum Carmeli incolarum, qui de templis Deiparæ egerunt nominatim Federicus Lochius [d] & Anton. Spinellus. [e]

a l. de laud. Carmel. c. 7.

b In fascic. tempo.

c In calce Apolog.

d l. 3. Mar. Aug. c. 17.

e troph. de templis Deip.

Alij ad eundem specialem affectum Carmelitanorum erga Deiparam, cum ipso Ordine natum, censuere referendum candorem pallij quo amiciuntur. Súntque, quibus hoc pallium candidum, Carmelitanis ab Honorio IV. assignatum fuisse, visum est, ad contestandum affectum ipsorum ergà Deiparam, velut erga Matrem purissimam; cum priùs pio more Palestinorum, pallia gestarent virgata & variegata, vt notauit Genebrardus. *a* Præiuerat Genebrardum Henricus Cnighthonus Leicestrensis Canonicus, apud quem in Chronico de rebus Angliç memoràbilibus. *b* ista leguntur. [Honorius IV. post Nicolaum sedit Papa, annis quasi septem. Hic quarto Papatus sui anno mutauit Cappas Fratrum de Carmelo in purum album, quæ priùs erant strangulatæ, radiatæ, & barratæ, anno scilicet gratiæ 1281.] [Quid illud, *strangulata?* Num legendum *striata?* Vel si vox *strangulata* à specie funis oblongi & laquei cappas illas variantis, & vt iste loquitur, *Barrantis*, deducta est? Vt vt sit cappis albis induisse Carmelitas Honorium IV. sensit hic Author, tacens tamen ex quo fine eum pallij colorem vel expetierint, vel acceperint Carmelitæ.

a In Chron. ad ann. 180.

b lib. 3. c. 8.

Refragatur tamen Trithemius, *a* qui pallium album negat à Pontificibus primùm impositum. Sed ait, cum Saraceni terrâ sanctâ potiti, adegissent Fratres Carmelitanos ad abiectionem pallij candidi quod solis principibus in vsu est apud Saracenos; compulissénque illos ad vsitatam Palæstinis, variegatas vestes deferendi consuetudinem; Fratres sui denique iuris factos in Occidente, resumpsisse alba pallia; Sin-minùs cum primùm appulerunt in oras Occiduas, at saltem aliquanto pòst. Nam per aliquod tempus gestatum ab illis esse in Galliâ, virgatum pallium, siue variegatum ex fasciolis albi & pulli coloris, monstrat vetus nomenclatio cœnobij Parisiensis Carmelitanorum: Dicebatur enim *Cœnobium Barratorum*, *Le Conuent des Barrées*. Nam Gallij huiusmodi tænias lirandis vestibus adhibitas, vocant *Barres*. Quod tamen ea resumptio palliorum alborum, abiectâ formâ vestitus Palæstinorum, non sit fortassis facta absque assensu & comprobatione Pontificis, inualuerit inde rumor, alba pallia Carmelitanis per Honorium Pontificem fuisse concessa; cum dicendum esset, fuisse restituta; cum iam olim in eorum vsu fuissent, ad testandum affectum suum erga Deiparam, supra quæuis lilia candidissimam. Verisimiliter ista dici, non eo inficias Tametsi ægrè reuincendos video, qui assere-

a l. de laud. Carmel. c. 6.

rent, priscos Carmelitanos pallij candorem adamasse, veluti notam omnis sanctimoniæ, & sanctæ simplicitatis ab omni fuco, & ascititio, vel arte inducto colore abhorrentis. Propterea enim S. Dominicus, eum colorem domestico suorum vestitu præscripsit: & S. Bernardus, Templarijs quorum regulam concinnauit, alborem vestium iniunxit. Et iam olim primi Christiani, vt docet in *a* Pædagogo Clemens Alexandrinus, hunc colorem in vestitu adamabant, Signatimque de S. Antonio proditum est à B. Athanasio *b* eum feruente persecutione vellet pro Christiano agnosci, Alexandriæ, in loco maximè conspicuo candidatum stetisse. Philosophos quoque Ethnicos, ad candoris animi, simplicitatis significationem, coloris albi pallia induisse, Nazianzenus *a* est autor. Quamuis autem Carmelitanos pallium candens ad aliquod ex his motiuis prætulisse, nihil sit quod solide reuincat faliloquij; tamen ea quoque ratio quæ ducebatur ex singulari eorum affectu, & filiali propensione erga Deiparam, verisimilima est, nec vlla validâ probatione contrariâ, labefactatur. Quare titulos filiorum specialium B. Virginis Carmelitanis, præ speciali erga eam cultu & candido habitu assignatus, non vacat probabilitate.

a lib. 2. Pæd. c. 11.

b in vita

a orat. 4°

Vt tamen verum fatear, non expletur animus in re proposita; nisi addatur firmius aliquod fundamentum denominandi Carmelitanos, *Filios B Virginis speciales*. Itaque adstrugendus est eiusdem filiationis titulus, ex bona tantæ Virginis voluntate, eosdem in speciales filios adoptante, collatus. Non enim ex eo quod quis extraneus, velit alteri esse Filius, & eum colat vt Patrem; exurgit illicò relatio Patris in patrono, & relatio Filij in cliente: Sed tantùm si per adoptionem ritè interpositam, patronus clientem sibi asciscat in filium. Et idem pronunciandum est de Matre. Igitur B. Virgo, quâ est erga nos facilitate & propensione, lubens volens admittit in filios, quo specialiùs diligit, & euectus ad illustrissimi tituli dignitatem annuit Mater esse; quo ipso transcribuntur in sortem specialium eius filiorum; & ipsa Mater eorum compellari acceptam habet.

Ad hunc porrò modum, Carmelitanum, & qui ab eis in Fratres, ac Sodales asciscuntur, euasisse in speciales Deiparæ Filios, ac Fratres, non est monstratu operosum: Deipara quippè, Ordinem Carmelitarum, *edidit propriique nominis titulo insignitum*. Verba sunt Gregorij XIII. in Diplomate cuius initium est, *vt laudes*, dato Pontificij sui anno 6. Christi 1577. Idque considerans Vrbanus VI. vt idem Gregorius eo loco refert; [perpetuò concessit, his qui Ordinem Carmelitarum, & Fratres eiusdem Ordinis, *Ordinem*, seu *Fratres Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo*, vocauerint, nominauerint & appellauerint, si in gratia extiterint, tres annos & totidem quadragenas Indulgentiarum.] Et quidem hæc Vrbani largitas, plurimorum subsequentium Pontificum Confirmatione stabilita, adeò honorifica huic sacro cœtui est, vt stuporem iniiciat attentiùs eam consideranti. Concessas sanè Indulgentias legi, certas pro aliquo Orationes fundentibus. V. g. Innocentius IV. decem dies Indulgentiarum elargitus est precantibus pro Rege Francorum, vt refertur in Glossa Pragmaticæ Sanctionis, *a* & à Selua in opere de Beneficiis. *b* Adiecit ad eam summam Clemens Papa, 100. dies, Ioanne Ferraldo teste. *c* Cumulauit insuper eam largitatem Leo X. anni integri erogatione, vt est apud Benedictum ad

a in proœm. 3. verb. mareꝰ b q. 13.

c prilil.

caput *Raynutius*, *d* & apud Heliam Turonensem in Concordatorum defensione. Celebratur, hæc è censu Thesauri Ecclesiastici depromta largitas. Et tamen agitur de Rege, nec qualicunque, sed de Ecclesia Dei iam olim Benemerentissimo. Nec confertur Indulgentia, nisi fundentib. orationem. Et est Indulgentia aliquot dierum, & tandé non nisi anni vnius. Res hic est prorsus alia. Nam agitur de pauperculo aliquo Fratre in quem, quis incurrat, casu factum sibi obuium: Nec mandatur precatio vlla, vel genuflexio, aut demissionis signum quodpiam: Sed precisè deposcitur, vt quis dicat de obuio sibi Carmelita, *Ecce Frater Gloriosissimæ Virginis Mariæ*. Stipendium verò indultum, est multò auctius; triennij scilicet, & totidem Quadragenarum. Me sanè (vt præmittebam) hæc exoratio stupore defigit. Est enim ornamenti genus, quod nunquam legi, nunquam audiui, in alio quocunque euentu esse collatum; vt ad nudam appellationem, aut demonstrationem certæ superstitis personæ, haud tenue stipendium promatur è Thesauro Ecclesiastico. Sed omnium perspexere Pontificea tenerrimum Deiparæ affectum erga hunc Ordinem, velut abs se editum & maniuus pietatis lactatum, & in Filiorum ac fratrum sortem adoptatum. Ideóque meritò censuerunt, tantæ matris affectum ea gratitudinis significatione esse recolendum: & fideles ad id præstandum, Indulgentiarum illecebra esse pelliciendos. Et hæc quidem filiatio, ac fratria, prærogatiua est Ordinis Carmelitani iam ab eius cunabilis, auspice Deipara.

d Vis. absque liberis

Accessit verò longè post eiusdem specialis filiationis, & fraternitatis firmatio, & ad sodales quoque ascititios transfusio, in exhibitione Scapolaris Mariani. In ea quippè B. Virgo, non modo Carmelitas, quos per se primò spectat Sacrum Scapulare, sed etiam quotquot pium illum habitum religiose gestauerint, professa est se suppares Carmelitis in ea sorte filiorum suorum, ac fratrum specialium habituram; adoptans vtrosque in filios & fratres speciales, non ea adoptione qua perfidia generante, imaginarij parentes vmbratile filiorum nomen inscribunt, vt non absque concitatione loquitur Saluianus: *a* sed sancta, & in cælo probata. Apage verò tricas legales, quod mulier adoptare non possit *ex l. 5. C. de adopt. & l. 21. ff. eod.* Vel quod adoptare nequeat, qui liberos proprios habet naturales, ac legitimos, *ex libro 17. ff. de adopt. & l. 3. C. eodem*. Nam & alia sunt iura fori, & iura poli: & Reginas iure illo communi non teneri, Alexandri per Adamam Cariæ Reginam, & Alfonsi Tarraconensis per Ioannem Neapolitanum, adoptione docemur. Quanto magis idem licuerit cœlorum, & terræ Imperatrici? Adoptati itaq; ab ea, pro bona voluntate sua Sodales Marianos in speciales filios, & fratres, vt ipsamet B. Simoni beneuolentissimè professa est, ratum esto.

a l. 3. ad Eccl.

Hæc quanta sit Carmelitani Scapolaris prærogatiua (vt sapidissimam veritatem, obiter hic summa duntaxat proglosside contingam) nemo satis explicet. Quantum enim consolationis argumentum est, habere eandem cum Christo matrem, atque adeò prouchi in fratrem Christi? Hoc certè tantum est, vt vix sperandum aut etiam cogitandum videretur, nisi frequenti sacrarum litterarum assertione niteretur. Et verò Sanctus Paulinus (vt erat humilimus) extimuit dicere, Christum per Beatam Mariam esse Fratrem nostrum; inuidiosam, vt putabat) appellationem refugiens. Sed timebat vbi non erat timor, frustraque

epist. 4.

tesa

refulgebat gloriosissimum titulum in tanta luce Scripturarum id serenitum: & ipsius Christi denominantis se fratrem nostrum, plurices repetita assertione. Nec par est animis cadere, & Christi summani hac in parte dignationem aspernari; qua confundens statum mortalium, inæquales dedignantium (vt S. Chrysostomus a egregiè perpendit, versans illud Pauli *Nolo vos ignorare Fratres*) Homunciones, *Fratrum suorum* appellatione cohonestat. Et vt Scripturæ id tacuissent, ratio ineluctabilis rem conficeret. Mater enim nostra est Maria, & quidem Sodalium Carmelitanorum speciali titulo, Mater, vt demonstratum est. Igitur Christus Mariæ Filius, est Frater noster. Conquirat anxiè humana superbia, titulos sublimes, ac gloriosos. Nullus ad hunc titulum, per B. Mariam Sodalibus suis collatum, accedit. Nec decus duntaxat & honor ex eo per Mariã Fraternitatis Christi titulo, obtingit: sed fiducia quoque, ac penè securitas, ineffabili suauitate mentem perfundens.

a Homil. aduersus in 1. Cor. 6

Eia (exclamat S. Anselmus) a quis desperabit? Iudex Filius est Matris nostræ. Quis sibi à Fratre timebit? Et à fratre, non per antiphrasim (vt ille quondam Ægyptius) sed syncerè & medullitùs Philadelpho? Hos mihi suauissimos fructus, tire stabilitum, & Solide Carmelitani Cœtus Congregibus rite vendicatum, MARIÆ FILIORVM AC FRATRVM SPECIALIVM nomen, progignit. De iniecta verò necessitate, sanctè, ac dignè tantæ Matris Filiis, ac Fratribus vitam exigendi, erit inferiùs b opportunus agendi locus.

a L. de 4. virtut. B. Mar.

b In operis clausula.

CAPVT IV.

Participatio plena meritorum Carmelitani Cœtus, & primæui simul & Teresiani: Altera, & quidem eximia prærogatiua Scapularis Mariani.

EX natura rei, quisquis Sacro Cœtui Carmelitano inseritur, vt Domesticus, vel in eum adsciscitur per adoptionem, gaudet participatione meritorum omnium, & bonorum Spiritualium eiusdem Ordinis. Nam de Domesticis, res est per se euidens. Sunt enim membra veluti natiua, atque congenita mystici huius Corporis, quibus succus in Corporis nutrimentum promissus, per se primò cedit: eiusque communi sanguine, & Spiritibus rigantur. De Externis autem idem proportione suadetur, ex cooptatione in idem mysticum Corpus; Sin minùs substantialiter, & quasi per naturam: at per gratiam eorum ad quos attinet consortionis huius accidentariè Beneficium conferre, allegando Externos in Sacrum Cœtum. Propterea enim Literæ quibus hoc beneficium communicatur à quibusdam dicuntur *Literæ gratiosæ*, ab aliis verò *Literæ filiationis*, eo quod Religio veluti mater, Externum aliquem in filium adoptet. Qua de re ploè in Hæteroclitis Spiritualibus, a post Thomam Vvaldensem. b

a Pon. 2. 2. 3. tit. 10. 4. 93.

Cooptatio ergo in Cœtum Religiosum, infert prærogatiuam insignem participationis bonorum Ordinis quæ quamuis ex natura rei consequatur adoptionem in hunc sacrum Cœtum, & transcriptionem in filium & fratrem specialem Deiparæ, de qua proximè superiori capite, hic tamen seorsim euoluenda est, addita interpretatione iuris humani ab Ordinis legislatoribus constituti, per ea verba formulæ cooptationis in Sodalem. *Recipio te ad Confraternitatem nostræ sacræ Religionis, & inuestio ac participem te facio omnium bonorum spiritualium eiusdem Ordinis; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Nomine autem *Ordinis*, comprehendi, & antiquam Familiam Carmelitanam, & nouam Teresianam, ita ferentibus pactis conuentis inter vtriusque Cœtus Capita compertum est. Firmauitque ea Pacta Paulus V. anno 1617. Pontificatus sui 13. dato Diplomate, cuius initium est, *Ad ea quæ Personarum.*

Ad hæc, nomine *Ordinis* in hoc negotio, comprehenduntur quoque Sodales Scapularis externi. Nam quamuis hi non sint membra veluti substantialia Religionis Carmelitanæ, neque sint filij naturales, ac proprij, eiusdem mysticæ matris: sed tantùm adoptiui, & gratiosè acciti; tamen ex quo per adiunctionem legitimam sunt cooptati, habentur vt Fratres Ordinis, & bonis eius participant. Et vicissim Fratres cum Religiosi, tum Asciti, participant meritis, & spiritualibus bonis eorum. Ita enim censendum est ferre mentem eorum. Et idoneum fundamentum id asserendi, petitur ex communione quæ debet intercedere inter mēbra eiusdem corporis mystici. Disertè verò id tradit, Leo à S. Ioanne. a Nunc quale, & quantum bonum in ea meritorum vtriusque Cœtus participatione contineatur, est exponendum.

a In Paedere c. 8. p. 67. & c. 11. p. 96.

§. I.

Participatio meritorum Ordinis Carmelitani, per applicationem; quid conferat, & quanti facienda.

PArticipatio meritorum alicuius Ordinis Religiosi, vel spectatur formaliter, vel obiectiuè. Dicuntur *merita* spectari formaliter, cum considerantur, prout sunt actiones quædam vel perpessiones præsentes, quas operans vel patiens, aut is cui iste subest applicat, annuens vt alteri prosint, eo modo quo sub eius beneplacito possunt prodesse. Certum autem est non posse prodesse per modum meriti condigni, ac propriè & simpliciter dicti. Est enim solius Christi, mereri alteri condignè. De quouis autem puro Viatore, est illud veluti effatum Theologicum; *Gratia non fructificat, nisi in proprio solo.* Et rogantibus; (vt scitè in hanc rem ait Bunderius) *date nobis de oleo vestro*, respondendum est; *emite vobis ne fortè non sufficiat nobis & vobis.* Ita passim & absque ambiguitate tradunt Theologi, siue cum Magistro, a siue cum D. Thom. b Quare merita sacri Cœtus formaliter considerata, non possunt ab alio participari, nisi interuentu meriti de congruo; quo Iustus, vnus vel plures (quales vel multi, vel omnes in sacrâ Familiâ esse supponũtur) aliquid alteri mereatur, tantùm ea quadam decentia; absque pacto vel promissione vllâ diuinâ, cui tale præmium sit rependendum.

In concertat. tit. 34. art. 21.

a In 3. d. 20. 3. q. b q. 19.

Agnoscunt hoc puri hominis meritum pro alio, Gulielmus Parisiensis, c & Scholastici cum Magistro, d & cum S. Thoma, e benéque Suares. f Præterea autem Patres, tribuentes meritis vnius Iusti, a salutem

c Tract. de meritis sub finem. d In 2. d. 27. & 28. e 1. 2. q. 114. art. 6.

f ca de grat. c.35.n.2. lutem alterius. V G. meritis ac precibus S. Stephani, conuersionem S. Pauli: & meritis S. Stephani Grandimontensis, conuersionem Peccatoris adeò obdurati, vt contestaretur se nolle conuerti, & preces pro se in eum finem fusas, respueret, id quod eo loco narat Gulielmus Parisiensis. Hunc modum ex ponendi participationem meritorum Cœtus Religiosi, tuentur S. Anselmus atque S. aies. b

a l.8. Episto.37.

b To.4.3.p. disp.55.f.5. num.11.

Admissâ porò hac interpretatione participationis meritorum vtriusque Cœtus Carmelitani, per Sodales Scapularis dubitare non licet, quin hæc participatio sit insignis prærogatiua. Perpendendum enim est quantas fruges bonorum operum, tam cultus, tamque pinguis Ager ferat, per tam multos, & tam sanctos Dei Seruos vtrique Cœtui consertos. Quæ quidem bona opera quatenus alijs applicata ab iis ad quos attinet, non possunt non esse eximiæ coram Deo vtilitatis. Orationes quoque, in quibus hi sacri Cœtus sunt assidui, frequenter diriguntur expressè ad bonum Amicorum; in quibus eminent Sodales, & Congreges Ordinis. Nec est prætereundus fructus satisfactorius multorum operum pœnalium, qui est abdicabilis ab operante, & potest in alium transferri. Et quidem iusta sententiam valdè probabilem, Satisfactio vnius Iusti pro alio, valet de condigno: & acceptatur à Deo ex pacto, atque adeò ex iustitiâ. Quamuis autem aliud sit satisfactio, aliud meritum, tamen hæc satisfactionum applicatio, inuoluitur in beneficio participationis meritorum Cœtus Religiosi, quia ea est mens, & potestas concedentium huiusmodi beneficium. Intendunt enim prodesse, quantum possunt iis quibus eam gratiam præstant. Atqui possunt præsertim illis commodare, hac ratione. Facillimum quippe est, dissoluere nomina talium Amicorum, extergendo reatum pœnæ per annumeratam pro eis solutionem; exhibita Deo portione aliqua tot operum pœnalium, & maximè satisfactoriorum quæ assiduè obeunt. Quem enim later, quanta sit vbertas sanctorum perpessionum, & operum laboriosorum vtriusque satisfactiua refertorium, in his sacris Cœtibus? Attendantur, vel perfunctoriè, vestitus asperitas, chameuniæ, potus cibique parcitas, cilicia, flagellationes, nudipedalia, vigiliæ, & id genus imbonitates, corporis maximè afflictiuæ; atque adeò valdè satisfactoriæ. Indirectè quoque, frequens meditatio, carnis afflictio est, quia per meditationem contentam atque diuturnam, ex sugentur purissimi quique Spiritus. Vnde in cies, & sensim sine sensu consequens redactio corporis in seruitutem; nec raro accisio vitæ, & saltem eius traductio in labore, & ærumna. Præ quibus obesitas, & crassitudo (quam ea legis Monachi notam, statuit Philippus Abbas a) exulat ab his sacris Cœtibus, æquè ac cura carnis in desideriis. Cum ergo in beneficio participationis meritorum, tam illustrium Cœtuum, comprehendantur meritum congruum, & impetratio, ac exsolutio reatus per satisfactiones pro alijs, quis adeò cæcutiat, vt non videat quantis bonis fœta sit prærogatiua hæc Scapularis Mariani, in quâ exensienda versamur; etiam si quæ dicuntur Merita, non nisi formaliter spectentur, vt hactenus fecimus.

a l. de continent. c.93. & 94.

§. II

Participatio meritorum obiectiuè, sumptorum, potior.

Sed est præter istam, alia ratio exponendi participationem meritorum Religiosi Ordinis, quæ mihi videtur, & opportunior, & vberior; vt plenè exposui in Heteroclitis Spiritualibus, a tractans anomalias Literarum filiationis. Dicebam huius capitis initio, in hac participatione, *Merita* spectari obiectiuè; quia hic non habetur ratio applicationis meritorum factæ nunc pro alio ab operante, qui non nisi suas præsentes operationes actu applicare alteri potest. Sed habetur ratio internæ earum bonitatis, mouentis Deum ad benefaciendū, etiam si vel ism sint transactæ, vel nondum aduenerint, aut cum aduenerint, non applicentur alteri per operantem. Sic enim Scriptura sæpè memorat, Deum propter Abraham, Isaac, & Iacob, aut propter Dauid seruum suum, idest recolentem eorum sancta opera pridem transacta, misertum esse populo suo. Ac etiam immeritis contulisse vltrò aliquod bonum, intuitu antiquorum illorum Famulorum suorum, quorum pia opera habet obiectiuè præsentia, & digna agnoscit à quibus permoueatur ad benefaciendum iis, qui nexi sunt necessitudine cum Seruis illis suis.

a Parte 1.

Eadem ex causa, Philo, a & post eum S. Ambrosius, b aiunt, multùm prodesse Reipublicæ, quod sit in ea insignis aliquis Iustus. Et esse valdè dignum luctus argumentum, cum Iustus de terra tollitur. Quia boni Cines per suam præsentiam in aliqua vrbe aut regione, etiam silentes, & nihil tale cogitâtes, plurimùm commodant oræ, ac regioni in qua versantur, quatenus Deus qui medullas cordium penetrat, & nouit quanto sint erga eam oram affectu, talium amicorum suorum intuitu, indulget aliqua eidem oræ aut ciuitati, quæ alioqui non indulgeret. Eóque spectabat Stilico Comes, cum tanto studio tentabat, S. Ambrosij iacentis obitum, per ipsum S. Ambrosium auertere. Non ignarus, quanto publico damno esset migraturus: & quantæ vtilitatis foret Reipublicæ, si protraret incolatum suum ad tempus aliquod prolongari.

a l. de migr. Abrah. & de sacrif. Abelis.

b l.2. de Cain c.3. & l.1. de Abrah. c.3.

Proportione ergo philosophor de meritis Ordinum V. G. Ordinis Carmelitani de quo agimus. Cum enim tanta sint, & tampridem fuerint postque etiam futura sint vera & propriè dicta merita vtriúsque Instituti Carmelitani apud Deum; non est dubium, quin Deus ab illis sanctis operibus obiectiuè sibi semper præsentibus, moueatur ad benè volendum eiusmodi sacris Cœtibus; & ad auertenda ab eis pleraque mala ingruentia, beneuolus inclinetur; ac denique feratur ad opportunam protectionem: iisdem impendendam, etiam cum ad id non interpellatur per actu adhibitas supersititum preces, quibus tale bonum aut talis mali auerruncatio, formaliter & in actu signato expetatur. Eo ipso porrò quod quis sacro Cœtui per adoptionem conseritur, ius accipit participandi diuinam largitatem toti mystico Corpori collatam intuitu totius sacri Cœtus, ac meritorum eius.

Aiebam autem, hanc obiectiuam participationem

bem meritorum,oon esse fructuosiorem,& vberiorem formali; quia participatio meritorum formaliter spectatorum, longè minùs patet. Nam neque ad eum pertioent anteriora merita. Nemo qoippe de eis potest disponere ex quo transacta soot, quandoquidem oemo habet thesaurum prtuatum satisfactionum suarum penes se asseruatum, & multò minùs meritorum propriè dictorum, quæ in alterum transferri non possunt. Neque etiam pertinene ad eam participatiooem bona opera futura, quæ ooo possnnt de facto applicari tanquam fructuosa in præsenti; etiam per modum satisfactionis possint applicari antecedenter, vt profutura quo tempore erunt. Imo de satisfactionibus qooque dubium est, ao quando suot actu subsint plenæ dispositioni alterius quàm operantis; ità vt eo renitente, vel non consentieote, positiuè; validè fiat translatio valoris satisfactorij io tertium, per Superiorem Operantis, impertientem tertio participationem meritorum; idest satisfactionem subditi, sumptaium formaliter.

Quæ omnia secùs se habent, in participatione obiectiua sanctorum operum, ad quam pertinent & opera præterita, & præsentia, & futura; quæ Deo æquè obiiciunt in omoi temporis differentia, & illum monent, vt benè velit Ordini tam benè de se merito tamque feraci sanctorum operum; Et quia is qui donatur beneficio participationis meritorum sacti Cœtus transit aliquateous io membrum Ordinis, eo ipso id beneficij assequitur vt respeigatur rore Hermon descendente in montem Sion. Idest, vt fiat particeps protectionis, ac beneficientiæ, quam Deus dignatur Ordini conferre; intuitu meritorum pro quibus se velut io ære illius Ordinis esse profitetur, quæ est immensa tanti Domini bonitas,& in nos indulgentia.

---

§. III.

Quanti sit hac participatio, exponitur; digestis Ornamentis Cœtus vtriusque Carmelitani: & quibus insistendum aperitur.

Nunc vt prærogatiua Scapularis Carmelitani intimè perspiciatur, & manifestum fiat quanta inde io Sodales redundet vtilitas, & apud Deum gratia; perstringenda obiter sunt vtriusque Carmelitani instituti (Primæui, inquam, & Teresiani) præclara ornamenta, præ sanctis operibus quæ elicuit fœnore quod (vt Scriptura loquitur) Domino commodauit. Possumus autem ea Ornamenta præclarè gesta, digerere in aliquot series. Considerare ergo in primis poterimus in his Cœtibus Sanctos Ecclesiast. vindicatiooe, & (vt nunc loquimur) Pontificio Canonismo claros, vel non dubia sanctimoniæ fama conspicuos. Vtriquè enim eo prouecti sunt bona opera, aut perspiciones Deo acceptas, & grauidas meritorum Sanctorum, siue ad Ecclesiæ rosas, siue ad lilia spectent, vt cum Hilario Arelatensi *a* loquar. Hoe, est siue ad Sanctos tuibioe persecutionis decussos, & triumphali martyrij agone consumatot; siue ad alios in Ecclesiæ pace, vinculis corporis easolutos: Cuiusmodi suot SS. Confessores, ac Virgines in Partheoonibus, leni, sed diuturno martyrio vitam ponentes.

a In laud. S. Honorati.

Considerare præterea possumus merita, & labores variorum sanctorum Antistitum, ea Ordine Carmelitano assumptorum; qui per infulas nacti *opus bonum*, idest durum & referrum ærumnarum, seruierunt Deo, in sollicitudioe excubantes super gregem sibi concreditum: eaque ratione Dominorum amantem animas, demeruerunt. Et tametsi non omnea sunt vindicati, atque adeò ooo suot planè comperte sanctitatis, tameo quaorum coniecturæ oostratesferunt muneribus suis ritè perfuncti, ioτrauerunt in Domini gaudium, tanquam serui boni, ac fideles.

Accedit ad hanc seriem, alia; conflata è nauia operaria Apostolici zeli in animarum conuersiooem magnis animis impensorum, ac superimpensorum, vt phrasi Apostolica *a* vtar Adiungi præterea possunt, & verò debent viri io his Cœtibus propter disciplinæ dona commendati, qui docendo in Scholis, aut concionando in Pulpitis, aut Libros conscribendo (quod esse Martyrij genus affirmauit Antonius Perez *b*) illnxerunt orbi terrarum: Et idcircò fidenssore per Danielem *c* Spiritu Sancto, eo quod ad iustitiam erudierint multos, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & sicut stellæ in perpetuas æternitates.

Video patere in seriebus hisce decurrendis, campum propè infinitum. Sed pauca compendio perstrinxisse contentus, cætera dimitram legenda apud eos quos indicabo diligentiùs, & ea instituto ista prosecutos. Et nominatim apud Trithemium Laudum Ordinis Carmelitani nûquam saturum: ac Carolum Fernandinum à puero cœcum, sed mente probè oculatum, qui de laudibus Carmelitanorum, lucubrationē emisit. Id quod etiam Anbertus Miræus, præter benè multos Ordinis huius Domesticos, præstitit. Apud eos legentur ista copiosè expressa. Nam ad præsens iostitutum, satis superque est delibasse nonnullos, sicut ad inhalādū ea myro optimo fragrantiam, nihil est oecesse lecythum plenam effundere, sed sufficit gutta modica, vt habet concinna Chrysostomi *a* comparatio.

Contestandum tamen ante omnia censeo, vt solidum iaciam huius prærogatiuæ per omnia proposita capita fundamentum: itaque dicam quæ omnibus sint accepta, & nullius quantumuis pruriginosi ingenii cauilis pateant, consulto me iis parciturum Personis quas vel ratio oon inuerisimilis, vel morositas aliquorum, fortassis minùs benè animatorum in huoc sactum Cœtum vel anteoccupata sententia, à Carmelitanorum Syllabo eximpros voluerit. Malo enim paociora omnibus probata, quam plurima sudis canenda producere. Meum igitur consilium in hac I. Parte est, seruire pietati: & quam commodum eius instrumentum sit Scapulare Marianum persuadere omnibus, etiam iis qui erga hunc Religiosum titum minùs bene sunt animati. Hoc vt securè assequar debeo in hac prima Parte abstinere à tiais: neque ad præcellentiam huius sacri Instrumenti demoostrandum assumere nisi plane certa, & quæ ne illi quidem quorum frons non est frons (vt S. Augustinus *a* aiebat) diffiteri vel in controuersiam vocare queant. Sic eoim talibus niaa principiis persuasio, erit ineluctabilis: fructus intentus pietatis, felicissimè prouenient.

Quare omnes veteris Testamenti sanctos viros, quos fastis Carmelitanis plerique transcribunt Eliam dico, Elisæum, ac Filios horum Prophetarum,

Pars I. Cap. IV. Auctio admerita per Scapul.

a 2. Cor. 12.

b In Laur. Salm. *c* c. 9.

a Homil. cum Presbyter esset designatus

a l. 4. in Iul. c. 8.

rum, id est florem sanctitatis antiquæ, vltrò in primam seriem non inferam. Non quod negem inter inseri posse. Sed quod alij non pauci, velint non nisi prædelineationum Cœtus Carmelitani; qualis in Ecclesia Christianâ pridem floruit, in Sanctis illis præcessisse. Ne ergo cogar longo rationum & disputationum anfractu morosis ingeniis quibus ætas nostra nimium quantum abundat, fidem facere: & nitentem certitudinem pietatis, cui nunc insisto nebulis contentionum offundere; vltrò & lubens, (sed absque veritatis pro quâ alij satagunt, præiudicio,) spolio me tam illustribus ornamentis meæ dissertationi; quam eximiè inocularent duæ illæ præsertim gemmæ, omni sanctitate præcellentes, Elias & Elisæus.

a Tomo. 1. Chrysost. b Orat. 11. c Tom. 3. hom. de Elia. d q. 27. in 4. Reg. e Hom. de Ascens. Elia. f l. 1. Paschal. ll.

Quantum enim fulsit in templo Dei, suo æuo Elias? Quanta eius in Deum charitas! Quanta pro Populo suo sollicitudo? Subministrarent omnino multa de eius decoribus, Author homiliæ de Ascensione Eliæ a Basilius Seleuciæ, b & S. Ephrem. c Beda d verò allegatis Chrysostomo e atque Sedulio, f Eliam meritis & nomine fulgentem, quasi solem quendam sanctitatis expressit: Nam si sermonis Achiui, vna per accentum mouetur litera, Sol est, Ἥλιος, Elias ait Sedulius. Et ea Eliæ historiâ, Græcos fabulam Solis curru igneo acti, & in cœlum subuecti confinxisse, arbitratur. Vt videas, haud abs te, Eliam solem fulgentissimum, radiis virtutum omnium micantem, denominari. Elisæum item, quis & quantus fuerit, docerent Fulgentius, a Basilius Seleuciæ, & alij annotati excutiendo Festa Sanctorum veteris Testamenti.

a Serm. 18. 19. & 20. ex nouis. b parte 1. heroic. sollic. no 3. 4. 7. 14. & 18

Vnus ad vtrumque insigniter exornandum sat esto, Eucherius, collaudans eremum. [Elias, maximus secretiorum colonus, cœlum imbribus clausit, ignibus reseruit. Ministra alite cibum sumpsit, fiua mortis iura reuocauit; Iordanem diuiduum interrupto amne transiuit, cœlum ardenti curru raptus ascendit. Quid deinde Elisæus, consectator vitæ huius atque virtutis, nonne perinde Diuino miraculorum opere inclaruit? Quem insignem nunc scissus torrens, nunc innatans ferrum, nunc rediuiui, nunc olei incrementa fecerunt. Quique postremò post alia quamplurima, duplicatam in se Magistri virtutem, etiam hoc comprobauit; quod sibi superstes, Defunctum: hic Defunctum exsuscitat, iam Defunctus.] Essent igitur hæ sanctitatis Turres insigni ornamento præsenti dissertationi. Nec ego inficior quin iure de multorum sententiâ, possint ad eam pertinere. Sed præstat (vt dixi) detrimentum potius facere tam illustrium decorum, quam crabrones mouere, & adigere se ad necessitatem occurrendi posticæ sannæ; ac subire discrimen firmandi apud multos structuram dissertationis vniuersam, præ vacillante apud eos fide annumerationis tam insignium Sanctorum in seriem Cœlitum ex Carmelitano Cœtu. Cui minus silentium dispendiosum videbitur, cum alios innumeros in eo argumento copiosè versatus adeat; cum nominatim Annalium Carmelitanorum anctorem, Virum plerisque nominibus venerandum, & multiplicis formæ literariæ laude, Europâ vniuersa celebrem, Ioannem Baptistam Lezana.

In Nouo item Testamento, eadem ea causa cogor pauciores Sanctos Carmelitas appendere, inquam fecerint nonnulli. Est imprimis Antonius ille Allegre à Casanate, cuius hinc & inde corrogatio Fastis Carmelitanis tantopere locupletandis, ne à Domesticis quidem approbatur, Nam & Cherronius teres, atque rotundus; vitide pronunciat laudare se non posse Collectorem huiusmodi; qui Apographa typorum mendis fœdata, in vulgus emiserit, Fortuna etiam alius a præfatus Casanatensem in sensu suo plurimùm abundasse, addit de eo. [Scriptor ille, nullo apud nos in pretio est: eiúsque Scriptio, Viridarii verùs, quàm Paradisi nomen meretur. Quippe quæ cum sit præfidentiæ plena, ignorantiam tamen vbique spirat, & erroribus tum Historicis, tum Chronologicis, atque hallucinationibus ad nauseam referta est.]

a Thomas Aquinas à S. Iosepho Apol. 2. c. 3. pag. 136.

Et verò non esse semper consultum, ostentare multitudinem, sapienter monet eruditus Athanasius reuera Theodoretus, b confirmatque egregiè Nazianzenus. c Vsléntque hoc loco perbelle illa Theodoreti, excusantis quod paucos Sanctos Religiosæ Historiæ inseruisset. [Sufficiunt vel pauca (exempla) ad ostendendam totius vitæ formam. Etenim non totum aurum quod affertur consumens lapis sed eius paululo affricatus, ostendit esse vel probum, vel improbum] &c. Quæ diffusius prosequitur. Itaque paucos, acmini, planè inquam nemini, ac ne hosti quidem in qualibet lectione dubios propoluisse contentus institutio potius commodatum & pietati pro quâ sola hic satago, seruiturum existimabo.

b Inter nova Opuscula apud Athanas. c Orat in Arrianos, & de seipso.

---

§. IV.

Sancti vindicati, & alij explorata pietatis.

Agmen Cœlitum vindicatorum de quibus nemo Carmelitanis Litem moueat, ducat S. Angelus; admirabili Vir sanctimonia, Beatissimis Dominico, & Francisco, duobus sacræ Militiæ pyrphoris, luculenter celebratus, non absque reciproca laudatione. Narrat enim Vincentius Antistius, quod à se depromptum è Codice Vaticanæ Bibliothecæ testatur) cum SS. Dominicus, atque Franciscus, Angelum in Lateranensi Basilica concionantem audiissent, quamuis priùs Angelum ne de facie quidem nossent, nec ipsos Angelus vidisset vnquam; Diuino tamen lumine collustratos, alterum alteri Diuina beneficia cum tempore obuentura prænunciasse. Et Angelum quidem Beato Francisco, Sacrorum Christi Stigmatum impressionem, tantò ante prædixisse; reponente Francisco, manere ipsum Angelum alia stigmata, per Dei hostes apud Siculos emittenda; illato truculento letho quinis pectoris perfossionibus, & capitis per impactam sicam fauciatione, in Ipsa ad Populum Concione, ob reprehensam immanem incesti Fratris libidinem. Dominico autem Angelus prænunciauit, hostium fidei debellationem operâ eius præstandam: & securitatem per eum, candæ Christi, abactis lupis conciliandam. Vicissimque Angelus à Dominico multis laudibus cumulatus est, ac de insigni gloria quæ ipsum manet, præmonitus. Qui Dominicum, atque Franciscum fortitus est Encomiastas, non fallendi artifices inscios adulandi, verbum bonum in cordis penum diuinitus inditum eructantes, non potuit nomen vacuum; sed etiamnum peregrinans, verè (quod dicebatur,) Angelus fuit. Suppetunt de eius insignibus factis, quæ ad spissum volumen implendum

ſint ſatis. Sed hæc tantilla rerum eius delibata ſufficiat. Nam vt eſt apud Conſtantinum Manaſſem *a* Guſtus, etiam perexiguus, dolij totius : & contexti egregiè pepli documentum, fimbria præbet; vt Leo magnanimus, ex vnguibus agnoſcitur.]

a In Annalibus n.13.

S. Alberti Drepanitani memoria, à miraculorum claritate celebratur in Tabulis Eccleſiaſticis, VII. Auguſti. Et congruum fuit. Hominem miracolo conceptum, poſt annos ſex ſupra viginti ſterilitatis Parentum; ex voto, de Filio (ſi obtingeret) inter Carmelitanos conſecrando, exoratum, iam grandem natu patrare miracula. Sed vt huc accommodem quod S. Bernardus de S. Malachia ſcriptis commiſit, maximum miraculum quod fecit, ipſe fuit. Homo nobiliſſima Abbatiorum, & Palicorum ſtirpe ſatus, vt Ioannes Cabiloneoſis *b* annorauit, ſatis gnarus quæ eſſet apud Deum vera nobilitas; in id præſertim incubuit in Cœnobio, vt omnium deſpicatiſſimus haberetur. Nihil eo abiectius, nihil à faſtu ſeculari alienius. Paupertatem, & omnium commodorum exſpoliationem perfectam tanto ſtudio adamauit; quanto pleríque molliculi, carnis oblectamenta, atque delicias. Nam de accuratione in tenenda caſtitate, nihil attinet dicere; cum vix qui aliàs ſunt ſegnes, ea in parte dormitent. Æſtuabat deſiderio incenſiſſimo conuerſionis animarum. Itaque multos Iudæos ab euanidis inſtitutis, alios præterea Infideles ad ſeruiendum Deo viuo, & vero : Chriſtianos verò planè multos, à vitæ licentia ad morum compoſitionem Chriſtiano nomine dignam traduxit. In his ſanctis Laboribus, cum annos plurimos exegiſſet, ſatur dierum (quippè octogenarius,) prænunciato obitu ſuo, animam, genibus nitens, efflauit. Eam ſpecie columbæ candidiſſimæ, rectà cœlum ſubeuntem, qui morienti aſtabant conſpexerunt. Cúmque miraculorum gratia quæ viuentem illuſtrarat, etiam defunctum non defeciſſet; pia contentio Cleri ac Populi, qui ad exequias conuenerat, interuentu Beatorum Spirituum dirempta eſt. Nam cum eam Clerus, mortuale ſacrum (vt moris eſt) decantari vellet, Populus autem hanc fore importunam cantationem obiiceret; & de Sancto Confeſſore, Miſſam celebrari poſtularet, poſt præmiſſas in eam rem, iubente Epiſcopo preces, auditus eſt cœleſtium Symphoniacorum concentus, Miſſam ritu SS. Confeſſoribus proprio, cuius initium eſt, *Os iuſti meditabitur ſapientiam*, ſuauiſſimè modulantium. Sicque vno affectu, omnes effuſi in laudes, mirificati à Domino Sancti ſui, ſuoebtem parentationem, Angelico proſphonetico adhærentes, verterunt in Celeuma gloriæ. Laurentius Surius *a* quæ de hoc Sancto Viro ſummis digitis attigi, plene, & diligenter repræſentauit Inde petant, quibus guſtus iſte non explet animum.

b In SS. Topograph. V. Meſſane.

a Tomo 4.

S. Andreas Corſinus, nupera vindicatione Eccleſiaſtica clarus ſerus fuit nobilis ſtirpis ſurculus, exoratus voto Matris, propè diu annoſæ; certè longè vltra ſolitum morem vtero geſtantium, ætate prouectæ. Qui Deiparæ interpellatione editus erat, incenſo erga eam affectu flagraoit, matre præſertim facto illi igni flabellum aſſiduè admouente : & gratiam natalium à Cœli Regina factam refricante : nec ab ſtimulis filio adhibendis abſiſtente, donec illius cooptationem in ſacrum Cœtum de nomine Deiparæ dictum, ſibi eſt gratulata. Intra Cœnobium Andreas omni virtute religioſá excultiſſimus, veluti viuum regularis Obſeruantiæ ſimulachrum, ab omnibus ſuſpiciebatur. Nec deerant Diuina viſa, quibus ſubinde colluſtrabatur : & opera ſupra naturam, atteſtantia ſanctimoniæ, initio facto à cœci oculatione. Nam cum Lutetia Pariſiorum, quò ad ſacra ſtudia miſſus fuerat, in Italiam regrederetur; Aueniоne (errauit, qui locorum neſcius ſcripſit *Diuione*,) in ipſo aditu ſacræ Ædis B. Mariæ de Donis, hodiéque piorum religione frequentatiſſimæ, incurrens in cœcum, miſeratus infelicitatem, perbreui oratione illam depulit; illud vnum precatus, vt qui cœcum natum oculârat, & iſtum luce profligata redonaret. Hoc fecit initium Signorum Andreas, & manifeſtauit gratiam ſuam apud Deum. Deinceps verò, & ſuperſtes, & fato functus; & in priuata, & in publica perſona, tot & tanta ſupra naturam edidit, vt dubium fecerit, maiórne à vitæ ſanctitate, an à miraculis eſſet eius gloria.

Pars I. Caput I V. Allectio ad merita per Scapul.

S Tereſia à Ceppeda & Haumada, Gregorij XV. Decreto, honeſtata Canoniſmo in diebus noſtris; flos horti Carmelitani ſpecioſiſſimus; fragrantia ſanctitatis ſuæ, orbem repleuit. Hæc ſupra ſexum fortis Virgo, fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor. An non enim confuſionem Satanæ fecit, que detritos æui iniuria & hoſtis antiqui malignitate, pios vſus reſtituit Et fœmina (mirum dictu!) ſolutioris diſciplinæ Viris, frænos impoſuit: ac contra receptum morem, Obſeruantiæ Religioſæ teneriem Viros edocuit? Felix Virgo, quæ ſexus ſui probrum, ob implanatum à fœmina hominem primum in his ſæculorum fœcibus, ſecundùm Deiparam, deletura, maribus facta eſt Religioſæ perfectionis Magiſtra; ſuper ſenes intelligens, & ſupra ſeanm ſapiens; cui ex Romanæ cortinæ oraculo datum eſt, vt cœleſtis ſuæ doctrinæ pabulo, nutriret alumnos Chriſti. Liceat dicere, omnia in eam, heroicæ virtutis inſignia concurrere; quando, & virginitatis illibatæ candore præniuit, & ad omnem ſanctitatem erudiit plurimos. Nec ipſa martyrio defuit quod cupidè quæſiuit; ſed eam martyrium (Deo melius aliquid prouidente,) defecit. Quis ſperaſſet tantam de manu fœminæ ſalutem? In veritate comperi, quia non eſt apud Deum mas vel fœmina. Superuacuum fuerit, Virtutes eius, & Morales, & Theologicas exponere, cum ſole ſint clariores. Cœleſtia verò charismata, donum inquam Prophetiæ, diſcretio ſpirituum, raptus ac extaſes quàm frequentes: gratia miraculorum, demortui corporis incorruptio atque fragrantia, non eſt quod ſtylo facili à me deterantur, cum præſtantes Scriptores omninò multi, hanc ſibi palmam plenis voluminibus præripuerint. Et ipſa Theodidacta, conſcriptis egregiis voluminibus, in Myſtica Scientia erudierit ſanè quam plurimos.

Adducentur Regi, virgines poſt eam. Virgines planè ſapientes, quæ acceptis lampadibus ſumpſerunt oleum ſecum, in quas veritatem cadit illud Cyprian *a* elogiulum. [Flos eſt iſte Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti.] Vbi enim vigeat exquiſitiùs regularis obſeruantia, vbi paupertatis ſollicitius ſit ſtudium, vbi obedientia iucundiùs eſfloreſcat, vbi ſilentium quo multiplicitas peccatorum præpeditur, vbi

a L. de diſc. & habitu virg.

collectio animæ, & familiaris consuetudo cum Deo, diuturnior, purior, suauior, reperiatur, quàm inter sacras has Virgines, haud facilè dixerim, Proptereàque non mirum, si efflorescat super eas sanctificatio Domini. Testes, rari exempli in tot vbique Teresiania Parthenonibus Claræ sanctitatis nomine, piæ Virgines: & iam cœlo illatæ, & etiamnum superstites, è quibus vna de nomine signanda venit, Maria ab Incarnatione. Cuius res gestas, virtutes, & præclara dum viueret, ac post mortem, miracula, lumen Academiæ Parisiensis Andreas Duuallius opere tripertito descripsit. Non vereor sanctam hanc fœminam, tametsi coniugio aliquando illigatam, & Matrem, annumerare Virginibus. Nàm etiam S. Monegondes, & S. Ermenilda, aliàs coniugio astrictæ, *Virgines* dictæ leguntur, vt Molanus ᵃ ad Vsuardum notauit. Sanctus item Bernardus ᵇ sororem Humbelinam ex coniuge Monialem, identidem vocat *Virginem*. Et idem obseruauit Autor Meuologij Cisterciensis ᶜ Præiuerat de suâ Olimpiade agens, S. Chrisostomus qui rationem idoneam reddit, cur Virginem dicaret, fœminam viro contactam. Ad eundem igitur modum Sanctam hanc mulierem ministeriò sacrarum Virginum immortuam Virginibus accenseo sanctæ Theresiæ in Gallia parelion dici iure potest, cuius decora ex illustrissimo scriptore Andrea Saussaio, breuiter perstricta reddo. [Ipso die apud Pontesium, beato fine quieuit sanctæ memoriæ soror *Maria de Incarnatione*; ex vidua nobili, Monialis conuersa Ordinis S. Mariæ de monte Carmelo, eiusdèmque in francia fundatrix. Quæ in coniubio, castitate, pietate, prudentia, innocentiaque, ac Charitate insignis: in Cœnobio, humilitate, patientia, obedientia, simplicitate, austeritate, deuotione præcellens; vt horrore peccati, cultu Iustitiæ, amore puritatis, obseruantis, Diuinæ voluntatis, Deique ac proximi perfecta dilectione prædita fuit, sic Diuinis charismatibus pro munere sanctitatis ornata, supereminenti scientia salutis prophetiæ Spiritu, orationis dono singulari, raptibus crebris & extaticæ contemplationis sublimitate enecta quin & Christi stigmatibus intimè impressis cœntùs decorata, cum ardore suauissimo, animam sanctissimam efflauit: vitámque admirabilem morte gloriosa coronans, etiam prodigiis innumeris quæ obitum eius consecuta sunt, impensiùs illustrauit.] Possis id cum Cassiodoro, ᵃ quasi partoriale ouum dicere. Aperit verò omnia in partes, laudatus antea Duuallius, cuius nitenti calamo, descriptæ prætereà habentur eiusdem Teresiani instituti Virgines quinque, sanctimoniæ fama claræ; *Angelica* à S. Trinitate, *Anna* a Iesu, *Genouefa* à S. Dynisio, *Maria* à S. Trinitate *Maria* à Misericordia. adductæ ad Regem Christum, post primariam piæ illis sponsam, & Teresiam.)

ᵃ 2. Iulij, & 13. Februar.
ᵇ l. de modo benè viu.
ᶜ 22. Aug.

Martyrol Gallican. 18. April.

ᵃ 21. 2. de 22i. ma.

Fuit B. Teresiæ (& per eam, quæ illi inhæserunt,) vtrique Carmelitano instituto communis, non modo eiusdem regulæ substantialis vtrobique vsus; sed etiam quia initio addicta fuit primæuo instituto: in illoque diù vixit, licet annuente Ioanne Baptista Rubeo Carmelitanorum Moderatore generali, instaurandæ obseruation Regulæ primitiuæ, & in eam quam videmus formam componendæ sacræ familiæ, operam dederit. Itaque gloria è tantæ Virginis ornamentis ducta, vtrique Cætui Carmelitano communis est, vt præmittebam.

Neque tamen Cœtum illum primæuum feorsim à Theresiano spectatum, deficiunt hæc *Monilia Ecclesiæ*; Sic enim concionè Ignatius Theophorus ᵃ Chorum sacrarum Virginum Deo in habitatione sancta in sanctitate, & iustitia coram ipso ministrantium, denominauit. Quale enim te precor quamque pretiosum monile fuit Beata Magdalena de Pazzis, prolusoriis ad plenam vindicationem Ecclesiasticam, docente Vrbanò VIII. Pontifice maximo, honestata decoribus? Insignes virtutes, cum Theologicæ, tum Morales, implendo spisso volumini pares, in ea micuerunt; familiarissima cum Deo communicatio, Charitas in Deum, & proximos intensissima, mentis abalienationes admodùm frequentes: ac iustitium externorum sensuum, præ defixione in Deum supra communem piarum animarum motem subinde repetitum: perpessionum Christi participatio in mensura, ad omnem diuinum nutum tractabilitas cerea. Ægrè post hæc charismata meliora, prugreditor ad visiones, & reuelationes Domini, adhibito multiplici lapide Lydio comprobatas: itémque ad gratiam sanationum, nec qualiumcumque, sed planè insignium, cùm etiam elephantiasim, & teterrimos Carnodes oblingendo depulerit: & animam præ ægritudinis vehementia, mox fugituram, desperantibus valetudinem Medicis, expresso signo Crucis intra corpus momento sanum, stiterit. Et eà quidem patrauit, cum adhuc carnis ostreo adoperta, in terris degeret. Quæ verò diuina opera felicem eius ad cœlos digressum sunt consecuta, eiusmodi sunt, & dignitate, & multitudine, vt de sanctissimæ huius animæ apud Deum gratia, non relinquant dubitandi locum. Sed illud omni acceptione dignum, & in hac tametsi nimium quantum angustata parcitate non dimittendum; quod corpus demortuum iacens publicè in feretro, dum expectante condendi opportunitas, confluente ad pium spectaculum copiosa multitudine non modo viuidum, & superstiti quàm demortuo similius, præ ori compositione apparuit: sed etiam cum propius accessisset ad sandapilam, lutulentæ vitæ, & illuuie impuræ sordibus inquinatus nebulo, notata ab omnibus obuersione in alterum partem, mutis vocibus, & tamen sonantissimis, testarum fecit, quantum nitentissimæ vitæ studium occupasset superstitem, quæ etiam demortua conspici cominùs à maleuola anima, & corpore subdito peccatis abhorreret. O Deum in sanctis suis, siue viuentibus, siue demortuis, mirabilem.

ᵃ Epist. ad Antioch. & ad Heronem.

Sed me dulcedo argumenti vltra præscriptos fines abstrahit. Inique vltrò, teclò planè multa, quæ de aliis compluribus io eodem primæuo plantario, & cum suauissimo sanctimoniæ odore Ecclesiæ vniuersæ inhalato consitis, dicenda occurrissent. Quamuis non absque orationis damno, & meo fastidiu præterco vnam, Mariæ ab incarnatione, quam in cœtu Teresiano floruisse retuli antistrophan; sanctimonia & diuinis Charismatibus, vel æqualem, vel supparem gradu etiam nobilitatis superiorem; Franciscam ab Ambasia ex Britanniæ armoricæ Ducissa humilem plantam Carmelitanæ familiæ. Verum quando finis alicubi in tanta vbertate faciendus est hic sanè fiat.

Itaque turbam personarum insignis sanctitatis in vtroque cœtu Carmelitano, sciens volens prætermitto; & quia hic non ago Hagiologum, & quia in immensum diffundenda esset oratio.

Quàntum

Quantum enim temporis impendendum esset, vel leuiter attingendis rebus Bertoldi à Malefaida, cuius natalem Molanus 29. Martij consignat? Quantum in AVERTANO Lemouicensi, Angelica, voce ad hoc institutum excitato? Idem iudicium esto de Brocardo, secundo inter Latinos Generali, de nostro Simone Stoch. Anglicano, de Gerardo Sagredo apud Pannonios celeberrimo, de Alberto Ambianensi, Petri Eremitæ belli sacri præcentoris, pronepote, de Francisco Senensi apud Cremonenses percelebri, de Franco item Senensi perperam cum ciue suo Francisco, ab aliquibus confuso, cum longum annorum chaus inter vtrumque iaceat; Franco Senis defuncto vndecima Decemb. 1329. Francisco autem in Germania interempto, pro Christi causa 1325. April. 11. Idem pronunciatum volo de Theodorico Alemanno, Ioanne Soreten, Baptista Hispaniolo, cognomento Mantuano, doctrina, pietate, gratia miraculorum, perillustribus. Specimen id esto hominum sanctitate clarissimorum è primæuo Cœtu Carmelitano, quos silentij spatio, ne nimius fiam, sciens obduco.

E Teresianis eadem de causa reticentur, Ioannes à Croce, Dæmonum terror, & B. Teresiæ in Dei negotio Collaborator religiosissimus, notæ vir sanctitatis; Franciscus à puero Iesu, Regibus ipsis atque Summatibus, præ virtutum queis colluxie inbare micantissimo, in summa habitus veneratione; Petrus à Matre Dei, excellens verbi Dei coram tribus Pontificibus tractator, Baronio, a ab insigni sanctimonia collaudatus. Ioannes quoque è IESV MARIA, cuius mihi sacræ exuuiæ in Tusculano S. Syluestri secessu, nulla æui iniuria detritæ, pias lacrymas non semel inter conspiciendum exciuere. Attigi eius decora alio loco. a De his & alijs ad confectionem pleni voluminis idoneam materiam subministraturis, alibi agendo. Hîc non nisi specimen Carmelitanæ sanctimoniæ, attingendum recepi.

a Ad annum 1589.

a Lib. Incorr. tom. c. 9. num. 6.

---

§. IV.

Antistites Carmelitani, viri verbo & doctrina Apostolici.

ANtistites ex Ordine Carmelitano, suppetunt plurimi, & quidem eiusmodi, vt se *Lycnos Ecclesiæ* (quo nomine Episcopos honestat Gregorius Nazianzenus) b verbo, & exemplo comprobarint. Fideiussorem habeo Petrum Thomasium Vasconem, ex Carmelita Parisiensem Doctorem & Theologiæ in aula Pontificia Magistrum, iussu Clementis VI. Pacensem Episcopum, postea Apostolicum Legatum, & Patriarcham Constantinopolitanum ritus Latini erga B. Virginem, vt Carmelitanæ Religionis alumnum decebat, studio fuit planè singulari. Assiduè nomen *Maria* habebat in ore, & quia iuxta S. Paulinum, a sapor mentis in sermone sentitur, non est dubium quin altè infixum cordi haberet, quod iugiter ore versabat. Sanè in demortui corde impressum repertum augustissimum Mariæ nomen, (æquè ac de S. Ignatij Theophori corde proditum vulgo est, inscriptum esse deprehensum Sacro sancto IESV nomine;) Auctores probati retulerunt. Sed illud affectus sui in Dei-

Theophili Raynaudi Marialia.

b Epist. ad Basilium. 30.

a Epist. 30.

param testimonium prætereundum non est, quod immaculatam B. Virginis Conceptionem passiuam egregio volumine comprobauit, atque tutatus est. Vicissim Deipara vinci à suis clientibus nescia, visibiliter conspicua addictissimo sibi Petro spopondit ei perennem tutelam per vitam vniuersam; Quem eundem beneuolentissimæ parentis fauorem Ordini Carmelitano nunquam defuturum, accepit inter orandum pro Ordine suo Bononiæ; cum ei quidam malè feriati obstreperent, & aduersus cælestia munera illi collata murmurarent. Res sancti huius viri Philippus Mazerius regni Cypri Cancellarius ad posteros transmisit, & recens Lucas Vadinghus, cum eum (vt ab ipso audire memini) ad suum Ordinem Minorum pertinere existimaret: quem errorem scribendo abiecit, fassus fuisse Carmelitam. Ex vtroque Gallicam vitam conflauit & euulgauit Michaël a Sancto Spiritu, & Prouinciæ Turonensi Missionum in Orientem Commissarius Generalis Apostolicus. De Petro autem Thomasio, breuiter sic Molanus, a ad Vsuardum. [Apud Famagustam, ciuitatem Cypri, B. Petri Thomasij, Patriarchæ Constantinopolitani Doctoris præcelebris, Ordinis Carmelitani professoris, qui post plures de S. Crucis inimicis victorias, postque plures conscriptos libros, ac patrata miracula, diem bona a se præsignatam, feliciter obdormiuit.] Quantum dispendium in compendio! Præteritum enim vides, & Episcopatum, & munus Apostolici legati: & concertationes cum Infidelibus, non incruentas tantùm, & absque ferro, dum sermones faciunt, & faciuntur; (Verba sunt Tarasij scribentis ad Patriarchas in VII Synodo;) b Sed etiam ducto milite conterepante Classico, cum multa hostium fidei strage, prælato suamet manu media in acie Crucis vexillo, obitas militares expeditiones, quales Antistitem sacrum non dedecent, hostium telis appetitus, Sanguinem Christo ex plagis nunquam ritè obductis, post immitte rependens, feliciter cursum vitæ sanctissimæ confecit anno 1376. Famagusta Cypri Metropolis, Alexicacum per tempus grassantis pestis experta; apud se conditum, præcipua religione veneratur. Vrbanus V. eo diplomate quo Petrum in Constantinopolitanum Patriarcham elegit, vocauit eum virum secundùm cor Dei, vitæ honestate sublimem, firmum & inuiolatum in studio Religionis, scientia, præcellentem, humilitate admirabilem, animosum clementem, circonspectione prudentem, in lege Dei ac fidei rebus doctissimum.

Pars I. Caput V. Antistites ex Ord. Carm.

a 6. Ianu.

b Actio. 3.

Vnicus in numerosissima multitudine è primæuo Cœtu à me in hac serie productus Antistes Carmelitanus numeri damnum pensabit. Si res ferret, haud ægrè plurimi capitarim appenderentur; & ex sola ora Britanniæ Maioris Pitsæus plerosque primæui instituti Carmelitani Antistites recenset. Cuiusmodi sunt David Chr. Dormorensis Episcopus Gulielmus Badb. Vig. Gulielmus Pag Mid. Ioannes Gressus Lesmor. & Vvalfordensis. Ioannes Langtonus Roffensis, Ioannes Stambernus Herefordensis, Ioannes Suatchamus Barbonensis, Richardus Alesmius Bormorensis Richardus Hort. Dullinensis, Robertus Mascaldus Heresfordiensis, Stephanus Patr. Menal Thomas Collius Lesmorensis, & Vvalfordiensis, Thomas Peuerellus Vrigoniensis, Thomas Scopus Dormorensis Qui ex Gallia primæui instituti Carmelitani ad infulas sunt euecti ex Claudij Robert Gallia Christiana, & alijs in eodem argum. versatis, sunt manifesta. Alij

ex Italia, Hispania, Germania, aliisque Catholicis regionibus ad honoris cathedram assumpti, occurrent apud eos qui Episcoporum cuiusque regionis indices confecere. Hæsit autem in Episcopis è primæuo instituto eductis. Nam Teresiani (quod sciam) nullo hanc seriem nomine ditant; Sancta quippè fundatrix, æmula B. Ignatij, è cuius sacræ doctrinæ fontibus per B. Franciscum Borgiam, ac hominem Dei Baltazarem Aluarez, puros Religiosæ perfectionis latices hauserat; votum, (vt vocant,) humilitatis, id est hærendi in sorte humili, nec subeundi Cathedram Honoris, inter suos induxit: quod ea declaratione (aio *declaratione*, non *decreto*) Vrbani VIII. etiam in alium fortè Ordinem eo voto liberum transcribendos obstringit; adeo arcta est eius obligatio. Præstare igitur visum est Sanctæ Fundatrici, habere in Cœtu abs se instaurato qui digni essent in Antistites promoueri; quàm qui reipsa ad infulas promouerentur, Ecclesiæ suppeditare.

Suppares Episcopis sunt, qui pascendo gregi Christi, & amplificandæ eius caulæ, aggregatione Infidelium ad vnum ouile, laborant in Doctrina. Muneris enim Episcopalis maximè proprium esse, his ministeriis impendi Sanctus Gregorius, *a* confirmat, & Synodus Tridentina, *b* declarauit. Qui ergo tractando Dei verbo, & conuertendis ad Christum erroribus strenuam nauarint operam, multi occurrunt in vtroque cœtu Carmelitano. Sed hic quoque breuis delibatio sufficiet.

a 19. *Mor.* c. 11. & *Regum lib.* 1. *Orat. Christ.* à c. 14.
b *Sess.* 5 c. 2. *de reform.*

Indefessum Beati Simonis Stochij hac in parte studium, iam suprà exhibui. Petrum Thomasium ab eodem zelo Apostolico in fide disseminanda, & quaquauersum diffundenda, celebratum passim lego. Æstum quoque S. Angeli concionantis, sola totius sanguinis inter concionandum profusione restinctum, superiùs retuli. De eo proditum est, quod innumeros Iudæos, ac Saracenos ab infidelitate ad Christum sua prædicatione traduxerit. Fideles verò omninò multos è cœno peccatorum abstractos, supra petram statuerit, & eorum gressus direxerit. Cedo aliquo numero Apostolici Spiritus concionatores Angelo consimiles: & Satanam orbe exactum, caliginem erroris mundo depulsam, detersam vitiorum illuuiem, virtutum nitorem vbique efflorescentem videbis; Tantùm est, vel in vnius hominis Spiritu Apostolico momentum.

Cap. 1.

Teresiani in hac serie insigniter splendent. Nam etsi vndecima hora venerunt, tamen Spiritum nouum subministrante Patre Familias, vineam Domini extendentem palmites suos vsque ad mare, strennè, ac nauiter, & fructu laboribus respondente excoluerunt. Erumpit idcirco in encomia luculenta huius Cœtus, Clemens VIII. in Diplomate dato 23. Martij ann. 1594. Plagulam adscribo. [Cùm hic Ordo vberes laborum suorum fructus ex continuis suis prædicationibus, lectionibus, studijs, exhortationibus, & aliis pene innumeris pietatis operibus, quæ pro salute animarum assiduè præstat, Ecclesia colligat, & vberiores quotidie colligere speret, vtpotè qui iam ad Indos vsque, sit non modicè propagatus, ibique, & vbilibet Hominum corda ad Deum omni studio conuertere nitatur, &c.] Et in aliu Diplomate cuius initium est. *In Apostolica dignitatis*,] Cum præter fide dignissimorum testimonia, quæ de huius Ordinis sanctitate ad nos perlata sunt, nos ipsi experientia cognouerimus, quantum vtilitatis in Ecclesia Dei piis eorum exercitiis, tum orationibus mortificationibus, asperitate vitæ tum prædicationibus, Confessionibus, & Sacramentorum administratione, ad Dei laudem Christi Fidelium animarum salutem, quotidie afferat, &c.] Eiusdem aliud Diploma, hoc initio, *Dominici gregis cura*, & epistola ad Sciahabam Persarum Regem, qua tres ex hoc Cœtu ad eum destinabat, & commendabat data anno 1604. Pontificij sui anno 13. tantas laudes pangunt huic Cœtui à studio præferendi Diuini honoris, & zelo conuersionis animarum, (cui puncto nunc insistimus,) vt nihil possit in eo genere illustrius absolutiúsve proferri. Quibus si adiungerem, qui in eandem sententiam Paulus V. anno 1610. Pontificatus V. ad Henricum VI. Regem Christianissimum, verbis amplissimis scribebat, & quæ rursùs anno 1613. ad Electorem Coloniensem exarabat, insigniter quidem exornasse hunc Cœtum videter: Sed minùs necessarium est, à mutis apicibus præsidium petere, vbi facta altè resonant, & ab omnibus, quaquauersùm per orbem exaudiuntur. Satis superque in hac serie hæsum. Progressus faciendus est ad Scriptores.

---

§. V.

Scriptores è Cœtu vtroque Carmelitano.

FRuctus Scriptionum, non mustearum (vt ille *a* appellabat,) sed excoctarum, & ritè excultarum; quanto fructui, ac præsidio sit Ecclesiæ Dei, disputatum est alibi; *b* estque per se perspicuum. Hoc decus in Ordine Carmelitano est eximium. Quod si plenè exequi vellem, exscribenda hic integrè esset Lucubratio Ioannis Trithemij de Scriptoribus Carmelitanis, nec non Auberti Miræi Opus de eodem argumento: & Volumen plenum, cui titulus *Bibliotheca Carmelitana*. E Solis Anglis, Pitsæus centum quadraginta recenset capitatim; quorum plerique in vario Disciplinarum genere, multiplici ingenij fœtura claruerunt. Et superasse Carmelitas in literaria palæstra omnes alios, dixit Nicolaus Harpsfeldius, *a* agens tamen de sola Anglia, nec tam spectans numerum Scriptorum, quàm qualitatem, ac dignitatem.

a *Plin. l.* 8. *Epist.* 21. *Sidon. l.* 8. *Epist.* 3.
b *L. de bonis & malis libris p.* 1. *Erot.* 1. *& in fictis mortuorum.*
a *Sect.* 15. c. 18.

Inter primæuos doctrinæ soliditate, acumine, vbertate lectionis Sacræ, dexteritate elidendi aduersarios, omnibus denique insignis Scriptoris ornamentis, eminet (meo quidem sensu,) Thomas Netteus à patria cognomento *Vualdensis*, Vvicleffi debellator. Imò si optimis Censoribus, Andreæ à Vega, & Alfonso de Castro, Ordinis Minorum insignibus Hæresologis credimus; nemo neruosiùs solidiùs ac plenius eius æui hæreses excidit: & ex eius armamentario quotquot deinceps Lutherum, & Caluinum, ac huiusmodi spuria vitulamina impetierunt, habuerunt vnde instruerentur, siue ad feriendum, siue ad obsistendum. Martinus V. eius temporis Pontifex, Thomam cuius Volumina ad se directa, admodùm accepta habuit, *ensem prævalidum Ecclesiæ*, solebat dicere. Ex eo scilicet ensium genere quod Christus præcingit, vt Rupertus *a* Apostolos nominat, & præiuerat S. Augustinus, *b* S. Cyprianum specie Macharæ in hostes suos à Deo vibratæ, repræsentans.

a *in Psal.* 92.
b *Serm. de eo.*

Annuit

Annuitque Diuus Gregorius [c] expendens illud Iobi, *ferrum de terra tollitur*. Inter hos sactos enses quibus non est melior alius, (vt de Goliathi ense sumpto è Tabernaculo dictum est) iure optimo recensitus Thom. Vvald. adeò feliciter fecit in hoc gladio ancipiti Spiritus sanctus, vindictam in nationibus Angliæ, & Germaniæ: & increpationem in populis com. Vvicleffo, & eius propaginibus Husso, ac Hieronymo Pragensi aduersus castra Ecclesiæ coniuratis, quorum magnas strages vibrante calamum Deo, Thomas & tunc edidit, & suo functus peregit edere. Aliquæ quidem muscæ morientes, huius vnguenti suauitatem exterminare tentarunt; impingentes Thomæ Vvaldensi, errores quosdam ab eo traditos: alias verò quasdam propositiones sugillantes atque damnantes, quas ab eo traditas negari non potest. Sed Ioannes Baptista Rubeus, iusso de bis cauillationibus Libello, Vvaldensem, calumnia pulsari quoad priores illas assertiones, clarè demonstrauit. A cæteris verò quæ apud eum extant, euicit procul abesse omne doctrinæ reprobæ fermentum, Sed esse vel absolutè veras, vel omninò probabiles: atque adeo Authorem eorum, malè esse notatum, Quare ringatur inuidia? faceslat damnandi optimos Doctores prurigo. Thomas Vvaldensis, Scriptor est vndecumque potius, & vbiuis laudatissimus. Guttam exhibui (vt sic dicam) præ mari præconiorum, egregio huic Scriptori iure pendendorum. Sed tenuitatem meam supplebunt alij in Thoma collaudando vberiores, Ioannes Trithemius, Sixtus Senensis, Nicolaus Aurificus, Ioannes Pitsæus: & qui Patrem Operum eius vulgauit præfixo longo encomio, Ioannes Baptista Rubus. Huic debet succenturiari Guido Perpinianus Hæresecon Catalogo, Quatuor Euangeliorum Harmonia, & pedo-Episcopali notissimus.

Alios præstantes è primæuo hoc Cœtu Scriptores, Bibliotheca Carmelitana tam multos profert, vt nihil sit necesse in ea messe paucas hic spicas decerpere; cum iniuria tam multorum, qui præ copia essent prætereundi. Cæteroqui ad manum essent, de omni argumento, & in omni disciplinæ genere, Scriptores nobiles in Theologicis, Ioannes Bachonitanus, Nicolao Harpsfeldio [a] laudatissimus est. Sic enim de eo scribit. [Apud Icaonem Tomsonium, *Ioann* Bachontorpio (quod nomen traxit à vico Nordoueggiæ Bakontorpio, vbi natus est) quem exteri ferè *Baconem* appellant, prima pietatis, & doctrinæ rudimenta, & incunabula fuere. Qui non modo inter huius Diœceseos, & *Sæculi*: sed & inter reliquos huius Sæculi, nostros, aliósque Scriptores, pietatis, ingenij, & omnis generis liberalioris doctrinæ magnitudine regnat. Et ita regnat, vt egressus has quasi nostri Oceani latebras, ægrè reperias in vastissimis alibi Christianorum regionibus multos; qui non dicam, superent, sed vel æqueot hunc nostrum Bachuntorpium.] Non erat Harpsfeldius ex Ordine Carmelitano. Itaque eius iudicium de Bacono, minus patet suspicioni.

Præcellunt item ex hoc Cœtu in alia Theologiæ parte hoc est in Scripturæ expositione, Michaël Aiguanus cognomento à *Bononia*, tandem cognitus: ac Thomas Beauxamius Melodunensis Patrum memoria Regius Ecclesiastes, & Diuini Verbi voce, ac scripto tractator eximius, & alij absque numero, perspecti omnibus in re literaria non prorsus hospitibus.

Theopinis Raynaudi Marialia.

c 18. Mor. c. 16.

a Sæculo 14. c. 17.

Nec anteriorum gloriam detriuerunt, imò eumularunt *Petrus Carneiro*, lumen Salmanticense: & alij, quorum hodiéque scriptis prælo c. lent. benè mul. ti. Quos inter Ioannes Baptista Lesana in vtraque Hesperia notissimus, Scholasticæ, & Moralis Teologiæ promptuarium. Temperu pluribus, ne Hominis modestiæ tentata laudatione meritis commensa grauis fiam. Quod æquè citra Danielem à sancto Ioseph lernandum video, Scholasticum Theologum, & soliditate, & acumine, & nitore præcellentem. Ex tantum nomine parciùs celebrandum, quod summam Theologicam plenam, & accuratam penes se premit, vnico quod edidit volumine saliuam lectorum, & appetentiam exciuisse contentus, cum oportuisset quod illum Romæ pridem vegebam, non fraudare diutius tanto bono Literatos, ne celans eiusmodi opes audiat, [a] *Sapientia abscondita, & Thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque.*

In altero Carmelitano cœtu, pro tempore à quo excitatus est, ab anno scilicet 1568. vberem Scriptorum lectissimorum copiam proferre graue non esset, nisi ex perpaucis quos obiter attingam (accuratione perdensendi, vt circa primæuos feci, ad collectores Bibliothecæ ablegata,) facile foret pronunciare de cæteris. Sed ante omnes celebrandæ veniunt in hac serie, sanctissimæ Virginis Teresiæ scriptiones, Angelicæ, Cherubicæ, Seraphicæ: cælesti doctrina (vt Ecclesia [a] loqui nos iubet) in animarum pabulum differtæ. Possis ad eam absque inuidia transferre, cognomentum à sancto Ioanne Chrysostomo [b] inditum Magno Dionysio. Vocauit enim *auem Cœli*, quod nunquam repat scribendo: sed quicquid demum attingat calamo, sustollatur semper in altum, nec nisi sublimia, & plebeis ingeniis inaccessa proponat. Hoc ad veritatem de sancta hac Virgine dixeris. Quo enim purius, ac nitentius erat in ea speculum mentis, eo radios solis æterni, excipiebat vberiùs, & remittebat potentiùs. Vt mirum non sit præstantissimos Scriptores, & in his Franciscum Ribetam in diuinarum literarum interpretatione, velut Sydus fulgentissimum,) profunditatem sapientiæ in huius Virginis scriptionibus demiratos, hæsisse imponentes ori digitum, Beatos pronunciantes quibus tantæ de rebus abditissimis notitiæ adyta, reserante Deo, Patuerint eminus saltem perspicienda.

Respersit sancta Theresia scriptiones suas laudibus Societatis Iesu, haud immemor lectissimos ex ea Patres, Baltasarum, Aluarez Beatum Franciscum Burgia, & alios non paucos ipsam non tenuiter demeruisse quo magis improbanda fuit monstrosa temeritas, qua ante annos aliquot loca supra viginti ex sanctæ Virginis operibus recisa sunt quibus de societate eiusvè hominibus honorifica mentio continebatur, signat ea loca Nicolaus Lauditius in opella cui titulus gloria sancti Ignatij, sed benè habet, quod agente me ante annos circiter quindecim Romæ in comitiis generalibus Teresiani Patres eam sanctæ matris dehonestationem quam maximè aduersati sunt, eaque vitiata editione operum sanctæ Theresiæ suis interdictum esse voluerunt, nec absque pœna incorruptorem scriptionum illarum constituta si deprehenderetur serio insuper mandantes vt quam primùm ea deprauata editione abolita libri sanctæ matris ad antographum quod in Escoriali asseruatur recognoscerentur, & genuinæ

Z 3 editioni

Part 1. Cap. 11. Allocutio ad meritum per Scapul.

a Eccl. 20.

a Vrban. 8. in orat. S. Ther.

b homil. de Pseudo Prophetis.

Electioni restituerentur, quod puto factum; Plane præcidendæ fuerunt vt Tertullianus loquitur manos quæ adulterationem illam tentarunt, & vero tamen ne scit vlus expertia de Ioanne Pineda quod primus historiam propheticam Francisci à Sancta Maria pro scripsisset firmato eius iudicio primùm in Hispania, tum Romæ, ac nuper denuo quoque in Hispania æternæ de ea historia sepulturæ decreto vt oporteret capiendæ libidinis vltorias, corruptrices manus in sanctissimæ matris lucubrationes inijcere, quam verò protentior fuisset grassatio si eiusdem Sanctæ Virginis Epistolæ postea Ediræ encomiis Societatis Iesu redundantes iam tunc apparuissent res per se loquitur, nec hærendum est in demonstranda turpis facti indignitate pergamus porro.

Secundùm Matrem, plerique haud degeneres Filij Cœlestem qua imbuti erant sapientiam, scriptis multiplicibus commiserunt. Quantum enim vim ingenij & doctrinæ, siue Diuinas scripturas explanet, siue Ascetica tractet, exhibuit Homo Dei, IOANNES A IESV MARIA? THOMAS verò à IESV, quantus est in Canonum & Iuris Religiosi peritia? HIERONYMVS GRATIANVS, quem S. Teresia *Suum Eliseum* (nomenclatione Macedonio viro sanctissimo delata a Matre Theodoreti *a*) appellabat, numerosissima sobole literaria, Ecclesiam ditauit; quam Andreas à Marmore, vitæ eius Autor sigillatim recensct. Vnde intelligitur eum & in Asceticis, & in morali, ac Scholastica Theologica, laudem tulisse non vulgarem. Audio trans Pyrenæos ab aliquot annis, fuisse ex hoc Cœtu complures, quorum laboribus excultæ pariter sint seueriores Disciplinæ. Sed mihi (vt ingenuè dicam) ab annis circiter triginta, quibus Sordescere scholastico puluere desij, exoticarum huiuscemodi mercium anxiè conquirendarum intepuit studium. Itaque dimitto aliis, qui ex Instituto Carmelitanos Scriptores annotarunt, curam plores è Teresianis Scriptoribus appendendi. Ad præsens enim institutum, sufficit specimen quod exhibui. Qua etiam ea causa, circa Scriptores Cœtus Primæui, parcissimus fui: & exiguo specimine contentus, in enumerandis omninò molestis, & antiquis & nuperis diligentiam non probaui.

a c. 13. Religiosa histor.

§. VI.

Recollectio ornamentorum, & accommodatio ad dignotionem prærogatiua in qua versamur.

EXpassam per varias series, ornamentorum Carmelitanæ Familiæ orationem, contrahamus in pauca; vt matres faciunt, quæ filiolo post varia bellaria in sinum congesta, togam reducunt, vt nihil effluat; quæ est S. Chrysostomi *a* concinna in hanc rem comparatio. Tot itaque, & iam multorum verè summorum omnis generis hominum labores pro causa Dei, & pro Ecclesia, quam prætiosi sint in conspectu Domini, quam apud eum gratiosi, quis Fando explicet? Recolantur, ne perfunctoriè, paucorum quos è multis protuli, indubiæ fœlicitatis Sanctorum, curæ dum superessent, tot sacrorum Antistitum indefessa studiis; tot lucida sydera Scriptorum Sacrorum, qui caliginem ingeniis offusam, lucubrationum suarum iubare depulerunt, tot sacrarum Virginum, therapeutas in cælesti aula agentium, pia obsequia. Horum inquam, & aliorum quos dinumerare nemo poterit, ex omnibus gentibus, tribubus, & populis, & linguis in vnum fasciculum viuentium coram Domino adunatorum; odorem suauitatis, ipsi Deo & Angelis eius inhalantium, obijciamus animo: Quamque Deum mulceat ea fragrantia, quot bonis afficere, totum Cœtum è quo prodit, quæ non mala ab eo auertere propensissimè velit, consideremus. In huiusmodi sertum colligari, asciscì inquam in talem Cœtum; & cœlestium fauorum ei iori communium, participem fieri, hoc est, quod tanquam eximiam Carmeli Scapularis prærogatiuam, meritissimò suspiciendam, & omni studio captandam, propono.

a Hom. 3. de verb. Esaiæ.

Quia verò nomine *Ordinis*, cum agitur de meritorum eius participatione, comprehenduntur in hoc negotio, etiam Fratres Ascititij, siue Sodales cuiuscunque conditionis, ac sexus; & hinc quoque eruendum est, quantus sit huius prærogatiuæ fructus, ac dignitas; siue illi Ascititij Fratres sint Religiosi alterius instituti, qui proinde meritis abundent: siue sint purè Seculares, ac etiam coniugio illigati. Est enim crassus error, existimare, Deum non reseruare sibi in seculo multos magnæ virtutis, qui non curuant genua ante Baal. Quinimo sicut multi Religiosi sub habitu Religioso sunt reipsa seculares, & pertinent ad Seir, siue ad Esau, iuxta Richardi Victorini *a* allegoriam, & est frequens gemitus S. Bernardi, *b* ac S. Gregorij, *c* Ita è contrario, multi seculari habitu operiunt animum religiosum: & sub paludamento, viuunt religiosè; quod de S. Martino in militia iam Monacho, dixit Sulpitius; *d* & de Nebridio, *e* ac Exuperantio, *f* S. Hieronymus, & optimè de S. Maximo Faustus eius successor, *g* his verbis.] Diu ille sub habitu seculari, Christi militem gessit. Diu sanctæ vitæ quæ sola deërat, professionem negauit, Diu in hunc mundum positus, extra mundum fuit: Diu seductori imposturam fecit. Diu mentientem fefellit. Et cum eum iam mundus animo non agnosceret suum, vel solo tamen corpore tenebat alienum.]


a l. de Inter. c. 3. b Serm. 2. in cap ieiun. nyt & hom. 3. super Missus est. c 3. p. Past. admon. 29. & præfat. in Iob. c 3. d In vita e Epist. ad Saluinam f Epist. ad eum g Serm. de eo.

Itaque non est vniuersaliter verum, quod Ioannes Sarisberiensis *h* dixit, negligentem Religiosum, meliorem esse optimo seculari. Sepè enim in Religiosis negligentibus, iuxta Blensensem, *i* reuiuiscit amor seculi; quem seculares mortuum, nec nisi externa specie viuum conseruant. Vxor Iacoponi sub cultu, & mundo exquisito, aspero cilicio amiciebatur. Fuit quæ vsus coniugij voluptatem, subiectis in thoro acutis cuspidibus, obtunderet. Flagella, multis in seculo clam in se ipsos sæuientibus sunt frequentia. Quidam mollia strata, & instructum lecticarium ad pompam foris exhibentes, in recessu chameuniis se macerant. Multi sanguinem sibi, erogatione eleemosynarum, prolicjunt, Tam multorum ergo vtriusque sexus (longè superantium multitudine Fratres Primarios,) Sanctis operibus participare, quantum erit?

h 7. Polycr. c 23. i in Inuect.

Est autem non quod in hac clausulà, prolixitatem nonnullam in ista prærogatiuà euoluendà deprecer; sed quod contractiùs ne istius maiore, laxatam tantæ prærogatiuæ dignitatem possim agnoscere.

CAPVT



CAPVT V.

Vbertas Opum, è Thesauro Ecclesiæ publico, Mariani Scapularis Sodalibus communicata.


ET hæc quoque insignis est prærogatiua, sacri Scapularis, eiúsque commédatio haud exigua. Pontifices enim sacri census erogatores, non profunderent eiusmodi cœlestem largitatem pro re nequaquam probanda, vel etiam quæ tanti non esset. Itaque eo ipso quod amplissimas Indulgentias, de Ecclesiæ Gazophylacio, Christi, & Sanctorum meritis diuite, elargiti sunt Sodalibus Scapularis Mariani; manifestum signum est, eos hoc Institutum maximè probare, quod est eidem instituto per honorificum; cum Pontifex Romanus, iuxta Patres alibi *a* adductos, sit *os*, & *lingua Ecclesiæ*, quæ in rerum piarum æstimatione hallucinari non potest, cùm Spiritum Sanctum habeat ductorem, & moderatorem.

a In Onomastico Pontificio.

Nec honorifica dumtaxat est hæc Prærogatiua, sed etiam admodùm fructuosa. Etadit enim reatum, cuius rubigo hominem obæraret ad graues pœnas, in hac vel altera vita subeundas, nisi per Indulgentias extergeretur. Itaque non fuit de hac prærogatiua silendum. Commodè autem hanc prærogatiuam, præcedenti proximè expositæ subnectimus; quia prior illa, ditat Personam meritis totius Ordinis Carmelitani: hæc autem ad quam aperiendam accingimur, confert Christi, & Sanctorum merita; prout in Ecclesiæ Thesauro abdita, & per Ecclesiæ Quæstores dispensabilia, ad dissolutionem nominum contractorum: consequenter ad culpam, ea dimissa, plerumque superstitum. Itaque hæc Prærogatiua, affinis est præcedenti, & illi non incongruè subiungenda.

E Pontificibus ergo qui Scapulare, quo de agimus, de Thesauro Ecclesiastico locupletarunt, celeberrimus est IOANNES XXII. Nam non tantùm Antecessorum suorum largitates in hanc rem antea profusas, habet ratas: sed etiam noua eas accessione abs se cumulari profitetur. Et vt verbo dicam, quod ipse contulit, maius omnibus est. Quandoquidem præter confirmationem & Cœtus Carmelitani, & adiuncti Sodalitij, ex Deiparæ voluntate adhibitam; cum alias Indulgentias elargitus iisdem est, tum eam nominatim à qua huius concessionis Diploma, *Sabbaticum*, vel *Sabbathium* vulgò est appellatum; quia Sodalis sacri Habitus sub Sabbathum à suo obitu primum, purgatus, & nitens, ignibus emendatoriis exoluitur; beneficio Indulgentiæ plenissimæ, & peculiaris fauoris Deiparæ, ex promissione facta, obstrictæ ad Sodalis Clientis sui sublevationem. Agetur de hoc Diplomate diligentiùs infrà, vbi etiam Alexandri V. de eo sensus aperietur.

Tantùm nunc obiter attendantur verba quibus proximè vsus sum, secernens Indulgentiam à Ioanne Pontifice collatam in hoc Diplomate: & fauorem specialem Deiparæ, erga Sodales in Purgatorio hærentes. Quamuis enim hæc duo à plerisque confundantur, quia Bulla Ioannis huius vtriusque beneficientiæ meminit; tamen reuera sunt duo, valdè distincta. Indulgentia enim est actus Clauium, habuitque Ioannem Pontificem Authorem, impellente Deipara: & litrum quod per Indulgentiam annumeratur pro anima captiua, educitur è Thesauro Ecclesiæ; cuius Pontifex est dispensator, etiam circa Defunctos, quibus per modum suffragij opitulatur. Aliter verò res se habet in altero fauore, quem B. Virgo suis Clientibus præstat; cùm contingit eos non obstante Indulgentia pro articulo mortis concessa, descendere in Purgatorium. Impetrat enim Sodalibus, vnde pendant Diuinæ Iustitiæ, quod debent: nec educit. Ipsa è Thesauro publico Ecclesiæ, quantum necesse est vt pro fidelibus laborantibus soluatur, sed aliter illis prospicit. Nempe vel immediatè impetrando liberationem, interuentu suæ intercessionis, quæ est aliquorum Theologorum sententia. Vel vt infra *a* tractabo, estque longè verisimilius, impetrando excitationem superstitū, id iuuandos Sodales laborantes in flammis, per suffragia opportuna. Aut exorando applicationem suffragiorum iis inutilium, pro quibus erant destinata. Vel certè, impetrando vt Christus extraordinaria potestate vtens, promat è Thesauro Ecclesiæ publico, quantum necesse est pro anima de qua agitur. Quamuis enim Christus claues Thesauri tradiderit Summo Pontifici, quod attinet ad ordinariam erogationem: non tamen abstulit sibi potestatem, inde extrahendi extraordinariè summam aliquam. Igitur liberatio Sodalis è Purgatorio per B. Virginem, non est Indulgentia à Ioanne XXII. collata: sed est fauor specialis, in eadem Bulla concomitanter expressus, cum Indulgentia propriè dicta. Quæ causa esse videtur, cur aliquis nuperus, *a* hūc quoque fauorem vocarit Indulgentiam. Sed de Ioannis Diplomate, plura inferiùs. Nunc reliquos Pontifices Scapulari per Indulgentias suffragatos appendamus.

Part I. Cap. V. Allectio ad merita per Scapul.

a Parte 2. §.5.

a Leo à S. Ioanne in Fœdere spirituali cap.10.

Nicolaus V. & *Sixtus* IV. & ratam habuere omnem gratiam Sodalibus Marianis factam ab anterioribus Pontificibus, & nouis accessionibus eam voluere cumulatam.

CLEMENS VII. Diploma Ioannis XXII. suo insertum, ritè comprobat: & omnes quoque priorū Pontificum in hanc rem fauores, & largitates confirmat, dato Diplomate apud S. Petrum anno 1530. cuius initium est, *Ex Clementi*. adiuncta ea largitate qua Indulgentias Stationum Romanarum, voluit cum Sodalibus Carmelitanis esse communes; perinde ac si templa Romana quibus eæ Indulgentiæ per se primò collatæ sunt, religiosè frequentassent.


GREGORIVS XIII. Luculento Diplomate, cuius principium est *Vt Laudes*, dato anno 1577. Pontificatus sui anno 6. omnia ad hanc pietatem fouendam à prioribus Pontificibus indulta firmat: & quantum opus esset, de nouo elargitur. Forti autem Impato frœnat, quotquot aduersùs Sodalitium, eiúsque iura insurgere non dubitarint.

PAVLVS V. plenissimè seorsim affectum hac in parte suum prodidit, non vno Diplomate. Eius quod dedit anno 1706. Pontificatus 2. initium ab his verbis ducitur; *Cum certas vnicuique*. Alterius, dati anno 1609. principium est, *Piorum hominum confraternitates*: &c. Est & tertium eiusdem Pontificis in hanc rem Diploma, datum anno 1614. quod sic incipit; *Alias volentes nos*. Qui hæc Diplomata legerit, videbit quàm largus in huiusmodi munerum erogatione erga Sodales sacri Scapularis, fuerit Paulus. Et quanquam visus est, nonnullis

anteriorum Pontificum largitionibus expunctis, minuisse sacrum Sodalitij peculium: tamen nouum ius ab eo latum, nihil prætereà negotio incommodat. Hîc enim præsertim attendimus, quantæ fuerit apud omnes retrò Pontifices, (ipsúmque Paulum) Mariana Sodalitas, tot pijs muneribus per eos ditata; tametsi nouis emergentibus causis, iustum Paulo visum sit edicere, vt locus esset nouæ alicui temperationi, de quâ tamen quoad hoc negotium non planè liquet. Estque admodùm verisimile, nihil à Paulo esse in hac parte mutatum, vt varij a notarunt, eo ducti argumento, quod ipse Paulus post emissum Diploma quod opponitur, acceptum habuit, Indulgentias quæ eo Diplomate videbantur antiquatæ, proponi publicè Fidelibus. Sanè vt eas consequerentur, alioqui Indictà & fallax fuisset propositio, quam absit, vt Rectori Ecclesiæ, impingamus.

a Greg. Nauarr. à S. Bas. parte 3. c. 12. Cypr. à S. Maria in Thesau. à pag. 531.

Referenda est ad hanc prærogatiuam Scapularis Mariani, penes largitates Pontificias, multiplex facultas consequendæ exsolutionis à plerisque Votis, & à Iuramentis citra tertij damnum; sed verò maxima, facultas eligendi *Confessarium*; qui semel decurrente vitâ, & rursus in mortis articulo, Sodales conuenienter dispositos, possit absoluere à quibusuis casibus, nec non à censuris ac pœnis, à iure vel ab Homine quauis de causâ inflictis, quantumuis sedi Apostolicæ specialiter aut generaliter reseruatis, his duntaxat demptis, quæ per Bullam Cœnæ Domini inferuntur. Quam potestatem ab aliis plenè discussam, nihil attinet pressiùs expendere. Præsentis enim instituti præsertim est, agnoscere quanti fecerint Pontifices Scapulare Marianum quod tam multiplici largitate cohonestarunt.



CAPVT VI.

Beneficia temporalia supra Naturam, sæpè exorata interuentu sacri Scapularis, Insigne eius decus, & diuino quasi sigillo munita prærogatiua



IREVLA esse *pignora Omnipotentiæ Dei*, scitè dixit S. Chrysostomus. a Et idem voluit S. Augustinus, b cùm dixit, sicut humani consuetudo verbis, sic Diuinam potentiam factis mirabilibus loqui. Proindéque Hebr. 2. dicitur, Deum Apostolis contestatum esse, signis ac portentis. Et Marcus c. vltimo, ait; Deum, sermonem Apostolorum confirmasse sequentibus signis. Itaque Deus, cùm ad confirmationē alicuius veritatis patrat miraculum, attestatur loquenti ac proponenti eam veritatem. Quod præclarè illustrant S. Augustinus a & S. Gregorius b Ac proinde habebimus Deum sanctitati Mariani Scapularis attestantem, si constet de aliquibus miraculis supra naturæ cursum diuinitùs editis, adhibito eo Scapulari Mariano. Cùm autem propè innumera in hanc rem, sint à plerisque addensata; Ego delectu habito, pauca quædam proferam indubiæ fidei, quantum feret humana disquisitio: & prudens in fide narrantibus præstanda, maturitas. Decurram porrò per varios casus, à vi aquarum, ab igne, à sclopetorum traiectu, à bestiis effetis, à morbis, vnde mors præsentissima extitisset,

a Hom. 14. in Matth.
b Epist. 49. q. 6.

a L. de vtilit. cred. c. 16.
b 27. mor. c. 8.

nisi beneficio Scapularis Mariani, per Deiparæ tutelam fuisset præclusa.

Anno 1633. Vir nobilis *D. de Montigni*, Tribunus militum, Tulonem vrbem maritimam vectorio lembo contendens, coortâ subitò tempestate, non paucis vectoribus absorptis, & duobus præter cæteros Sociis, muneris Publici in militiâ Curatoribus, miserè in salo haustis, rudis planè natandi, enatsit incolumis; interpellatâ scilicet Deiparâ, cuius tutelæ tesseram, Scapulare Marianum gestabat.

D. Du Mesnil Morin, cum vadosum amnem eques traiiceret, in altum Voraginis delectum, cum equo detrusus profundè est. Et cum quartam horæ partem in eâ voragine hæsisset, momento ad littus enatsit, nullâ grauis aquâ, ac stupens quâ viâ, quouè modo emersisset, præsentissimæ morti subductus; nisi quod succurrit animo, affuisse præsidium Deiparæ, quod sacro instructus Scapulari in summo illo discrimine expertus erat.

D. Bars de Valerien, homo crasso corpore, & admodùm obeso, & cum viuâ morte (sic Cassiodorus a podagram nominat,) malè conflictans, casu inopino decidit in profundum fluuium: ac in eo diutiùs hærens, ne guttam quidem aquæ siue ore, siue auribus hausit. Ereptus denique felici sorte ex aquis, cum indusium & vestimenta omnia prorsus immaduissent, solum Scapulare nullis aquis perfusum eduxit.

a Lib. 10. Epist. 29.

Non minora, nec infrequentiora Diuinæ manus opera, per Sanctum Scapulare, in *ignibus* sunt deprehensa. Non procul Aquis Sextiis, *Vinitor* Mariano Scapulari instructus, fulminante cœlo abiit intactus; violatis aliis, quos illud Diuini præsidij pignus deficiebat. Id nuperus in ea ora Scriptor, a testatur; addens de tribus Pueris in eodem strato iacentibus, quorum duo extremi, sacro Scapulari destituti, obiere fulguriti; medio, qui Scapulare gestabat, prorsus illæso.

a Philiber. Fezay. Prud. 1. contro. 11.

Salerni anno 1599. *Ioannes Herenus* panificij artifex, Læliæ vxori mandauit panarij clibani explorationem; vt resciret an educendi panis sufficienter excocti, tempus appeteret. Mulier crepitantes supra clibani fornicem ramalium fasces deprehendit, vnde ad superam contignationem ignis peruaserat. In summa vicinorum omnium consternatione, pia Fœmina sacrum Scapulare in ignem coniicit, secura præsidij Deiparæ. Nec ei sua pietas fraudi fuit, quandoquidem illicò ignis resedit. Et vt Diuina vis fieret illustrior, Hereni Filius restincto prorsus incendio, Scapulare à flammis in quas iniectum erat, omnino indemne reperit. Id quod in aliis æquè exemplis notatum lego, è quibus vnum aut alterum subiicio.

Ancillæ *Dei*, *Monasterij Montis Pietatis*, in Oppido Charitatis ad Niuernas, adhibitis libellione ac testibus, iuratæ professæ sunt anno 1639. cum ignis restinctioni exorandæ, sacrum Scapulare in flammas esset iniectum, & solidam noctem ardentibus prunis vallatum mansisset; manè in foco inuiolatum, fuisse repertum. Geminum est quod in Parthenone *Gif.* haud procul Lutetia sub idem tempus contigit, ipso Deiparæ Natali. Cum enim omnimoda Cœnobij deflagratio à flammis iam latè grassantibus immineret, repressæ momento sunt, coniecto in eas Scapulari; quod deinde absque noxa inuentum est, hærens arbori cui à flamma populabunda, mox imminebat consumptio; nemine vel per coniecturam conscio, quis Scapulare illuc ap-

portasset,

portasset, nisi quod Angelicam operam interuenisse omnium sensus fuit. Alias, pia Mulier sacro instructa Scapulari, cum intra flammas domum depascentes hæsisset per horam dimidiam solo operta indusio, exempta inde est, ne capillo quidem violato, ac indusio cui Scapulare annexum erat, prorsus intacto. Quotidiana sunt vbique eiusmodi exempla.

Ab ignis vehementi extrusione, est Sclopetorum displosio. Itaque ex omninò multis exempla subsidij aductaûs imminens ab ea exitium, per Mariani Scapularis quasi thoracem, & loricam illustriora quædam euentu annoto. *Ioannes Montagne* libello Gratianopolitanus, apud illustrissimum Antistitem Petrum Scarronum, iuratus confirmauit, se multiplici catapultariæ glandis ictu, sub collo appetitum, euasisse incolumem; hærentibus in extima cute glandibus, adeò dilatatis, ac si à malleatore tusæ fuissent. Inciderant enim in ligulas Scapularis quod gestabat, & ibi penitùs innoxiæ hæserant, leuiter duntaxat stricta cute: & inusta nota, quæ hodiéque perseuerat. Hæc anno 1628. gesta cum à Beneficiario sacri Scapularis haud ita multò resciuissem, curaui, vt veritas certò comperta; obliuione non contereretur, rem totam ab Antistite ex Iurium præscripto discuti, & ad posteros cum fide transmitti.

Cracouiæ, pius Iuuenis *Franciscus Spiritbh*, Sodalitio V Mariano adscriptus, & sacro Scapulari instructus; cum in bellum progressus esset, cæsa ferè ad internecionem Equitum turma in qua merebatur, equo cui insidebat confosso, catapulta manuaria maioris modi in ipsum Franciscum displosa, ruebat in certam mortem; quippè circum cor appetitus glande, quæ loricam ferream, & subiectas vestes pertuderat. Sed cum ad Scapulare carni appressum peruenisset, elanguit. Et ad certam miraculi fidem leuiculo Militis damno, flaccidam cuti notam inussit, vt miles ipse, Pragæ Bohemorum publicè testatum fecit, anno 1635.

Stephanus Fontanus præliaris nauigij ductor, anno 1637. in piraticam Turcarum nauem cum incidisset, Commisso prælio quod ad horas sex continuas, magna vtrimque obfirmatione est continuatum, vltrà quinquagenos tanieriatæ catapultæ ictus excepit, in parte aliqua glandium infrà imum abdomen displosa, cum femorum pedumque damno. A cæteris verò glandibus, queis vltrà vicenarium appetitus est suprà ilia, qua Scapulare ad carnem diffundebatur, planè indemnis fuit, tametsi thorace, & duplici lanea interula traiectis, solo Scapulari, & subiecta carne immunibus. Itaque redux ad suos, cum ex vulneribus reliquo corpori illatis per mensem decumberet, visentibus iacentem primariis quibusvis Tolonensibus, nobile Scapularis tropheum quod in corpore suo gestabat, gaudens exhibebat: & omnibus per Antistitem ritè discussis, reum se voti professus est, tabella publicè proposita, qua Pictor rei gestæ seriem expresserat.

Beneficium sacri Scapularis quod subiicio, ita est temporarij ordinis, vt inter maxima spiritualia bona à propitio numine indulta, sit numerandum, cum confracto, & intimè contuso corde, dilata ad aliquam moram, sit animæ efflatio, vt locus esset expiandæ per Confessionem conscientiæ, & declinandi æterni exitij. Periculo D. *De Cuge* anno 1636. alarius signifer Insubria inter traiiciendum Ticinum amnem, vibrata, in eius pectus, muralis tormenti pila (vnde postmodùm cor deprehensum est diffractum, & obtritum contritione perualida, (globo in Scapulare quod gestabat illiso, & Scapulari intra cor adacto, non concidit tamen illicò exanimis, vt sanè ferebant tristia tantæ vehementiæ adiuncta: sed per horas tres anima eius in ipso fuit, donec aduocato apud quem peccata deponeret Confessario, & confectis suamet manu testamenti tabulis, Christiano ritu capiamis defecit. *Victor Amedeus Dux Sabaudiæ* Serenissimus, curauit inquiri in hoc negotium, per Archiepiscopum Taurinensem, & astipulati sunt extra iudicium, oculati testes complures.

Pars I. Caput IV. Miracula per Scapul.

Miles è Croatia, ductore Frisero quodam, cum duodecim socijs prædabundus obibat Lotharingiam. Comprehensus in Oppidulo ad Mussipontum cui nomen *Tiocourt*, confossus militari manu socijs, tametsi qua gladio impacto, qua breuissimi sclopi missu, centies saucius, etiam capite valdè diffisso, & cranio in duas partes disrupto, contestatus semper est, frustrà conniti, qui lethum suus vrgebant, & nulla vi eripiendam sibi fore vitam donec expiata ritu Catholico per exomologesim conscientia, niteret ad Deum migraret. Hortantibus qui aderant, vt sibi contritionem prospiceret, Ego (inclamabat) Filius Deiparæ Virginis sum sacro eius habitu iampridem amictus: nec antea extrudetur è meo corpore anima, quàm sim de peccatis confessus. Felici sorte, nec absque Numinis speciali prouidentia, & Virginis Matris in miserum clientem suum beneuolentia, Sacerdos metas petens, in hominem incidit, à quo auditus & ritè absolutus illicò efflauit animam, vltimo Ianuarij 1640.

Miles anno 1648. ad Ipras Flandrorum, sclopo appetitus, pilam in Scapulare quod gestabat, incidentem, excepit illæsus. Atque vt geminaretur miraculum, effigies Deiparæ acu picta in Scapulari, in quam pila incurrit expressa est in plumbo: quod Serenissimus Leopoldus Austriacus, ad miraculi memoriam, asseruare dicitur. Consimilia addensant varij recentiores fide digni. a Quod sequitur miraculum perpublicè patens est, & adhuc viuent. Pia Virgo Parisiensis, *Maria Martina*, in Regio Conuentu Montis Martyrum Monialis, & illic tunc Supprorissa; è Monasterio inferiori, superiùs adiens, ipso Conceptionis die Decembris octauo, sub horam septimam matutinam, incidit in molossus duos, per noctem (vt Monasterij pomærio assolet,) intra septum dumus laxatos, ad arcendos grassatores, ac fures. Insolita tunc rabie acti Canes; Monialem inuadunt. Mox vehementissimè agitatam, furialiter cunctis vestibus nudant, solo Scapulari relicto, in quod conscerpendum, collata opera ambo Molossi frustra aliquandiu laborarunt. Post colluctationem per quartam horæ partem, & raptationem per Xiarum, interpositis multis gradibus ad interiorem Monasterij aream subiectum, faucibus sæpè, bestiali furore, ad strangulationem truculenter correptis; sed parte Scapularis qua contingebantur, munitis; spe concepta ex sacræ illius Tesseræ incolumitate, & voto ad Deiparam sospitatricem emisso; pia Virgo subito, vlulantibus Molossis subducta, & inter senticeta atræ Cœnobij (quia via vel ope nesciens,) asportata, tutelam sacri Scapularis mirificè deinceps semper celebratura, mortem præsentissimam euasit: & miris tunc charismatis perfusam à Deo animam, humiliter etiamnum gloriatur. Præter verò Medicorum

a Cypr. à S. Maria in Thesaur. Carm. c. 12. Lezana l. de Patronatu Deip. c. 9.

dicorum&, Chirurgorum & Monialium testimonia; diuturnus per sex menses morbus & relictæ viginti cicatrices miraculo attestatur.

Qui in *morbis* citum ac præsens auxilium à sacri Scapularis gestatione senserunt, occurrunt tam multi, vt non possit hic iniri numerus. Itaque specimen dumtaxat exhibeo. Filiola mercatoris Tolonensis cui nomen *Anna Merle*, circiter quadrima, morbo insolito occupata, sanitatem recuperauit, statim atque Parentes de ea in Scapularis Sodalitium cooptanda, votum emisere. Sed cum Parentes, septennio toto, votum cuius rei erant implere neglexissent, iterum filiam morbo correptam, & ad extrema deductam, iámque à Medicis depositam experti, citam voti exsolutionem, saniore mente receperunt. Nec mora redintegratatem cum Religiosa obseruatione filiæ sanitatem, sibi gratulati Parentes, appensa tabella in Æde sacra monimentum Diuinæ benignitatis in sacri Scapularis Sodales collocarunt. Quid capitatim sanatos absque alio malagmate annumerem? Nuperus Scriptor, *a* fallere non amans, ex similibus Tabulis per varios morbosos voti reos appensis ad Aras Sodalitij, vbiuis ferè terrarum, confirmat, omnis generis ægritudines, hac vna via esse persanatas. Febres & quidem lethiferas: pedum apostemata, rabidos dentium cruciatus, lethargicos sopores, mendicraniam, tormina iliaca, paralyses, aquam intercutem, epilepsiam, elephantiasim, & venenatorum omnium præsentissimam pestem.

a Fezay privil. 1. contro. 11.

Coronidem huic prærogatiuæ apponam, verbis Basilij Seleuciæ, *a* qui agens de S. Theclæ miraculis, pertæsus longioris enumerationis concludit hac apposita clausula, quam meam quoque esse volo in recensione Mirabilium diuinitùs editorum in gratiam Scapularis Mariani, [de his satis. Quænam enim vtilitas immenso mari guttas aliquot instillare? &c. sed neque pauca insuper restant, neque hæc quæ retulimus ex multis, maior pars est. Sed numerus eorum tantus, vt eius ratio omninò subduci nequeat: neque mihi à naturà pennæ tributæ, aut adamantinum robur; quo omnes terras, mariáque penetrando, ex singulis vrbibus regionibus, vicis, domibus ea vniuersa colligam. Quin & collectio huiusmodi, vires meas excedat, neque vlla omninò scriptio sufficiat. Imo nec vita ita longa datur, quæ satis sit multitudini adeò infinitæ miraculorum recensendæ. Quare (vt dixi) cursum orationis meæ de illis susceptum, hic sistam, ne videar ea ad quæ peruenire non possum, inutiliter consectari.

a Lib. de mirac. S. Theclæ c. 30.



CAPVT. VII.

Scapulare Marianum, iugis scatebra spiritualium Donorum, Signum salutis æternæ, Nota prædestinationis.



PROLATVS proxime est gustos operum suprà naturam, citra sanitatem, vitam immunitatem à malis temporariis collatam. Nunc attingenda obiter sunt spiritualia bona, præ quibus illa alia inferioris ordinis beneficia, vix aliquo sunt loco. Nam vt S. Augustinus, *a* pulchrè disserit, qualecunque aurum, ac vel si sordens, & plurima excrementia fuligine obsitum; præstantius est plumbo quantumvis defæcato, & perpurgato. Similiter ergo spiritualia Bona ad animæ salutem spectantia, etiamsi minuta & tenuia, cum spectent ad gradum superiorem sunt inadæquabiliter præcellentiora quibusuis bonis temporaliis quantumuis in suo genere pretiosis.

a In Psal. 155. ad v. 1.

Pono porrò, vt exploratum, totam Scapularis efficacitatem ad bonorum spiritualium deuocationem ex eo prodire; quod si tessera pignus beneuolentiæ, qua B. Virgo piè gestantes huiusmodi vestem complectitur. Hæc autem beneuolentia quantorum spiritualium munerum sit ferax, S. Bernardus, *a* mellitissimè attigit, spectato honore, quem Filius Matri debet. Itaque quid non potest apud grauissimum Filium optima Mater? Nihil proinde non exorabit, quod ad salutem hominis pertineat, si beneuolum oculum in aliquem adiecerit. Adiiciet autem si qui sint quibus hoc vestimentum salutis curauerit. Vt hoc summæ consolationis argumentum Sodalibus Marianis innotescat, aperienda est radix prima omnium Spiritualium bonorum, & huic negotio accommodanda.

a Serm. 1. de Assumpt.

Docente igitur Apostolo, constat primam radicem boni cuiusvis spiritualis, fructuosi ad optatum æternæ gloriæ finem, esse Diuinam prædestinationem. Inde enim vocatio, ex qua iustificatio; ac denique glorificatio, iustificationem, & vocationem obsignas. Quare si constiterit, sacri Scapularis pium vsum, esse signum prædestinationis, eo ipso liquebit Scapulare esse signum salutis, & viuam scatebram Spiritualis cuiusvis boni, atque adeo verè signum in bonum. Quatenus autem Scapulare Marianum statui possit signum prædestinationis, non omninò liquet. Sed illud est extra controuersiam, nemini Viatori, extra specialem reuelationem, notam esse posse prædestinationem suam, iuxta illud à S. Gregorio, *a* expositum, in hunc sensum. *Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?* Idem tradit alibi *b*, expendens illud Ioan. 3. *Spiritus vbi vult Spirat: & nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Nimirum in tanto per hanc viam lubrico, & pugnis assiduis, ac tam multorum conspicua deiectione, omnia in futurum seruantur incerta, vt benè considerat non vno loco Sanctus Bernardus. *c*

Rom. 8.

a 30. Mor. s. 32.

b Lib. 6. 1. Reg.

Nihilominus sana doctrina ex Patribus, ipsisque Scripturis hausta, agnoscit, salua regulari prædestinationis incertitudine, dari quædam verisimilia eius Signa. Eiusmodi præsertim sunt, quæ octo vulgatis beatitudinibus continentur; vt fusè prosequitur Andreas à Vega. *a* His addunt alij, perseuerantiam in semel inito Religioso statu, vt benè monstrant Laurentius Iustinianus, *b* ac Hieronymus Platus. *c* Eodem pertinet, auditio Verbi Dei, cum interiori affectu coniuncta; quod signum ex multis Scripturis, & Patribus illustrat Michaël Medina. *d* Sed vnum aliud, nemini cæterorum Signorum de aliquali euidentia concedens, censetur esse pietas singularis erga B. Virginem. In quam rem latè, ac benè disserit Pelbartus, *e* & ex eo Spinellus: *f* & eruditè (vt omnia) Recupitus. *g* Sanè ex affectu quo quis fertur in B. Virginem inferre licet reciprocum Deiparæ affectum erga addictum sibi clientem, quia Filij imitatione, diligentes se diligit, nec grauatur, imo gaudet, amantes se redamare. Quin etiam sicut Deus ita diligit

c Ser. 1. Septu. serm. 2. in Octau. Paschæ serm. 5. in dedic. Eccl.

a Lib. 12. in Conc. & c. 11. ad 19.

b L. de perf. Monast. conuers. c. 7.

c L. 1. de bono stat. Relig. c. 32.

d L. 3. parent. c. item 3.

e In stellario.

f In Throno Deip. n. 17.

g Tract. de signis prædest.

ligit diligentes se, vt præueniens eorum dilectionem, anteoccupet voluntatem humanam, & immittat semina, vnde dilectio progerminet: ita B.Virgo Amatores suos beneuolentia indebita præuenit & anteoccupat, inferens per impetrationem sancta lumina, & pios afflatus, ac benedictiones dulcedinis, sapore vitali (vt Ennodius *a* appellat) perfundentes hominis voluntatem; quo sic permota, velit diligere. Eo eo modo se gerit B.Virgo, erga Populum honorificatum; in quo propterea *radicare* dicitur & *in electis Dei, radices mittere.*

a Epist. ad Consent.

Ferunt hoc, insignes plerique tituli à nobis digesti in Nomenclatore Mariano; quem gaudeo à plerisque nauiter expilatũ, tacitâ licet fauilla è qua profecerant; quod non esse ingenui, Plinius *b* professus est, & sordet aperto plagio. Tametsi verò qui vel pilum ex eorum Lucubratione aliquâ sublegeret, iret clamor cœlo, & immanis barritus tolleretur; Tamen quod ad nos attinet, dummodò honor Deiparæ amplificetur: & siue quæ diuturno labore per nos collecta sunt, legantur in nostro Codice, siue in alieno, dummodò legantur, & tantæ Matris honori seruiant; benè est, & ad mentem nostram, quia propositum finem sumus assecuti. In eâ ergo Oppella nostra, B.Virgo, dicta à Patribus refertur, *ianua* aut *porta cæli*. Ita Petrus Damiani, Epiphanius Iunior, & Damascenus. Dicta item legitur *fenestra*, apud Chrysostomum atque Fulgentium. Ab aliis, denominata est *Columna flammea, deducens ad alteram: corona sanctorum omnium, Diarium vnicum creatura Domini*. Illius, inquam, *creatura* cuius primi Christiani erant initium; hoc est creaturæ ad gloriam æternam ante tempora secularia, prælectæ. Aliqua quidem huiusmodi illustrium nominum, delata interdum sunt B. Virgini propter Filium; ita vt dicta sit, v. g. *Ianua cæli*; quia edidit Christum, qui cœli aditum reserauit. Non frequenter tamen iidem tituli iuxta Patres, immediatè cadunt in B Virginem. Nam qui eos deferunt, satis insinuant ea mente suas aditum ad gloriam, & conscriptionem cuiuscumque Electi in Libro vitæ, in suo gradu & ordine, pertinere ad B. Virginem. Ac proinde ratum esse debet, agnosci à Patribus influxum aliquem moralem Beatæ Virginis in executionem prædestinationis æternæ; neque tamen cum ipso delectu ad gloriam, vt executionem cum intentione. Statuendum item est vt ratam, ipsam quoque esse, quæ suo modo, id est impetrando ac exorando, subministrat suppetias omnes quibus Electi deducuntur ad vbertatem domus Dei, ibi inebriandi fonte vitæ, & pane intellectus saginandi. Non dubitauit sanè S. Germanus, *a* pro ea subministratione assidua, Deiparam denominare *Spiritum & vitam Christianorum.*] Quomodò enim corpus nostrum, vitalis signum operationis habet respirationem: ita sanctissimum Virginis nomen, quod in suorum ore assiduè versatur; vitæ, lætitiæ, auxilij, non solùm est signum, sed etiam ea curat.]

b In præfat. histor.

a Orat. de zona B.V.

Idipsum ferunt quod aliqui Patres tradont, perire non posse, qui benè affectus fuerit erga Matrem salutis. Adduxi nonnullos ita locutos, in Dypticis Marianis; *b* quibus nunc addo Laurentium Iustinianum qui glossans verba illa Christi in Cruce suffixi, ad matrem, *Mulier ecce Filius tuus*, sic inducit colloquentem Matri Christum. [Volô vt illam (Ecclesiam) de cætero in filium habeas, illam tuis orationibus protegas, atque virtutibus auctam ad me perducas. Eidem quoque mandabo, vt te tanquam matrem veneretur, te diligat, ad te confugiat: te inter Deum & se, mediatricem faciat. Te aduocabit in periculis, in dubiis consulet, in necessitatibus implorabit. Non minùs de te, quàm de me captabit fiduciam. Faciam prorsus vt omnes concurrant ad te, eritque nomen tuum honorabile in omni generatione & progenie. Nemo in tui inuocatione spernetur, nullúsque deuotus tibi, à me efficietur alienus. Indissolubili charitatis fœdere te illi, & ipsam copulabo tibi.] Totus locus, sonat quod propositũ. Sed expendantur nominatim verba illa. *Nullus tibi deuotus, à me efficietur alienus.* Atqui *non esse à Christo alienum*, est esse cum eo; & accenseri prædestinatis, ad æternam sortem beatitatis.

b Parte 2. p. lit. 37.

Pars I. Cap. VII. Bona fortunata a Scapul.

Quare habete fautricem atque beneuolam hanc diuitis ærarij Erogatricem, à qua subsidia electa ad potiendum æterna fœlicitate suppeditentur ad modum prædictum; habete inquam amicam hanc cœlestem thesaurariam, quæ sumptus in cœli Viaticum necessarios liberaliter subministret, hanc cœli ianitricem per quam pateant portæ æternales, signum est prædestinationis. Nec verò qualecunque, sed admodùm verisimile.

Quod autem Sodales Mariani potiantur speciali beneuolentia B. Virginis conijcere licet ex hoc pignore per ipsammet Deiparam delecto: & ea tot argumentis, quibus iam à multis seculis prodidit placere sibi huius Religiosæ Obseruantię tesseram, & qui eam vsurpant pro specialibus Filiis à se haberi. Itaque perspicuum videtur Scapulare Marianum insigni illa prærogatiua exornari, quod sit prædestinationis nota, quia cum sit tessera incensi affectus erga Deiparam, ex seminio per ipsammet iacto excitati, est etiam signum reciprocæ specialis beneuolentiæ, tantæ, matris creaturæ media electa ad salutis æternæ adeptionem, qua est apud Filium gratia, & in dilectos suos benignitate.

Hanc ratiocinationem, quæ potest censeri à priori (quippè continens causam cur gestatio Scapularis Mariani, dicatur signum prædestinationis) firmat optima ratio ducta ab experimentis; quæ interdum fuerunt eiusmodi, vt nihil deesse videretur ad palpandum insignem hunc effectum, cui declarando insistimus.

Duo quæ superiori capite signaui, agens de displosione globi in nobilem cui nomen *De Cugos* & in Militem è Croatia, eiusmodi sunt, vt vix possit aliquid desiderari in hanc rem illustrius. Videtur enim vncialibus literis exarata in vtroque euentu, diuina ad gloriam prædestinatio, executioni mandata beneficio Scapularis; impedita supra naturam, præcipitatione in mortem, dum expectatur qui Christiano ritu expiet ante migrationem animæ è corpore, & vitæ anteæ disruptionem.

Aliud exemplum sanè luculentum in eandem rem adducitur à Petro Suanigtono B.Simonis Stochij Socio. Refert enim nobilem ad extrema deductum, attactu sacri Scapularis à furore ac œstro Dæmoniaco quo fœdè agitabatur, esse liberatum. Sicque facto mentis flustro, sedatè suscepisse Sacramenta, & optimè dispositum obiisse, cum priusquam sacro Scapulari contingeretur, nullam Confessionis, nullam Eucharistiæ mentionem admitteret. Quis hic non videat, signum prædestinationis in Scapularis admotione luculentum? Hic si Sacrum Scapulare non contigisset, inexpiatus periibat. In Eliæ verò melote, moraliter securus,

manauit.

transuit amnem huius mortalitatis; & ad litus æternæ quietis feliciter emersit, certus Salutis suæ humano modo, ac verisimillimè, adeò nullus perit, inuocato nomine Mariæ.



CAPVT VIII.

Scapularis Mariani ex tantâ cæli, terræque suffragatione, apud omnes Gradus pretium; atque captatio; etiam per Summates.

TESSERAM salutis à Deipara ipsa propositam, ex quo per B. Simonem Stoch. innotuit, certatim Fideles ex omni Gradu & Ordine, arripuerunt. Edocti quippè de singulari protectione Deiparæ, in eos qui vsurpato specialis filiationis & fraternitatis pignore, ei se dedissent in filios peculiares, obsignantibus præterea narrationis veritatem operibus plerisque suprà naturam, identidem Deo piis hac de re sermonibus attestante, ingens omninò factus est concursus, deposcentium sibi Scapulare. Cuius quidem concursus, ac motus in animorum planè extraordinarij, exordium ducit Petrus Saunaningionus B. Simonis Comes indiuiduus, à miraculo quod attactu sacri Scapularis in persona Vvalteri Fratris Decani Vvintonensis patratum, attigimus in calce præcedentis capitis [Sermone (inquit Petrus,) de eo miraculo, per Angliam, & extra currente, multæ Ciuitates offerebant nobis Loca ad inhabitandum: & multi proceres petebant affiliari huic sanctæ religioni pro participio gratiarum, desiderantes mori in habitu sancto Ordinis, vt per merita Gloriosæ Virginis Mariæ, haberent exitum vitæ bonum.] Addit inde consecutam Ordinis Carmelitani in multis Occidui Orbis Prouinciis, multiplicationem.

Quamuis autem omnes animæ sint eodem apud Deum loco, nec diuitiis, aut dignitatibus (, quas pietas & virtutes non afficiuntur,) De arbitrio plus differatur quàm religionæ paupertati, tamen quia Deus potentes, non abiicit, cum & ipse sit potens ideireo non paupertinæ duntaxat Plebis vilia capita, aut tenuis vel mediocris sortis homunciones: sed Magnates quoque, ac Summates afflauit, vt vellent habitu sancto per Deiparam delecto, ac exhibito, amiciri.

Omnium Summus inter Summates Laicos sacri huius ritus obseruatores, censendus est Sanctus Ludouicus Nonus Rex Francorum; qui primum è Palæstina regrediens, abductus secum de Maiorum consensu, sex de Monte Carmelo Eremitis, vel ab eis edoctus religiosam Scapularis obseruantiam, vel in regressu eorum satis disseminatum piè vsurpans, Mariano Sodalitio nomen dedit, vt ferunt optimæ, & quàm verisimiles coniecturæ. Nam Bonifacius VIII. in Diplomate de S. Regis canonismo, testatur eum post reditum è partibus transmarinis, assumpsisse Vestem Religiosam peculiarem, & humilem, quod non posse in aliam cadere quàm in eam de qua agimus, inferius euincemus. Item Gaufr. de Bello loco S. Regis Confessarius, & vitæ Scriptor; memorat eius Vestimentum religiosum habens caputium super
a Lib. 2. Apum c. 57. Scapulas, quale olim erat Scapulare Carmelitanum. Est etiam apud Thomam Cantipratanum *a* narratio de vltione diuinâ, in Nuncium Comitis Geldriæ & Sanctum Regem ab Hero submissum, à quo bis sannis derisus est in reditu. *Vidi illum miserum Regem Papelardum, caputium habentem capitis, super scapulam.* Quæ est descriptio antiquo Scapularis Mariani, vt alibi notab. Imitatione S. Ludouici, cum apud eum hæreret, eius tutelæ concreditus Alfonsus de la Cerda, Alphonsi Castellæ Regis filius: induit ipse quoque Scapulare, vt ex antiquis Carmelitanis monumentis produnt Neoterici; *a* addentes, eum hoc sacrum Stemma, a Cyp. p. 3. Thesauri c. 14.
præ purpureo paludamento, & aureis torquibus ostentasse; & vitæ sanctæ initia, inde esse auspicatum. Vt Lodoicei sanguinis simul & regni, sic pietatis hæres Ludouicus XIII. viso in obsidione Monte-Pessulana ingenti miraculo glandium, quæ è scoplero emissæ, Nobilem Præfectum Militiæ cataphractæ non læserant, tactu sacri Scapularis, quod gestabat, emollitæ; voluit eâ Marianæ protectionis Tesserâ, & ipse communiri.

Probasti te quoque pissimi huius Principis, auito per vtrumque Parentem nexu agnatum; Sanctissimi verò Ludouici Germanam sobolem, Ludouice Rex Christianissime XIV. cum nuperrimè triumphalem Deiparæ pompam, & Clientelaris subiectionis tantæ Matri præstitæ, publicam professionem, solemni anniuersario ritu recurrentem; obsignasti sacri huius Schematis, vltrò expetitâ assumptione. Quo gestando deinceps non minùs in bellis prosper, ac tutus esse queas; quàm Theodosius Magnus Scapulari-senuphij Abbatis Sanctissimi (quod Acta SS Cyri & Ioannis, *a* & Glyeas *b* referunt) aggredienti ad bellum periculosæ a Apud Metaphrast. 32. Iann.
aleæ plenissimum ab eo Abbate transmissum esse, b Parte 3 Annal.
omen: imò pignus victoriæ, si illud inter pugnandum indutus procederet. Quod piè exequens Augustus, Maximum Tyrannum potentissimum, anterioribus victoriis ferocientem, deque prostrato Gratiano, & tot Prouinciis propè momentò subactis atque direptis, inflatum; felicissimè & ferè absque suorum sanguine, prostrauit, & Valentinianum secundum asseruit. Tantum potuit Scapulare quod ille Seruus Dei pro se (vt aiebat) ad Imperatorem qui ipsius Abbatis aduentum expetierat, destinauit; illud Deum precatus, vt tantundem Pio Principi esset subsidij à vili panno, precibus & attactu Serui sui sanctificato, quantum expectari ab ipso potuisset, si præsens adesset. Et quæ Dei bonitas est, neutrum sua pietas fefellit. Augurot ipse quoque, & pro fiduciâ quam Magnæ Matris, testatus in te ab ipsis fasciis amor ingenerat, spei plenus confirmo; sacrum Scapulare Marianum, quod Regio corpori applicuisti, piæ Deiparæ cuius est insigne, cœlesti præsidio; & præsentis obsidem felicitatis, & faustum omen æternæ in Cœlo beatitatis futurum. Dicerem de hoc pissimo gesto plura, nisi etiamnum propè caleret.

Proceres Anglos complures, hoc sacrum Schema suscepisse, prodebat adductus initio capitis Suningthonus. Et annotatur nominatim Henricus Dux Lancastriæ, quem à sanctitate & miraculis commendatum lego. Annotatur item Comes Northumbriæ. Sed nihil hi Proceres ad S. Eduardum II. ad quem extat apud Cherubinum Diploma Ioannis XXII. obijtque anno 1328. malignitate Isabellæ vxoris, & Rogerij Mortimerij Reginæ concubini. Per hanc iniquitatis bigam, Rex optimus, miserè primùm exturbatus est, concitato in eum insano Populo. Tum velato capite, raptatus verius quàm agitatus, per vasta & confragosa itinera; fœneam coro

coronam per ludibrium impositam, gestans capite. Cùm autem nec veneno quod illi erat propinatum, nec tetris odoribus inhalatis, qua erat naturæ firmitate, succubuisset, longam denique eius vitam pertæsi qui mortuum volebant, curarunt noctu ingentem tabulam super eius ventrem validè comprimi, & cornu eius oblongum anui eius immitti. Intruso autem cornu cupreo veru candente, infelicis Regia ilia exusserunt; horrendoque cruciatus genere, pium Principem neci dederunt. Putabam id genus diritatis, excogitatum primò esse apud Sebusianos, à rabie ingeniosa mariti, vt dico in meo prato spirituali. *a* Sed video
60. longè anteriorem fuisse eam diritatem, & quidem in Regem, eumque innoxium. De quo hæc stringere placuit, vt constaret nouum Iobum, & adamantinum hominem, tantæ patientiæ merito, *Martyris* titulo honestatum, haud exiguum decus conciliasse Scapulari Mariano. Ob eius reuerentiam, insigniter demeruit Ordinem Carmelitanum, structis ei plerisque cœnobiis, & nominatim Oxoniensi, vt essent qui in ea celebri Academia, literis darent operam, futuri ornamento, ac præsidio religioni.

Congero demum celsissima Nomina è multis nonnulla, quorum adscriptio in Scapularis Mariani sodalitium disertè signata est Ferdinandus II. Romanorum Imperator, Philippus II. Rex Hispaniarum, Sebastianus Rex Lusitaniæ. Nec premendi Regibus suppares, Carolus Emanuel, & Victor Amadeus Sabaudiæ Duces, ac Vincentius Gonzaga Dux Mantuæ, Franciscus Thomas à Sabaudia, & Odoardus Princeps Parmensis.

Apex Maiestatis qua collucent Summi Pontifices, Christi Regis Regum in terris Vicarij, non censuit sibi indecorum, hac cœlesti Tessera insigniri. Referuntur in hunc syllabum Gregor. XV. Clem. VIII. Paulus V. Gregor. XV. Vrban. VIII qui nunc ad Ecclesiæ clauum sedet, Innocent. X. Hi omnes priusquam ad illud honorum fastigium eueherentur, nomina in Marianum Sodalitium dederant: & adscripti leguntur in eius Tabulariis, siue ad S. Mariam Transpontem, siue ad S. Chrysogonum, siue ad B. Mariam de Scala. Eos autem secuti Principes magno numero ex Gentilitia familia Aldobrandina, Burghesia, Barberina, Pamphilia, Vrsina, Colūna, Sforciana Caraffa, eandem sacram Torquem assumpserunt eximia pietate. Notantur inter istos, Cardinales omninò multi quos sacrum ostrum Pōtificiæ Maiestati propiores statuit, possum ex nomine, longum eorum syllabum appendere: sed malo parcitatis notari, quàm fastidium ex non necessaria, & tamen prælonga recensione creare. Antistitum verò aliorum, Archiepiscoporum, inquam, & Episcoporum, aliorúmque Prælatorum, eidem Cœtui Mariano consertorum, is est numerus, qui subductionem meam superet, & insto volumini implendo par foret: tametsi non absque ingrati silentij nota prætereundi viderentur, qui recens accitri inter Sodales voluere, eminentissimi S. I. Electores, Archiepiscopi Coloniensis, & Moguntinus; Principes compertissimæ pietatis, & ea gradus sublimitate dignissimi.

Deuotus fœmineus sexus, vt est tenerrimus ad pietatem, & ingenij sequacioris, etiam inter Mundi fastigia, Mariani Scapularis pium studium demonstrauit. Equidem B. Angelam Bohemicam, Ordinis Carmelitani Monialem non abnuo: sed speciali Mariani Scapularis titulo, id vendicare satis absonum foret. Signatur enim ab Chronographis piæ Virginis ætas, Anno 1166. cum iidem B. Simonem, longè

seriùs, hoc est anno 1261. (iuxta epistolam socij B. Simonis, anno 1251. sacrum Scapulare accepisse confirment. Itaque opportunius in hanc rem est, exemplum Serenissimæ Isabellæ Claræ Eugeniæ, paucis ante annis Belgarum Principis, quæ omni virtutum laude ornatissima Heroina non modo sacrum Scapulare piè gestauit, sed quod iam de S. Ludouico IX. notauimus, depudens vanitati, Religiosum illud Schema, non in occulto, (vt multi, & multæ Summates faciunt,) sed propalam, & in manifesto præferebat. Nec Gallia, orbis oculus, Reginis destituitur quæ sacrum hunc ritum piè vsurpauerint. Maria Medicæa, cum aliis Regiis ornamentis, tum præsertim religione quæ Moralium virtutum Regina est, perillustris, Scapulare Marianum, sui erga Deiparam affectus, ac perpetuæ clientelæ pignus gestabat. Eandem pietatis obseruantiam, Anna Austriaca, Heroina Augustissima, & nulli Reginarum de religioso studio concedens; ad se suáque omnia Deiparæ oppignoranda, quo solet animo sacra quæque, frequentat. Itaque non est verum quod aliquando audire memini, Obseruationes Religiosas, & sacra instrumenta pietatis, ætate nostra apud Magnates vilescere, dum verentur inanis obseruantiæ, ac superstitionis notari. Aliarum illustrium Fœminarum, etiam primæ notæ, & Regiis ac principalibus titulis micantium, sacræ huic obseruantiæ addictarum exempla prætereo; quod in omnibus Regnis abundent & ex Codicibus quos Tabularia Sodalitiorum asseruant, longa serie promi possint.

Part I Cap. VIII Scapul. apud omnes pretium.

Medij ac infimi Ordinis Sodalium, seu, vt vocant Fratrum, & Sororum, frustrà iniretur numerus. Id quod in omnibus alicuius notæ Ciuitatibus, ac etiam plerisque Oppidis, quo Sodalitij institutio peruasit; quot mensibus vsurpari oculis potest, in solemni supplicatione, quam obire frequentibus qui in loco degunt Sodalibus, ex vsu est. Sed maximè in anniuersaria Scapularis Mariani Festiuitate, quæ recurrit solemnis 16. Iulij. Tunc enim redaccensis Sodalium studiis, præ quibus tempestatis illius æstus frigere videri possit; tantus fit concursus omnis generis conditionis, ac sexus personarum, ad professionem suscepię priùs Religiosæ Obseruantię, vt appareat cœlestem afflatum interuenire, & Reginam cœli Clientum suorum adeò copiosam multitudinem euocasse.


Consideratione verò dignum est, hæc studia in dies non obsolescere. Imò quò magis Nebulones aliqui, & pruriginosi à pietate malè constituti, in sacrum Scapulare, licenter vel linguas exerunt, vel calamos exacuunt, eò ampliùs feruere Fideliū affectus & numerum augescere captantium Religiosū hoc Schema, vt per illud inter speciales Deip. Filios, ac Fratres cooptentur. Nimirum cassi sunt Satanæ; & Emissariorum eius quantiuis conatus, aduersùs desponsam à Deipara tutelam. Et ex antiquo diuinæ Curię stylo, pietas quo plus appetitur turbinibus, eò feliciùs increscit. Notatum id est in filiis Israël de quib. scriptum est Exod. 1. *Quantò opprimebant eos, tantò magis multiplicabātur, & crescebāt.* In Christianis falce Ethnica demessis, idem obseruabat Tertull. *a* cum Paganis insultaret, ac diceret; [Nihil proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis Sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis: semen est, sanguis Christianorum.] Tunc magis ædificatur hæc Secta, cum Cædi videtur; aiebat idem ad Scapulam. *a* Id ipsum occino, Obstrepentibus pietati Scapularis Mariani: qui tamen deinceps, ne indicta causa proscribi videantur, audiendi sunt: & si quæ obiiciunt, enodanda, altera parte susceptæ à nobis Lucubrationis.

a in fin. Apol.

a in fine.

Aa PARS

PARS SECVNDA, POLEMICA PROLVSIO.


ACTENVS sedatè actum est in hac tractatione. Nunc in certamen est descendendum. Quæ enim totis octo Capitibus de hoc pietatis instrumento tradidimus, ab ingeniis quibusdam tumultuosis, ac turbidis, quæ omnibus concutiendis, ac nouandis, fortia audire amant; partim vocantur in dubium, partim falsiloquij, ac figmenti insimulantur. Itaque corripienda sunt arma cum petentia, tum tegentia, vt hostibus compressis, pacata sit, tutè inita, & pridem retenta possessio. Quod aliter dixit Gregorius Nyssenus, a hoc est volucres cœli (hoc est quæ sunt, vel sibi videntur magnæ, ac excelsæ mentes,) depulsis difficultatibus, & enodatis implexationibus, veluti in nido expositionis conquiescere. [Quæstionum enim explanatio, est animi quidam velut nidus, in quo mens instabili sollicitudine, sciendique studio, tanquam multiplici volatus errore fessa conquiescit.]

a Initio hexaem.

Et quia inter Scapularis Mariani impugnatores, vix vllus fuit qui frontem attereret, & apertè in illud inueheretur ante Ioannnem Launoyum Normannum; idcircò eius præsertim vestigia relegemus: & quàm inaniter semel & iterum aduersus receptissimam pietatem arma mouerit, deque ea quasi triumphata sit gloriatus, monstrandum erit; resectis inutilibus, aut parui momenti Parecbasibus. Eò autem faciliot erit famosi Aristarchi depulsio, quod passim innotuerit ingenij eius prurigo qua celebritatem captans ex sensuum antiquorum conuulsione, collisus est cum bona parte Religiosorum Ordinum qui in Gallia florent; nimirùm cum Benedictinis, Cartusianis, Dominicanis, sed maximè cum Carmelitanis. Et maius opus mouens, etiam Sanctos Cælites à multis seculis veneratione populorum frequentatos, nouus Censor exauctorauit, & cœlo deiectos inter figmenta reiecit. Hanc Gigantomachiam, inter alios complures Vir grauis, & doctus, cuius inter erat, Iacobus Eueillon, validæ ac fortis scriptionis claua prostrauit. In cæteris item capitibus circa quæ nouus antiquarius iste exerrarat, inuenit qui eum in viam reducerent. Mihi hic Carmelitanorum duntaxat causa suscipitur, quam agitabo, adductis ex fide omnibus, quæ circa octo proposita Capita cauillo, aut calumniæ paruerint: iisdémque perspicue disiectis, breuiter, ac ordinatè (quantum fas fuerit) stabiliam veritatem.

QVÆSTIO I.

Circa visionem B. Simonis Stoch. de qua Capite 1.

S. August.


INTEGRA dissertatione Launoyus, hanc apparitionem sub annum 1250. consignatam, suscepit reuincendam figmenti à Ioann. Palæonidoro Carmelita Batauo inducti, anno 1495. Argumento vtitur, quod ei vbiuis est solemne. Nimirùm, quod nullus, Stoch (prænomen *Sancti*, aut *Beati*, abradit; id quod etiam circa Cœlites fecisse Copronymum, docent Acta S. Stephani iunioris;) nullus inquam B. Simoni æqualis, aut suppar Scriptor visionis illius meminerit: atque adeò primùm sit prodita à Ioanne Palæonidoro Scriptore nupero, quem habet pro strenuo fabulatore, & cuius scriptionem vocat *nugarum sentinam*. Adducitur quidem in Palæonidori subsidium, antiquitùs scripta vita B. Simonis, quam Benedictus Gononus Ordinis Cœlestinorum, Operi de vita Patrum Occidentis a inmisit. Sed eam quoque vitam Launoyus pro argento reprobo habet, *ineptam, & fraudulenter conscriptam* affirmans, & ipsum Gononum *tenuitatis indicij* notans, ac etiam *falsarium*, & *impostorem* vocant qui visionem Marianam, memoratam dixerit à Trithemio, atque Vvernero Fasciculi temporum Autore; apud quos de ea visione, verbum quidem, aut Apex legitur, vt neque apud Thomam Vvaldensem, & Baptistam Mantuanum: quorum tanti intererat hanc visionem scriptis committere, si tunc innotuisset. Et reperitur quidem ea Stoch. Vita, in Codice antiquo Vaticanæ Bibliothecæ. Sed hoc quoque Launoyo ludicrum est; quia iuxta Baronium b ea Bibliotheca, perinde ac cæteræ omnes nobiles, & copiosæ sunt sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congregantes. Quid quod facile fuit alicui Carmelitano, conciliandæ figmentis Ordinis autoritatis studioso, intrudere eum vetustatis ementitæ Codicem in Bibliothecam Vaticanam? Et potuerunt etiam Bibliothecæ Curatores (vt assolet) cum M.S. Codicem coëmere, siue à priuato quopiam, siue ex reliquiis promercalis alicuius Bibliothecæ; in quam astu, vel absque alio examine fuisset immissus. Itaque concludit Launoyus, vibrata quam semper in huiusmodi negotiis adhibet sarissa Baroniana; *Quæ recentiores absque vetustiorum autoritate proferunt, meritò contemni, & veluti nouitia despici*. Obicientes autem huius argumenti infirmitatem, cum ducatur ab autoritate negatiua, ait Launoyus, *qua pietatis prætextu, qua data obsequentibus melioris fortunæ spe, quà iniecto illius amittendæ metu, quà magnatum autoritate* impulsos, solidissimæ regulæ Baronianæ repugnare. Quæ autem pro

a Lib. 4.

b Ad annum 604.

stabilien

stabilienda apparitione Mariana adducuntur, rationis vacua pronunciat, & ne digna quidem explodi sibilis.

Mihi vniuersa hæc ratiocinatio planè straminea videtur, & digna, quæ sibilis explodatur. Vsi sanè hac argumentandi inanitate Anabaptistæ, asseruerunt, narrationem de homine ad piscinam probaticam sanato, fabulosam esse, & a falsario quopiam intrusam in Ioannis Euangelium; cum nulla vnquam fuerit Hierosolymis piscina probatica, quod probarunt ducto argumento ex Iosephi de ea piscina silentio. Ridet eam argumentandi ruditatem Toletus. *a* Simili modo homo parum sobrius Vlricus Velenus, inde probabat falsum esse Romanum sancti Petri Pontificatum; quod sanctus Lucas tam multa de Paulo recensens in libro actorum, silueit tamen de Sancti Petri Romam appulsu, & collocutione cum Paulo: cum quo tamen non potuisset Petrus non agere, si ambo simul Romæ vixissent. Huius argumentationis insulsitatem, Ioannes Fischerus, *b* fuso pro Christo sanguine, quam purpura clarior, manifestè reuicit. Et ipse Baronius, *c* qui apud aduersarium profertur veluti crepido huius argumenti; rectè obseruauit, sanctum Lucam in Actis pleraque reticuisse; quæ ex eius silentio insimulare falsitatis, ridiculum sit, ac puerile. Hac item argumentandi futilitate, narratio de vita sancti Alexij, argueretur fabulositatis. Quomodo enim in tam clara luce Christianitatis, viuentibus eo tempore SS. Augustino, Hyeronimo, Paulino, Seuero, alijsque innumeris; nemo inuentus esset, qui tantum Dei opus, tam insigne exemplar calcati seculi, vel syllaba exarata attigisset, ante Metaphrastem tot seculis posteriorem? Itaque iuxta regulam, non Baronianam, sed Launoyanam, Historia sancti Alexij esset figmentum, ne es sibilandum quidem: quod qui effutiret, non sibilo sanè, sed fuste esset excipiendus.

a in c. 4. Ioan. annot. 3.
b l. contra Velenum.
c In Martyrolog. ad 23. Sept.

Nimirùm in iis quæ antiqua traditione per manus accepta, nulli vnquam perito ac probro in dubium sunt vocata, (de quibus non agebat Baronius) absurdè, ad fidem faciendam exposcitur Scriptor Synchronus. Et verò Launoyus, hac in parte egregiam operam nauauit Caluino, ad omnes traditiones non scriptas excutiendas Catholicis quibus proinde, ruinosum illud principium de necessitate autoris Synchroni ad faciendam receptis iam olim sensibus fidem, nulla ratione ferendum est. Videsis Herculem Commodianum, *a* hac claua spoliatum. Nec non in similis argumentationis discussione Hieronymum Sauonarolam, *b* & Franciscum Turrianum *c*

a Serie 2. quæst. 3.
b lib. 1. de Triumpho Crucis c. 4.
c Lib. 5. contra Magdeb. c. 28.

Sed demus aduersario, quod postulat quærendum videlicet Autorem Synchronum, à quo apparitio Beato Simoni obiecta, sit scriptis commissa. Non idcircò cademus causa. Petrus Suuangthoons Beati Simonis indiuiduus comes, & Actorum eius Scriptor, qui primus Burdigalæ B. Simone vita functo publicus fuit Theologiæ Professor, apparitionem de qua agimus, mandauit literis. Habemus ergo Scriptorem Syncronum, & quidem grauem, ac fide dignum; è quo Posteriores hauserunt, & inter alios Palæonidorus, cui Launoyus gratis conuitiatur; Multa pro innoxio reponente, eius Sodali; Ego illud vnum repono ex lib. 6. Cod. de Postul. [Si quis adeò procax fuerit, vt non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patietur.] Quod tamen ipsummet Palæonidorum, de se fatentem, quod per studia patrum scripserit, inducit Launoyus apertè ab eo, impugnandi studio, est impositum Palæonidoro. Nam in nullo eius Codice (& extant planè multi) tale quid de se professum Palæonidorum, legere est, ac proinde grauatur manifesta impostura.

Feray. priuil. 1. controu. 8.

Part. I. Quæst. II. De visione B. Simonis.

Æquè patens mendacium est, quod primùm à Palæonidoro Scriptis commissam visionem Marianam, affirmat Launoyus. Nam Palæonidorus florebat anno 1471. At præter Suuingthoonum iam annotatum, Ioannes Grossus Tolosanus, qui iam ab anno 1389. in Generalem Carmelitanorum electus erat de ea visione scripserat: & adduxerat quoque eiusdem apparitionis testem antiquiorem, Guilelmum Couentricensem, autorem Elucidarij sancto Anselmo malè adscripti. Quod si hos quoque Launoyus dicat esse impostores, & falsarios qui visionem de suo cerebro confictam chartis mendacibus illeuerint, cum vnicus proferatur beati Simonis Synchronus Suuingthoous; næ, ille libellum se argutatorem monstrabit, qui hac vna securi magnam partem Lucubrationum de vita Sanctorum exciderit, & nominatim quæ ex sancto Hyeronymo habemus, alias intacta, vt vitam sancti Pauli Thebæi, & sancti Hilarionis, ac narrationem de Malcho, & de muliere septies icta. Concidet item vita sancti Antonij, à solo sancto Athanasio descripta, & inter figmenta reputabitur, quod nemo sanus, aut sobrius dixerit.

Iam quod Collectorem Operis de vita Patrum occidentis, virum bonum in quo dolus non est, Launoyus *fraudis*, ac *imposturæ* insimulat, ob allegatos pro visione Mariana Trithemium, atque Vvernetum, qui de ea visione nihil dixerunt; ad inanem est recriminatio. Nam idcircò impostor item habendus erit censor eius, quia Gononus, ne verbum quidem habet de eo quod affingit ipsi Launoyus: Sed præcisè ait Trithemium atque Vvernetum Beati Simonis meminisse, quod est verissimum. Eam porrò antiquitùs scriptam Beati Simonis vitam, quam Gononus suæ Miscellæ intexuit, Congregatio sacrorum Rituum, præside Cardinali Scaglia, accuratè examinatam, pronunciauit labis puram, secus ac Launoyus, qui eam dixit fabulis scatere, & *ineptè*, *ac fraudulenter* esse conscriptam, qua est iudicij acritudine, & emunctione naris odoræ supra caninam. Allatrationem verò Custodum, ac Curatorum Vaticanæ Bibliotecæ ob eam vitam negligenter admissam, (quæ allatratio æquè in omnium Bibliothecarium fidem, & in omnium veterum MM. SS. Codicum sinceritatem incurrit,) depellant quorum interest.

Ægriùs indulgeatur Launoyo, quod sicut sanctum Renatum Andegauensem loco mouit, & cœlo exturbatum inter fabulamenta reiecit: ita B. Simonem Marianum, gradu Sanctorum deiicit, quem tamen honorem ei defert Ecclesia. Innocentius quidem quintus, & Adrianus quintus, in huius Beati miracula & res gestas inquiri iusserant. Et cum huiusmodi negotia absumant longa tempora, neuter eorum cœlitum honoribus hunc hominem Dei honestauit. Postmodùm tamen Nicolaus tertius ritè perfectis omnibus iure ad id vel vsu præscriptis, potestatem fecit, Missam, & diuinum Officium de Beato Simone, Burdigalæ vbi quiescit, tanquam de sancto Con-

sessore celebrandi 16. Maij, quæ fuit ei ad æternam vitam Natalis. Id quod Paulus V. diffudit ad omnia per orbem Carmelitana Cœnobia, addito pro Burdegaleosibus auctario plenariæ Indulgentiæ quotannis recursuræ, iis qui expiati, & cœlesti cibo refecti, ad B. Simonis Sacellum solitas preces exolverint. Quam concessionem, triplici Diplomate, velut funiculo triplici difficilè rumpendo, alligauit. Astipulata item est S. rituum Congregatio, quæ anno 1609. nouis pro officio huius Beati Viri Lectionibus, à Cardinali Bellarmino confectis, apposuit approbatorium calculum. Nec tantùm *Beati* titulo, Simonem honestauit: sed etiam accepti ab eo cœlitùs sacri Scapularis, præbente Deiparâ, disertè meminit.

a c.1.n.7. Non priùs excedo ea hac visi Mariani discussione, quàm moneam, Launoyum inter Authores quos hoc visum, vel ignorasse, vel pro fabula habuisse contendit; adducere Thomam Vualdensem, quia cum maximè opportunum fuisset, silui de hoc negotio: & Baptistam Mantuanum, Carmelitanorum Generalem; qui integra Apologia pro Ordine suo conscripta, ne verbum quidem habet de hoc negotio. Sed est argumentum planè inane Et quoad Vualdensem quidem, sapientissimus Pater, & viuum sacræ Doctrinæ ac Religiosæ compositionis delubrum, Dominicus Campanella S. Romanæ Inquisitionis Theologus egregiè monuit: ensem illum Mabusonis doctū (prout à Martino V. nominatus est a Vualdensis) cum repelleret Vviclefsum a omnibus vniuersè sacris Religionibus infestum, nec Carmelitanæ Religioni specialiter aduersantem, non debuisse nisi vniuersum agere: & iure ea prætermisse, quæ Vviclefsus specialiter non impugnabat. Nec verò sapienter facturum Vualdensem, si aduersùs Vviclefsum allegasset visum B. Simonis deque eo testantia Diplomata Pontificia; quæ nequam ille, alio cachinno explosisset, sannio cui omnia Ecclesiastica decreta & narrationes de gestis Sanctorum, erant pro nugis. Similiter Mantuanus ea Apologia quam Aduersarius opponit, assumpsit ad tegendum Ordinem suum à quibusdam calumniis quibus tunc onerabatur. Nondùm autem natus erat Launoyus, visi Mariani criminator: itaque quod nemo impugnabat, meritò non propugnauit Mantuanus.

a De sacramentalib. lib. 9. c. 98.

a Cap. 6. Pari soliditate argumentandi, Launoyus a silentium Pauli V. de visio Mariano, trahit ad illud visum falsitatis insimulandum. Neque enim, vt Launoyo videtur, prætermisset Pontifex visum illud, nisi iudicasset fuisse confictum. Censores verò Romanos qui *Paradisum Carmelitici Decoris*, confixisse prodiderunt; non aliò spectasse vult Launoyus, quàm ad hoc falsiloquium. Verùm Pontifex in decreto de quo agitur, id tantùm spectabat (vt moris est) de quo tunc agebatur: & de quo in lusitania, & ab Inquisitore Auenionensi, lis mota fuerat Carmelitanis; nempè visum obiectum Ioanni XXII. Et firmata possessione Carmelitanorum, ac silentio Inquisitori imposito, cœtera de quibus non quærebatur, missa fecit. Itaque nullatenus viso Mariano incommodauit. Eius verò satis meminit, & cum laude atque approbatione, in decreto abs se firmato, de Officio B Simonis. Censores verò Romani in Libro cui titulus *Paradisus Carmelitici decoris*, non hoc visum damnarunt, vt de suo capite comminiscitur Aduersarius. Sed farragines ineptiarum illius Autoris, in allegandis præsertim ad Ordinem suum variis Sanctis. Quæ eius ineptitudine, Carmelitis ipsis sunt improbatæ, vt suprà notaui.

Obsigne hanc de primâ origine Scapularis Mariani disquisitionem, animaduersio in Aduersarij animaduersionem. Is enim Dissertatione vltima, quæ est de Scapularis Sodalitio; præfatus Apparitionem & donum Deiparæ, de quibus hic egimus, fatentibus ipsis Carmelitis, esse primarium fundamentum Sodalitij Mariani, profitetur, se adhærere Pauli V. decreto de Scapulari Mariano: & cuiuscunq; Successoris eius Constitutioni, quâ remagis ac magis considerata, aliquid innouaret circa Sodalitium Marianum; quod allecuturos Pontifices docet, silogani ipsiusmet Launoyi dissertationes; quibus ostendit, neque visum Marianum, neque donum Scapularis, hactenus ritè vindicatum esse (id est ritè expurgatum, & comprobatum) sed quid potiùs apocryphum esse & suppositiitium; quod iuxta Ecclesiæ sobrietatem, deberet obrui silentio: nec vlteriùs tediùis post irrogatam Launoyana machera necem, prædicatione diuulgari. Nam Christiana Religione indignum est Sodalitium istiusmodi, eique patrocinare nihil est aliud quàm in dubiis & apocryphis visionibus, atque in Ipsis Virorum Cubilibus conquiescere.

Præmiserat Launoyus, a quod Pontifex edixit, posse piè credi de subleuatione Sodalium Marianorum, putare, se, æquè piè posse credi de Fidelibus qui absque Mariano Habitu, ea seruauerint quæ ex præscriptio sui Instituti, seruant Mariani Sodales: nec minùs fruituros speciali protectione Deiparæ, quàm ipsos Sodales. Denique subiungit, b inconsultè Pontifices, inter ea quæ seruanda sunt Sodalibus, præscribere abstinentiam à Carnibus feria quarta & Sabbato. Quid enim est *abstinere a carnibus*? Antiqua quippè phrasis *abstinentia*, significat ieiunium plenum; quod sanè non seruant Sodales Mariani, in diebus illis. Si autem *abstinentia a carnibus*, sonet temperationem à solis carnibus citra ieiunium; negat Launoyus, esto abstinentiam esse quiddignum, cui post Sodalium obitum singularis protectio Deiparæ spondeatur. Quid si verò ita temperent Sodales à carnibus, vt in diebus illis desse crapulæ, & absque carnibus sybariticè epuleiur? Quomodò verò præscribitur Sodalibus, temperare sibi à carnibus in Sabbato; quod in Ecclesia Occidentali, sub graui noxa, in omnibus iampridem Fidelibus imperatur, etiamsi non sint Sodales. a n.4. b Num. 8.

Audio. Sed vt ab hoc vltimo auspicer, etiam abstinentia ab aliena vxore, & ab illegitima quauis corporis proprij fœdatione, omnibus æquè Fidelibus imperata est. Et tamen sanctè astringuntur Sodales, castitati intra suum quisque gradum tenendæ. Nec tu id reprehendis. Et si reprehenderes, pessimè faceres; quia potest actio vno præcepto mandata, sub alterius legis nexu præcipi; vt quoties voto concepto obstringit se quis ad obseruandum, quod iure naturæ obseruare tenetur. Tantum Magistrum in Israël, hoc non vidisse: vel si vidit, reprehendisse, mirum videretur nisi S. Augustinus a rectè moneret, esse aliquos qui in seipsis flammam intelligentiæ Spiritu carneæ concertionis extinguunt. Deindè, quomodò latuit tantum Doctorem, in plerisque Prouinciis, etiam Gallicanis; mos esse, saltem certo quodam tempore, carnibus, sin minùs absolutè, at cum aliqua restrictione, vescendi in Sabbato? Mandat ergo præscripta Mariana, vt Sodales quibus alioqui liberum esset a Tract. 6. in Epist. Ioan.

eſſet in Sabbatis illis carne veſci, temperent ſibi cibo illo, idque ſeruare, & genium ſuum eo modo fraudare, pium & ſanctum eſt. Negas? Non puto te adeò attrita fronte eſſe, vt eo prorumpas: quanquam ſcis quid de temperatione à carnibus per quadrageſimam, licenter nimiùm alibi effutiueris; clanculariè tentans quadragintadialem à carnibus temperationem, omnibus Catholicis Sacroſanctam, ſuffodere; vel retrudere in Cœnobia, vnde vis erupiſſe, qua de re aliàs.a Cui ergo apocreaſis quadragenaria nouitium inuentum eſt, ſi apochen Sabbatinam vni Sodalitio citra peccati nexum impoſitam vellicet, non eſt cur admiratione dignum videri debeat. Nec id in præſentia tam vrgeo, quam ineptitudinem Ariſtarchi, Pontifices notantis ineptitudinis, quod approbent præſcriptum Marianum, de ſeruanda temperatione à Carnibus in Sabbato quæ lege vniuerſali omnibus Fidelibus eſt impoſita.

a In Roſa medica.

Quàm verò eruditus videri voluit Launoyus, argutans contra idem præſcriptum à Paulo V. confirmatum; idcirco quod his verbis concipiatur, *abſtineant à Carnibus Sodales feria quarta & Sabbatho*: Cum admodùm obſcurum eſſe velit, perſpicere quid ſonet *abſtinere à Carnibus*, eo quod iuxta phraſim antiquam pridem deſitam, *abſtinere*, idem ſit quod *ieiunare*. O antiquarium profundum! Tu quid ſit *abſtinere à Carnibus*, obſcurum putas? *Abſtinere à Carnibus* quid ſit; popellus fidelium, & ſimplices quique, vel ſi anus ex ima populi fæce ſint, ſine alia gloſa intelligunt. Nec opus habent imaginari, forſan vocibus adeò perſpicuis, notiones (vt tu vis) pridem deſitas, & vſu antiquo obliteratas ſubſtineri, etiamſi verum eſſet quod tu contendis, & nunquam probaueris, abſtinere à Carnibus, idem olim ſignificaſſe, quod abſoluiè *ieiunare*. Et miror te non timuiſſe, vt Fideles audiendo præſcribi *abſtinere* in diebus illis *à Carnibus*, intelligant, excommunicationem inferri. Id enim olim ſonuiſſe *abſtinere*, ex Sancto Cypriano notiſſimum eſt vt notat ad eum Pamelius. a Interim cuius ſupercilij fuit, Pontificem notare, quod neſciuerit Latinè loqui clarè, & ad intelligendum accommodatè, cum dixit, Sodalibus *abſtinendum eſſe à Carnibus, feria quarta & Sabbato*? Sed quamuis id ſit notiſſimum, & reprehendere ea ex cauſa Pontificem tanquam obſcurè & implexè locutum, videatur ſtultum, tamen tanta fuit ea reconditæ eruditionis & antiquariæ peritiæ oſtentatio, vt extrà rem, nec abſque diſcrimine audiendi τὸ Ἀδέναν captanda fuerit ex muſtaceo hæc Lauteola.

a Epiſt. 38. n. 10.

Apertè tertius eſt quod cum Pontifices cenſuerint abſtinentiam à Carnibus in communi notione ſumptam, eſſe dignam cui iunctis cæteris Sodalitio Mariano præſcriptis, Beata Virgo ſpecialem protectionem rependat, affirmat è contrario Launoyus, dignam non videri. Et aſſerentibus Pōtificibus ſeruantibus ſtatuta Sodalitij eiuſmodi, tale præmium ſpondeti poſſe; iſte, cuius venter ſicut muſtum abſque ſpiraculo, ait eam obſeruationem eſſe inanem, cum æquè obuenturum ſit idem præmium non ſodalibus. Præterea cum Pontifex Paulus, nominatim decernat piè credi poſſe, & licitè prædicari, quod FF. Carmelitani aſſerunt de ſpeciali aſſiſtentia Deiparæ Sodalibus, deſponſa poſt obitum, Cenſor è contrario, ait hoc totum eſſe apocryphum, & ſubditium, quod ſobrietas Sponſæ Chriſti deberet ſilentio obrutum velle, non vt prædicetur permittere. Id verò eſſe, *velle vt Fideles* In ipſis vitiorum cubilibus conquieſcant. Ain? Ergo tuo iudicio, Eccleſia ſi tuis diſſerationibus non ſtet, ſobria non erit? Næ, tu ſobrius non es; inuoluens adeò parum ſanas ſententias ſermonibus imperitis, & adeò parum prudentibus. Deinde quod permittit Eccleſia diuulgari vt pium, audes tu pronunciare obruendum fuiſſe ſilentio, & tam altè infodiendum cadauer ſententiæ gladio tuo transfoſſæ, vt nunquam è latebris conditorij emergat; & in auras ſuperas veniat. Neque hoc ſatis ſobrium eſt.

Pa. s. II. Q. eſt. II. De viſione B. Simonis.

Tandem dicere quod Pontifices approbando Scapularis Sacri Sodalitium, eo modo quo approbarunt, velint Fideles conuolui & *conquieſcere in ipſis vitiorum cubilibus*, non modò à ſobrietate mentis, ac calami, & linguæ abeſt: ſed etiam furiale, & brutum eſt*, nec niſi Caluinianæ cacochymiæ excreatus fœdiſſimus. Sic per iocum adhæret Launoyus Paulo Pontifici, cum eum facit comprobatorem iniquitatis: & *autorem, vt Fideles in viatiorum cubilibus conquieſcant*. Hæc à Catholico, hæc à Theologo audiri quis ferat? Nolite annunciare in Geth], neque anuuncietis in compitis Aſcalonis; ne fortè lætentur filiæ Philiſtiim, ne exultent filiæ incircumciſorum. Putas quãtis lçritiis incedendum ſit Geneuæ Leydæ, Charentonij, & per omnes mandras gregis puſilli; vbi inaudierint à Doctore Theologo, in Matre Academiarum talem colaphum impactum eſſe communi Patri Catholicorum; & tam licenter aduerſus Chriſti Vicarium, nec vnum, ſed plures, ex inſtituto, ac motu proprio, & ex certa ſcientia ſæpè ſæpius Scapulari Mariano, etiam in Iudicio contradictorio ſuffragatos, talia chartis committi, & impudoratè iteratis editionibus euulgari? Sodes, ne hoc audiant hoſtes fidei, ne tanta conculcatio Pontificiæ auctoritatis in cuius incolumitate, & inconcuſſo ſtatu vertitur ſalus fidei, atque fidelium ſtabilitas, iudice ſancto Auito, a cum dedecore Catholici nominis peruadat ad alienos. Audiat potius vigil, audiant excubitores ſanæ doctrinæ, & cum tanta petulcitate, loquantur iudicium. Audiatur in terra ne audiatur in excelſo clamor iſte, & exurgat Dominus vindex de huiuſmodi; tanto durius, quanto patientius ab infrunito calamo ſponſæ ſuæ iniurias, ac ſuorum Amicorum nimis ei honoratorum, dehoneſtationes tulerit.

a Epiſt. 31. p. 80. & 81.

Non prius excedo ex hoc volutabro, in quo Launoyus, Mariani Scapularis ſtudioſos conuolui criminatur, quin aduertam, omnem hanc procellam in Scapulare Marianum à Deipara beato Simeoni delatum, neque bacchari poſſe contra Scapulare Præmonſtratenſe, à Deipara B. Hocberto collatum, vt legitur in S. Horberti actis, confirmátque Ioannes le Paige l. 1. Berlinch. Præmonſtrat. c. 3. cui narrationi nemo hactenus obſtrepuit, vt neque narrationi de collata caſula ab eadem Virgine B. Heldefonſo.



QVÆST II.

Circa Pontificiam Scapularis Mariani Comprobationem de qua C.2.

EX variis Pontificiis Diplomatibus, quæ in gratiam Scapularis Mariani prolata sunt cap. 2. aliqua sunt pro quibus est flustium, atque malacia. Sed tempestas, & quidem vehementissima, detonat in Diplomata, quæ ibidem retulimus ex Ioanne XXII. & Alexandro V. Hæc enim à Carmelitanis mendaciter obtrudi, non estimauit dicere aduersarius.

Mihi è contrario, vtrumque Diploma certo ictu ferire videtur, temerarios visionis Marianæ, & sacri Scapularis impugnatores; quorum Princeps est Launoyus, in horum Diplomatum euersionem connisus altera dissertatione integra. Cur autem non moueat excitatis ab eo decumanis, facit in primis, quia etiamsi gratis donemus ea Diplomata esse supposita Ioanni XXII. & Alexandro V. tamen eo ipso quod à Clemente VII, rata habita, & verbatim inserta sunt Diplomati suo indubitato (id quod etiam alij Pontifices post Clementem fecerunt,) essent habenda eiusdem authoritatis, cuius essent si manassent à Ioanne & Alexandro. Sicut quamuis lis adhuc sit sub iudice, an liber Enoch, à S. Iuda Thadæo allegatus, fuerit Canonicus, tamen ea libri illius plagula quæ inserta habetur Epistolæ Canonicæ S. Iudæ, eo ipso certa est & fidei indubitatæ. Similiter omnino multi Patres summa consensione adducunt loca ex libro Pastoris, vel ex quarto Esdræ, aut ex tertio Machabæorum, putantes eos libros esse Canonicos. Præ qua vnanimi Patrum consensione, loca illa tametsi è libris apocriphis petita, plus ponderis habent ad aliquid confirmandum, quam haberent prout nudè contenta in libro Apocripho. Cum ergo Clemens VII. & alij post eum Pontifices, Diplomata de quibus agimus, adducant tanquam Ioannis & Alexandri eaque rata habeant: nec in eis subodorati sint aliquid putens aut reprobum, propter quod habenda sit commentitia, inferre licet, quæ talia Launoyus in illis subolfecit, eius potiùs in sugillando pruriginem, & in tricando, ac cauillando dexteritatem redolere, quàm Diplomatum vitium aut suppositionem. Id quod breuiter monstratum venio, prolatis quæ sigillatim circa vtrumque Diploma obiiciuntur ab aduersario tota dissertatione prima Editionis primæ, quæ in editione altera mihi serius visa, collocata est secundo loco.

Ac primùm circa Ioannis Diploma, vrget Launoyus, quod in toto Bullario Cherubini, tam spisso, & in tam multos tomos distributo, nullum sit Diploma, quod habeat initium, simile initio Diplomatis attributi Ioanni. Deindè opponit, annum quo Bulla consignatur, apud varios notari varium, cum alij dicant esse primum, alij sextum annum Pontificatus Ioannis. Item quidam visionē in Diplomate narratam, dicunt esse Ioanni obuersatam ante Pontificatum, alij verò eam referunt ad tempus iam initæ sedis Pontificiæ. Ad hæc Ioannes in extrauagantibus, quas ab eo multas habemus in Corpore. Iuris consignat dies mensis quo dantur, per Calendas, Nonas, & Idus. In prætenso autem Diplomate, notatur dies Martij tertius. Et B Virgo, refertur parum Ecclesiasticè, vel etiam Christianè locuta, eam diem nominans, *Diem Mercurij*, pro vsu eorum qui Luces vocabant nominibus tenebrarum, vt scitè dixit Eucherius *a* cum appellāda fuisset *quarta feria*, ex D. Augustini *b* voto de illarum nomenclationum mutatione: vel absolutè *dies quarta*, iuxta vsum Christianum primæuum, insinuatum à Chrysostomo. *c* Et concinnè à Gaudentio *d* prologuente ad Exodum. Qui quod verbo visi Ioanni XXII. obiecti, non sunt apud omnes eadem! Hoc aduersarius magna accuratione confirmat, collatis per contrapositam columnarum variantibus lectionibus. Vnde concludit, è duobus Carmelitanis Bullam Ioannis ad Verbum exscribentibus, alterum, vel etiam vtrumque esse mentitum, seclusa omni excusatione. Proferuntur quidem Libellarij, qui Diploma Ioannis insertum Diplomata Alexandri, vidisse & inspexisse dicuntur. Sed quorum maximè vrgetur auctoritas, fuere Genuenses? Atque adeò (inquit Launoyus, ex Italiquo prouerbio) *Homines medica fides.* Iidem porrò Diploma illud tribuunt Alexandro IV. qui annis plusquàm quinquaginta, Ioannem antecessit, vt proinde extorserit Launoyo, tanta inter mentiendum exocolatio, Poëticum Epiphonema. *O cæcas Hominum mentes, ò pectora cæca!* Tanta item, tàmque affectata cautione, iidem Libellarij confecere instrumentum, vt cordatis lectoribus suspicionem illicò moueant falsitatis, & fraudis. Et mirum est, huiusmodi Libellarios, non Auenione vbi Ioannes vixit, esse quæsitos, sed Genuæ, ac postea etiam Messanæ, Barcinone, Valentiæ. Vt vt verò hoc telum declinetur, non si Libellarij adscribantur fabulis, censendi idcirco erunt conciliare auctoritatem apertis falsiloquiis, ac nugis. Ad hæc in prætenso Ioannis Diplomate, Deipara inplanans, atque decipiens. Ineptè quidum locuta dicitur, cum Papam vocauit *Vicarium Christianorum*. Et cum ait se eum promoturam in Pontificem, qui iam per annos sex Pontificem agebat. Implanans autem Ioannem refertur, cum dicitur eam Ioanni, si annueret votis Carmelitanum, & ratum haberet, ac indulgentiis muniret quod ipsamet concesserat, spopondisse liberationem ab hoste. Quod si accipiatur de Ludouico Bauaro, nunquam contigit. Si autem accipiatur de Petro à Corbario, falsitate sordebit, cum is qui Ioannem ab hoc sedis suæ proco liberauit, fuerit Bonifacius Comes Pisanus, non autem Deipara. Item non fuit Deipara, quæ Ioannem in Pontificem promouit, sed ipse Ioannes se Pontificem constituit. Nam cum ex compromisso Cardinalium, delectus esset ad nominandum futurum Pontificem, ipse sibi Pontificatum adiudicauit. Quomodò verò si tam illustri viso, Pontificatus Ioanni fuisset à Deipara aut promissus aut delatus, non texissent eius veram dignitatem hoc vmbone, qui pro eo satagebant contra Ludouici Bauari, & Corbarij artes, ac machinas, puta Alexander à Sancto Elpidio, Augustinus Triumphus, Aluarus Pelagius, Author vitæ Pontificum Gallorum, Dominicus Tempesta, & alij? Nec defugerent notam insignis negligentiæ Abrahamus Bzouius, & Henricus Spondanus, rem tantam taciti prætereuntes, quę tamen Annalibus dignissima fuisset, si veritate niteretur. At qua ratione extricabant

a Hom. 11 de Pasch. b In Psal. 93. ad titul. c L. 2. de compunct. cordis sub medium. d Tract. 1. in Exod.

cabunt nodum, in Bullæ illius quadam, clausulâ occurrentem? Exscinditur enim in eâ clausulâ priuatus error Ioannis, de interclusa sanctis animabus, etiamsi plenè purgatis, felicitate, ante corporis anastasim; in quo errore, tunc non nisi materiali, Ioannes penè ad mortem vsque perseuerauit. Et tamen in Bullâ refertur B. Virginem dixisse Ioanni, se Sodales Marianos, mox ab obitu, reducturam in montem sanctum vitæ æternæ; qui alius non est, quàm status æternæ beatitudinis. Tandem vnde tanta indiligentia in non conseruando Ioannis autographo, nuspiam apud æui illius Authores comparente ab anno 1316. quo illud à Ioanne emissum volunt, vsque ad annum 1409. quo ab Alexandro V. Bullæ suæ inditum inditum? Sicut postea à Clemente quoque est repetitum, & confirmatum ex stylo curiæ; quo Pontifices annuunt vota supplicum, & absque aliâ discussione, confirmant quæ exponuntur. Cum ergo petita esset confirmatio Bullarum Ioannis, & Alexandri; Clemens, & si qui alij Alexandro posteriores Pontifices, ea Diplomata qualiacumque essent, Bullis confirmatoriis indiderunt, & rata habuerunt, absque alio examine. Non plura Aduersarius nugipolyloquides (vt vocem Comici retineam); aduersùs Ioannis XXII. Diploma. Esset verò, cur hanc miscellam inordinatam strepere ac minutiloquæ disputationis insequens, deprecater *a* Lectoris fastidium; nisi Paulino Aquileiensi *a* docente constaret, disputationem insequentis aduersarium, vitia orationis quam impugnat, ex necessitate redolere.

a Lib. 2 in Felicem, initio.

Relegendo, itaque Aduersarij vestigia, dico, miseratione potiùs quàm confutatione dignum esse; quod primùm vrget de dissimili huius, & aliarum Bullarum initio. Nam in voluminibus Pontificiorum Diplomatum, plurima sunt quorum initia in nullo alio Diplomate reperiuntur. Gregorius VII. ei Constitutioni qua Henricum IV. exauctorauit, illud initium ex abrupto præfatur; *B. Petre Apostolorum Princeps, inclina quæsumus pias aures tuas nobis.* Cedo aliud aliquod Diploma Pontificium, in tam multis tàmque spissis Cherubini voluminibus, cuius idem sit, vel simile initium.

Præterea varietas in numero annorum adscriptio Bullæ Ioannis, ridiculè obiicitur; cum constet, eam varietatem Librariorum oscitantiâ iam sæpè alibi irrepere, vt S. Hieronymus *b* animaduertit. Et apud ipsum Aduersarium, legitur annotatus annus 1305. pro anno 1230. & numerus 51. pro 53. Itaque nihil est necesse, varietatem illam notæ annorum in variis Codicibus discrepantis, referre ad repetitam anno 6. Pontificatus Ioannis, Bullæ publicationem; quod nonnemo *a* putauit se rectè eruere, ex eo quod Pontifex dicat, *iterum confirmo.* Vnde vt aiunt, apographum primi Diplomatis; à nullo posteriore Pontifice immissum est Nouis Bullis: sed tantùm secundi, post sexennium emissi. Sicut Clemens VII. post annos septem, alterum de hac ipsa re Diploma confecit. Hoc neque est necessarium, neque tenera solidum. Nam illud *iterum confirmo*, spectat voluntatem firmam, à Ioanne apud se, & coram sola Deipara conceptam, iterum publicè firmatam & in Diplomate vulgatam. Cui Diplomati, superstite Ioanne, non fuit necessaria alia confirmatio? nemine auso obstrepere Pontifici, testante se à Deipara sic monitum. Secus autem res sa habuit sub Clemente VII. nouis procellis Diploma Confirmatorium exigentibus. Itaque prior solutio, referens varietatem de qua agimus in Librariorum oscitantiam, idonea est ac retinenda.

b Epist. 28.

a Fery. Privil. 2. contro. 12.

Pars 2 quæst. 11. De Bullis Aprobatoriis

Negligenda item est ab Aduersario obiecta vsurpatio, nomenclationis vsurpatæ dierum hebdomadæ. In primis, quia nihil est quod cogat nomenclationem *dies Mercurij* tribuere ipsi Deiparæ Ioannem alloquenti. Sicut enim Scriptor Canonicus, quamuis totum sensum habeat a Spiritu Sancto, cuius est calamus, tamen verba singula non accipit à Spiritu Sancto dictante; sed ipsemet suo marte ea adhibet, iuxta sententiam grauissimis Doctoribus probatam; de qua videndi Mariana, *a* atque Serarius, *b* & multos adducens (etiamsi dissentiens) Sherlogus: *c* ita Ioannes referens secum habitos Deiparæ sermones, Fidelis in referendo fuerit, etiamsi corticem verborum, saluo sensu subiecto, ea suo ingenio apposuerit. Vnde pro vsu recepto appellandi feriam quartam, *Diem Mercurij* potuit absque noxa adhibere eam vocem, ad exprimendum quòd audiuerat, de ea die.

a Pro edit. vulga. c. 4.
b prol. q. 13.
c Anteloq. 7. sec. 1. à n. 2.

Deinde falsum est, veteres Christianos & Ecclesiasticos, adeò abhorruisse ab illa dierum nomenclatione; per Ethnicos primùm inducta, non à falsis Numinibus, sed à Planetis: nec nisi ad commonendos officij, sternis Hominis postea à Constantino Magno sublata, vt contendit Politanus. *a* Verum quidem est Patres studiosè declinasse vocem *dies Veneris*, pro feria sexta, refugientes inquinationem, ei vocabulo adiunctam. Sed passim eam diem appellare, vel *parasceuem*, vel *pridie Saturni*; vt notaui in Heteroclitis Spiritualibus, tractans festa infesta Sodalitiorum, *b* post Petrum Halloix, ad vitam S. Iustini *c* & Brissonium. *d* Tamen quoad alios hebdomadæ dies, Patres absque scrupulo vsurpant vulgatam appellationem. Vnde apud Iustinum, *e* *Dies Dominicus* nominatur *Dies Solis.* Et à Tertulliano *f* vsurpatur eadem appellatio; qui etiam nulla religione tangitur, diem Sabbati nominando *Diem Saturni.* Clemens autem Stromateus, *g* tametsi vocatat *Diem quartam & sextam*, quos dicimus *Mercurij* ac *Veneris*; ne tamen surdis caneret, subiunxit interpretationem verbis illis; *Dicitur autem, ille quidem Mercurij hic verò Veneris.* Concilia ipsa œcumenica Spiritu Sancto afflata, indicentia futuram sessionem præstituto certo die, voces receptas, *Lunæ, Martis, Mercurij*, &c. absque scrupulo adhibuerunt, vt videre est in Concilio Constantiensi, Florentino, Lateranensi vltimo, ac Tridentino. Viderit Aduersarius qui vniuersam Antiquitatem habet in numerato, quàm potiùs Bullam Ioannis figmenti insimulandam putauerit; ex eo quod in ea legatur, vox (vt putat,) profana *diei Mercurij.* Quæ tamen si à Planetâ petatur (vt Manfredus, eo Poëmate quod est apud Bedam, *a* & graues Scriptores de nominibus singulorum hebdomadæ dierum sentiunt,) innoxia erit: & nullo puta falsi cultus contagio, saltem immediatè ac proximè.

a q. 8. miscel.
b Parte 1. sect. 2. p. 10. n 33.
c Cap. 16.
d Ad l. Dominico de spectac. à pag. 4.
e Apol. 2.
f c. 16. Apolog. ibid.
g 7. Strom.
a Tom. 2. sub fi. em.

Æquè contemnenda est, quam Aduersarius magno cum bombo intentat, nulla varietas in extimo verborum cortice, apud varios Bullæ Ioannis Exscriptores. Quid enim refert ea diuersitas, dummodò sensus sit planè idem? Vt hic sanè planè idem est, in omnibus variantibus Lectionibus. Et eodem summo iure antiècauillandi circa voces discrepantes, æquè ageret posset aduersùs veritatem multarum Scripturarum, quas Christus & Apostoli allegarunt, eodem semper sensu: sed cū variatione aliqua in minutiis, aut in cortice vocabuli. Item varij Euangelistæ eandem Christi sententiam,

diuersis sæpè verbis enunciant. Quis eos dissidere idcirco dicat? [Nihil obstat narrandi diuersitas, vbi eadem dicuntur] ait Augustinus, adductus io Decretalibus, de verbor. signif. *a* Et S. Gregorius. *b* [Seorsum, non verba considerare debemus.] Panormitanus *c* denique, [Diuersitas verborum, non vitiat, si idem in substantia concludatur.] Hoc in plerisque allegationibus antiqui Testamenti per Christum, & Apostolos factis, deprehendi, sensu sæpè allegato absque Verborum cortice subiectis plerisque exemplis, docent Mariana *d* atque Ribera. *e* Non est ergo facienda vis in aliquali Verborum diuersitate, in hoc negotio deprehensâ; quia sensus semper est idem, vt videre est in columnari illa collatione ab aduersario adhibita. Potuit autem ea in vocibus variatio accidere ex eo quod aliquis non nactus exemplar autographi, vel apographi Bullæ Ioannis: aut pertæsus eam ad longum exscribere, sensum repræsentauit compendio Vel vt aliquid in speciem obscurum, efferret clariùs, adhibuit breuem paraphrasim; vnde vocum nonnulla varietas, salua veritate, cui soli est præcipuè prospiciendum

a c. 7.
b L. 1. Epist. 28.
c Add. c. nihil.
d L. pro edit. vulg. 1. 6.
e Malach. 3. n. 8. & Habacuc. 1. n. 14.

Iam dissensio de tempore obseruatæ Ioanni Visionis, ineptè obiicitur contra Bullæ, & apparitionis veritatem; cùm ea dissensio non spectet Bullam, sed Authores eam referentes. Qui ex variis causis potuerunt in diuersa abire, circa illud adiunctum, salua Bullæ, & Visionis veritate quoad substantiam Neque fuit, cur propter hanc, & alias propositas varietates. Aduersarius inuerecundè impingeret Carmelitis mentitionem; quod periti fabularum artifices, Bullam Ioanni affinxerint, quam ipse neque emiserit, neque viderit vnquam. Hæc enim est muliebris conuiciandi petulantia, æquè impetens Clementem VII. & alios Pontifices; qui agnouerunt, eam Bullam verè à Ioanne manasse. Quare Aduersarius, tametsi hoc loco atrociter petulans, haud aliter tamen à Carmelitis excipiendus est, quàm soleant excipi pueri, cum indignatione, & conuitiis percutientes: quos viri, si sapiant, non excipiunt vicissim conuitiis, neque repercutiunt, sed derident. Qui igitur ad conuitium, aut linguæ telum exacerbatur, ficcum ferientem se puero, puer. Inter eum verò qui ridet ferientem, & eum qui ad ictum exacerbatur, tantum interest, quantum inter puerum & virum, Doctrina est S. Chrysostomi; *a* quæ Genuensibus quoque vsui esse debet, vt dignam ira sua non censeant Conuiciatoris petulcitatem, qua dicuntur esse *modicæ fidei*. Præsertim cùm lepidum caput, suspicionem falsitatis in libellionibus Genuensibus tentet ingerere, quod insignem exultionem adhibuerint in conficiendo Instrumento Hanc quis non videat esse stoliditatem criminandi, planè supinam? Sic enim fraudi semper esset accuratio, & omnia diligenter ac cum cura à quocunque confecta, suspicioni paterent.

a Hom. 32. in ad Heb.

At dimissis Libellionibus, Autographum potiùs ipsum, Auenione petitum vbi Ioannes sederat, producendum erat? Audio Sed quid si Ioannes autographum Carmelitis Ipsis tradidit, tanquam ad eos maximè attinens. Carmelitæ autem variis apographis confectis, & huc illúcque transmissis; autographum ipsum ad Generalem Præpositum, cuius in Anglia sedes ordinaria erat, deferri curarunt, apud eum in Generali totius Ordinis, tabulario cum aliis magni momenti Diplomatibus, aut instrumentis, asseruandum? Ita Palæonydorus. *a* Vnde Inferunt Recentiores, *b* in ea clade quæ sub Henrico VIII omnia sacra in Anglia inuoluit, periisse Bullæ Ioannis autographum: & mirum non esse, quod nullibi extet. Nam qui nuper scripsit, *c* se scire vbi sit autographum illud, vereor ne eludendo huic ludicro aduersarij argumento, per iocum significare voluerit, illud autographum nunc latere in diuinis Ideis, vbi nemo est qui nesciat, & hoc autographum, & omnia hîc deperdita delitescere. Fuerunt qui dicerent (quanto cum fundamento nunc parum refert) frustra autographum Bullæ Ioannis, quærendum fuisse Auenione, à tempore Benedicti XIII. qui Auenione clam abscedens, tabularium Pontificium Auenionense expilauit; exportatis secum in Celetaniam quotquot potuit instrumentorum Pontificiorum autographis, quæ in arcem munitissimam Paniscolæ, cum Thesauris suis intulerit. Inter Instrumenta per eam expilationem deperdita, vnde probabit Lanooyus, non fuisse autographum Bullæ Ioannis, quod proinde frustra quærendum fuisset Auenione?

a L. 3. c. 11.
b Cypr. à S. Maria c. 18. Thesau.
c Ioan. Cheron. in vindic. Scapul. pag. 96.

Venio ad locutionis ineptitudinem, ac etiam mendacitatem, si Deipara Ioanni locuta sit, vt in Bulla refertur. Ineptè enim dixisset B. Virgo, se promoturam Ioannem *in Vicarium Christianorum*, si iussa capesseret: cum dicendum fuisset, *Vicarium Christi*. Verùm ridiculè, mendum Librarij transfertur ad Virginem. Codices enim non corrupti, non legunt, *Vicarium Christianorum*, sed *Vicarium Christi*. Præter quam quod, voces ad summum rigorem exigendo, Romanos Pontifex, antonomasticè dici potest *Vicarius Christianorum*, quia est supremus inter Christi Vicarios, Christianum Populum curatores: sicut in Italia est qui Κατ' ἐξοχὴν, dicitur *Vicarius imperij*, ob Vicariam in ea ora præfecturam, inter pleraslque Inferiores, supremam.

Quod verò Deipara Ioannem mandata exequutum fefellerit, non exoluens promissa; tam falsum est, quàm quod falsissimum. Duæ enim fuerunt promissi partes. Vna, de promotione Ioannis in Pontificem. Altera, de liberatione eius ab hostibus. Prior pars fideliter exsoluta est, per Ioannis euectionem in illud honorum fastigium; quod qui dixit sibi ab ipsomet Ioanne ex compromisso tributum Matthæus Villanius, *a* aberrauit à vero, & Aduersarium fefellit. Nullius enim, siue antiqui, siue recentioris Scriptoris testimonio, firmatur ea Ioannis à seipso nominatio ex compromisso: sed omnes vnanimiter tradunt, Ioannem Cardinalium suffragiis, sortitum esse cathedram honoris. Et quamuis gratis daremus, Ioannem ex compromisso se nominasse, facile esset dicere curatam esse à Deipara, eam eligendi rationem, quæ Ioanni benè cederet, eúmque in Pontificem promoueret.

a In Histor.

Liberatio verò, siue à Corbario, siue à Ludouico Bauaro, à Maledico minùs sobriè negatur contigisse per Virginem. Corbarius enim captiuus ad Ioannem abductus est Auenionem, vbi sub honesta custodia (sed tamen custodia,) à Ioanne ad mortem vsque detentus est, tractando quidem eum vt amicum, sed cauendo vt hostem. Putare autem quod Corbarium eius in pedicas Comitis Pisani deduxerit, & B. Virgo Ecclesiæ paci, & Ioannis tranquillitati consulens, suas partes in ea deductione Corbarij prætermiserit, sicque fidem datam fefellerit, impietatem resipeiet. Æquè B. Virgo, Ioannem tutata est aduersùs Ludouicum Bauarum, qui nullis artibus, viribus, machinis, fraudibus, Ioannem (quod maximè quærebat,)

quærebat,)vel deiicere, vel ad suas voluntates inflectere valuit, per tot annos quibus obfirmatus est in schismate,& auersione a Ioanne. Itaque promissis Deipara, hac quoque in parte,& desponsam tutelam exhibuit.

Silentium Patriarchorum Ioannis, parùm appositè obiicitur. In primis, quia non erant adducenda, quæ facilè negata essent: & alterius quàm Ioannis, cuius causa agebatur, testificatione confirmari nequissent. Deinde hæc est solemnis nænia Aduersarij, semper ab authoritate negatiua argumentantis quod ludicrum est,& ab ipsis rudimentariis Dialecticis contemnitur. Quo eodem modo, euanescit argumentum ex silentio quorumdam æui nostri Historicorum.

Sed Ioannes anceps erat, circa visionem Dei concedendam Animabus plenè purgatis, ante postremum iudicium. Quem errorem abiecisset, si audiuisset à Virgine, quod Bulla habet eam dixisse Ioanni; *Reducam eas in montem sanctum vitæ æternæ.* Audio. Verùm an non potuit Ioannes existimare, id esse in Animabus illis complendum, suo tempore; hoc est in Mundi meta, cum tempus non erit amplius? Tenuit enim aliquando Ioannem ea dubitatio de dilata visione Dei post animarum purgationem plenam, eo quod nonnullæ Scripturæ id sonare viderentur,& non pauci Patrum idem insinuarent. Quid si verò hæc dubitatio Ioanni superuenit tantùm inclinante ætate, post iampridem editum Diploma de quo agimus? Nam in Bullis pro Canonismo SS. Ludouici Tolosani, & Thomæ Aquinatis, apertè tradit, eorum animas Deum iam tunc clarè intueri Potuit ergo ea dubitatio, longè post emissum Diploma de quo agimus, occupare Ioannem, introspectis diligentiùs quàm ante fecisset, iis Scripturarum,& Patrum locis, quæ ferre videntur dilationem visionis Dei ad diem vsque Iudicij; quamuis non propterea fidem abrogaret verbis Deiparæ quæ metaphorica erant:& facilè poterant accipi de sola Animarum deductione in Cœlum, absque visione Dei, in Mundi terminum dilata.

Regreditur postea Aduersarius, ad toties sugillatam Carmelitarum indiligentiam, de nouo flagellandam. Quod cum superiùs sit sufficienter depulsum, pergo ad clausulam totius concitationis Aduersarij in Bullam Ioannis. Quod enim vrgeretur confirmatione Clementis VII. & aliorum posteriorum Pontificum, qui Bullam Ioannis suis Diplomatibus verbatim inseruerunt,& eo ipso ratam habuerunt, respondet, Clementem, & alios Pontifices, suis Diplomatibus indidisse Bullam Ioannis, ex stylo Curiæ, quo approbatur quod petitur, non adhibita vlteriore discussione: atque adeò approbatur, etiamsi inane,& fabulosum sit, quia ita fert stylus Curiæ. Hoc, cum agitur de aliqua relaxatione obligationis voti, aliàve simili, aut de dispensatione in aliquo impedimento Canonico, vel denique de aliquo indulto aut fauore præter legem communem, potest locum habere, quia Pontifex non dispensat v.g. in voto, aut in Matrimonij impedimento, nisi supposita veritate expositionis causarum ob quas petitur dispensatio. Et tunc si preces non nitantur veritate dispensatio sinceritati narrationis innixa, euanescit. Sed ibi Pontifex nihil approbat. Vt autē dicatur approbare absque discussione aliquid falsū, quod petitur approbādū (vt sanè petebatur à Clemente,) nemo Catholicus dixerit. Idque velle excusare per stylum Curiæ, est duplex iniquitas: Itaque Euge, bone Doctor. Autor tibi sum, vt Romā redeas & ista occinas Romanis; vt vel te doceant, stylum adeò peruersum abiiciant, vel tu ipse loqui discas,& linguæ ac calamo frænos inducere. Ea enim de Pontificibus indiscussa probantibus, & quæ petuntur, etiamsi fabulosa, firmantibus, nimium quantum iniuriosa Ecclesiæ assertio, ex stylo Curiæ, adeò non abiret impunita, vt autori timendum esset ab aditu pontis S. Angeli, vel à campo Floræ. At Clemens VII. dedit priuilegium pro editione politices Machiauelli, neque tamen idcirco eam approbauit: Credo. Nam Principes, cum in gratiam Bibliopolarum vetant Librum ab aliis recudi, vt qui primi ediderunt expensas factas resarciant, non approbant Libri doctrinam, neque id ab eis poscitur Et nemo nescit, hæc priuilegia inscijs Principibus per administros concedi. Hic autem agitur de approbatione, & confirmatione, ab ipso Clemente indubiè emissa.

Part. II. Quæst II. De Bullis Approbatoriis.

Instat Criminator, & vt Clementem in confirmatione Diplomatum Ioannis, & Alexandri errasse suadeat, adducit priuilegium ab eodem Pontifice concessum primæ editioni Concilii Florentini, in quo priuilegio ea synodus vocatur Octaua, cū tamen inter Generales,& Oecumenicas, sit decima Sexta. Sed profectò necesse est deficiant Scripturientem idonea argumenta, qui in huiusmodi tricis hæreat, quæ ad rem, de qua agitur, nullo modo pertinent. Vt autem sciat, amanuensem aut scribam illius priuilegij, haud absurdè vocasse synodum Octauam, quæ reuera est decima Sexta, meminerit, Græcos non nisi septem Concilia ante Florentinum admittere, vt disertè habetur sess. 5. & 6. huius Concilij. Itaque (vt etiam monuit Henricus Spondanus in Annalium Baronij Epitome *a*) iuxta Græcos, siue iuxta numerationem in vniuersa Ecclesia Orientali & Occidentali receptam, Synodus Florentina est Octaua inter Oecumenicas. Et in hoc sensu locutus est scriptor priuilegij pro editione Concilij, cum illud vocauit *Octauam Synodum.* Iterum dico, planè necesse est, nimis destitui argumentis, qui has stipulas assumit, ad probandum Romanos Pontifices aliquid confirmantes, errare. Præstitisset Laruam abiicere, & cum erroribus rotundè dicere, errasse in hac confirmatione Pontificem; quod denique dixit Launoyus in dissertatione de Sodalitio, *b* cum tentans excutere autoritatem Clementis VII. in ea indecora verba prorupit, *Clementem à Generalibus Carmelitanorum deceptum, nec effecisse, nec efficere potuisse vt Ioannes XXII. & Alexander V. effecerint quod non effecerunt, & instituerint quod non instituerunt.* Quod est dicere, Clementem confirmasse figmenta,& deceptum impegisse turpiter. Eam verborum illuuiem, Stomachus in Magistros fidei, & Capita Religionis, benè affectus, non effunderet.

a *Anno 869. n.11, Anno 1438. n.14. continuationis.*

b *Cap. 1.*

Non sunt fortiora, quæ Aduersarius in Alexandri Diploma intorquet. Obiicit enim, ab aliquibus hoc Diploma tribui Alexandro IV. ab aliis V. & esse qui tradant, datum fuisse in vrbe veteri, alios autem Romæ datum contendere. At Alexander IV. qui annis plusquàm quinquaginta Ioannem antecessit, non potuit Ioannis Diploma confirmare, & suo inserere. Alexander verò V. nunquam Romæ fuit, post initum Pontificatum, vt disertè tradunt Platina, Sabellicus, Buchingenus, Nauclerus, Schedel, Onuphrius, Theodoricus à Nyem, Bonincegnius, Tempesta, S. Antoninus, Massonus, Iacobus Bergomensis, Bzouius, Binius. Quibus in altera editione, addit Opmeerum, Ammiratum, Sigonium, Poggium. Ad singulos horum

horum Autorum, & verbatim adscripta eorum loca, Nugigerulus suum adiungit Epiphonema, exultans ob triumphatos impostores, qui passim iactent, Diploma de quo agitur, esse ab Alexandro Romæ datum; cum tamen tot Autorum testificatione liquidò constet, Alexandrum ea quo Pontifex Pisis creatus est, nunquam Romam à Ladislao hoste suo occupatam vidisse. Finita autem tot autorum enumeratione, rursus ouans exclamat; *Explorata nunc fraude, qua Bullam sub nomine Alexandri V. finxerunt, quid quaso viri boni dicent, quò se recipient argutiarum, vt assertam à nobis veritate dilapident?* Subdit, *velle se impudentiæ periculum subire*, si vel vnus proferatur Autor qui Alexandrum iam Pontificem, vel ad horam Romæ vixisse testetur. Quid quod Bulla, ab iisdem fabulinis, data dicitur, apud S. Mariam Maiorem, vbi tamen nemo Pontificum ante Paulum V. dederat Diplomata? Cherubinus quidem intulit in suum Bullarium Corpus Bullā vnam Martini V. datam apud S. Mariam maiorem. Sed debuit Cherubinus eam Bullam reiicere vt adulterinam, cum nemo ante Paulum aliquod Diploma eo loci emiserit. Accedit Palæonidori antea fabulinos strenuissimi de hoc Alexandri Diplomate silentium; quamuis alia pro suo Ordine data Diplomata tam studiosè accurarit. Ad extremum Aduersarius resumit planctum, de negligentia in autographo Bullæ Alexandri conseruando. Nam si extaret, quare à Cherubino esset prætermissum? Vel si ille ea incuria, aut malignitate, hoc Alexandri Diploma pressit; nunc tandem producatur, vt ad certam veritatis regulam examinetur.

Aiebam, has machinas in Alexandri Diploma intortas, non plus illud quatere, quàm quibus vidimus casso impetu tentatum Diploma Ioannis. Quod enim vrgenit varietas numeri, quo Alexander Bullæ, autor à quibusdam *quartus*, ab aliis *quintus* appellatur, telum est imbelle sine ictu. Constat enim, tales exerationes, incolumi veritate, vel à Librariorum oscitantia, vel ab hallucinatis operis Typographicis in dies repere in Diplomata.

Alterum & vnicum argumentum, quo aduersarius ineluctabiliter euinci putat Bullam Alexandri V. nomine venditata, esse confictam, ducitur ab vrbe & vrbis parte in qua emissa dicitur. Vrbs iuxta aduersarium, nomi illis dicitur, *vrbs vetus*. Sed hæc aduersarij solius hallucinatio; locum enim in quo data est Bulla Clementis septimi, insertam habens Bullam Alexandri, putauit Launoyus esse illummet locum in quo data est Bulla Alexandri. Nemo ergo præter ipsum dixit Bullam Alexandri datam esse *vrbe vetere*. Ridiculè ergo, suam hallucinationem profert contra veritatem Bullæ Alexandri, quasi varietas loci in quo data dicitur argumento sit eam fuisse confictam. Passim dicitur, Bullam Alexandri datam esse *Romæ*. Quod aduersarius habet pro euidenti conficti Diplomatis argumento; cum Alexander ea quo Pontifex fuit, Romam non viderit. Sed in primis nihil est quod cogat admittere Bullam Alexandri datam esse Romæ; cum omnes Codices tantùm habeant datam esse apud S. Mariam Maiorem: quo nomine sunt Ecclesiæ, & Pistorij, & Bononiæ; vbi certum est fuisse Alexandrum post initum Pisis Pontificatum. Vt taceam Templum S. Mariæ Maioris nuncupatione, ab Episcopo Ecclesiæ, teste Hieronymo Rubeo constructum Rauennæ, vbi fortè fuerit Alexander.

Sed demus, quod passim dicitur, datam esse Bullam Romæ, nihil est quod hanc assertionem reuincat falsitatis. Nam quamuis Alexander, initio Pontificatus, licet à Romanis inuitatus, non potuit vt putabat, Romam accedere, obstante Ladislai hostis sui præsidio, tamen non ita multo post, dissipato Ladislai dominatu, potuit Romam proficisci; & verò profectus est, ibique hæsit ad breuem moram. Non enim tanta est inter Tusciam vbi factus est Pontifex, & Romanam ciuitatem, locorum capedo; vt non potuerit audita Ladislai defectione, breui saltem excursione Romam petere, à Ludouico Andegauensi pulsis Hungaris recuperatam, & ibi aliquandiu manere. Extat huius Alexandri V. Diploma datum Romæ ad SS. XII. Apostolos, Cal. Decembris, quod penes se habet F. Ioannes Iacobus Ordin. S. August. inserendum suæ Historiæ, Prouinciæ Salyum. Fuit ergo Alexander Romæ, vbi etiam admisit Husti citationem & contra eum rescripsit; vt scribit Ioannes Cochlæus *a* vir candidissimus, & malus fingendi artifex. Cum tamen Alexander hæsisset aliquantisper Romæ, accepto Ladislai tunc Neapolim tenentis consilio, de instauratione cupiarum & regressu ad Romam denuò occupandam, festinatò Roma recessit, & Bononiam abiit, vbi fato functus est, ea veneno per Clysma iniectum immisso, vt aliqui scripserunt. Itaque ea vrbe in qua datum est Diploma, malè aduersarius illud insimulabat figmenti: & incurrit impudentiæ periculum, quod se subire velle profitebatur, prolatis Autoribus qui Alexandrum Romæ fuisse testati sunt: quod Ludouicus Cariono in chronico tradidit, & Meyerius in Flandriæ Annalibus, nec non Iacobus Estinnehardus, autor vitæ Ruperti. Et idem non obscurè admittunt Gordonus, Spondanus & alij, qui à Ludouico Andegauensi, Alexandro haud ita procul degenti, Romam fuisse restitutam, prodiderunt. Itaque nihil est necesse, eo vti perfugio; quo nonnullos vsos scio; nimirum vbicumque demum esset Alexander, dici potuisse, Diploma ibi ab eo datum Romæ; quia *vbi Papa ibi Roma*. Sicut apud Herodianum, *a vbi Imperator, ibi Roma* Acuta, & ab eruditio recentiore *b* præclare illustrata nodi propositi extricatio. Sed quæ necessaria non videtur, cum ille nodus, etiam admissâ simplici notione *vrbis Romæ*, haud grauatè expediatur; vt etiam factum est in Hercule Commodiano; *c* ex iis quæ scripta sunt à Pandulpho Collenutio, in Regni Neapolitani Historia.

a *L. Histor. Hussit.*

a L. 1. b Dom. à S. Iacob. 2. c. 6. §. 5. pag. 184.

c *Serie* 4. §. 7

Circa vrbis verò locū in quo datum sit Diploma, apertè ineptit Calumniator; cum ex suppositione gratis à se facta, quod primus Paulus V. ad Mariam Maiorem Diplomata dederit, contendit Bullam Martini V. datam apud S. Mariam Maiorem, esse suppositiciam; non alia (vt dixi) de causa, quam quia Launoyo placet, neminem ante Paulum V. ibi obsignasse Diplomata. Quid verò dicet de Nicolao IV. quem tanto ante Paulum, Volaterranus, *d* Iacobus Bergomensis, *e* Ciaconius, *f* Naucleus, Platina, Opmeerus, Rodericus, Bzouius, *a* Vvadinghus *b* habitasse apud S. Mariam Maiorem: & ibi Diplomata obsignasse, testatum faciunt? An hæc quoque Diplomata, conficta, supposita, falso iactata, causabitur Launoius; quia ipsi placet, neminem ante Paulum V. obsignasse Bullas apud S. Mariam Maiorem? Gregorius item XI. Indulgentiam pro Ecclesia S. Tirocinij dedit apud S. Mariam Maiorem; conscripto ibi Diplomate cuius initium est *Licet eis*, Pontificatus sui anno 7. Præterea

d *L. 2. Anthropol.* e *In suppl.*

f *In Nicc. 4.* a *T. 13 ab anno 1288.* b *T. 2. Annal.*

terea Sixtus IV. Diploma Canonizationis S. Alberti Drepanitani Carmelitæ, obsignauit apud S. Mariam Maiorem anno 1476. Frustra alia ibidem ante Paulum V. obsignata Diplomata addensarem, in tam palpabili hallucinatione Aduersarij. Cum quo proinde, liceret nobis exclamare. *Quo se recipiet vir bonus? Quid dicet? Quas argutias excogitabit, vt assertam à nobis veritatem dilapidet?* Sed calamum confractum conterere, & linum fumigans extinguere, quæ vel vtilitas, vel necessitas.

Satis de argutationibus aduersarij, ad reuincendas figmenti bullas Ioannis, & Alexandri. Et quamuis ab autore suo venditentur argutationes illæ, vt acutæ, possit tamen de eis dici ad veritatem, illud Augustini a *Videte acumen, sed vitreum, quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate*. Hoc liquidò monstratum est, ac solidè reuictum.

a Ser. 11. de Verb. Apost.

Haud porrò mirabitur æquus æstimator, tot strici circa has antiquas Bullas vsum Aduersarium, vt eas fictitias esse demonstraret, qui recoleret quid in diebus nostris, sedentibus ad clauum Ecclesiæ, Vrbano VIII. & Innocentio X. contigerit circa Bullam ab Vrbano editam, contra Cornelium Iansenium Yprensem, instauratorem Baianæ Theologiæ, & in multis placitis, multorum iudicio; Caluinum personatum. Vere sit de mente in plerisque Caluino adeò geminum, vt non sit guttæ guttæ consimilior. Qui pro eo stabant in Belgio, & in Gallia, cum non haberent aliud, quo Pontificium decretum eluderent, causati sunt, Bullam esse non modo subreptitiam, sed etiam fictitiam; causam nimirùm in incude Iesuitica, contra Iansen. Augustinum, Romæ ab octo grauissimis Theologis ad id delectis à Pontifice omnibus elogiis honestatum; certè labis purum, & vsquequaque doctrinæ integrum, pronunciatum, vt in dubiis nunciis Roma transmissis, à se compertum affirmabant, quem proinde à Pontifice contra sensum tot Censorum à se delectorum, fuisse vero diplomate notatum nullo modo esse verisimile. Addebant, Bullam esse, de qua nemo vnquam Romæ quicquam inaudisset, & post renunciatum à Belgio, & Gallia volgatæ Bullæ figmentum, omnes Romæ tanquam ad monstrosum scelus cohorruisse. Supra modum verò Censores quos diximus hæsisse defixos stupore, ad tantam hostium Iansenij malignitatem, atque vecordiam. Neque enim duntaxat nequitiam in eo facto proditam, à Iansenij aduersariis querebantur: Sed etiam insignem cordis inopiam, adhibita falsa temporis nota, Signatione, scilicet, anni Incarnationis Dominicæ 1641. pridie Nonas Martij, Pontificatus Vrbani Papæ anno 19. cum tamen ea Bulla interdicatur lectione quorumdam librorum, non nisi octimestri, vel nonimestri post Bullam datam confiatorum vt ex Catologo librorum improbatæ doctrinæ in congregatione indicis emisso, constare volebant. Itaque palpabili argumento, retectam Iesuiticam malignitatem contendebant, & Bullam quamuis in typhographia Pontificia Romæ typis vulgatã, corruptis pecunia operis, tamen indubiè figmentum fuisse hostium Iansenij Iesuitarum, qui Romę in facie Pontificis, ac Romanæ curiæ, tam immane facinus essent executi, ac nono scelere, pro Pontificio diplomate ad nuncios Sedis Apostolicæ, Bullam à se fabrefactam transmiserint simplicitate Nunciorum vulgatam, ob septem (vt vocabant) horrendas imposturas in ea Bullę nefanda vulgatione deprehensas, libellus ea de re typis editus, & sparsus quaquauersum, conclamabat. Omnia pulpita & sacra suggesta iisdem questibus, & Strophæ retectæ amplificationibus, personabant. Et tamen Administri Pontificis stomachati sunt in impudentiam Blateronum (sic enim appellarunt, qui tam inuerecundè, vero Diplomati Pontificis per suas argutationes illudere tentassent. Ignorantiam præterea supinam quoad argutationem circa varietatem notæ annorum (vnde hi præsertim Scioli Bullæ falsitatem inferebant) sunt demirati. Et memini illustrissimum Mataldum, qui iam per tot annos confectioni & obsignationi pontificiorum Diplomatum præfuerat, de hoc dubio consultum, effusum esse risum, præ criminationis ruditate; qua laborantes criminatores, nescissent aliter annos notari in Cancellaria Romana, quæ vt Henricus Spondanus rectè a monuit, anni initium ab Incarnatione in Martium cadente repetit aliter alibi, vbi initium fit à Natali, quod exeunte Decembri contingit. Itaque Bulla qualis primùm transmissa erat, planè legitima & nullo vitio laborans, est comprobata ipséque Pontifex Innocentius, cum adhuc aliqui garrirent, iussit ex autographo per assessorem S. Officij illustrissimum Albicium, apographum exscribi probè recognitum, & cum autographo exquisitè collatum, atque denuò transmitti. Quod apographum mandante Pontifice, summa accuratione exscriptum atque recognitum, & per Prouincias sparsum, ne apice quidem discrepare inuentum est à Bulla, (vt volebant per Iesuitas fabrefacta): & subornatis Typographis Vaticanis fraudulenter in locum data; quoque suprà quæstio ridicula ridiculissimum fuit; à nunciis per Iesuitas deceptis, sparsa, & promulgata. Hæc si in viridi ligno faciunt homines arguti in arido quid fiet? Si inquam Diploma recenè emissum, superstite Pontifice qui emiserat tot passus est cauillis, quibus ad aliquod tempus multi in errorem sunt inducti; quid mirum adeò antiqua Diplomata qualia sunt Ioannis, & Alexandri fuisse, artificiosè vocata in dubium, imò figmenti notata.

a Ad annum 1438. n. 4.



QVÆST. III.

Circa Filiationem, & Fraternitatem specialem, per Comparationem ad Deiparam, de qua C. 3.

NON erit hic opus longa mora præsertim ferè silentibus aduersariis. Nam quamquam filiationem, & fraternitatem hanc specialem habent pro fabula quia apparitionem Deiparæ B. Simoni factam, censent commentitiam; tamen supposita apparitionis veritate satis superque stabilita cap. 1. & q. 1. certum est, ne ipsis quidem aduersariis reclamantibus, dici posse, B. Virginem adoptasse sibi Sodales Carmelitanos in speciales Filios, & Fratres, nouo titulo, supra titulos qui consequuntur initiationem in Christianum. Et non est quidem ea nomenclatio *Filiorum Spiritualium*, disertè ac syllabatim expressa à Beata Virgine, in verbis quibus affata est B. Simonem, aut visionis confirmatorem Ioannem XXII. Tamen neque vllibi in Scripturis, totidem literis ac syllabis expressum est omnes fideles esse B. Virginis filios. Et nihilominus

Patres

Patres,non existimuerunt ita loqui; ita quia ex diuino verbo, scripto, & traditio suppetit abundè, vnde ea nomenclatio eruatur. Idem ergo statuendum est in præsentia. Atque ita, in re supposita antedictis explorata, non est quod frustra moras nectamus.



QVÆST. IV.

Circa participationem Meritorum vtriusque Cœtus Carmelitani de qua C. 4.



ET hic quoque, fas erit breues esse. Nam quamuis aliquis nuper omnem huiusmodi participationem meritorum à Religiosis Ordinibus concessam damnent tanquam pugnantem cum communione Sanctorum vt refert ductus recentior *a* tamen alibi, *b* tractando hunc fauorem religionum erga exteros, tam multa in hanc rem adducta sunt, vt nihil attineat iterato id versare, præsertim cum difficultas ab illis mota contra meritorum participationem, non sit peculiaris isti pro qua satagimus, sed ad omnes similes, æquè pertineat.

a Greg. Naz. à S. Basil. par. 1o 2. c. 41. b In Heliotr. Spir parte 3.

Tamen opponi specialiter contra istam potest, quod videatur nonnulla prodigalitate ludere. Aliæ quippè religiones admodum parcè hunc fauorem impendunt, nec nisi magnatibus, aut non vulgaribus Benefactoribus, qui sibi ordinem labore, aut affectu singulari demeruerint. Qua ratione, est nui me agnoscam obæratum Patribus Cartusianis, ac Minimis, & Fuliensibus Congregationis Italicæ nec non Benedictinis Congregationis Cassinensis, ac Fontebraldensibus, quorum me charitas, eo (mihi sanè pretiosissimo,) beneficio, datis ex solemni formula literis affectum voluit responsò supra meritum præmio, siue voluntati, siue tenui operæ meæ. Et hæc beneficentia eo pluris apud hos omnes æstimatur, quod paucis confertur.

At participatio meritorum Cœtus vtriusque Carmelitani, & omnium inuicem Sodalium ascititiorum, conceditur omnibus qui assumunt Scapulare Marianum, viris mulieribus, pueris puellis, (pleraque non nisi duodennibus, plebeiis, nobilibus. Assumunt enim Scapulare eiusmodi, quotquot volunt, & nemini aditus occluditur. Quare nimia videtur huius fauoris profusio, & obnoxia depreciationi. Quod enim rarum est, multo pluris æstimatur, S. Hieronymus *a* notauit de pulegio, quod præ raritate prenosius est pipere, apud Indos pipere abundantes. Et alibi *b* ait; Sermonem Domini 1. Reg. dici *pretiosum*, quia infrequens tunc erat, & rarus. Fusè hoc illustrate meminit tractatione de amore. *c* Deinde mensura, seu cumulus bonorum quæ communicantur, concluditur certis terminis. Vnde quo in plures effunduntur, eo minor portio ad singulos participes deuenit. Quæ causa est, cur integræ vrbes, & multo minùs prouinciæ, ac regna non soleant hoc fauore donari; ne propter maximam participum copiam, contingat, vt vnusquisque vix modicum quid accipiat. Videtur ergo participatio meritorum de qua agimus, hoc incommodo grauati.

a Ep. 1. 85. b In trad. ad 1. Reg. c In Mer. d. 3 a. 158.

Facilè tamen est hoc depellere. Ad summum enim hæc difficultas, plus aliquid coloris habet contra formalem meritorum participationem. Vix autem vrget participationem obiectiuam cap. 4. expositam, quæ est expeditior ratio exponendi fauorem de quo agimus. Ac ne contra formalem quidem participationem, Adriano Corduhæ, Suario *a* & aliis probatam, multum viget difficultas proposita, etiamsi ex ea tectè inferatur, Præfectos vtriusque cœtus Carmelitani, ad quos huius fauoris elargitio pertinet, debere sobriè, & cum delectu admittere externos ad hoc beneficium, vt sanè faciunt. Neque enim manifestè facinorosis, aut vitam ex legem cum publica offensione exigentibus confertur hoc munus, redundaturum in Sodalitij infamiam.

a T. 4. p. 556 sect. 5.

Quod si olim qui omittebantur in agnitisticos probabantur, nec nisi expertes labis, ac noxæ allegebantur in cœtum, cœteroqui profanum, vt S. Chrysostomus *b* notauit, & Cassianus, ac ex Theogonide Themistius, *d* Faber, *e* & alij in eo argumento versati quomodò pius Cœtus Filiorum, & Fratrum specialium Deiparæ, personas probrosas in vnum secum mysticum corpus glorioso Deiparæ nomine prænotatum, asciceret? Incongrua prorsus esset ea consociatio, posset que ei occini illud Propheticum; *Quia paleis ad triticum?* Vniuersa item illa planè indigna parium dispariumque consociatio, quæ ab Eucheria nobili puella iustici, & serui coniugium detestante, carmine eleganti *a* recensetur, bellè ad huiusce Societatis auersationem facerent. Personis ergo ritè probatis, & in Sodalitium absque macula cœtum dehonestatura cooptatis, non erit periculum, ne portio meritorum formalium vtriusque cœtus Carmelitani Sodalibus obuenient, sit pro vnoquoque exigua, ita vt de tota mole meritorum præ numerositate Sodalium, dici possit illud Philippi, *Quid hæc inter tantos?* Supposito enim delectu, nunquam erit tantus Sodalium numerus; quin possint abundè omnes, bonis hisce communibus, etiam formaliter spectatis participare.

b Hom. 11. in ad Hebr. in mor. c 5. inst. c. 12. d Orat. 1. e in Agonist. a L. 4. Epig. Vet. Poet. pag 167.

Vt vero extricanda aliter quispiam videatur difficultas proposita; absit tamen vt ad prospiciendum pinguiori forti portiorum (Vt in ratione dubitandi insinuabatur) pauperibus, aut mulieribus, vel personis humilis ætatis, admittamus opponi cum fundamento indignitatem. Nihil tale concedi par est ab homine pio. & verè Christiano Nam pro pauperibus in Cœtus Christianos cooptandis, S. Iacobus in Epistola Canonica, *a* contexit Apologiam: docens pauperes non esse hac in parte post habendos, aut esse cui is qui veste præclara, & splendidè annulatus accedit, admittatur, truso foras paupere. Nazianzenus *b* paucis multa in eandem sententiam stipauit. [Pauperes (inquit,) nostri secundum Deum fratres, etiamsi nobis, qui eandem nobiscum naturam nacti sunt, atque ex eodem luto compacti ex quo nos primùm creati sumus, qui neruis, atque ossibus perinde atque nos, innexi; qui pellibus & carnibus æquè ac reliqui omnes induti; quique etiam (vt maiora dicam) imaginè diuinam perinde ac nos acceperunt meliusque fortassè quam nos tuentur, atque conseruant, etiamsi alioqui corporibus labefacti, atque corrupti sint; qui eundem. Christum secundum internum hominem induerent, atque idem Spiritus pignus fidei suæ commissum habent, qui earundem nobiscum legum participes facti sunt, eorundem Oraculorum, Testamentorum, Conuentuum

a Cap. 2. b Orat. 16

uentuum, myſteriorum, eiuſdem ſpei. pro quibus Chriſtus, qui totius mundi peccatum tollit, æquè mortem obiit, qui cæleſtis vitæ cohæredes ſunt, etiamſi ab hac longiſſimè aberrarunt, qui cum Chriſto ſepeliuntur, ac cum eo ad vitam redeunt, ſiquidem compatiuntur, vt & conglorificentur.] Videndus quoque orat. 40. cum hortatur ne refugiant cum paupere baptizari.

Similia Baſilius atque Nyſſenus, à quibus cauſa pauperum agitur valentiſſimè. Itaque non eſt cur pauperes repellantur à Sacris Cœtibus. Quis vero non eſt auerſatus anomalam pietatem Liuonorum, quorum meminit Gerſo *a*, dicens, eos procul feciſſe à Communione Corporis Chriſti, ruſticos & egenos; Commendat vſum contrarium Chriſoſtomus *b*: Eſſet ergo haud diſſimiliter iuſta concitatio, ſi pauperes tantum (quia pauperes) à ſpeciali filiatione Deiparæ excluderentur.

a 1.p. Opuſc. de declarat. defectuum Eccleſiaſt.
b T.5. hom. 34.

Pro admittendis autem in ſuo gradu, & ordine mulieribus, ſufficit ea ratio quam ſuggeſſit pia matrona, cum S. Hilarion ad colloquium eam admittere recuſaret. Dixit enim. [Et hic ſexus genuit Saluatorem.] & hæ ſunt ſanè ipſæ quoque, capaces omnium ſpiritualium bonorum quæ ſodalibus indulgentur; & poſſunt abſque indecentia, in huiuſmodi cœtum conuenire. Tandem pro conſtitutis in humili ætate, pugnauit Chriſtus Dominus, affirmans talium eſſe regnum cœlorum, & vetans eos prohiberi ad ſe accedere. Itaque quos Deus admittit, homines ne repellant; cum præſertim Eccleſiæ pietas, ipſos etiam lactantes ſacris diuerſorum Ordinum veſtimentis paſſim induat.

Non defuere tempore Baptiſtæ Mantuani, hoc eſt ineunte ſuperiore ſæculo, qui Ordini Carmelitano, pauperiem meritorum, hoc formaliter, ſiue obiectiuè ſpectatorum, opponerent, habentes propterea illum pro obſcuro, & ignobili. Vera enim obſcuritas, & ignobilitas apud æquum arbitrum Deum, ſi ita eſt in paupere prædicta meritorum. Sed ea grauatos aliquando eſſe Carmelitanos, mendaciſſimè ſtatuebant ab illis obſcuris blateronibus, quibuſdã integra Apologia pro Ordine ſuo confligit Mantuanus, eſtque contrarium manifeſtiſſimum ex dictis toto c. 4. proponendo ornamenta, & viuas opes (vt Paulini, *a* huc verbum traham) quibus iam olim abundauit Ordo Carmelitanus. Quare non fuit cur hærerem in iſtis hoc loco refellendis. Rectè enim monebat Nicephorus Gregoras, *b* non omnia eſſe refutatione digna, & damnoſum eſſe hærere in nugis; cum fiat (vt minimùm,) temporis, rei rei pretioſiſſimæ, diſpendium.

a Epiſt. 37.
b L.6. Hiſtor.

QVÆST. V.

Circa Erogationem Opum ex publico Eccleſiæ Theſauro eductarum, de qua C. 5.

HIc maximè feruet æſtus oppugnantium. Pertinet enim ad hunc locum Indulgentia ſabbatina, quę incredibile eſt quanto niſi pridem ſit oppugnata. Et quamuis ad tempus videatur obduci plaga, tamen identidem recrudeſcit. Pridem ſanè Clemens VII. forti linguario compeſcuit aduerſantes huic beneficio. Poſtea ſub annum 1563. Salmanticæ, & Hiſpali, efferbuere iidem motus, donec quatuor grauiſſimorum Theologorum iudicio ſedata eſt procella. Denuò ſub annum 1612. excitante tempeſtatem Inquiſitore Auenionenſi, motus Romam peruenere; vbi totis viribus a partiariis Inquiſitoris tentata eſt deiectio de antiqua huius fauoris poſſeſſione. Sed Paulo V. imperante ventis, & mari, facta eſt tranquillitas magna. Nouiſſimè autem ſub annum 1640. &c. perinde, ac ſi Pontifices hactenus hac de re ſiluiſſent, vel eorum decreta nihili eſſent facienda, contentiſſimè laboratum eſt Pariſiis, & Rhotomagi, vt hoc priuilegium conuelleretur.

Part II. Quæſt V. De Indulg. pro Scapulari.

Nodus autem huius negotij ſpectat vel autorem huius indulgentiæ, vel formam ſub qua eſt conceſſa, vel tempus quo B.V. ſpondet ſe ſodalem ſuum è Purgatorio erepturam, vt in Bulla narratur. Autor primus huius indulgentiæ (vt ab eo auſpicer,) in Bulla Ioann. XXII. iuxta varias Lectiones, aliquando dicitur eſſe Chriſtus, aliquando Deip. ita vt ipſe Ioan. non fuerit niſi promulgator, ac veluti præco, confirmans, quod audiuerat in cœlo eſſe conſtitutum. Vna itaque lectio Bullæ ſic habet *Religionem hanc antiquiſſimam Genitricis Dei Mariæ & ſingularem indulgentiam conceſſam illi ab ea, ſic robero, & confirmo.* Audin' *ab ea*? Igitur iuxta eam lectionem B V. hanc indulgentiam conceſſit Religioni Carmelitanæ, prout Domeſticos, & aſcititios Sodales complectitur (ſic enim accipi ibi *Religionem Carmelit.* Bullæ Ioannis contextus clamat.) At durum videtur admittere hanc Indulgentiam eſſe conceſſam à Deip. quæ neque ſuperſtes potita eſt parte vlla Iuriſdictionis Eccleſ. neq; nunc eam poteſtatem obtinet in cœlo: Alioqui poſſemus fingere eam nunc in cœlo poſſe conſecrare Euchariſtiam, vel abſoluere viatores à peccatis, quod abhorret à ſexu fœmineo, & à ſtatu comprehenſoris.

Alia Bullæ lectio, nitidior, omittit illud *ab ea*, & iuxta eam lectionem, Ioannes ſtatuit hanc indulgentiam eſſe à Chriſto conceſſam, propter merita B. V. Sed hoc quoque duriuſculum videtur, quia Chriſtus in cœlo non exercet ſuam poteſtatem excellentiæ circa huiuſmodi negotia, ſed totum permittit Vicario quem pro ſe conſtituit ſupra familiam ſuam, rationem exacturus in tempore. Vnde functiones huius vitæ, & miniſteria Sacramentorum, ac exercitium Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ erga mortales prorſus exulant à cœlo. Quid quod, ſi hæc indulgentia eſſet immediatè à Chriſto conceſſa, non poſſet Pontifex eam reuocare, aut ſuſpendere? Et tamen eam reuocat, vel potius ſuſpendit, in anno Iubilæi, ſicut & omnes alias extra Romam, demptis Lauretanis, quæ quamuis ſuſpendi poſſent, tamen intuitu loci adeo ſacroſancti, non ſuſpenduntur.

Hæc prima paradifficultatis, non eſt admodùm difficilis expeditu. Dicendum ergo eſt, Chriſtum patefeciſſe Ioanni Pontifici per ſe, vel per Deiparam voluntatem ſuam, vt ipſe Ioannes indulgentiam de qua agimus elargiretur. Idque Ioannem appellaſſe, conceſſionem indulgentiæ à Chriſto factam. Qua ratione ſentiendum eſſe de Indulgentia Portiunculæ à Chriſto (vt ferunt) conceſſa, intelligitur ex S. Bonauentura, qui teſtatur, S. Franciſcum accepiſſe à Chriſto in mandatis, vt adiret Pontificem, eumq; ſuo nomine admoneret, placere ſibi talem indulgentiam ab ipſo Pontifice concedi. Et hoc eſt quod aliqui dicunt, eam indulgentiam fuiſſe à Chriſto conceſſam, vt Bellarminus *a* rectè vidit. Idem ergo de indulgentia pro qua ſatagimus intelligendum eſt eum dicitur à Chriſto ipſo manaſſe. Eo ipſo autem quod indulgentia

a L.2. de Indulg. c. 6.

à Pontifice concessa est, quamuis ex Christi mandato; penes Pontificem est, (si causa idonea id fiat,) eam Indulgentiam vel reuocare vel suspendere. Quamuis enim aliqui, agentes de Indulgentia Portiunculæ, aiunt nihil iuris esse Pontifici in eam, quod hisce auribus haurire memini; tamen qui magis sobriè de ea loquuntur, fatentur ius esse Pontifici in illam. Et idcirco in anno Iubilæi, cum omnes Indulgentiæ suspenduntur, satagitur pro indulto speciali, remouente suspensionem, quale petitum, & exoratum memini, pro anno Magno piaculari 1650. Idem ergo dicendum est de Indulgentia quam expendimus, nimirum reuocari ex causa, vel suspendi posse à Pontifice, quamuis ex Christi mandato ad B. Virginis petitionem à Pontifice fuerit concessa.

Pars altera difficultatis, spectat formam concessionis. Ait enim Ioannes, se concedere Indulgentiam à pœna & culpa. At hoc non congruit solidæ Theologiæ, quæ negat Indulgentiam extergere ab vlla culpa. Hoc quoad culpam mortalem, est certum ex fide, vt Suarez *a* benè notauit: quia de fide est, neminem exolui mortali culpa absque Sacramento pœnitentiæ suscepto, reipsa vel in voto. Sed neque culpam venialem obliterari per Indulgentiam, est communissima Scholasticorum *b* & Moralium Theologorum *c* doctrina: annuuntque varia iura in quibus Indulgentiæ dicuntur non prodesse, nisi expians per contritionem, aut confessionem. Itaque liberatio à pœna, & à culpa vi Indulgentiæ pugnat cum solida Theologia. Quomodo ergo Ioannes ait, se ex Christi mandato, concedere indulgentiam exsoluentem à pœna & culpa.

a T.4.p.d.51. sect.2.n.6.

b In 4. d.20. & 21.

c Sammist. Indulgentia.

Nec minùs dissonat sanæ doctrinæ, quod in Bulla additur, spopondisse Deiparam, vt si Sodalis Indulgentiam in mortis articulo concessam assecutus, hæreat in Purgatorio, liberandus inde sit primo Sabbato post mortem, opitulante Deipara, & clientem suum ex lacu illo miseriæ, benignè educente. At quisquis plenariam Indulgentiam in morte assequitur, æquè nitet, ac si ex baptismi piscina egrederetur, & rectà subit cœlum. Quomodò ergo Sodalis, post obtentam in morte Indulgentiam dicitur hærere posse in Purgatorio, vsque ad proximum ab obitu, Sabbati diem.

Hoc difficultatis caput, est bimembre. Primum quòd spectat liberationem à pœna, & culpa vi Indulgentiæ, facilè expeditur dicendo, Indulgentiam nullius culpæ etiamsi leuiculæ labem extergere: quamuis aliquando Indulgentia dicatur concedi in remissioné peccatorum, idest pœnarum pro peccatis debitarum: Quo sensu 1. Machab. 12. dicitur *Salubrem esse cogitationem, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, hoc est, à reatu peccatorum residuo. Alias autem (vt in Extrau. *Antiquorum*, de pœnit. & remiss.) dicitur, datam esse per indulgentiam remissionem culpæ & pœnæ, vt significaretur, eos qui Indulgentiam essent consecuti, fuisse exsolutos nexu culpæ, & pœnæ. Culpæ quidem, per absolutionem vel contritionem Indulgentiæ præsuppositam. Pœnæ verò non aliter per Indulgentiam Maldonatus, *a* communiter DD. Et sanè S. Franciscus, hoc sensu petiit à Christo, vt Indulgentia Portiunculæ esset à pœna & culpa. Et Christus annuit petitioni talis Indulgentiæ, per Pontificem concedendæ, Sed sensus concessionis, erat is quem dixi. Et æquè valet pro omnibus Indulgentiis, sub ea forma concessis. Quoad speciales autem quasdam Indulgentias, idcirco dictum est, concedi in eis exsolutionem à culpa, quia debat potestas eligendi Confessarium à quauis culpa absoluturum, vt potestatis extraordinariæ. Cuiusmodi facultas annexa est Indulgentiæ Scapularis Mariani, vt supra vidimus. Idquod insinuans Ioannes Indulgentiæ largitor, rectè dixit, consequentibus hanc Indulgentiam, concedi remissionem à pœna & à culpa. Hoc additamentum certis duntaxat Indulgentiis adiunctum aliqui, ignoranter ad omnes Indulgentias diffuderunt: cùm tamen paucæ habeant illud adiunctum, facultatis eligendi Confessarium ab omni culpa absoluentem. Ratione cuius Echius *a* atque Valentia *b* censuerunt dictum aliquando esse, Indulgentiam cum ea facultate concessam, dictam esse liberare à pœna, & à culpa. Sed postea modus ille loquendi, in nullis Indulgentiis vsurpatus est, ad excludendum falsum sensum, de extersione culpæ, præcisè per Indulgentiam.

a Q. de Indulg.

a Q.3. de Indulg. part. 2.

b 3.p.d.7 q. 20.p.3.

Membrum alterum dubitationis propositæ circa formam concessionis Indulgentiæ, spectabat eam dissonantiam Bullæ Ioannis cum solida Theologia & sana doctrina; qua Ioannes, adeptos plenissimam Indulgentiam, supponebat posse adhuc hærere in Purgatorio. At reatu plenè deterso (sicut reuera detergitur in adepto Indulgentiam plenariam,) non potest dici animam vlteriùs hærere in Purgatorio. Est enim fide sanctum, animas iustas, ex quo reatum prorsùs deterserunt, euolare illicò in cœlum.

Hic nodus facile expeditur, dicendo, post illa verba Bullæ, *Sodales dicti Ordinis, supplicio soluantur & culpa*, apponendum esse punctum, ita vt ibi finiatur periodus, exprimens Indulgentiam in vitæ confinio obtentam. Subdatur autem noua periodus exprimens fauorem à Beata Virgine conferendum supposito quod Indulgentia ex aliquo defectu, non præstaret quod per eam captabatur. Hæc porrò est noua illa periodus, verbis continente sibi iunctis comprehensa. *Et die quo ipsi à seculo recedent, si properato gradu adeant Purgatorium Ego Mater gratiosè descendam, Sabbato post eorum obitum & liberabo eos.* Verba ista Bullæ, intellecta eo modo quo dixi, probè consonant sanæ doctrinæ, & probatæ Theologiæ Neque enim omnis qui putatur Indulgentiam plenariam consequi, eam reuera consequitur, incurrentibus interdum defectibus, qui Indulgentiæ effectum excludunt. Alioqui non essent celebranda sacra, vel eroganda eleemosynæ; pro defunctis qui videri possent excessisse e vita post adeptionem plenæ Indulgentiæ: quod tamen est contra praxim Ecclesiæ eum ergo Sodalem quem Indulgentia ob aliquem defectum cassa, non exemisset Purgatorio; B. Virgo spondet se [illegible] primum erepturam. Sanè posset aliquis Indulgentiam consequi quoad reatum reliquorum peccatorum, obliteratorum in vita quoad culpam: Et tamen ob affectum, (etiam in morte) continuatum ad aliqua venialia retinere obligationem, ad pœnam pro illis venialibus subeundam, quam Indulgentia non potuisset dissoluere, ob perseuerantiam maculæ. Et tunc locus esset beneficio liberationis è Purgatorio, per eum quem referebam fauorem Deiparæ, promissum in primo Sabbato post obitum Sodalis.

Hæc verb[illegible] [illegible]missionis deducunt disputationem ad tertiam principalem partem difficultatum huius negotij [illegible]pe ad tempus quo B. Virgo (vt retulit Ioannes XXII.) spopondit se Sodales Marianos erepturam è Purgatorio, si in

illo

illo hæreant. *Deſcendam* (inquit) *Sabbato poſt eorum obitum, & liberabo eos.* Hic nodus videtur eſſe impeditiſſimus. Nam hæc verba B. Virginis, videntur ſordere iniuſtitia, & refigere leges vniuerſales à Chriſto latas. Iniuſtitia enim incurrenda videtur, ob inæqualitatem magnam conſecuturam inter piè Defunctos Sodales. Nam ſit qui oneratus grandi reatu, excedat ſub mediam noctem ſextæ feriæ, appetente iam Sabbato. Sed item alius, qui vix feſtucam reatus ſecum efferat, moriens hora prima diei Dominicæ. Iſti qui leuiculo reatu grauatur, hærendum erit in flammis per ſeptiduum; cum alter plumbea mole reatus peccatorum oneratus, vix contactis flammis, ſit inde eripiendus ſubueniente Deipara.

Iam quod per hoc ipſum promiſſum Deiparæ, conuellantur leges Chriſti vniuerſales, inde patet; quod iure vniuerſali, extra viam nulla eſt redemptio. Ex quo enim impacta ad radicem ſecuri, arbor cecidit; non eſt amplius locus gratiæ vel beneficentiæ laxanti liberaliter debitum, etiam in Purgatorio: Sed neceſſe eſt illud diſſoluere, vſque ad minimum quadrantem: vel per ſatiſpaſſionem, vel per ſubuentionem piam fidelium, ſatisfactiones ſuas illis applicantium; vel per applicatas piè notitis Indulgentias, ex Eccleſiæ conceſſione. Hæc eſt lex generalis, vt notum eſt. Eam tamen conuellit hæc liberatio promiſſa à Deipara, primo poſt Sodalis obitum Sabbato. Fuit enim promiſſio abſque vllo onere, & nulla prorſus facta mentione ſuffragiorum, per ſuperſtites adhibendorum, vel applicandæ Indulgentiæ.

Vrget præterea ſic conceptam promiſſionem, illud incommodum; quod non appareat, quorſum B. Virgo, ſuam beneficentiam dilatam voluerit vſque ad primum a Sodalis obitu Sabbatum; cum non ſit verè benedici, procraſtinare, ſi ſtatim poſſit dare. [Ne dixeris (inquit Nazianzenus *a* poſt Salomonem *b*) rediens redi, & craſtino die dabo tibi. Ne quid inter propoſitum tuum, & beneficium intercedat. Vna enim beneficentia eſt, quæ moram non admittit, *&c.* Beneficij gratia, promptitudine & celeritate conduplicatur.] Vt quid ergo B. Virgo, cum poſſet Clientem ſuum immanibus tormentis ſtatim eripere, comperendinaret cum tanto miſeri Sodalis diſpendio? Quid ſi verò ante Sabbatum, occurrat ſolemne aliquod Feſtum Deiparæ, in quo ſolita ſit liberare animas amicorum ſuorum è Purgatorio? vt fert narratio deſcripta à Petro Damiani; *a* num crederemus, piam Matrem ne videatur datam de Sabbato fidem, violaſſe, non anticipare liberationem, ſed Sabbatum expectare? Illud denique promiſſionis verbum, *Ego deſcendam*, redolet falſitatem. Eo quippè admiſſo, B. Virgo quolibet Sabbato, relicta ſede gloriæ in cœlo Empyreo, teneretur perſonaliter petere Purgatorium. Cum tamen ferè omnes Chriſti & Sanctorum apparitiones, ſoleant eſſe imperſonales, vt videre eſt apud Thyræum in Tractatione de Apparitionibus. Et idcirco Cenſura Romana anno 1613. realem Virginis hac ex cauſa, deſcenſum explosit interdixitque pictura B. Virginis, in Purgatorium deſcendentis ad ſubueniendum Sodalibus Mariani. An hi Cenſores æmulati ſunt Cenſuram latam in Conſilio Baſileenſi, aduerſus eos, qui dixerant; neminem, qui habitum S. Franciſci geſtaſſet, hærere vltra annum in Purgatorio; eò quòd S. Franciſcus veniens, educat omnes inibi tunc repertas ſuorum animas? Multo tamen plus eſt B. Virginem venire quibuſlibet Sabbatis.

a Orat. 16.
b Prou. 3.
a Opuſc. 34. c. 3.

Theophili Raynaudi Marialia.

Nihilominus certum eſt, Deiparam in viſione obiecta Ioanni XXII. ſpopondiſſe quod diximus. Neque enim dubitare licet de veritate viſionis obiectæ Ioanni, cum Bulla Ioannis continens hanc promiſſionem, non ſit commentitia: & à tot Pontificibus ſit confirmata, & ad verbum inſerta nouis Diplomatibus confirmatoriis. Obiici autem non poteſt, deeſſe Scriptores Synchronos Ioanni, qui meminerint huius viſionis. Nam & falſum eſt, ad veritatem alicuius narrationis exigi Scriptores Synchronos narranti, vt ſupra eſt demonſtratum. Et quamuis gratis daremus ita eſſe; tamen ſuppetunt benè multi Autores, Ioanni vel æquales, vel ſuppares; qui teſtentur de promiſſo Deiparæ, facto in ea viſione obiecta Ioanni. Ita enim eo tempore ſcripſerunt Gulielmus Sauiniliatus L. de Patronatu Virgineo, & Ioannes Bichontorpe, Tractatu de Ordine Carmelitarum; ambo Synchroni Ioannis XXII. Nec multum ab eo aberrant, Gulielmus Bevvefu L. de Deiparæ miraculis, conſcripto anno 1386. & Ioannes Hornebi L. de miſericordia B. Virginis quem edidit anno 1373. & Thomas Lombe, qui anno 1387. exarauit Librum cui titulus, *Magna memoria in generationes futuras.* Hi omnes adeò æquales aut vicini Ioanni, qui obiit anno 1334. explicatiſſimè referunt apparitionem Deiparæ: & allocutionem Ioannis, continentem diſertè promiſſionem de qua agimus. Accedunt tot confirmationes Pontificum, Bullam Ioannis ratam habentium, & verbatim referentium, cum hac promiſſione. Igitur vel omnes reuelationes & apparitiones, quibus ſcatent volumina de vita Sanctorum, explodendæ ſunt (quod nemo Catholicus auſit dicere) vel iſta eſt admittenda; cum vix vlla aut reuelatio aut apparitio prodatur, cui tot & tanta aſtipulentur ſubſidia, quot & quanta ſuppetunt, pro iſtius de qua agimus veritate. Admiſſa autem veritate reuelationis & apparitionis, tenendus eſt exitus ex anguſtiis difficultatum propoſitarum, quibus hæc Promiſſio vallatur.

Petr. H. Quaſt. V. De Indulg. pro Scapulari.

Viſus eſt Thomas Hortado, *a* ad difficultatem ductam ex veritate promiſſionis huius, accingi, neque tamen eam extricauit; cum generatim tantùm aliqua dixerit, quibus nodus negotij nullo modo expeditur; imo neque conuenienter attingitur. Earimeſcens autem, & veluti ad rapidi amnis tranſgreſſionem, horrore correptus, præfatur; *hoc Priuilegium prout relatum eſt, non debere prædicari Populo rudi, & è ſuggeſtu proponi.* Id quod ait eſſe omninò certum, & ad minus conſtare ex propoſitione difficultatis. Itémque ex eo quod, ſi hæc pro Concione proponantur, Populus potiùs attendet Scapulari portando, quàm ſuſcipiendis Sacramentis, & negliget alia opera inſigniora. *Et ſic publicatio iſta, Dabit magnum ſcandalum ſimplicibus.* Vnde ſicut Ezechias prudenter confregit ſerpentem æneum, quo Populus abutebatur ad Idololatriam: ita Scapulare connexum promiſſione de qua agimus, tanti ſcandali ingeneratiuum in Populis, auferendum eſt à ſuggeſtis publicis, ac concionibus. Exiſtimat ne bonus iſte Eſauinus, (vt verbum Petri Bleſenſis retineam,) confringendum Scapulare concluderet, ſicut Ezechias confregit ſerpentem æneum. Imprudenter autem agit, dum timet ne rudis Populus Scapulare præferat Sacramentis: & piæ eo inſigniora opera depreciet, quod inter Chriſtianos non fuit timendum. Adhuc verò im-

a T. 1. reſol. Mor. trall. 5. reſol. 50.

prudentiùs se gerit, cum ait esse certum, *hoc Scapularis privilegium non esse prædicandum Populo: & hoc prædicare, esse magnum scandalum.* At audi quid è contrario tradat Paulus V. in decreto lato anno 1613. contra inquisitorem Auenionensem, obstrepentem Carmelitanis proponentibus pro suggestu hoc Priuilegium. *Permittatur Patribus Carmelitanis; prædicare quod Populus Christianus possit piè credere de adiutorio animarum, Fratrum, & Consororum Sodalitatis Beatissimæ Virginis de Monte Carmeli. Videlicet Beatissimam Virginem, animas Fratrum, & Consororum in charitate decedentium, quæ in vita habitum gestauerint, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis, & meritis, ac speciali protectione post earum transitum, præcipuè in die Sabbati (qui dies ab Ecclesia, eidem Beatissimæ Virgini dicatus est) adiuturam.* Hæc postrema, habet etiam Gregorius XIII. in Diplomate anni 1677. Liquet ergo, Hurtadum manifestè corrigere decretum Pontificium, quo iubetur ne quis Episcopus aut fidei Quæsitor, vel alius quicunque, obstrepat Carmelitanis; proponentibus pro concione, promissionem de qua agimus. E contrario Hurtadus, non vult eam prædicari, vel permitti, vt prædicetur. idque ait esse certum; & secus facere, esse magnum scandalum; quo nihil potuit iniuriosius in Pontificis decretum proferri. Sed homo solitus omnia sua censa venditare pro oraculis, impegit hic in petram in quam quisquis arietat; ipse confringitur, vt ait S. Augustinus. Et quòd mirabile est, fatetur ipsemet, se legisse hoc Pontificium Decretum apud F. Marcum de Guadalaxara; ita, vt non possit obtendere ignorantiam voluntatis summi Pontificis.

Insuper verò ex Pontificio hoc Decreto inferendum est, quantumcunque pungere videatur difficultas in qua enodanda versamur, nequaquam tamen succumbendum ei esse, cum sit certum, erroneum esse, & cum periculo fidei violandæ coniunctum, asserere, promissionem de qua agimus, non esse piam & probabilem. Quomodò enim non esset pium, & probabile, quod Pontifex vult, nemine contradicente spargi ad Populum; Ita vt non possint immediati circa fidem Excubitores, prohibere, quominus hæc promissio publicè proponatur? Si enim res secus haberet, & hæc assertio promissionis supradictæ, contineret doctrinam fermentatam, vel furfuribus erroris admistam, Pontifex erraret: Non iam in facto (circa quod Pontifices tanquam homines, ex falsâ informatione possunt decipi,) sed planè in doctrina; quam Pontifex docet esse piam, & idoneam, vt tanquam pium pabulum proponatur ouibus Christi; cum tamen aliter res haberet. At hoc dicere, sorderet intolerabili errore: & quantum arbitror hæresi, quod monstro in exemplo. Sixtus IV. gemino Decreto relato in Corpus Iuris, & firmato in Concilio Tridentino, ac per multos subsequentes Pontifices; declarauit, hanc propositionem, *Beata Virgo est concepta absque peccato Originali*, esse piam & probabilem. Vnde qui diceret hanc propositionem modalem, *pium est, ac probabile ita sentire de Conceptione*, esse falsam: & Pontifices, ac Concilium in ea tradenda errasse, non esset immunis ab hæresi, quia impingeret Magistris fidei errorem in doctrina. Esto enim, propositio de inesse, substrata huic propositioni modali, non sit de fidè, imo possit sordere falsitate speculatiua, (tametsi non practica, quia prudenter existimatur vera probabiliter, ac piè) at speculatiua falsitate possit sordere. Hoc nemo debet negare. Ecclesia siquidem nihil adhuc definiuit de puritate Conceptionis, spectata absolutè. Definiuit tamen pietatem, & probabilitatem assertionis affirmantis eam puritatem. Vnde huic Definitioni obsistere, sordet errore in fide non autem absoluta inficiatio puritatis Conceptionis. Idem igitur dico de promissione quam excutimus. Nimirum supposito Decreto Pontificio, non posse salua fide negari, quod pium sit & probabile, eam promissionem habere pro vera: & quod possit licitè, & sine scandalo prædicari Populis, & quod Bulla Ioannis, qua hæc promissio continetur, non sordeat errore; nec sit ab homine Catholico reiicienda tanquam seminarium scandalorum, aut contemptus mediorum salutis à Christo institutorum. Mirabile verò esset, tot Pontifices, & oculatissimos Argos qui cum eis excubant circa doctrinam sanam, cæcutiuisse hac in parte, nec aduertisse virus abditum in doctrina toties firmata, & quam disertè Ecclesia annuit prædicari, atque agnoscit piè credendam; proindéque prudenter & absque periculo erroris practici, posse affirmari.

Hæc ratiocinatio apud me conuincit argumenta quibus probabatur promissionem de qua agimus, pugnare cum iustitia, aut vniuersales Christi leges conuellere, tricas esse; obstrepentes Cortinæ à Christo constitutæ, vt ab ea petamus Oracula veritatis. Inde tamen non exoluimur onere dissoluendi ea argumenta, quandoquidem munus Christiani Theologi est satisfacere iis, quæ aduersùs fidem, vel nexa cum fide, opponi possunt. Idque circa ea quæ ad præsens negotium attinent, præstitum venio, diluens difficultates motas contra piam veritatem promissi à Deipara dati, de liberandis Sodalibus primo Sabbato ab eorum obitu.

Opponebatur 1. stante veritate narrationis de promissione liberationis Sodalium primo Sabbato ab obitu eorum, temerandam esse iustitiam. Hoc argumentum, prout supra formatum est, supponit, sensum verborum Deiparæ esse; Sodales si in Purgatorium descenderint, liberandos tantum esse primo Sabbato. Reuera tamen verba Deiparæ à Ioanne relata, id non ferunt: sed tantùm, quod saltem in Sabbato primo sint liberandi, ita vt ad summum sint illuc vsque hæsuri in Purgatorio, quod tamen non obstaret, quominùs anima quæ ante Sabbatum esset expiata, liberaretur.

Item verba Deiparæ in rigore sumpta, tantùm ferunt, in Sabbato subuentionem Deiparæ affuturam animabus illis, & liberandas esse; sin minus tunc, at certè non multo post. Nam Paulus V. in Decreto superiùs adducto, sic intellexit verba Deiparæ, promittentis liberationem his suis Clientibus, vt sensus sit, subueniendum illis esse à Beata Virgine, præcipuè in Sabbato, quod ea dies sit Virgini festiua. In Officio autem quod approbauit pro Solemnitate Beatæ Virginis de Monte Carmelo, ait, *Beata Virgo Filios in Scapularis Societatem relatos, materne planè assistit, dum igne Purgatorii expiantur, solatur: ac in cœlestem patriam obtentu suo quantocyùs, pie creditur efferre.* Perspicuè insinuat eo loco Pontifex, interpretationem quam secundo

cundo loco dedi; verbis exprimentibus promiſſionem Deiparæ, à Ioanne relatam. Alterutro horum modorum intellecta ea promiſſio, non grauatur difficultatibus ſuperiùs contra eam motis, vt conſideranti patebit. Et in neutro modo, quicquam dicitur quod gratiam Deiparæ apud Filium, eiúſve poteſtatem excedat.

Neque tamen abiicienda eſſet haſta, ſi ſupponeremus ſenſum verborū promiſſionis, eum eſſe, quem iactari, ac paſſim ſupponi dicebam. Argumenta enim quæ contra eum modum opponebantur, non difficilè extricantur.

Ac primùm, liquet nihil iuxta eum ſenſum promiſſionis admittendum eſſe contra iuſtitiam. Neque enim qui diutiùs hæret in Purgatorio, ius habet vt B. Virgo non eripiat alium primo poſt iſtius obitum Sabbato: ſed mora qua pœnas diutiùs excipit, quàm alius magis obæratus, eſt reuera debita eius reatui. Itaque oculus eius non debet nequam eſſe, quia Domina bona eſt alteri: & expoſtulanti de celeriori alterius liberatione, dici iure poſſet; *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Lue quæ debes pro tuis peccatis. Volo autem pro meo beneplacito, gratiam facere ei pro quo malè æmularis; te dimiſſo tortorum manibus, quouſque exoluas quanta iuſtitiæ debes, vſque ad nouiſſimum quadrantem: vel quouſque pro te quoque, tempus gratiæ, & largitatis aduenerit. Nulla ergo eſſet iniuſtitia in ea liberatione per Deiparam, alligata diei Sabbati: Sed tantùm in eo agendi modo colluceret gratia, & ſors bona illius Sodalis; qui ex ſpeciali prouidentia, diem obitus nanciſceretur Sabbato viciniorem. Quam profectò ſortem ſibi gratulari iure poſſet, & Deo benedicere, qui videret ſe mori in ea temporis circunſtantia. Sicut S. Malachias laudabat Deum, videns ſe mori qua die maximè optauerat; nempè in die Commemorationis omnium Defunctorum, ſuffragiis piacularibus abundantiſſima. Cui autem ea ſors non obtingit, non debet tangi liuore aduerſùs alium cui funes ceciderunt in præclaris; ne ex inuidia alieni boni, contrahat labem.

Perperam prætereà, contra ſenſum promiſſionis quem nunc admitto, opponebatur conuulſio legum vniuerſalium à Chriſto poſitarum; de nemine flammis Purgatorij eximendo, priuſquàm ſatiſpatiatur ipſe, vel alij pro eo ſatisfaciant, ad æqualitatem reatus quo grauatur. Hoc enim totum ſaluum eſt, non obſtante executione promiſſionis in ſenſu de quo agimus.

Multi vt hoc tueantur, adducunt impetrationem B. Virginis, qua intercedente, liberentur animæ gratis, & abſque alia ſolutione. Et verò oratio, pro Defunctis, fuſa à tam iuſta, & tam grata Perſona, videtur eſſe ſuffragium opportuniſſimum. Cum certum ſit ex fide, orationibus piorum Viatorum iuuari Defunctos. Notat pro hoc modo dicendi omninò multos, nuperus Scriptor. [a] Eſt tamen magna differentia inter orationem Viatorum, quæ eſt pœnalis, atque adeò ſatisfactoria; & orationem Comprehenſorum, quæ eſt merè impetratoria; & abſque annumeratione vlla litri, depoſceret exſolutionem cruciarij contra legem vniuerſalem, ne cuiquam ſuper quem vrſerit puteus os ſuum, fiat gratia; ſed tantum an numerato conuenienti litro, vel poſt ſufficientem ſatiſpaſſionem, exoluatur. Itaque non eſt nitendum immediatæ impetrationi B. Virginis, quaſi nuda eius oratio, nullis applicatis ſuffragiis, Clientem eius in flammis hærentem, ſit exſoluta. Sed dicendum eſt, B. Virginem impetrare poſſe, vt ſic laboranti applicentur Viatorum ſuperſtitum ad id excitatorum ſuffragia. Vel vt pro eo educatur litrum ſufficiens, ex communi Eccleſiæ theſauro. Quamuis enim Chriſtus, theſauri erogationem integrè permiſerit Eccleſiæ; tamen poteſt contingere, vt quæ inde educuntur in gratiam vnius, non acceptentur pro illo: & applicentur alteri, pro quo Deus ea acceptet. Et idem eſt de ſatisfactionibus & ſuffragiis Priuatorum, quæ Deus aliquando non acceptat quo vno quopiam, ob certam cauſam id iure ferentem, vt habetur ex vita Rabani Mauri; vbi narratur reiectio ſuffragiorum, oblatorum pro de mortuo Cœnobij Promo; quia viuens fraudauerat Defunctos ſubſidio eleemoſynæ, per Abbatem conſtitutæ. Veriſimile autem eſt, nolle Deum vt ſuffragia pro indigno exhibita, abeant irrita. Ac proinde ea admittere pro alio, pro quo Sanctus aliquis intercedat. Atque ita B. Virgo poteſt impetrare, vt ea ſuffragij applicatio Chriſto libera, fiat ſuo Clienti. Qua ſuppoſitione facta, nihil deperit Diuinæ iuſtitiæ: neque conuelluntur vniuerſalia Chriſti ſcita de nemine è flammis gratis eximendo, quouſque ſatiſpaſſus ſit; vel aliquis de ſuo, aut de alieno quod ei ſit ad manum, miſero cruciario beneuolè ſuffragetur.

[a] Fr. ay Priuil. 1. Controu. 3. § 3.

Part II. Quæſt. V. De Indulg. pro Scapulari.

Cur autem hanc ſuam ſubuentionem B. Virgo voluerit Sabbato alligare, non eſt noſtrum quærere, quia non eſt noſtrum leges ei præfigere: aut præſcribere quid, aut quando Clientibus ſuis præſtare debeat. Congruè tamen delegit Sabbatum, tanquam diem ipſius cultui dicatam, vt pateba fidelibus, quanti ſit piè venerari Deiparam, cuius quodcunque feſtum, etiam minimum, (quale eſt quod Sabato peragitur,) adeò gratioſum eſt apud Deum, & tantâ largitate erga animas Purgatorij illuſtratur.

Hinc tamen non ligantur (vt ſic dicam) piæ Soſpitatricis manus; quominus ſi ante Sabbatum occurrat ſolemnis Feſtiuitas, in quâ ſoleat aut velit aliquos pœnis exoluere fas ei ſit anteriùs expromere largitatem ſuam in Clientem laborantem in Purgatorio: & non expectato die Sabbati, facere eum participem extraordinariæ largitatis quam facit in eo Solemni Feſto. Vtrumuis enim ipſa eligat, quis poteſt ei dicere, quare ita facis?

Sufficienter ergo enodata ſunt bina illa difficultatum capita, quæ mouebantur contra promiſſionem Deiparæ, acceptam in ſenſu protrito, alligante liberationem Sodalium ad diem Sabbati, proximum ab obitu. Et per hæc, extricatæ quoque manent eædem difficultates, prout moræ contra alium promiſſionis ſenſum ſupra propoſitum, & in Decreto Pauli V. indicatum.

Rectè verò in eo Decreto interdictum eſt picturis, quibus B. Virgo exhibeatur deſcendens die Sabbati in Purgatorium, ad eripiendos inde Clientes ſuos, & Sodales. Quia huiuſmodi pictura, inducta ex falſo intellectu verborum Bullæ Ioannis, poterat præbere erroris occaſionem, ſimplicibus ac rudibus, arbitrantibus deſcenſum illum B. Virginis eſſe perſonalem: cum tamen ſit imperſonalis, nec alius quàm per ſubuentionem, & opitulationem expoſitam: vt in Decreto illo Pauli V. rectè admonetur. Alioqui enim; parum congruenter ad ſtatum beatitudinis; B. Virgo

B. Virgo valdè frequenter de Cœlis descendere, & Purgatorij latebras adire astringeretur. Qua ea causa Theologi apparitiones quibus sanctæ Animæ Cœlo iam illatæ, se sistunt Viatoribus; statuunt esse merò obiectiuas, & impersonales magna ex parte. Sed inde nihil decedit opitulationi promissæ Sodalibus, vt per se patet.

Non est autem cur huc transferatur damnatio Concilij Basileensis, de eductione è Purgatorio post annum, per S. Franciscum. Nam præterquàm quod ea damnatio fuit Concilij schismatici; & acephali; qui eam eductionem iactauerat, carebat fundamento idoneo illud asserendi; quale in re nostra non desideramus.

Disquirenda verò aliis permitto quæ proponuntur de Priuilegio S. Laurentij, quod ex sermone quodam Gregorij Turonensis, refert M. Antonius Flaminius in rebus gestis Alberti Magni; vnde fortassis ortum habuit frequentatio Romanæ ædis S. Laurentij extra muros, ad subleuandas animas Purgatorij. Ex reuelatione igitur facta cuidam Abbati Monasterij S. Laurentij, prodit Gregorius, B. Laurentium defensione sua efficere; ne Dæmon feria sexta cuiquam nocere possit, qui piè S. Leuitam interpellauerit; & vt qualibet hebdomade, animam vnam è Purgatorio possit eximere, eadem (quantum arbitror) feria sexta visumque ab Abbate ipsum S. Laurentium in cauernam lacus expiatorij delapsum, prædam illam optimam educere, & in Cœlum comitantibus ea plaudentibus Angelis adducere. Hæc de S. Laurentio Flaminius, occasione visi de gloria accidentali Alberti Magni; cui ex Priuilegio datæ sint sex mille animæ, cruciatibus Purgatorij subducendæ. Hæc quàm solidè dicantur, viderint alij. In rem verò nostram circa hæc dico, & eas animarum eductiones è Purgatorio, fieri per apparitiones impersonales, vt affirmabam de apparitione B. Virginis: & non adeò insolitum ac extraordinarium videri debere, Priuilegium Deiparæ quod excutimus; cum sit aliqua ex parte, Cœlitibus gradus longè inferioris commune.

Quid ergo dignum tanto hiatu, tulerunt Impugnatores Indulgentiæ Sabbatinæ: & liberationis Sodalium Sacri Scapularis è Purgatorio, beneficio Deiparæ? Quomodo tumentes vesicæ crepuerunt, salua veritate Priuilegij virginei pro iisdem? Non sunt ergo implanati Fideles, vt mentiebatur iniquitas sibi. Sed veritas admodùm pia, cui nihil solidè opponi potest; magno Fidelium commodo, à pluribus iam seculis per omnes Christianas oras, bonis quibusque fauentibus, ipsâque Ecclesia annuente, disseminata est & propagata.



QVÆST. VI.

Circa Miracula in edita fauorem Mariani Scapularis, de quibus C. 6.



Ic murmur duntaxat exauditum est, atque grunnitus, non autem aperta oppugnatio adhibita. Suspiciones enim duntaxat ingestæ, nec à multis sunt; ne fortè miracula non sint satis discussa, eáque ratione falsum subrepserit. Nec desunt etiam nunc, qui vereantur ne aliqui quæstum æstiment pietatem. Subindicant Deum forrassis habere rationem bonæ fidei, ac simplicitatis Piorum, eique seruientem, miracula edere; quibus deprehensis infertur (per accidens tantùm, & hominum vitio) Deum suffragari veritati narrationum de hoc negotio vulgatarum, cum tamen tantùm seruiat Fidelium pietati, quæ potest cum speculatiua falsitate negotij cohærere. Qua ratione, non nemo, cum narrantur miracula edita ad confirmandum nitorem Conceptionis passiuæ beatæ Virginis (qualia leguntur permulta apud varios pro ea veritate satagentes, nominatim apud Catharinum *lib.* 4. contra Caietanum, *pag. mihi* 557. & Robertum Guaguinum sub finem Poematis de Conceptione, & alios de eodem argumento Scriptores) arbitratus est, sufficienter abs se elusam vim miraculorum, ad confirmandam veritatem Conceptionis immaculatæ, dicendo ea se Deum seruisse pietati precantium, non autem veritati Conceptionis immaculatæ. Nam etiam nobilis Arelatensis cum piè, ac bona fide, phialam præsentissimi veneni, pro puluere sancti Raymundi per errorem oblatam hausisset, sanatus est, miraculo in gratiam bonæ fidei edito. Idem ergo potuit circa miracula per Scapulare Marianum edita contingere, seruiente Deo pietati Sodalium, non autem veritati persuasionum quas combibetunt.

Addi potest locus communis, de non multùm innitando miraculis. In quam rem, pleraque adducta sunt in Heteroclitis spiritualibus, *a* post autorem vitæ S. Fulg. *b* Guil. Scriptorem vitæ S. Bernardi, *c* quibus præiuerat S. August. *d* subsanans mirabiliarios, & miracula præ aliis testimoniis depretians. Hæc, & similia, mussando potiùs quàm apertè effando in hanc rem proferuntur.

a *Part.* 2. *fol.* 3 *p.* 1. *d. n.* 12.
b *Cap.* 26.
c *L.* 3 *cap.* 6.
d *Tract.* 13. *in Ioann. nec non l. de vtil. Eccles. c.* 16.

Ne autem videar, semper iusto austerius cum aduersariis agere, fateor inficiandum non esse, contigisse interdum, tametsi perrarò, nec diù protogata, aut latè diffusa hallucinatione, vt vulgarentur aliqua miracula ab æmulis, & Launoyanis malitiosè conficta, aut per ignorantiam pro miraculis habita, cum non excederet vires causarum naturalium, & ab eis reuera manassent. Hac secunda ratione, sæpè muliceculis, ac rudibus imponitur. Strophas verò ob lucrum aut vanitatem iactantium falsa miracula, varia Sanctorum acta annotant. Sic enim in actis sancti Godehardi, *e* narratur fraus aliquorum mendicorum, qui vt stipe pinguiore donarentur, fingebant se miraculo sanatos. Alios turpis lucri gratia simulantes se esse dæmoniacos, referunt acta sancti Auentij. *a* In hoc ipso Scapularis negotio, dedocendi sunt, qui nixi testificatione Scriptoris *b* qui aderat, vulgarunt fabulam Alexandri Dominici, qui proximis annis Auenione narrabat se ab hoste binis glandibus fuisse appetitum, quarum vestigia citra vllam carnis læsionem monstrabat, mox enim re altiùs examinata ab idoneis exploratoribus, compertum est figmentum improbi veteratoris, lucellum captantis ea stropha. Hæc igitur cum circa alia quæuis miracula, tum circa ea quæ pro Scapulari edita referuntur, posse aliquando contingere, non eo inficias. Nec mea sinceritas fraudi erit piæ obseruantiæ pro qua satago. Nam vt taceam relata à Polydoro Virgilio *c* à Ludouico Vrete, *d* in Ecclesiæ dedecus benè vel ab ipsomet Seneca, *e* scriptum memini. [Quidam incredibilium relatu, commendationem pacesnt: & lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes sunt: quibusdam menda

e *Cap.* 15.
a 14. *Febr.*
b *Peyrat. in Triplic. Coron. Tr.* 4. *c.* 12. §. 2.
c *L. de prodig.*
d *Histor. Æthiopi sui Ordin.*
e 7. *q. natur. cap.* 16.

mendacium obrepit, quibusdam placet. Illi non non euitant, hi appetunt. Et hoc in commune de tota natione, quę approbare opus suum, & fieri populare non putat posse, nisi illud mendacio aspersit.] Hoc sanè haud leue est scelus, sua phantasmata pro sanctis, & figmenta pro miraculis obtrudere. Sed his miseriis obnoxia est simplicium credulitas. Cui vt consuleret Synodus Tridentina, a sapienter edixit; ne quis noua miracula absque Antistitum serio examine, publicè proponeret: satis gnara eam cautionem fuisse necessariam ad dispellendas fraudes, & ableganda commenta nundinatorum falsitatis.

a Sess.25. Decr.de SS.Inuoc.

Hæc quamuis ita sint, velle tamen quæcunque Miracula repudiare: & omnibus miraculis de nouo auditis fidem detrahere, non vacaret temeritate. Et qui post exarata in Canonicis Scripturis miracula, ausit dicere, nullum contigisse verum miraculum, cui prudenter sit habenda fides (quod nuper hic Lugduni quispiam de vero Energumenismo, extra exempla in Scripturis recitata numquàm notato, non erubuit asserere, audiente me;) næ, ille & innumeros de miraculis Sanctorum libros à viris grauissimis conscriptos, addicit Libitinæ: & iis telis se sauciandum obiicit, quibus S. Augustinus a Paganos circa Christiana miracula morosos; vel etiam obduratos, appetiuit atque confodit; docens esse prudenter credibilia, & imprudenter, vel etiam impendenter inficianda.

a lib. 10. De Ciu.c.18.

Itaque de miraculis quæ omninò, & quotidie quam plurima in fauorem sacri Scapularis diuinitùs patrata circumferuntur, statuendum est; nemini prudenter se gerenti dubitandum esse, quin vera sint & diuinitùs ad pij huius ritus studium, & amplificationem edita; dummodò nihil sit quod suspicionem iustam moueat falsitatis, & præcesserit debita & per Ecclesiam indicta discussio, & comprobatio eorum, quibus Synodus Tridentina hanc prouinciarum demandauit. Quorum nihil prætermitti in hoc negotio, persuadet prudentia, & accurratio eorum quibus hæc cura incumbit.

Nec tenue veritatis miraculorum de quibus agimus argumentum esse videtur, eorum multitudo. Nam si veritate destituerentur, erumperet alicunde scintilla, falsitatem detegens; Deo non sinente illudi pietati Fidelium, saltem vbique, & ad longam moram. Qua eadem ratione circa sacras reliquias, Deus aliquando speciali prouidentia curauit detegi imposturam, quæ irrepserat, vt legimus in Actis S. Martini, & apud Gersonem. a Neque tamen idcirco Vir pius, ac prudens circa omnes Reliquias difficilem se præstabit, quia in euentu aliquo infrequentissimo, contigit deceptio vel impostura.

a Tom.3.tr. 8.super Magnificat, partitione.3.

Neque verò elusio argumenti, quàm initio referebam idonea est. Non est inquàm solidum responsum argumenti propositi, si dicatur Deum patrasse miraculum non ad confirmationem veritatis: sed ad gratificandum bonæ fidei, aut pietati precantis. Si enim hæc responsio valeret, improuidè Ecclesia se gereret; cum ex miraculis ad interpellationem alicuius vita functi diuinitùs editis infert eum esse dignum Canonismo, esséque cœlitum honoribus prosequendum. Nam in promptu esset responsio, dicendo argumentum esse inane; eo quod Deus habuerit rationem bonæ fidei precantium, non autem meritorum defuncti qui mediator adhibetur ex falsa existimatione precantium, quod is apud Deum gratia valeat, qui reipsa est à Deo extorris. Itaque nisi velimus Ecclesiam ex miraculis pro alicuius sanctitate ratiocinantem, oscitantiæ; aut ineptitudinis arguere fatendum est, nisi ex aliquo adiuncto deprehendatur, Deum alia ex causa fecisse miraculum (vt sanè deprehensum est in exemplo pulueris suppositirij S. Raymundi, quod afferebatur) censendum esse Deum voluisse adstipulari veritati qua interposita exposcebatur cœlestis fauor.

Part II. Quæst VI. De Miracul. per Scap.

Et non est quidem nobis planè liquidum, ac inexpedibiliter certum, quod Deus edat miraculum in finem ob quem putamus illud fieri: v. g. ad attestandum sanctitati defuncti, per quem interpellamus Dei auxilium. Est tamen argumentum satis validum, & rem verisimillimè conficiens. Idem ergo cernitur in miraculis quæ fiunt interuentu alicuius instrumenti pietatis, cuiusmodi est imago cerea Agni Pontificia benedictione initiati: vel Rosarium Deiparæ, aut funis S. Francisci, vel cingulum, aut Zona S. Augustini, & Marianum Scapulare de quo agimus. Opus enim supra naturam ad applicationem, aut gestationem illius instrumenti pietatis editum interpositis meritis Cœlitis cum quo habet connexionem; suppeditat bonum argumentum sanctitatis prædicti instrumenti, nec non veritati, qua enunciatur illum qui pro vsu talis instrumenti immoritur, degere cum Deo, & frui beatitate. Vel certè eum qui interpellatur, honestatum esse aliqua prærogatiua pro cuius assertione postulatum est miraculum. V. G: si sermo sit de miraculo edito in fauorem Conceptionis immaculatæ B. Virginis probatur per illud miraculum nitor Virginis in primo momento sui esse, absque illuuie parentalis peccati conceptiones nostras inquinantis.

Iterum dico, & verum est argumentum ex tali miraculo petitum, non conuincere clarè & ineluctabiliter, eam veritatem firmari testimonio Dei per miraculum, vt per linguam suam loquentis, iuxta phrasim D. Augustini. Quia si ita esset, concedere oporteret, propositionem enunciantem Conceptionē Beatæ Virginis fuisse immaculatam, esse ex fide certam, quod constat nondum posse affirmari, propter Ecclesiæ silentium ea in parte. Tamen argumentum ex multiplici miraculo in eam rem edito petitum, probat non inualidè, eum facere admodùm piè, qui sibi persuadet veritatem cui Deus tali opere attestatus videtur, esse amplectendam assensu robusto, ac firmo sed, infra certitudinem diuinæ Fidei Sicut quamuis non sit ex fide certum eum Cœlitem esse, ac Sanctum, qui Canonismo vindicatus est; tamen assertio beatitatis eius, nixa miraculis ad eius interpellationem editis, non notat, nec est inepta: sed omnibus benè pensatis, & miraculo ritè expenso; censetur idonea exploso illo effugio quod miraculum sit editum ad suffragandum non veritati, sed pietati.

Item ergo statuendum est de miraculis, editis in fauorem Scapularis Mariani.

***

QVÆST. VII.

Circa salutis æternæ, & notam prædestinationis Scapulari Virgineo consertam, de quibus Cap. 7.

DIscvssionem beneficiorum temporarium per Scapulare à Sodalibus exoratorum, excipiat necesse est discussio beneficiorum spiritualium. Inter quæ eminet, quod hic sacer Habitus, sit signum salutis: & nota prædestinationis, vt significarunt ea verba Deiparæ ad B. Simeonem; *in quo* (Scapulari) *quis moriens, æternum non patietur incendium.* Et illa similiter ad Ioannem Papam; *Ego eos* (Sodales) *ad montem sanctum vitæ æternæ, gloriosè reducam.*

Altè hic clamorem tollunt Anti Mariani, contendentes imprimis, id verò esse venditare Scapulare, pro octauo Sacramento nouæ Legis. Nam vera definitio Sacramenti nouæ Legis, continetur verbis illis *signum salutis*; quæ idem sonant atque illa, *signum gratiæ.* An igitur reuoluimur in fatuitatem Iobij, Græci Monachi, cognomento *Peccatoris* qui in Explanatoria Contemplatione septem Ecclesiæ Sacramentorum, Sextum numerat *sanctum habitum.* ἅγιον σχῆμα, ἀγγελικὸν σχῆμα τὸ τῶν μοναχῶν; expungens vel commiscens sacramentum Pœnitentiæ, cum sacramento Extremæ vnctionis? Quam crassam hallucinationem ab eo honori habitus Monastici velificante, absurdè fundatam in quibusdam verbis S. Dionysij malè intellectis meritò explodit Arcudius *a* Videri igitur possunt, qui hunc (vt passim vocant) *Sacrum Habitum*, statuunt signum salutis: & ipsi quoque, cum Iobio illo, numerare inter Sacramenta nouæ Legis, Scapulare Marianum; cum tamen ne Sacramentale quidem sit, quia non est aliquid institutum ad vsum totius Ecclesiæ, vt sunt quæ passim dicuntur *Sacramentalia, fusè* à Valdensi exposita. At illud quàm graue incommodum est, quod cum incertitudo gratiæ & prædestinationis, extra specialem reuelationem, pertineat ad dogmata fidei; tamen in gratiam Scapularis, profertur reuelatio generalis, facta per somnium, quod omnes qui illud gestauerint, sint sancti, quandoquidem habent *Signum salutis:* & omnes sint prædestinati, quandoquidem *morientes in eo, æternum non patientur incendium.* Periculum verò est, ne quis de viso hoc Mariano quod in Anglia obtigit, opponat quod Petrus Cellensis *a* (in mala licet causa) opposuit Nicolao Monacho S. Albani, adducenti visa quædam per somnum exhibita, in fauorem immaculatæ Conceptionis [Ne indignetur (inquit) Anglica leuitas, si ea solidior sit Gallicæ maturitas. Insula enim est circumfusa aqua, vnde huius elementi propria qualitate, eius Incolæ non immeritò afficiuntur: & nimia mobilitate in tenuissimas & subtiles phantasias frequenter transferuntur, somnia sua visionibus comparantes, imò dicam præferentes. Et quæ culpa naturæ, si talis est natura terræ? Certè expertus sum, somniatores plus esse Anglicos, quàm Gallos. Cerebrum namque humidius, fumositate stomachi citius inuoluitur: & quaslibet imagines in seipso depingit, quæ ab animali virtute vtcunque spirituali deferuntur; & ex occupatione omnium tam animalium quàm naturalium, seu spiritualium virtutum, infra iudicij veritatem confinguntur, vt phantasmata seu somnia appellentur. Non sic cauernosa, non sic aquatica Gallia: vbi sunt montes lapidei, vbi ferrum nascitur, vbi terra suo pondere grauatur.]

a Lib. 1. de sacram. c. 2.

a Lib. Epist. 23.

Virgo hæc Anglicana, somniorum procreatrix, Gallum Scapularis exagitatorem armat eo telo quod suggerit Siracides aduersùs insomniosos. *Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Hoc, secundum hoc; visio somniorum; ante faciem hominis similitudo hominis.* Phantasiati sunt qui hoc visum viderunt, conferri Scapulare gestantibus, certitudinem gratiæ, & prædestinationis indubiam notam: figmentúmque pro veritate sibi & aliis obtrusetunt, cum hæc sint contra explorata fidei dogmata; quæ cum somniis committere, quoad veritatem, bestialis esset insipientiæ. cap. 34.

Quod si quis dicat, has generales reuelationes de gratiæ & prædestinationis certitudine, intelligi si quis gestando Scapulare, mandatis diuinis inhæreat; næ, vana est omnis hæc pompatica salutis, & prædestinationis certitudo per gestationem Scapularis. Quilibet enim Christianus, etiamsi Scapulare non gestet, modò mandatis diuinis inhæreat, & piè vitam exigat vsque in finem; potietur gratia finali, & æternum non patietur incendium. Dantur ergo verba Fidelibus, cum gestando Scapulari, dicuntur assequi quod æquè habebunt absque Scapulari; si volentes ad vitam ingredi, seruent mandata. Quantumcumque autem gestent Scapulare, nisi mandatis Dei inhæreant; excident salute, nec inter Electos numerabuntur. Non est ergo Scapulare signum salutis, nec pignus obstans quominùs Sodalis æternum patiatur incendium.

Exterriti his argumentis quidam Scapularis sui propugnatores, eò concesserunt, *a* vt Scapulare dicerent appellatum esse *signum salutis*, non internæ per sanctificantem gratiam collatæ, sed corporeæ; eo quod Scapulari conserta sit gratia sanitatum, vt multis exemplis supra est demonstratum. Atque ita dextrè declinarent argumentum primum, fundatum in illis verbis *Signum salutis*, siue internæ, siue æternæ, de quibus struebatur calumnia.

a Fezay. priuil. 1. contro. XI. §. 3.

Alius, *b* ea verba *æternum non patietur incendium*, putauit subducenda telis hostilibus dicendo, in eis, *æternum incendium*, significare flammas Purgatorij diuturnas. Nemo enim adeò in Scriptura hospes est, vt ignoret, *æternum* sæpè sumi pro diuturno. Qua ratione Deus dicitur regnaturus *in æternum, & vltra.* Et Aaroni dicitur promissum *sacerdotium sempiternum.* Quia ergo qui gestant Scapulare, non sunt diù hæsuri in Purgatorio; ideò negantur passuri incendium sempiternum, idest diuturnum in Purgatorio. Sed neutra harum euasionum idonea est.

Lezana t. de patron. c. 5. n. 23.

Non prior. Salus enim simpliciter dicta, est salus animæ; quæ sita est in possessione gratiæ sanctificantis, non autem in gratia sanitatum. Et ita eam salutem cuius mentio est in verbis Deiparæ, intellexerunt omnes in hac materia hactenus versati. Idem dico de *æterno incendio.* Verba enim illa simpliciter sonant ignem Inferni, nunquam extinguendum; alioqui posset quis partem illam sententiæ Christi iudiciariæ, quæ spectat reprobos in ignem æternum detrudendos, accipere de Purgatorio diuturno; quod nemo sapiens dixerit. Nemo item eorum qui de hoc argumento scripserunt, aliud intellexit per incendium æternum, quàm supplicium damnatorum nunquam finiendum. Vnde tales

damnati

damnati Ezech. 26. dicuntur *Populus ſempiternus*. Et Thren. 3. vocantur *mortui ſempiterni* Alia ergo difficultatum propoſitarum enodatio quærenda eſt, quæ tantum abeſt vt ſit deſperanda, vt potius non admodùm difficilis videatur, quod patebit recurrendo per omnia capita rationis dubitandi.

In primis ergo, diuinare quod Scapulare ſuum, Carmelitæ proferant tanquam ſacramentum nouæ legis, nugatorium eſt, imo calumniæ refertum. Nemini quippè vnquam tam inſana ſanitas in mentem venit. Et meritò. Nam Sacramentum nouæ legis, dicit duo. Vnum eſſe ſignum internæ ſanctitatis implantatum alicui ſtabili & religioſæ actioni ſenſibili, vt D. Auguſtinus *a* ſæpè confirmat. Hæc eſt generica Sacramenti ratio, ſuo modo communis Sacramentis antiquis, ſupra quam noſtrum Sacramentum, tanquam arte factum, & inſtrumentum diuinum addit vim gratiæ cauſatiuam, rationi ſigni extraneam: diuinitùs tamen adiunctam huiuſmodi ſigno, per Chriſti merita intra illud contenta, velut in ſacro promptuario pretioſi ſanguinis, quaſi agni immaculati. Ac proinde Sacramentum nouæ legis, non eſt qualecunque ſignum gratiæ: ſed practicum, ſiue ſignum gratiæ efficax, càmque conferens; vt affirmant Theologi, cum Hugone Victorino, *b* & Magiſtro, ac S. Thoma; à quibus non abhorruit Scotus, vt ſibi fingit Aquarius. *c* Quod enim Scotus dixit noſtra Sacramenta eſſe ſigna gratiæ efficacia, perinde eſt ac ſi dixiſſet, eſſe ſigna gratiam efficientia, quod aptiùs dixit quam ſi vocaſſet gratiæ cauſas. Nam adhibita voce *ſigni*, expreſſit rationem Sacramenti genericam. Hoc eſt, eſſe Sacramentum nouæ legis. Quis vero commentus vnquam eſt, talem Sacramenti notionem, cadere in Scapulare Monaſticum? Nugæ, nugæ.

a Tract. 5. 26. & 45. in Ioan. & in pſ. 62. & 77. & homil. 27. ex 50.

b L. 1. de ſacr. p. 9. c. 2.
c In 1. d. 32. ſect. 7.

Incertitudinem gratiæ & prædeſtinationis, vltro damus eſſe dogma fidei, niſi adſit reuelatio ſpecialis, quæ hic reuera non interuenit. Meritò tamen piè, & probabiliter agnoſcimus reuelationem generalem, cum incertitudine Metaphyſica probè cohærentem, & pleraque verisimiliter, imo indubiè habiturum eſſe ſuum, ſi adhibeantur certæ conditiones, cùm communes, tùm particulares. Communes dico, obſeruationes omnibus demandatas, queis in primis neceſſe eſt inſiſtere. Particulares verò appello, quæ continentur certis capitibus præſcriptis Sodalitio Mariano ex Virginis monitu, de quibus infra.

Dicere quod hæc reuelatio, quatenus Ioanni XXII. per ſomnium obtigit (Beato enim Simoni, quicquid aſſumptum ſit in ratione dubitandi, reuelatio facta eſt in vigilia, tametſi noctu) ſit ſomnium vanum, non modo temeritatem, ſed etiam emotionem cerebri redoleret. Eadem enim licentia criminandi, paterent ludibrio innumeræ reuelationes per ſomnum exhibitæ, iuxta illud apud Ioëlem, *a* *Et ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt*, in nouo teſtamento implendum, vt S. Petrus *b* eſt interpretatus. Nec dubitarim errori proximum pronunciare aſſertionem eius qui diceret, ab Eccleſia Catholica poſt Apoſtolos, comprehenſo æuo noſtro, exulare omnes diuinas reuelationes per ſomnum. Quid verò fieret reuelatione obiecta Liberio Papæ quoad Ioannem Patricium? & alia obiecta Innocentio III. quoad SS. Dominicum, & Franciſcum, & alia facta S. Hugoni Gratianopolitano, quoad Cartuſianos? & ea qua B. Ioannes Matta per quietem admonitus eſt, redemptioni captiuorum intendere, & Ordinem in id incubiturum fundare? Quid ſpicas appendo, cum extent huiuſmodi reuelationum integræ meſſes apud Delrium, *a* ac Loyerium. *b* Omnes ergo huiuſmodi reuelationes per quietem factæ, æquè proſcribendæ eſſent, vt inſomnia, ſi reuelatio de fructu ſcapularis, notaret, quia per ſomnum obtigit. Ceſſent ergo ſannæ, & ludibria ſuſpicionum, circa veritatem viſionis, ſiue B. Simoni, ſiue Ioanni Pontifici obiecta.

a cap. 2.
b Act. 2.

Pars II. Quæſt. VII. De Benefic. Spirtual. per Scapul.

a L. 4 Magic. c. 1. q. 2. S. 2.
b Lib. 4. de Spectr. c. 22.

In obiecto eius, hoc eſt ſigno gratiæ & prædeſtinationis, eſt præcipuus nodus huius negotij, qui tamen haud difficilè expediendus videtur, dicendo Scapulare Marianum, eſſe ex Deiparæ inſtituto ſignum ſalutis, & notam prædeſtinationis, quatenus geſtatio Scapularis eiuſmodi, teſſera eſt ſingularis protectionis B. Virginis, affuturæ Sodalibus, & conciliaturæ media gratiæ ſingularia, quibus & ſecurius ſeruentur mandata, & tutius ad optatum finem beatitudinis pertingatur. Non plus dicitur cum aſſeritur geſtationem Scapularis eſſe *Signum ſalutis, & pignus vel notam prædeſtinationis*. Quid vero ſolidæ difficultatis circa hoc proferri poſſit, pluſquam aduerſus alia ſigna ſalutis, & prædeſtinationis equidem non video.

Octonarius beatitudinum ab Andrea Vega *a* aſſumitur pro octuplici nota prædeſtinationis, & æternæ ſalutis à Chriſto propoſita. Itaque pauper ſpiritu, ac mitis, & perſecutionem patiens propter iuſtitiam, pronunciantur futuri in fine compotes gratiæ, & immunes ab æterno incendio; ſupponendo ſemper, quod communia omnibus mandata ſeruauerint. Et cum hoc ſenſu talia dicuntur eſſe ſigna ſalutis, & prædeſtinationis, nemo ſuccenſet. Quam multa verò alia dicuntur iuxta Scripturas habere vim iuſtificandi, & ſaluandi, quæ tamen ſubintelliguntur vim illam ſuam exertura, ſi cætera adſint ex natura rei, vel ex diuino inſtituto neceſſaria? Sic Rom. 3 dicitur *Arbitramur hominem iuſtificari per fidem*. Rom. 8. *Spe ſalui facti ſumus*. Tob. 12. *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata*. Iacobi 1. *Inſitum verbum poteſt ſaluare animas veſtras*. Hæc & alia id genus, paſſim in ſcripturis leguntur, neque tamen (vt benè notauit Bellarm. *b*) vllus eſt qui inde colligat, ſolam fidem, aut ſpem, aut eleemoſynam, vel ſolum verbum, iuſtificare aut ſaluare, aut à morte æterna eripere, abſque aliis ad eundem finem requiſitis. Sed Scriptura ſic loquens, vult tantum ſignificare, prædicta habere vim ſuam ad illum finem, & eum (quod ad ſe attinet) aduehere, ſi cætera non deſint.

a Lib. 12. in conc. c. 11.

b L. 2. de pœnit. c. 7. ad 5.

Vt quid ergo aliter ſtatuitur de geſtatione Scapularis, cùm dicitur illud eſſe ſignum ſalutis, & prædeſtinationis. Tantum enim ſignificatur, eam geſtationem piè factam, habere vim ſuam, vt quis ſalutem adipiſcatur & fiat in eo executio prædeſtinationis, vt fert Deiparæ promiſſio, binis reuelationibus patefacta.

At nihil ſingularis Priuilegij habebunt Sodales Mariani, ſi promiſſio tantùm ferat, eos potituros ſalute, ſi ſeruent mandata, & piè vitam exigant. Æquè enim Chriſtiani omnes, etiamſi Scapulare non geſtauerint, ſi ſeruent mandata, & piè vitam exigant, ſaluabuntur: & tanquam verè prædeſtinati, deducentur ad montem ſanctum vitæ æternæ. Quæ ergo vtilitas Scapularis ad eum finem? Magna planè per omnem modum. Eſt enim Scapularis geſtatio, teſſera, & pignus vberis gratiæ auxiliatricis, à Deipara Sodalibus ſuis

cautæ,

exoratæ, cuius interuentu seruabunt mandata, & vitam sancto fine concludent. Et hæc est vis illa specialis, quam agnosci volumus in gestatione Scapularis, iuxta Deiparæ sponsionem.

Fateor me versantem in hoc loco, qui præ cœteris huius negotij, salebrosus, & impeditus censetur; non posse satis mirari, fuisse & esse, qui censere viderentur, hunc nodum esse inexpedibilem; cum tamen eius extricatio, ingeniis non anteoccupatis, videatur facillima: nec plus propositis argumentationibus (veriùs argutationibus) quatiatur; quàm alia quædam sanctorum hominum enunciata, de quibus nemo litem mouet, nemo scandalum patitur. V G. Sanctus Anselmus, *a* negat periturum qui in B. Virginem fuerit benè animatus. Et similia habent alij quos adducit Franciscus Mendoça, *b* quibus plures addidi in Diptychis Marianis. *c* Hæc, intellecta cum eo condimento quod adhibui circa gestationem Scapularis, à nemine respuuntur quia tantùm significatur vis alicuius medij ad obtinenda subsidia, quibus quis, à fine suo non aberret. At nihil aliud dicitur de gestatione Scapularis. Eam item S. Onuphrio factam sponsionem, quam Pachomius in eius Actis his verbis consignatam reliquit, à nemine damnati videmus. [Hæc est postulatio mea, quam impetraui à Domino. Si quis oblationem ob amorem nominis mei, ante conspectum D. N. Iesu Christi, & ad laudem eius immolat: ab omni tentatione Diaboli: & à vinculo prauitatis humanæ, liber existet; atque cum sanctis Angelis, in regno cœlorum æternæ hæreditatis capax fiet.] Nimirum per subsidia quæ ei exorabo, quibus si obicem non apponat, pollicitationis meæ effectum percipiet. Mutentur pauculæ voces in promissione Deiparæ pro gestantibus Scapulare, & loco *Oblationis ob amorem B. Onuphrij*; dicatur, *gestatio pia Scapularis, ad honorem Deiparæ*; non erit gutta guttæ similior. Vnde sicut illa B. Onuphrij promissio, innoxia habetur, & à nemine allatratur, sed piè exponitur: ita par est de promissione Deiparæ quam excutimus, pronunciare.

a L. *de excel. Virg. c.* 4. *in fine.*
b *In virid. l.* 2. *flor. sacr. c.* 9.
c *Parte* 2. *punc.* 10. *n.* 37.
Cap. 13.

Attexo Corollarium ac superpondium ex Libello cui titulus doctrina S. Bernardi; qui Libellus etiamsi non videtur ipsius S. Bernardi, ex eius tamen dictis studiosè annotatis coagmentatus est, atque adeò sua authoritate non vacat. In eo ergo Libello sic præscribens inducitur S. Bernardus. [Cogita Monachum illum, Girardum nomine, qui cum de Dei misericordia vltra modum desperaret infirmus ad mortem, iacuit per triduum oculis clausis in mentis excessu: & visitatus ab Abbate, oculis apertis ait, Bona est obedientia. Ad tribunal Christi fui, animas Sanctorum vidi, ipsúmque facie ad faciem audiui dicentem mihi; Ecce locus tuus, inter Fratres tuos. Nullus tui Ordinis Peribit, si ordinem amauerit: aut in morte purgabitur, aut breui post mortem. Salui autem qui de Ordine tuo sunt, aut in Ordine Apostolorum, aut Martyrum, aut Confessorum, sortem accipient. Et hæc dicens, Communione accepta discessit.] Quæ glossa, verbis Christi ad hunc Monachum in vitæ margine positum, atque adeò veracem, accommodabitur, erit in rem præsentem opportuna.



QVÆST. VIII.

Circa Summates, Scapulari Mariano indutos de quibus C. 8.

PAVPERTINAM plebem, orbe ferè vniuersó Scapulari Mariano addictissimam, nemo inuidet. De Summatibus tamen est qui reclamet. Nec vnus, quamuis vnus præsertim Launoyus; qui duas Regum gemmas, S. Ludouicum IX Galliæ, & S. Eduardum II. Angliæ Monarchas, Scapulari Mariano indutos dicere; falsitatis insimulat, & ab Historica veritate abhorrere contendit.

S. Ludouicum ex albo Sodalium expungit Launoyus, suo illo solemni ariete adhibito; quod nemo è tot Historicis qui S. Regis acta conscripserunt, tradat eum Scapulare Marianum induisse. Non Gaufridus de Bello loco, S. Regis Confessarius; non Gulielmus Carnotensis, eiusdem Sacellanus; non Ionuillæus, non Clydouæus, non Petrus Mathæus, tres sancti Regis prosecuti: non Bonifacius VIII. qui de eo pleraque adduxit in Diplomate Canonismi: non S. Antoninus, non Papyrius Massonus; non eorum vllus qui attinentia ad S. Ludouicum ex instituto, vel obiter attigerunt. Tantùm ante hoc trinoctium, absque Veterum suffragatione, auditum est, S. Ludouicum gestasse Scapulare Marianum. Est igitur fabula gratis conficta, vt magnum illud nomen, inescandis ad Sodalitium cæteris, subseruiret. Sicut ex sancto Basilio *a* columba vnguentis oblita, septis soluitur: & ad alias pelliciendas in halatione exquisitæ fragrantiæ, adhibetur. Constat quidem multorum veterum assertione, sanctum Ludouicum in Gallias reducem, eò primùm induxisse Carmelitas, secum ex Oriente abductos Quòd autem Scapulare Marianum gestauerit, nemo prodidit antiquorum. Est ergo nouum figmentum, ad conciliandam Sodalitio Claritatem, excogitatum.

a *Epist.* 175. *ad Iulittam.*

Hoc argumentum (vt sæpè dixi) & falsitate foetet, vt mox patebit: & stramineum est, ac indignum Philosopho; cui in Dialecticis rudimentis insonat vulgate effatum; de inanitate argumenti ducti ab authoritate negatiua. Est etiam indignum Theologo, quia nihil profecti potest opportunius, ad conuellendas omnes Traditiones scripto non comprehensas; quàm si dicatur, nihil esse admittendum, nisi quod ab aliquo eiusdem æui Scriptore sit proditum, quod est huic magno Antiquario (id enim maxime affectat audire) primum principium.

Quinam autem sint multi illi Antiqui, à quibus proditum est S. Ludouicum è Palæstina reducem, primum fuisse, qui Carmelitanos illhinc aduexerit in Galliam, non modo me latet, sed etiam scio falsum esse: & benè reiicitur à Spondano, *a* annotante, longà ante regressum S. Ludouici è Palæstina, aliquot Cœnobia fuisse Carmelitanis constituta in Gallia: & nominantim Burdegalense, in quo S. Simon Stoch totius Ordinis Generalis, cum visitationem obiret, vita functus est anno 1250 cum regressus S. Ludouici è Palæstina abductis secum sex Carmelitis Gallis quos in Palæstina reperit, consignetur anno 1254. An S. Ludouicus ante regressum

a *ad annum* 1250.
Iuxta Spondani notam temporis.

regressum suum in Galliam, susceperit in Palæstina Scapulare, sacrum hunc ritum ibi edoctus; an post regressum idem præstiterit non ausim affirmare. Suscepisse tamen atque gestasse Scapulare Marianum, quicquid mordax Zoilus muginetur, non est difficile persuadere.

In primis enim certum est, S. Regem fuisse Carmelitis addictissimum: præsertim ex quo periclitatus in mari, appulit ad littus Carmelo subiectum: & cum Fratribus illic degentibus egit familiariter. Narrat, hoc, illius æui Scriptor Gulielmus de Samuco autor Chronici de Carmelitarum diffusione per Syriæ ac Europæ Prouincias; memorans sex Gallos illius Cœnobij alumnos, à S. Ludouico fuisse expetitos: & cum bona venia Moderatorum, in Galliam abductos. Pijssimum ergo Regem, erga hos Dei Seruos optimè animatum, & per tempus peregrinationis sancta eorum consuetudine captum, magnum erit si credamus, Habitu sancto, de quo ab iisdem Religiosis inaudierit, amiciri voluisse; hominem adeò flexilem ad pietatem, & cuiusuis Religiosæ obseruantiæ sequacem, vt eius Acta demonstrant? Nec est inane, vel adeò obscurum collati S. Ludouico Sacri Scapularis argumentum; quod contulit Carmelitis Parisiensibus trabeam purpuream, quam gestauerat in suâ in Regem inauguratione. Veluti refundens regium paludamentum, pro panno, quoad materiam vili, sed ad pietatis vsum pretioso. Quod verò admodùm vrget, Bonifacius VIII. in Diplomate de eius Canonismo, affirmat, S. Ludouicum è Palæstina reducem; [summæ humilitatis insignia demonstraturum, pompis à se penitus abdicatis; (licet vita, & conuersatio eius priùs fuisset satis honesta); peculiarem vestitum, non pomposam, sed humilem, non Regiam, sed Religiosam, assumpsisse.] Idem fert, quod Gauffridus de Bello loco, & Gulielmus Carnotensis, ipsius domestici; affirmant sanctum Regem gestasse Caputium ad Scapulas protensum, vitæ Religiosæ insigne. Et idem habetur ex Thoma Cantiprano, eiusdem æui Scriptore; quem supra *a* adduxi, memorantem sannas Nuncij à duce Geldriæ Lutetiam missi, qui, in reditu derisit incessitque scommatibus gestationem Caputij Scapulas tegentis, quam in sancto Ludouico notarat. En ergo Autores Sancto Ludouico synchroni, quos Aduersarius extare negabat; attestantes gestationi Scapularis, per sanctum Ludouicum. De Scapulari enim Mariano, quoniam olim nomine *Habitus*, & *religiosi Habitus*, Carmelitani, donatum est, accipio quod hi Scriptores tradunt de Religioso indumento per sanctum Ludouicum assumpto: & in regressu è Palæstinâ palam gestato.

a Cap. 4.

Refragatur tamen huic meæ interpretationi horum Autorum, Lucas Vadinghus Ordinis Minorum; existimans accipiendos potiùs esse, de Habitu tertij Ordinis Sancti Francisci. A plerisque enim proditum est, Sanctum Ludouicum fuisse Sancti Francisci Tertiarium. Hoc non nego; Virum enim vndecunque captantem Religiosæ pietatis exercitium, eam sicut Carmelitani, ita hanc Franciscani Ordinis tesseram, assumere voluisse, facilè persuadeor.

Sed vestem Religiosam de qua citati Autores loquuntur, fuisse vestem Tertiariorum Sancti Francisci, planè inficior. Et probo; quia Habitus Tertiariorum Sancti Francisci, alius non erat quàm Chlamys, & Tunica, vt habetur in Regula, *a* Tertiariis præscripta. At vestis Sancti Ludouici quam Autores adducti describunt, habebat cucullum ad Scapulas protensum. Erat igitur alia a vestitu Tertiariorum Sancti Francisci. Quinimo de ipso Habitu FF Minorum simpliciter dictorum, ambigi potest, an initio habuerit Caputium, seiunctum à tunica. Nam cum FF. Minores principio incederent, amicti more Pastorum, (hoc est habentes Caputium tunicæ assutum) primus S. Bonauentura in Comitiis Generalibus Narbonæ habitis, anno 1260. cucullum adiecit, vt in eius vita annotat Galesinius, *a* habeturque etiam ex Volaterrano *b*

a Cap. 3.

Pars II. Quæst. VIII. De Summat. Sodalit. adscripti.

a Cap 9. Lib. 21. b Anthropol.

Confirmatur, quia in ea S Francisci veste, quam asseruat Magnus Dux Ethruriæ th cà Chrystallinâ obductam, cernitur Caputium quadratum assutum, absque orbiculari parte ad pectus pendente: & absque rotundo capitis obuelamento, quod vnum postea FF. Minoribus præscripsit S. Bonauentura. Si igitur simpliciter dicti Minores, initio caruerunt Caputio, sed incesserunt sicut Pastores, aperto capite, fluente capillitio, Tertiariis autem explicitè præscripta est tam olim vestis, absque cucullo, vnde diuinare licet Caputium à capite ad Scapulas pendens, à S. Ludouico gestatum, fuisse Habitum Tertiariorum S. Francisci?

Fuit ergo Scapulare Marianum, vt disertà produnt laudati antea Historici, & confirmat ratio ex eo ducta, quod nullus alius Ordo præter Carmelitas, habeat Scapulare pro tessera ordinis, Secularibus communicabili. Sed cum FF Minores funem, Dominicani Rosarium, Augustiniani cingulum, impertiant Sodalibus quos asciscunt, sola Religio Carmelitana ascitis à se sodalibus, impertit Scapulare. Nunc quidem absque Caputio, per nonnullam condescensionem, erga eos qui timebant audire Monachi: si prodirent cucullati. Olim tamen cum cucullo siue Caputio, vt disertè habet Ioannes, Autor Libri de Institutione Monachorum, *a* & docent etiam veteres picturæ, hodiéque conseruatæ, vt notat doctus recentior vnus *b* & alter, *c* qui hoc punctum diligenter discussere. Nec huiusmodi Scapulare cucullatum, tunc temporis occultè gestabatur, vt nunc de Scapulari recepto assolet. Sed propalam, & in manifesto præferebatur; non abhorrentibus piis fidelibus, profiteri se apertè, speciales Deiparæ filios. Idque à S. Ludouico factum, supra *a* monui, præeunte Palæonydoro.

a Cap. 39.

b Leo à S. Ioann. in Typo vest. Relig.

c Ioann. Chrom. in Vindic. pag. 179.

a Cap. 8.

Quod autem Aduersarius ait, vel hoc nomine id repudiandum esse, quod scriptum sit à Palæonidoro, Scriptore supra Æsopum Mythologo, conuitium est, non argumentum refellens, quod de hac re dixit Palæonydorus, qui tametsi Canonicus Scriptor non est, atque adeò aliquando humani quippiam pati potuit, non est tamen cur adeò despuatur, homo suo seculo clarus: & variis Scriptionibus à Posseuino *b* recensitis, celebratus.

b In Apparatu.

In Sancto Edoardo II. Anglorum Rege, Sodalibus Marianis eripiendo, licentèr admodùm exultat Aduersarius. Adducto enim Palæonydoro id tradente, & ingentia beneficia à Sancto Eduardo secundo Carmelitis collata, intuitu Scapularis Mariani relatore, reponit, [At S. Eduardus secundus, cum ad annum circiter 1064 obierit, vti non potuit Priuilegio Mariani, qui ducentis annis illo Rege posterior fuit.] Impingit hic Aduersarius, nec vno modo. Inprimis quia Eduardum

Eduardum illum Sanctum, quem ait obiisse sub annum 1064. ait esse Eduardum secundum. At is fuit Eduardus tertius. Deinde quia non aduertit, post hunc Eduardum tertium, fuisse alium, æquè dictum Eduardum II. Et iste quoque fuit Sanctus, in quem cadunt quæ dicit Palæonydorus.

a In Brit. Chorogr. Obseruandum itaque est ex Camdeno, a Edoardum illum Sanctum, qui sub annum 1064. nullis relictis liberis è vita excessit; testamento instituisse successorem Gulielmum nothum, Normanniæ Ducem; cuius posteri, quod sanguinem ex Edoardo III. non traherent, nouam induxerunt Eduardorum seriem, inchoatam ab obtenta per Anglos Normannia, vt attigit Spondanus b; benè

b Anno 1307. mouens, hunc Eduardum secundum de quo agimus, attenta serie Regum Anglorum anteriorum eiusdem nominis, dicendum fuisse Eduardum quintum iuxta nouam autem seriem, dici eduardum secundum. Tres enim numerabantur Reges Angli sortiti nomen Eduardi, ante Normannorum in Anglia dominatum. Primus obiit anno 917. secundus pro Martyre habitus, & miraculis Clarus fato functus est anno 978. Tertius excessit è viuis, anno 1066. & centum ab obitu annis per Alexandrum III. fastis sanctorum est adscriptus. Postquam verò Angliam tenuere Normanni, nouus series Eduardorum est inchoata; in qua primus, obiit anno 1307. Eius filius Eduardus secundus, pro adamantina patientia Martyr habitus, is est quē Palæonydorus in hac Eduardorum serie, rectè nominauit secundum. Vixit autem tempore Ioannis XXII. cuius Diploma ad hunc Eduardum, exhibet Cherubinus, præfixa hac inscriptione; *Charissimo in Christo filio, Eduardo II. Regi Anglorum illustri*, Vnde cum Reges omnia peruideant, non ignorauit quæ in Anglia erant vulgatissima, de viso B. Simoni obiecto: & ea quoque resciuit quæ fama passim disseminabat, de apparitione Deip.. & & promissione per eam facta Ioanni Pontifici. Itaque rectè dicitur, fuisse Carmelitanum Scapul. Marianum, illúdque induisse vt referebat Palæonydorus. Quem si Launoyus deprehendisset in adeò aperta aberratione circa notam temporis, & in pingui anachronismo cuius ipse reus est, vt insultaret prostrato? vt exultaret? vt ostentaret suam antiquitatis peritiam, & in scrutandis vetustis rudetibus, ac perennis accurationem.

Mihi sat est, parcendo hosti prostrato, concludere, rectè constitutū esse Scapul. Marianum, etiam à summatibus fuisse captatum, & piè vsurpatum, iam ab initio. Quanquam non id ego pro summo Scápul. honore vendito, qui sciam quo loco sit apud Deum quæcunque mundana nobilitas: nec attendi in cœlo, quantoperè quis supra alios Mortales emineat fastigio terrenæ dignitatis, sed quanto gradu virtutis præcellat. Vt proinde quem virtus deficiat (quod præclarè docuit siue Eucherius, a siue Eusebius Gallicanus) ignobilis habeatur & rusticanus. Inter Summates verò numeretur apud Deum, & nobilissimus, ac illustrissimus supra Reges, ac Cæsares habeatur, vel si opilio aut agaso fuerit, qui abiectionem generis & natalium vilitatem pietate condecorat: & splendore virtutum pensat, vt benè pronunciauit Nazianzenus, a qui etiam ex S. Basilij persona, b Christianum non dignitate: sed fide viua atque virtute insigniri confirmat.

a Hom. 3. de pasc.

a Orat. 58. n. 14

b Orat. 50. n. 54.



PP. Carmelitanis primariis, per Scapulare, Deipara Fratribus, ac filiis specialibus, GRATVLATIO: *Sodalibus ascitis*, PARÆNESIS.

ILLVSTRATA primùm, tum defensa solidè est, pietas Scapularis Mariani, vt deinceps speranda sit, ab aduersariis securitas. Magnæ item spiritualis iucunditatis argumentum, eo ipso suppeditatum est Sodalibus Scapularis, quibus non poterit non esse acceptissimum, perspicere originē sacri ritus quem frequentant, depulsis offuciis, ac tricis prurriginosorum ingeniorum ad omnis boni nostri fontem secundùm Deum, firmiter; ac solidè reuocatam: & adiunctas tam illustribus natalibus prærogatiuas, non indiligenter expositas. Nunc in hac meta, ad virosque speciales per Scapulare Deip. Filios & Fratres, conuertenda oratio est.

Virosque dico, quia ad Patres Carmelitanos per se primò hæc repromissio facta est: ad ascititios autem Sodales, non nisi participatione diffunditur, per exuberantiam largitatis, quam piissima Mater voluit quam maximè communem esse, vt in plures redundaret vtilitas. Itaque cum vtrisque agendum breuiter superest.

Priores non est meum commonere Officij, cuius omnes partes adeò accuratè, ac religiosè implent; non ij tantùm quorum adhuc propè calent exordia, Deo in manu Fæminæ tantam in Iacob salutem operato; sed ij quoque quorum accuratio superioribus annis nonnullam æui iniuriam subiisse videri poterat. Nam apud hos quoque, vetera transierunt, & facta sunt omnia noua. Refloruit vndecunque Carmelus, ex Turonensi Rhedonis inter armoricos Prouincia iam ante annos sexaginta: speciosa eius, cœlesti Fauonio aspirante, facta sunt secundùm annos pristinos. Benedictus tanti boni autor Deus. Redaccensus est primus ignis, primus feruor rediit. Britania Minor ex aqua crassâ, affulgente sole ignem exciuit. Nec ibi siue calor, siue flamma stitit: sed per vberem Carmeli oliuam, excitatus vbique ignis, consumens simul, ac fouens, & rigans (qualem Achilles Tatius in horto Byzantino memorat) omnia frutera feliciter est populatus.

Incongruè igitur tentarem frigidus calidos calefacere; qui ad summum vt ignem conceptum foueant, & vehementiùs inflamment, essent admonendi, id quod etiam qui friget, præstare potest. Nam etiam frigido flatu, feruens ignis augetur, quo exemplo S. Anselmus a factum suum in euentu consimili excusabat. Sed hoc quoque superuacuæ operæ fuerit, in tam per se flagrantibus studiis, tamque incensis voluntatibus. Itaque gratulatio sola reliqua est, tot honorum, & ornamentorum, ac insignium prærogatiuarum; quibus pre cœlesti tutela peculiari, & desponsis magnæ Matris in vita & in morte fauoribus, honestantur. a L. 1. Epist.

Non suscipio decora tot illustribus calamis celebrata, tametsi nunquam plus iusto celebranda, tenui auena meditari atque detexere Impleuit eorum explicatio, iusta pleraque Volumina, cum domesticorum) nam eos quoque non dedecet suorum laudatio, iuxta Nazianzenum) a tum etiam externorum. a Orat. 4.

Domesti

Domeſticos dico, in hoc genere egregiè verſatos non vna lucubratione, Baptiſtam Hiſpaniolum, cognomento *Mantuanum*: Petrum Lucium, Angelum Sagarrum, Conradum Fremontium, Emanuelem Romam, Geneſium Roſanum, Franciſcum Martinum, Hieronymum Tonſtatum, Marcum Xauerium, & alios; qui bonorum ſuorum conſcij, eructauerunt verbum bonum.

In Externos eminent, Trithemius, ac Clyctoueus: & recentiore memoria Ioanoes de Carthagena, atque Aubertus Miræus. Celebrant hi omnes, præcelſos æquè ac floruleneos Carmelo impoſitos cœleſtis ſuaueolentiæ montes, quos ſuauiſſimo vocabulo, vſum memini Auguſtinum, *a* cum Cœtus Religioſos depingeret: ac Eonodium *b* cum Lerinæ eſſe diceret in plano montes, omni virtutum amœnitate redolentes, in quibus mandarat Dominus benedictionem. Montes Domini, in Carmeli montis vertice conſtitutos: Viros, inquam, in hoc Cœtu, magnos virtute, Religione ſublimes, ſanctitudine præcelſos: verticibus illis antiquæ pietatis & collibus æternis aſceticæ obſeruantiæ, primis tunc Typis, donec aduenerit plenitudo temporis, prædelineatæ, perbellè reſpondentes; tanquam montes de montibus, iuxta Prophetam Ambroſio allegatum.

a Lauſiff.
b In Antonio Lerin.

Non ſuſcipio (vt dixi) hos montes, humili oratione attollendos: nec illuſtrandis Solibus internæ à virtutibus præcellentiæ, admouere tenuem ſcriptionis meæ cicindelam. Sed in radicem tot extriorum decorum digitum obiter intendens, *Gratulor Religioſiſſimis Patribus*, Conciliatas à Sacopulari Domeſtico, tanquam à Marianæ maternitatis teſſera, & pignore ſuppetiarum omnis boni feracium, tot ornamentorum ſcaturigines: & ipſum in primis inde attributum differentius à cæteris nomen, Specialium Deiparæ filiorum, ac fratrum, fontaliter (vt ſic dicam) & primordialiter, cum iure transfuſionis ad alios, verbo veritatis voluntariè genitos. Quod tantum eſſe gratulandi argumentum, cenſuere Eccleſiæ Auctores, Chriſti Vicarij; vt nomen tam ſanctum gratulantibus in occurſu, Priuilegio prorſus ſingulari & aliàs inaudito, ſtipendia, è publico Eccleſiæ theſauro conſtituerint.

Gratulandi cauſam ſanè luculentam in eo nomine deprehendet, qui recoluerit, quanti ſit eſſe tantæ Matris filium ſpecialem. Pro magno habet Cœtus Religioſus, nomen præferre Seruorum B. Mariæ. At quàm nobilius eſt, Filium ſpeciali titulo & Fratrem denominari: eáque ſpirituali commiſſura in Chriſti fratrem, atque adeò cohæredem promoueri? Sicut magnum ſanè eſt, & à Diuo Chriſoſtomo *a* ſummè exornatum, dici ſeruum Dei: & tamen non modò longè dulcius eſt dici Dei Filium, ſed longè etiam nobilius ac dignius.

a Hom. 1. in ad Philip.

Conſequitur verò adeò ſublimem titulum in Matre, & Sorore, arcana quidam obligationis, ad curandum ne Filij ſint Matri, aut Sorori Fratres dedecori: & vt ſuppetat, vnde tantum gradum ſuſtineant. Quæ omnia, & alia argumentum gratulandi planè ſingulare ſuppeditant: & ipſis quibus tam præclara ſors obtigit, vnde ſibi in Domino applaudere merito poſſint.

Hæc mea ad vos, Religioſiſſimi Patres, oratio. Nunc quando ad metam Lucubrationis affectu meo & nutu veſtrò pridem deſtinatæ deuentum eſt, clauſulam oppono verbis S. Ephrem; *a* quæ quia in veſtram & meam perſonam, belliſſimè ca-

a Lib. de diu. gratia in fin.

dunt, mea quoque eſſe volo. [Studium, ac bonam voluntatem agnoſcite, & ignorantiæ parcite. Imperitiam cognoſcite, & ſtudium ne reijcite. Et quia ea paupertate mea, vobis quod potui libenter dedi, vos ea diuinis veſtris, precationis, & paternæ charitatis munera, nobis abundanter rependite. Ego quamuis inops, diuitibus mutuum dedi: non ſortem volo, ſed fœnus repeto, non laudes, ſed preces depoſco, non mercedem, ſed mutuam beneuolentiam exigo. Neſcio an opus meum iuſſu veſtro dignum ſit. Noui autem onus hoc mihi à vobis impoſitum, non quod indigeretis, ſed vt in me potius liberales eſſetis. Qui fontem habent, gutta non indigent. Non egent lacte, qui gregem paſcunt. Qui panem frangunt, micis non habent opus. Qui mel conficiunt, iis non eſt neceſſe, vt mellis ſaporem explorent. Qui Margaritam poſſident, illis vt vilem acquirant obolum, non eſt laborandum. Vos ex agro veſtro quem colitis, fructum nobis aliquem afferte, quoniam Paradiſum obtinuiſtis. Præbete animæ cibum, quos lignum vitæ ſuſtentat. Quemadmodum enim ea quæ videntur, caduca ſunt, ita & noſtra ad vos oratio: Sed vos iſta operibus perficientes, ſempiterna reddite. Hactenus B. Ephrem. oratio, haud incongruè huc cadens.

Operis Clauſula. Gratulatio, & Parœneſis.

Venio ad Sodales Aſcititios, gratulans ipſis quoque ſortem bonam. Et admonens, vt eam pondere Sanctuarij libratam, æſtiment pro rei dignitate, ac vtilitate. Recogitent nobilitatem, cum vberi fructu certantem; vtramque prorſus inſignem, & leniculo pretio annumerato comparandam. Quæ verò poteſt eſſe dignior, ac nobilior Sodalitas, quam quæ ad Deiparam refert inſtitutionem ſuam: & Chriſti nutu, per ſummum eius Vicarium (quoad nos) comprobato coaluit? Aliæ paſſim Sodalitates, tametſi eo ipſo quod pietatem ſpectant, afflatu Spiritus ſancti ſunt conſtitutæ, aliquatenus ipſum Spiritum ſanctum habent autorem: tamen non niſi remotè, gaudent cæleſtis inſtitutionis prærogatiua. Hic omnia proximè & immediatè per cæli, & terræ Reginam, Filio cooperante, & in omnes Matris voluntates concurrente, auſpiciis diuini Spiritus, ſunt conſtituta. Cedo nobilius Sodalitium, quo conſortium eiuſdem cum Chriſto Matris obtingat.

Nec vtilitas nobilitati concedit. Hoc ſacrum Schema, & verè cæleſtis habitus, longè aliud commodum præſtat animæ: quam corpori veſtis materialis, atque corporea. Hic enim tametſi nuditate prohibet, frigus tamen non depellit, vt fert popularis perſuaſio, benè reiecta à Theodoro *a* verbis illis. [Non, vt quidam arbitrantur, tunicæ, indumenta, & veſtes calorem præbent corpori: lapides enim, & lingua calefacerent, quibus ea admota eſſent.

a Orat. de Charit.

Sed nemo vnquam vidit, lignum vel lapidem, veſtibus euaſiſſe calidiorem. Ergo nec corpori præbent ea calorem, ſed ſeruant calorem corporis. Et frigidi quidem aëris arcent incurſionem: Suſcipientes autem vapores qui exeunt ex corpore & iis caleſiunt, & calorem exhibent corpori. Huius autem rei, teſtis eſt experientia. Sæpè enim frigidum lectum ingredientes corporis applicatione ſtragulum quod prius erat frigidum, calidum efficimus. Cibus ergo corpus magis calefacit, quàm veſtis.] Optimè iſta Theo-

doceruc, de veste corporea, operiente exteriorem hominem. At Habitus Marianus hoc plus habet, quod corpus operiendo, calorem immittit; quo anima ipsa incalescit, ac feruet. Conciliat enim Spiritus planè vitales. Cœlestes, inquam, afflatus à Sanctissima Dei Genitrice exoratos; quorum interuentu calor viuificus animam vegetat, & ad omne opus sanctum feruidam facit. Accedunt vberes iam ex hac vita pœnarum pro peccatis pendendarum, laxationes: & optio diligendi semel, & iterum Confessarij, instructi potestate plenissima, ad quosuis ferè culparum nexus absoluendos.

Sed nihil hæc omnia, ad fructum protectionis singularis; quam spopondit, quæ apud Deum omnia potest; data fide curandi lectissima salutis æternæ subsidia, quibus vita (si mente laua non sit,) felici exitu concludatur. Quo certè, nullum potest esse humanorum votorum expetibilius; cum omnia hominis studia ad id vnum collimare debeant, vt detur ad finem illum pertingere; quod isthic per Dei Matris fauorem assequi licet, & securè, & leui opera.

Quid enim verò exigit Deipara, in tot fauorum, & bonorum vicem? Expressit ipsa mentem suam Ioanni XXII. poscens, vt qui charum sibi Sodalitium inierint, Scapulare Ordinis Carmelitani deferant, quo huius se Cœtus membra profitentur: castitatem, pro gradu suo, colant; qui nec dum illigati sunt coniugio, illibatam, & puram: qui fœdera coniugij inierint, seruent eam, intra thorum sanctum, & connubium immaculatum: quibus ea vincula per comparis mortem dirupta fuerint, illæses maneant (vt eum statum decet) quandiu nouum iugum non subierint. Hæc, omnes, ab ipso susceptæ sacræ vestis principio tenenda, inuiolabiliter promittere, & exequi debent. Iam seorsim, omnes literis informati, Diuini Officij pensum vel ex Beati Alberti præscripto, vel suetum in Ecclesia quodius aliud, vel (ex Pauli V. interpretamento,) Paruum, quod vocant Virginis Mariæ Officium, persoluere tenentur. Qui rudes sunt literarum, indicta per Ecclesiam ieiunia, seclusis iustis causis excusantibus, explere iubentur; addita apocreosi feria quarta, & Sabbatho, nisi si in eos dies incidat Christi Natale.

En totum, pro tot bonis quanta attigimus, Sodalitij sacri iugum. Imo, si aliqui illis sustinendis adhuc sint impares, commutationem in alia pietatis opera à Confessariis licet extorquere. Nec Deipara erga clientes suos, prodiga potius quàm munifica, & vulgarem in modum liberalis, videri voluit: tanta in eos commoda, adeò villi profundens, verius quàm erogans. Ac ne mollisculum proposita absterreat, scriptores non ignobiles, *c* negant, abstinentiam à iusculo, & carnibus, eo nomine comprehendi. Item ne verbulum vouum quod ex Clementis VII. Diplomate adhibui, de promittenda, castitatis obseruatione intra suum cuiusque gradum, meticulosum quempiam permoueat: quasi Sodales ad castitatis obseruantiam voto illigentur, non intemperantes modò sed etiam sacrilegi futuri, si se contaminent, delinquentes ea in parte; quod magno oneri à timidis ducitur; molliri potest ea durities; (si tamen durities, & non decus supernaturale Religionis, honestati temperantiæ superadditum;) si recolatur, plerumque, *promissionis* nomen in huiusmodi negotiis, non nisi firmum propositum, à voto longè diuersum, sonare sicut sæpè pœnitentes, inter confitendum feruore spiritus correpti, tundentibus animum adhibitis quæ minis de Cœlo, quà verbis fortibus Confessarij, promittunt se deinceps abstituros flagitio. Non quod voueant vitæ integritatem, & sceleris illius puritatem; Sed quod contestentur, quàm cupiant frugi euadere; nec quod vomitu eiecerint, resorbere. Explicatè id tradiderunt graues recentiores *a* quoad promissionem illam quam Sodalibus præscripsit Clemens VII. & annuunt qui disertè exprimunt, nullam Scapularis Mariani obseruantiam, obligare ad peccatum; nec esse cur eius violatio in Confessione exprimatur; quod nemo diceret de voti infractione; quæ cùm sacrilegio sordeat, specialiter aperienda est in illo foro.

Sodalis ergo, si nitorem debitæ castimoniæ inquinet (quod Deus auertat) astringitur quidem obligatione explicandi noxam intemperantiæ, sicut cæteri fideles similiter peccantes: sacrilegium tamen aperire non tenetur, quia nullum admisit; nullo ad id voto, sed tantùm nudo proposito astrictus. Itaque soluitur præsens durities, & iugum Sodalibus Mariani, mandante Deipara impositum, suaue esse, ac onus leue, liquidò patet. Suaue iugum aio & leue; idque per se liquebit si (vt ex præclaro S. Hilarij monito, mendacium proficiat veritati) subeat animum, præscripta in hoc Deiparæ Sodalitio comparare cum lotionibus, abstinentiis, ieiuniis, lacinationibus, aliisque sanè durissimis; quibus Galli Cybelæ Sacerdotes cultum Matris Deorum, quæ & eadem Ops, Tellus, & Virgo credita prosequebantur.

Deprecanda tamen potiùs est venia, est præ oculis auribusque poscenda, quod *matrem Deorum* quæ alio nomine *Tellus*, siue *Terra* dicebatur (& merito iudice B. Aug. quia omnes illi Dij è terra sati, & in ea nati, in ea versati, in eam denique reuersi erant) spurcissimum planè nec nisi confictum numen, vt idem S. Augustinus, nec non Clemens Alexandrin. & Arnobius plenè sunt exsecuti, cum veri Dei matre Sanctissima, incontaminatissima, vel aliqua ex parte componere cogitatio subierit. Sed obiter duntaxat, nec nisi summo digito rem attingam, vt concludere liceat; *Si tanti vitreum, quanti verum margaritum!* Erant matri illi Deum sui clientes, & mancipij in vnum cœtum Sodales, queis nomen *Gallis*, non ab nostrate Gallia, sed à Phrygiæ fluuio, ad quem Spurij numinis superstitio maximè vigebat, leges viuendi in eo Sodalitio quales esse horreo dicere, sed quando resilire non licet, audendum est. Cultris corpus concidebant, oestro marciaco perciti: & vt plenam immunitatem ab vsu corporis naturæ consentaneo sortirentur partem qua viri erant, ferro abs se, vel samia resecabant ad propudia inquinationum, quæ vel cogitare nedum referre pollutio est ieiunia obibant adeò dura, vt per tempus sui (vt vocabant) Casti ne panem quidem in cibum admitterent. Conferantur istæ imbonitates in gratiam turpissimi numinis ad deuocandam in se auctiorem in Tartaro pœnarum immanitatem vltrò susceptam cum iugo quod pietas Mariana imposuit piis sodalibus ad cultũ matris Sanctissimæ & super ipsos

c Cypr. à S. Maria in Thesa. c. 23. pag. 276.

a Irene. à S. Iacob. sect. 4. c. 7. §. 5. Cypr. à S. Mar. in Thesaur.

ipſos cæleſtes ſpiritus puræ, ac intemeratæ propoſito piæ vitæ congiatio, & beatæ æternitatis commeatu. Caſtitas cum caſtitate, ieiunium cum ieiunio, ſcita cum ſcitis componantur, & liquidum erit, quàm verè pronunciauerim de longè leuiſſima Sodalium Marianorum grauatione, ſi grauationem liceat dicere, quæ cum tanta ſubleuatione coniungitur, tantàque perfunditur ſuauitate, quantam inferunt benedictiones dulcedinis aſſiduè affuſæ, & oſtentata inde felicitas.

Neceſſitas igitur magna incicitur hiſce ſodalibus, non modo adeo leue iugum non detrectandi, & refugiendi tanquam onerosum, ac durum, ſed etiam gratulandi ſibi illius ſuſceptionem, & præſtandi ſe quod dicuntur, hoc eſt, *Deipara Speciales Filios*, ac fratres ne vacuum nomen præferant, quæ eſt digna lacrymis exertatio, omnibus in Dei Eccleſia Ordinibus, ſtatibus item omnibus, ſiue laicis, ſiue ſacris perniciosa, & exitialis.

Inter Chriſtianos ſanè plerique dum vana appellatione Chriſtianorum, ſepoſita profeſſionis obſeruatione contenti ſunt; nihil minus ſunt, quam

a L.1. epiſt.5.
b In Enchir.
c L. ad Herm.

Chriſtiani. Verè Chriſtiani ſimiatici (vt vocem à Plinio Iuniore, *a* & epicteto, *b* in affini cauſa adhibitam huc transferam) à Gregorio Nyſſeno *c* ſub ea ſimiatica forma ſcitè expreſſi, quibus Deus eſt tantum Deus in publico, ſed non in occulto, iuxta præclaram S. Gregorij *d* obſeruationé Chriſtiani in quos illud Baſilij Seleucienſis *e* meritò intorqueas; [Cur appellationi cuius virtute cares, contumeliam irrogas? Quid geſtas cognomen, quod perſonæ probro ſit? Factis appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis?] Conclamat quoque in huiuſcemodi nimiùm vigentem abuſionem, Auguſtinus. *a* Nec nunc duntaxat, damnoſiſſima eſt ea vacui nominis oſtentatio, ſed ipſa eſt, quæ olim quoque vaſtitatem intulit Synagogæ. Sæpè ſanè Apoſtolus in Iudæos inuehitur, quod contenti glorioſum nomen præferre, ſeque Dei peculium, & ſelectum Populum dicere, de comprobanda factis notione nominis non curarent. Inde eſt, quod Circumciſionem, quæ erat externa populi Dei peculiaris characteriſtica, prout ſoli carni impreſſam, nec penetrantem ad abſconditum cordis hominem, dedignatus *circumciſionem* dicere, appellat *Concisionem*. Rurſus verò vocat *b Confuſionem* eorum qui terrena ſapiunt, habentes in carne fiduciam, & in ea confuſione gloriantur. Quam vulgatus dixit *gloriam in confuſione*, credidit Ambroſius vocat *gloriam in pudendis*. Diſertè autem alibi, *c* conteſtatur Apoſtolus, huiuſmodi circumciſionem, præputium factam eſſe. *Non enim qui in manifeſto, Iudæus eſt: neque quæ manifeſtò in carne, eſt Circumciſio. Sed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non litera. Cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Expoſtulauerat cum Iudæis acriter Hieremias, *a* hac ea cauſa: quod contenti externa ſpecie, ac nomine, & Templi Dei apud ſe collocatione, cultum inanem & medullæ vacuum exhiberent. Indéque factum eſſe, vt auferretur è Iudæis lux ſua, S. Gregorius *b* obſeruauit, eo accommodans illud Iobi; *c Reſtituetur vt lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum: auferetur ab impiis lux ſua.* Qui enim euecti erant in Dei ſignaculum, reſoluti ſunt in lutum ſuum, ſtantes exteriùs in maſtruca craſsâ, ſub qua nihil erat vitæ lucis nomine deſignatæ.

d Lib. 19. Mor. c.9.
e Orat. 19.
a L. de vita Chriſt. c.2. & 3.
b Phil.3.
c Rom.2.
a Cap.7.
b 19. mor. c.3.
c Cap.38.

Ad extremum, non Chriſtiana duntaxat aut

Iudaica profeſſio, per eam in nuda appellatione gloriam euaneſcit: ſed omnes ſtatus pereunt, & omnia munera velut ſal infatuatum ad nihilum valent vltra; & nubes ſine aqua, nubem ſiti ſtia ementiuntur. Non minùs enim euanidum eſt, abſque ſubiecta notione, quantumuis illuſtre nomen. At vt benè dixit Gregorius Nyſſenus *a* [non ea appellatione res fiunt; ſed earum ſubiecta natura, (quæcunque tandem illa ſit) apti nominis ſignificatione declaratur.]

Operis Clauſula Gratulatio, & Paræneſis.

a L. de Chriſt. forma.

Haud abs re igitur, Sodalibus Marianis auctor ſum vt ſollicitiſſimè caueant, ne vacuo contenti nomine, & hærentes in externa ſpecie, ad ſubiectam vocabulo notionem, parum attendant: & grandia nomine, ac ſpecie pollicentes, rebus nulla reſtruentes fallatij criminis, iudice Saluiano, *b* iure damnentur.

Qui ſic Sodales audiunt, craſſo ſolecismo dehoneſtant orationem ſuam: & iuxta Petrum Damiani *c* neſcientes proferre *Scibollet*, vacuam ſpicam & medulla inanem prætendentes, morte mulctantur. Quod exquiſitè præcauens Eccleſ. amicituriana & lino; id eſt exteriori titulo, ac ſpecie profeſſionis, & virtute ſubiecta, iuxta B. Auguſtini *d* interpretationem. Ne ſint ergo Sodales Mariani, exanimes, (vt ita dicam) Sodales. Ne glorientur nuda appellatione ſpecialium Filiorum & Fratrum Deiparæ: ne ſint Sodales de ſolo titulo, ſed ſtudeant eſſe quod dicuntur, Loquantur cum perſona & nomine profeſſionis ſuæ, iuxta ſapiens B. Cypriani *a* monitum; quod video etiam adamaſſe B. Hieronymus *b* cùm Heliodorum Monachum admoneret, vt cum nomine *Monachi* loquens, conſideraret quid nuclei, eius nominis cortex abderet. Benè & optimè habitura omnia, ſi nominis externa ſpecies intima notione grauidetur, apud Epictetum *c* aliquoties lego. Quidni enim hominem à S. Chryſoſtomo, adhibitum virtutis incentorem, adhibeam ipſe quoque? Et è contrario nominis è moribus & vita diſſenſio, excidium eſt totius honeſtatis. Quo nomine alterum Ethnicæ ſapientiæ ſimulachrum, Muſonius (non minùs quàm à Tertulliano *e* Seneca, iure dicendus *Sæpè noſter*) ſtomachabatur in illa, vt Hieronymus *f* vocauit, *gloria animalia*. Philoſophos dico, qui contenti Philoſophorum nomine, ac pallio nomen illud vita, & factis dehoneſtabant. Cum enim inter eos vnus, referente Gellio, *a* palliatus & crinitus, barbaque propè ad pubem vſque porrecta, apud Herodem Atticum, Philoſophi nomen oſtentaret, cæteroqui nebulo, & erraticius, ad nullius rei: pecuniam quidem quam poſcebat, accepit, iubente Muſonio: ſed non abſque inſperſione ſalis, ac piperis, & affuſione aceti, per hæc verba: [Hoc potiùs dolori mihi & ægritudini eſt, quod iſtiuſmodi animalia ſpurca, atque probra, nomen vſurpent ſanctiſſimum, & *Philoſophi* appellentur. Maiores autem mei Athenienſes, nomina Iuuenum fortiſſimorum, Hermodij & Ariſtogytonis, qui libertatis recuperandæ gratia, Hippiam tyrannum interficere adorſi erant, ne vnquam ſeruis indere liceret, decreto publico ſanxerunt; quoniam nefas ducerent, nomina libertati patriæ deuota, ſeruili contagio pollui. Cur ergo non patimur, nomen *Philoſophi* illuſtriſſimum, in hominibus deterrimis exordeſcere.

b L. 4. ad Eccleſ.
c Serm. de S. Anthimo.
d Serm. 215. de temp.
a L. de ſpect.
b Epiſt.1.
c L.2. Arr. c. 10. & 14.
d Hom. 63. in Acta.
e L. de anima c.20
f Epiſt.34.
a Gell. l.9. c.2.

Iuſtior per omnem modum ſit concitatio, expoſtulantis de eo qui ſe *ſpecialem Filium & Fra-*

trem Deiparæ dicat, cum tantopere descifcat ab ea appellatione. Quid enim? Matrem totius sanctimoniæ, audes Matrem dicere, inquinatus ipse & spurcus, ac illuuie indecorâ dehonestatus? Matrem lucis ac vitæ, audio à Patribus appellari Mariam. Quomodò filius tenebrarum, & hoc titulo mortis filius, sustineat sanctum ac splendens *Filij Mariæ* nomen, contaminare?

Arguebat in persona iuuenis exlegis ad squalorem & miseriam deducti, peccatorem à Deo auersum, S. Augustinus; exprobrans quod secus se haberet quàm Filium Dei deceret, assumpta aduersus eum parabola; Filius Senatoris es, quid tibi cum hoc pedore ac sordibus? Dixeris meritò in re nostra, ad Sodalem malè respondentem magno nomini, Filius Mariæ es, Frater Deiparæ es, cur adeò sanctum nomen dehonestas? Cur vas contumeliæ, refertum omni immunditia; iactare sustines adeò arctam cum Matre purissima & nitentissima necessitudinem?

Deus meliora. Filij matrizant potiùs, quia mores sequuntur vterum; quod argumento est, liberos non in corpore tantùm matrizare, vt malè restrinxit Ioannes Faber: *a* sed etiam in animo, cuius mores solent corporis dispositioni respondere, vt integra lucubratione monstrauit Galenus. Vnde quia à Matre est maior pars materiæ è qua corpus compingitur, rectè dictum est, Filios matrizare; hoc est Matrem referre moribus. Nec abnuunt, qui indistinctè ac coniunctim de vtroque parente loquentes dicunt, Liberos moribus parentes exprimere. In quam rem plenissimè disserunt Tiraquellus, *b* Chassanæus, *c* & Sanches. *d* Itaque referenda est moribus ac virtutibus, quam Matrem specialem dicere gaudes. Hoc quid est ac quantum? Gregorius Nyssenus præcellenti disputatione, confirmat appellationem *Christiani* à Christo deriuatam, nec aliud reuera sonantem, quàm Christi Filium ex lauacri vtero, inijcere Christiano necessitatem repræsentandi in seipso omnes Christi titulos; eósque proportione, & quantum puro homini fas est, suos faciendi. Hoc Nyssenus exponit longa enumeratione titulorum Christi, Christiano accommodata.

a *Instit. de nup.*

b *L. 7. Con. à n. 28.*

c *In Catal. glor. mun. p. 11. consid. 25.*

d *2. In dec. c. 27. n. 7.*

Idem conuenientissimè dixerim, de nomine *Filij & Fratris Mariæ specialis*. Fuit illa Christi Dei Mater. Et tu enitere, vt multos Christos (retineo Nazianzeni *a* vocem) prolem sanctam atque diuinam, verbo & exemplo profundas. Fuit illa nitentissima, & sanctissima. Et tu hunc nitorem, & corporis simul ac animæ puritatem exquisitam, veluti sanctum palelium repræsenta. Esto compendiosa demonstratio morum maternorum; quam esse Germanam Filij notionem, ex Nazianzeno *b* habetur. Nec dubitauit Nicetas, Filium *Parentis rationem*, ac *definitionem* appellare. Sic iure Filius audies Mariæ, & quidem specialis; si omnes in te Mariæ virtutes, specialiter elucescant. Si Christo, naturali ac proprio Mariæ Filio, quàm maximè conformis fieri satagas. Nam vt nemo vnquam ad Christum proximiùs accessit, quàm B. Virgo: sic quisquis se Christo propiorem sistet, imitatione ac expressione virtutum, Matri communi fiet consimilis: pro nexu quem inter se habent, quæ cum tertio deuinciuntur.

a *Orat.*

b *Carm. ad Nicobul. & Orat. 42. vbi Nicetas.*

Ad hunc modum per *Sichem*, & *vallem illustrem*, pertingitur ad *Bethel* cum Abrahamo. Quod scitè cum Giselberto, *a* accommodare ad hoc negotium possumus. Nam *sichem* humerum sonat, à quo tegendo, *Scapulare* dictum est. Quæ autem *vallis illustrior*, quàm omnimoda sanctitas & conclusæ hac appellatione virtutes? Inde ad *domum Dei* (id enim sonat *Bethel*,) ad locum Tabernaculi admirabilis, peruenitur expeditè ac securè, eius se Fratrem & Filium in veritate profitendo, quæ ancillam se vocauit cùm Mater esset; & cum Psalte dicendo.

O Domine quia ego seruus tuus, ego
seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

a *Cap. 7. alterc. pag. 37.*

Psal. 115.

LITERÆ

LITERÆ R. P. GENERALIS MONTIS CARMELI AD P. THEOPHILVM RAYNAVDVM.


EVERENDE Adm. Pater,

In frequenti Ordinis nostri Conuentu decretum est, vt in aliqualem grati animi significationem pro illustrato, ac vindicato Scapulari nostro, nomine Comitiorum Generalium gratias ego haberem quam possem maximas vestræ Paternitati, literasque Filiationis, vt vocamus, ex solemni formula offerrem, facerémque certiorem fore, vt post obitum, (quem ad multos annos pro communi Ecclesiæ bono dilatum precamur) Sacrum ab omnibus nostris Sacerdotibus pro V. P. fiat.

Exigua fateor sunt ista, si collatum in nos à tanto viro, & in argumento tanti momenti beneficium spectatur; verum æqui, bonique consulenda ab affectu illo religioso, qui vestram Paternitatem Carmelitanæ familiæ gratis conciliauit. Accipe igitur, Vir eruditissime, leuidense hoc gratitudinis pignus ab iis, quos amasti, quosque ad redamandum luculento hoc beneuolentiæ in nos tuæ monumento suauiter coegisti.

Doctrinam tuam suspicit Orbis vniuersus, & eam hoc in opere sibi patrocinantem Carmelitana posteritas æternum prædicabit: satis vero in præsentia fecisse videbor præscripto confessus nostri Generalis, si ex paucis hisce verbis intelligat V. P. ita cognitam nobis esse magnitudinem insignis huiusce beneficij, vt inter Scapulare à Virgine concessum, & à Theophilo defensum vix quidquam discriminis statuamus. Vale, & Ecclesiam Catholicam, Societatem tuam, vniuersósque Ordinis Religiosos amare, ac tueri perge. Romæ die 6. Iulij 1654.

V. P. A. R.

Deuotissimus in Christo seruus.
F. Marius Venturinus General. Carmelit.

FR. MARIVS VENETIVS Humilis Prior Generalis totius Ordinis B.V. Mariæ de Monte Carmelo dilecto nobis in Christo Reuerendo admodum Patri Theophilo Raynaudo Societatis IESV Theologo.

SALVTEM IN DOMINO.



VT Sanctorum Communio Dos est Ecclesiæ militantis in terra, iuxta ac Triumphantis in Cœlo; ita communicatio bonorum Omnium spiritualium Æmulari debet apud nos Sacrum illud, quod in Cœlis viget commercium, vbi perfecta Charitas, qui Deus ipse est, felicitatem inter Sanctos maximè communem, & communionem maximè felicem efformat. Hinc apud Ordines Religiosos, vt-potè beatæ illius æternitatis rudimenta quædam, & imagines eximiè viget felix hæc communio, quæ amabili fraternæ Charitatis profusione in eos præcipue exundat qui sacris istis Cœtibus peculiari aliquo nexu deuinciuntur. Quos inter cum vestram Paternitatem merito reponant plures suæ erga nostrum Ordinem beneuolentiæ significationes, & in primis insigne illud opus de Scapulari nostro illustrato, ac defenso: Propterea vt vestris erga nos meritis pro nostra tenuitate vicem in Domino rependamus, pro ea, qua fungimur, licet indigni, authoritate & de peculiari præscripto Conuentus nostri Generalis participem facimus vestram Paternitatem omnium Missarum Orationum ieiuniorum, studiorum, Vigiliarum, & reliquorum denique bonorum Operum, quæ in vniuerso Orbe, cooperante Misericordia Iesu Christi per Fratres ac Sorores sacri nostri Ordinis diu noctúque peraguntur in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti Amen. Deum. O. M. ex toto Cordis affectu obsecrantes, vt quem fraterna Charitas, & bonorum operum communio Nobiscum iunxit in terris eundem Æternæ felicitatis indissolubile vinculum Nobiscum iungat in Cœlis, in cuius in rei fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ Transpontanæ die 6. Iulij 1654.

Fr. Marius Venturinus Generalis Carmelitarum.

Fr. Gabriel à Sancto Iosepho Prouincialis Daciæ, & Secretarius

LITE

LITERÆ R. P. GENERALIS CARMELITANORVM DISCALCEATORVM AD R. P. THEOPHILVM RAYNAVDVM.

EVERENDE Adm. in Christo Pater obs.

P. X.

Quantum Religio nostra Reuerendæ Paternitati vestræ debeat, intellexi à Reuerendo Patre Ioaone Maria aliisque Patribus Prouinciarum Galliæ, qui nuper comitiis nostris Generalibus interfuerunt. Et licet testibus tam idoneis id mihi probatum non foret; poterat tamen constare à publico testimonio, quod Reu. vestra Paternitas mundo exhibuit; ex quo satis liquet quantum Carmelitæ in tuo ære versentur. Non ego illud dissoluo, sed contractum agnosco; & quod solent debitores bonæ fidei, sed grauati supra vires, omnem substantiam nostram communico cum creditore. Tuæ erit humanitatis tantillum hoc in partem solutionis admittere, & pro altera habere nos obnoxios; & me præsertim qui sum.

R. P. V.

Romæ 26. Iunij 1656.

Reuerendo P. Theophilo Raynaudo Societatis Iesu Lugduni.

Humilis in Christo Seruus

Isidorus à S. Dom.

BENEDI

BENEDICTVS DEVS, & Pater omnium, qui Saluti prouidens Hominum mundo dedit Mariam Virginem in dulcissimam matrem.

FR. Ioachimus à Iesv Maria Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Præpositus Generalis, ac Prior S. Montis Carmeli. R. adm. Patri Theophilo Raynaudo Soc. Iesv doctissimo Theologo, sacri nostri Scapularis ab impugnatoribus defensori acerrimo, gratitudinis ergo in Domino salutem. Cum salutis nostræ auctor Iesvs Christus præsentes discipulos, & nos absentes imitatores suos erudiens, singulari fraternæ Charitatis præcepto præsertim obstrinxerit, vt scilicet Diligeremus alios, quemadmodum ipse dilexit nos, & tanto magisterio, & instituto nostro valdè consentaneum est, vt saluti proximorum, operam similem ei, quam Redemptor noster nauauit, impendamus. Cùm verò ipse sic nos dilexerit, vt labores, dolores, operáque sua omnia in salutem nostram cum infinito merito, ac satisfactione direxerit: nullum eius imitandi modum similiorem inuenire posse videmur, quàm si è piis laboribus, & operibus nostris quæ ex ipsius munere præstamus, & spiritualibus bonis, quibus ex ipsius thesauro fruimur, partem aliquam proximis tribuamus. Quapropter nos qui (licet immeriti) prædictæ Congregationi præsumus, & bona eius augere, ac in alios, iustis de causis deriuare debemus, confisi meritis, & precibus Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei, & nostræ, cui specialiter famulamur, ac eius Sponsi sanctissimi Ioseph, necnon SS. Prophetarum Eliæ, & Elisæi Patrum nostrum, SS. Angeli, & Anastasij Martyrum, Alberti, & Cyrilli Confessorum, ac S. Teresiæ Virginis matris nostræ, & aliorum Sanctorum atque Sanctarum Ordinis nostri, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, vos peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem omnium priuilegiorum, indulgentiarum, precum, ieiuniorum, disciplinarum, peregrinationum, piorum operum, aliorúmque quorumuis bonorum spiritualium totius nostræ Congregationis admittimus. Precamúrque diuinam bonitatem, vt vos per hoc nostrum ministerium prædictorum bonorum cum prouentu multo consortes efficiat. Datum Lugduni die 28. Iulij 1654. Fr. Ioachimus à Iesv Maria Præp.

Fr. Faustus à S. Basil. Secret.

DISSERTA

DISSERTATIO
THEOPHILI RAYNAVDI
Societatis Iesu Theologi.
DE RETINENDO TITVLO
IMMACVLATÆ
CONCEPTIONIS
DEIPARÆ VIRGINIS.



LEOPOLDO IGNATIO ROMANORVM IMPERATORI SEMPER AVGVSTO

PIO, FELICI, PATRI PATRIÆ.

LEOPOLDE AVGVSTE amant te, quod mereris, tui, & quod debent, obseruant. Nimirùm & tu paternæ in Augustissimam Mariam pietatis hæres illam, & quod meretur diligis, & quod debes, colis. Quippè non alios erga te vis esse tuos, quàm aduersus illam es ipse: & is aduersus tuos es, quam illam erga te experiris Clemens, Pius. Ergo meritò vis tuos non ferre quidquid nominis tui maiestati labem afferret, qui tibi putas non ferendum, quod Marianæ integritati notam inureret. Testes mihi sunt illius tuæ religionis, & pietatis, & quod erexisti *Immaculatæ* eius *Conceptioni*, trophæum, & quod tuæ tuo nutu decreuerunt academiæ, de illius ab originali contagione propugnanda immunitate, sacramentum. Ergò *Imperator Auguste, Pie, Mariane*, ita sis semper *Felix* tuo me præsidio, & tutela dignare. *Augustissima Maria* à turpissimo dedecore, & infamia eximenda est. Pugna est non, cum hostibus, sed iis, qui *Matrem* vocant, qui eius in se numero plurima, æstimatione maxima, supra naturæ cursum stupenda agnoscunt beneficia. Agnoscunt autem? Certè vbique personant. Poterat post tot aduersa illorum prælia debellatum pro Virgine videri, nisi tot Pontificum, & Conciliorum sententiis infracti, noua rursus mouerent bella. Nunc sanè ab ipsa clade vires sumunt, cum nescio quo astu quæ à nobis est, Ecclesiæ in nos autoritate pugnant, & quod pridem in ea obtinuit, non licere nunc per eam Virginis *Conceptionem immaculatam* dici non minus audacter decernunt, quàm pro ea, qua sunt authoritate, violentè nituntur extorquere. ô tempora! ô mores! Ab ea noxa dum Mariam vindico? Tu tuum LEOPOLDE AVGVSTE id est *Marianum* puta, & non metuentem inuidiæ Majestatis tuæ vmbra protege, & tuere.

Sacratiss. & Clementissimæ Maj. tuæ

Infimus Cultor
THEOPHILVS RAYNAVDVS.

SVMMA
IGITVR DISPVTATIO-
nis hæc esto.

DVLICI Sixti IV. Decreto, inserto in corpore Iuris, & per Concilium Tridentinum plurimósque Pontifices posteriores confirmato, licet dicere, & typis mandare hanc propositionem:

Beata Virgo in primo momento sua animationis, habuit gratiam sanctificantem.

Vel

B. Virgo praeseruante Deo, non incurrit peccatum originis.

Permittunt aduersarij, vt hæ propositiones asserantur, ac typis mandentur.

Quæritur;

Cur vetent mandari typis, & liberè euulgari hanc propositionem:

B. Virginis Conceptio fuit Immaculata.

Perinde enim id esse videtur, annuere, vt quis dicat, *Petrus est homo*, vetare autem quominus dicat, *Petrus est animal rationale.*

INDEX
PARAGRAPHORVM



DISSERTATIO DE RETINENDO TITVLO IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS DEIPARÆ VIRGINIS.

CONSILII RATIO.

NON est animus, crambem recoctam cum nausea & fastidio lectorum apponere *Immaculatæ* magnæ Matris *Conceptio*, quoad confirmationem præcellentissimi nitoris & omnium sordium ab ea depulsionem tantis (propè dixerim) scriptionum molibus ab eximiis Theologis illustrata est, vt confectum negotium, & exhausta materia videri possit. Itaque non est animus supervacaneam illius veritatis disquisitionem repetere, cum lectorum ad vix necessarias repetitiones offensione atque fastidio, præsertim cum si quid suppetebat ad illius veritatis roborationem & illustrationem, collata ipse quoque symbola mea, in alia scriptione, erogatis in hoc diuinæ beneficentiæ gazophilacium paucis minutis, videri possim officio erga parentem optimam vtcunque perfunctus.

Immaculatæ igitur Conceptionis confirmationem, ac defensionem, quoad eius veluti fundum; hîc non recipio: Tantùm obiter, nonnulla verborum probrosorum illuuies, qua illius veritatis nitor his ipsis diebus respersus est, defricanda, & abstergenda ex necessitate erit. Quare propositum duntaxat hoc loco est, monstrare retinendum esse titulum *Conceptionis Immaculatæ*; quem aliqui Ordinis Prædicatorum Theologi expunctum volunt: & à tempore Gregorij XV. eliminatum esse, ac proinde negandum esse eius vulgationem contendunt. Qua in parte, mutata rerum, vice, oppugnatores Immaculatæ Concepionis, actorum partes obeunt. Nobis præter insolitum in hoc negotio morem incumbit defensio. Quare noua culpa nostra, quos de tam antiqua possessione deiicere tentant aduersarij; vel quo nouo (si fas est dicere) Virginis Deiparæ demerito cuius tam insignis titulus adeò setò crimini datur procliuius sit discere, quàm dicere.

§. I.

Incongruitas reformationis Dictionary, & resictiones vocabulorum.

REGVLA *fidei, vna omnino est, sola, immobilis, & irreformabilis*, vt optimè statuit Tertullianus. *a* Insaniunt enim Nouatores, fidem antiquam reformare profitentes, & idcirco nominantes se *reformatos fideles*; cum reuera non nisi *deformationem religionis* habeant prout S. Cyprian. *b* legit illud Apostoli *c habentes speciam pietatis*, Meritò ea in parte explosi à SS. Irenæo *d* atque Hilario. *e* Reliqua omnia in Ecclesia, sicut æui iniuriis patent, ita reformationi sunt obnoxia. *Lege fidei manente* (inquit ibidem Tertull.) *Cætera iam disciplina & conuersationis, admittunt nouitatem correctionis*. Sic, vt præclarè docet triplici libro de Reformatione Religiosorum Ioannes Nider, & Guido iuuenalis triplici item libro de reformatione Monastica, ac Aluarus Pelagius *f* Religiones collapsæ reformantur quidquid pica coruus in gementem Columbam cruciret. Sic Calend. quia irrepserant quæ emendationem postularent, reformatum est à Gregorio XIII. Breuiarium denique & Missale, librique Rituales *g* reformationem subiisse dicuntur

a l. de Veland. Virg. c. 1.
b l. de Vnit. Eccles.
c 2. Tim. 3.
d l. 3. c. 1.
e l. ad Const. August.
f l. 2. de planctu Eccl. art. 51. & seqq.

sub Pio, Clemente, Paulo, atque Vrbano Pontificibus, ob emaculationem & detersionem erratorum, quæ vitio aut oscitantia operarum Typographicarum irrepserant.

2 His ipsis diebus, prodiere qui dicerent, *Dictionarium* quoque *Latinæ Linguæ* esse reformatum à Gregorio XV. ita vt mutata anteriore vocabulorum quorundam notione, aliud nunc sonent, quàm priùs significarent. Argumentum petunt, ex eo quod, vsque ad Gregorium XV. vox *Conceptionis* designabat fœtus animationem, cum indifferentia fœtus tunc primùm concepti, ad statum peccati, aut gratiæ. Sic enim passim *Christus de Spiritu sancto conceptus*, & à primo momento plenus gratia, dicebatur. Contra quàm Dauid, g se *in iniquitatibus & in peccatis* à matre conceptum
g Psal. 50.
agnoscit: Id est, cum primùm anima corpori eius infusa est, profitetur se contraxisse labem parentalem, quæ omnium iniquitatum sementis est; & idcirco plurali *iniquitatem ac peccatorum* nomine denotatur; vt notauit S. Leo h. Nec enim dubium est,
h epist. 86.
quin Dauid è legitimo matrimonio conceptus, de peccato originis ageret, vt monuit S. Hilarius i,
i in Psal. 118. circa finem.
ac S. Thomas k. Rara igitur apud omnes olim erat
k 4. contra Gent. cap. 50.
ea notio vocis *Conceptio*, pro prima fœtus animatione, cui gratiam comitari, *immaculata*, Decus adiungentes, pij quique in Deiparam prædicabant; alij verò labem originariam illinebant, Gregorium verò XV. aliam notionem eidem voci subiecisse, atque adeò Dictionarium reformasse, confirmant *Linus, & Cletus*, duo Ordinis Prædicatorum Theologi (sic enim eos appellabo, vt allegari ea fide possint eorum dicta, pressis per ipsos suis nominibus) Linus breuiùs egit. Scriptionis eius exordium est, *Ad agnoscendum quàm prouidè*, Cletus hoc initium adhibuit lucubrationi suæ diffusiori, *De titulo tribuendo*. Scopus vtriusque fuit, monstrare Gregorium XV. voci *Conceptionis*, alium sensum indidisse quàm priùs haberet. Edixit enim festum Conceptionis quod Ecclesia 8. Decembris celebrat, sub nomine *Conceptionis* celebrandum esse, vetuitque ne ea solemnitas, tacita voce *Conceptionis* vt ab aliquibus fiebat, sub alio titulo, V. G. sub titulo *sanctificationis*, agitaretur: sed vt omnes planè festum illud celebrarent, adhibita *Conceptionis* voce, mandauit. Cum autem idem Pontifex, ea pressè eadem constitutione declaret, nullum se præiudicium inferre, sententiæ affirmanti, B. Virginem in sua animatione contraxisse peccatum originale; nec censendus sit ex eodem ore calidum simul ac frigidum efflasse; simul inquam immaculatam Conceptionem definisse, & ab se definiri negasse; Inferunt prædicti Linus & Cletus, Pontificem Gregorium, ea constitutione immutasse anteriorem vsum vocis *Conceptio*; ita vt post eius decretum significet animationem fœtus immaculatam, idémque sit dicere, *Conceptio*, ac dicere *Conceptio* siue *animatio immaculata, & labis pura*.

3 Hinc præterea inferunt iidem Theologi, non esse ampliùs dicendum *Conceptio immaculata*; sed à tempore editæ à Gregorio illius Constitutionis, locutionem illam proscribendam fuisse; ita vt etiamsi *B. Virgo* dici possit *immaculata*, eius tamen *Conceptio immaculata*, non debeat in posterum audiri, vel editis libris vulgari: siue Romæ, vbi Magister S. Palatij tanquam immediatus Pontificis Minister libros approbat; siue extra vrbem, vbi Inquisitores qui sunt Pontificis delegati, adscribuntur editioni librorum. Ex eorum autem adscriptione, inde vulgus induceretur ad opinandum Sedem Apostolicam definiuisse Deiparæ Conceptionem immaculatam, (si vox *Conceptionis Immaculatæ* in libris prostaret:) quam contestante ipsomet Gregorio XV. & aliis posterioribus Pontificibus, certum est non esse definitam: & vt ipsi addunt ægrè vnquam definiendam, cum repugnet omnibus sanctis Patribus, (verba sunt Lini pronunciantis sententiam suam B. Virgini peccatum originis affricantem, esse *in Scriptura admodum fundatam, & omnium Antiquorum Patrum, ac Doctorum consensione firmatam*. Contrariam verò sententiam, quæ affirmatur B. Virginem in prima animatione peccato originis caruisse, Cletus obliquè feriens, innuit, vel etiam apertè præfert, *Apochryphis Apostolorum definitionibus, & confictis reuelationibus, ac somniatis miraculis, nec non Bullis adulteratis inniti*. Succus hic est vniuersæ disputationis, à Lino, & Cleto Religiosissimis Ordinis prædicatorum Theologis institutæ ad probandum, aliter nunc sonare vocem *Conceptionis*, post Gregorij XV. constitutionem, quàm anterius sonaret, atque adeo reformatum ab eo fuisse Dictionarium, nec deinceps dicendum, vel typis edendum esse, quod *Conceptio sit Immaculata*.

---

§. II.

Non esse mutatam notionem vocis Conceptio, *per Gregorium IV. cum mandauit sub ea voce coli primam animationem Deiparæ peccati expertem, sextupliciter monstratum.*

4 HÆc subuersio notionis vocabulorum, atque adeò Reformatio Dictionarij per Gregorium XV nullo modo est admittenda. Eámque potenter quatiunt illa Tertulliani, l peruersissimum esse statuentis notiones vocum immutare. l L. de carne Christi c. 13.
[Omnia periclitabuntur aliter accipi, quàm sunt, & amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quàm sunt cognominantur. Fides nominum, salus est proprietatum.] Et inferiùs m. [Apud nos m c. 13. & 14.
(*Christianos Catholicos*) nihil ambiguum, nec contortum in ancipitem defensionem. Lux, lux; & tenebræ, tenebræ, & est, est; & non, non. Quod ampliùs, hoc à malo est.] Hoc est non peruertimus notiones nominum nos Catholici nec comminiscimur Catachreses, vel nubila æquiuocationum, vt nomina detorqueamus extra sensum receptum, inducatúrque Lexicorum refictio. Id quod statim post idē n cap. 5.
Tertull. n, ait sugillari ab Isaia, conclamante in eos qui faciunt dulce amarum, & tenebras lucem. [Istos scilicet notat, inquit,) qui nec vocabula in luce proprietatum suarum conseruant:] Praxeam non dissimiliter contundit o, ob hanc vocum in alias no- o cap. 9.
tiones distorsionem. [Vtique enim omnia quod vocantur hoc erunt, & quod erunt hoc vocabuntur, & permiscere se diuersitas vocabulorum non potest omninò, quia nec rerum quarum erunt vocabula. est, est, non, non. Nam quod amplius est, hoc à malo est.] Meritò igitur inhærentes sensui veteris Ecclesiæ, quem Tertullian. expressit, repudiandam contendimus illam vocis *Conceptio* in alium sensum refictionem, & attributam Gregorio XV. Dictionarij reformationem, quam enixum venio 1. impingere ipsimet Gregorio Pontifici, manifestam contradictionem. 2. collidi cum sensu Ecclesiæ vniuersæ.

nersæ 3. ipsos etiam aduersarios secum committere, ita vt apertè secum pugnent. 4 quare non obscurè doctrinam fidei 5. non leue scandalum, & fidelibus, & Nouatoribus ingenerare. 6. Denique euincam, aduersarios gratis & absque vllo fundamento in tot tantásque pedicas se inducere.

Vt hæc manifesta fiant, & lux omnibus quæ præposita sunt, affundatur, proferenda est plagula ea decreto Gregorij XV. qui primùm adducit decretum Pauli V. renouantis constitutiones Sixti IV. in Concilio Tridentino confirmatas; ac etiam Pij quibus decernebatur, liberum cuique esse, *passiuam B. Virginis Conceptionem*, vel *Immaculatam*, vel *maculatam* dicere; neutra parte, erroris vel hæreseos insimulata. Addebat verò Paulus, ad scandala propulsanda, vetare se *ne quisquam in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis, auderet asserere, quod Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali*. Firmat hæc omnia in decreto suo Gregorius. Imo eam Pauli prohibitionem, diffundit ad priuata & colloquia & scripta: ita vt ne clanculum quidem, & inter arcanos sermones, aut amicae ad amicum literas, vel syngraphas, ingeri posset mentio *Conceptionis* Deiparæ *labe originali maculata*. Subditur his præmissis in Gregorij decreto. *Per hoc tamen sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem* (quod Beata Virgo sit in Originali peccato Concepta) *nec ei nullum prorsus præiudicium inferre; eam relinquens in eisdem statu & terminis in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fel. record. Pauli V. & hoc suo decreto disposita. Eadémque sanctitas sua voluit, & expressè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi decretis non aduersantur, Constitutiones Sixti IV. & Alexandri VI. & Pij V. ac Pauli V. eius prædecessorum, super Conceptione B. Virginis, firma illibata remaneant, ac exactè obseruentur perinde, ac si huiusmodi Decretum non emanasset. Et insuper eadem sanctitas sua, cum sancta Romana Ecclesia, de Beatissimæ Virginis Conceptione festum solemniter, & Officium celebret omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam secularibus quàm cuiusuis ordinis, & instituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in Sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino Officio celebrandis, tam publicè quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem, Sanctitas sua voluit & declarauit, subiacere debere, & subiecit Censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus, ac præfatæ decreto suorum prædecessorum, ipso facto incurrendis. Et ita decreuit & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari*. Sic habet Greg. decretum, cui quomodo inædificari possit reformatio Dictionarij, & refictio vocis *Conceptio*, in alium planè sensum quàm illhuc vsque fecerat, transmutatæ, ne Oedipus quidem perspexerit. Imo verò nihil tale cogitasse Greg. nullo negotio demonstrabitur: Indéque ducendum initium exequendi quæ superiùs recepimus exequenda.

---

§. III.

Prima ratio, quia alioqui Gregorius ineptiret, & sibi contradiceret,

6 ARgumentor itaque primò, quia si Gregor. XV. suo decreto immutasset notionem vocis *Conceptio*, ita vt non significaret animationem primam fœtus, sicut priùs significabat: sequeretur eum ineptire, & sibi ipsi contradicere. Ait enim se approbare, & ratas habere Constitutiones anteriorum Pontificum circa B. Virginis Concept. Pontifices anteriores, nempè Sixtus IV. Alexander VI. Pius V. & Paulus V. loquebantur de Conceptione, in eo sensu in quo vox illa sumitur in omnibus Dictionariis: hoc est prout sonat primam fœtus animationem: & talem Conceptionem Pontifices decreuerant dici posse sanctam & Immaculatam; ita vt qui asserat B. Virginem in eo primo puncto suæ vitæ, caruisse macula peccati Originalis, non posset notari hæreseos, vel erroris: quas notas aliqui Censurarum semper prodigi, zelo non secundùm scientiam ducti, (vt fatetur Caietanus) *p* inurebant sententiæ ab aliquot sæculis liquidiùs expressæ; & speciali festo quod pridem à variis celebratur, de vsqueque pura, & nitente Conceptione B. Virginis Erant in ea sententia, & festum illud celebrabant Canonici Lugdunens. teste S. Bernardo. *q* Et videtur inductos ad eam celebrationem à S Anselmo Lugduni tunc exulante, traditum est in Syntaxi Opusculorum S. Anselmi parte 1. Idem faciebant Angli, vt videre est in Epistolis Nicolai Monachi S. Albani, ac in Epistolis Petri Cellensis, & in fragmentis de Conceptione passiua B. Virginis, nuper editis, inter opera S. Anselmi. Insuperque Germani, vt refert Potho Prouiensis, *r* qui anno 1150. scribebat. Quia ergo partiarij contrariæ sententiæ in istos, & eorum sententiam, ac solemnitatem ab eis celebratam, licentiùs agebant, damnantes erroris in fide cultum in ea sententia fundatum; primùm Sixtus duplici constitutione quæ inserta est corpori Iuris Canonici, tum alij Pontifices adducti, repressere huiusmodi Censores; vetantes damnari quoque modo, eum qui asseruerit B. Virg. esse absque Originali peccato conceptam; & idcirco festum de planè pura Conceptione Deiparæ celebrauerit. Quinimò propositis Indulgentiarum illecebris, pietatem, eius sententiæ assertione, ac festi celebratione proditam, inter fideles promouere studuerunt. Hæc ergo decreta approbans, & confirmans Greg. quomodò potuit aliud intelligere, quam quod intellexerant Anteriores illi Pontifices, quorum approbat, atque confirmat? Vel si aliud intellexit in postrema clausula recitata, (in qua sola vim faciũt aduersarij) quomodò non pugnat secum, & euertit omnia, quæ in anterioribus clausulis adeò explicatè tradiderat?

p 1.2.q.81. art.3.

q Epist. 174.

r L.3. de statu domus sub finem.

7 Qua in parte mirabiliorem ipsoè ingenij acumine se prodit Clerus, cum ex eo quod Greg. in postrema decreti clausula vetet quemquam in Officio & missa de Conceptione, vti alio nomine quam *Conceptionis*, (vt faciebant aliqui mox referendi; quos solos ea decreti pars impetit) infert, nunc extrauagantem *Cum præcelsa*, quatenus Sixtus Officium à Leonardo de Nogarolis confectum quo sæpè conceptio dicitur *Immaculata*, valdè commendat, esse recissam; & Officium huiusmodi, proscriptum esse etiam quoad eos quibus Pius V. concesserat illud recitare, de qua tamen concessione valdè ambigit, & satis apertè Minores insimulat confictі, Oraculi Pontificij de de ipsis licita illius Officij recitatione. Hoc, Patres Minores haud ægrè purgabũt: Nunc insisto argum. quo Clerus probat à Greg. proscriptum esse hoc Officium: Nam (inquit) omnes nunc iubẽtur celebrare sub nomine *Concept*. At celebrare sub nomine *Concept. Immac* non est celebrare sub nomine *Conceptionis*, quod solùm concessit Gregor. adhiberi, excluso quouis alio. Hæc

vt dicebam est subtilitas; sed omni pistillo retusior: Nam Gregorij mens, non fuit rescindere Extrauagantem, quam disertè confirmat, & a Concilio Tridentino probatam nouerat. Eius ergo aperta mens fuit, excludere vocem *sanctificationis*, sub qua herba latere anguem Originalis peccati, perspectum habebat. Quod si quis, per piam simplicitatem, in Officio vel Missa de Conceptione, adderet vocem *immaculata*, vel *sancta*, aut *præseruata*, ad vocem *Conceptionis*, sumptam pro prima animatione; is quidem non rectè faceret, ob generalem illam regulam, quod sit exquisitè standum verbis præscriptis, nec immiscenda sint alia prohibito, etiamsi pia, & ex affectu optimo addita: Tamen nihil ille delinqueret contra decretum Gregorij, qui tantùm intendebat tollere difformitatem cultus, enascentem ex adhibita voce *sanctificationis*, loco *Conceptionis*, per eos qui nolebant colere Conceptionem. De aliis autem erratis illi officio immiscibilibus, non erat sollicitus, remittens ad præscripta generalia de diuinis officiis, iudicium de iisdem. Nihil ergo Aduersarius, in postrema illa clausula decreti Gregorij, legitur aut metitur quia in ea nihil aliud præcipitur, nisi vt vniformitas cultus retineatur, quæ propriè non euertitur, nisi cum adhibentur voces facientes sensum diuersum, vt facit vox *sanctificationis*, iuxta mentem eorum qui illam adhibebant, nec volebant vti voce *Conceptionis*, sonante primum animationis momentum, quam piè agnoscimus tutentem, atque adeò immaculatam, & idcirco celebramus.

8 Hanc solùm fuisse Gregorij mentem, facilè est euincere, considerato tenore extremæ Clausulæ decreti ab eo lati. Ex quo insuper liquebit, quàm Gregorius longè abfuerit à mutanda notione vocis *Conceptio*, vt ei nunc primùm impingitur. Ait ergo ibi Gregorius, fuisse qui Officium de Conceptione Deiparæ, aliter celebrarent quàm faceret Romana Ecclesia. Nimirum erant qui celebrarent hoc festum, expungendo è diuinis Officiis quibuscumque, vocem *Conceptionis*, & substituendo vocem *Sanctificationis*. Sunt qui referant ex Aluaro s Pelagio, Ecclesiam S. Mariæ Mariæ Maioris, in diuinis Officiis celebrasse hoc festum sub nomine *Sanctificationis*. Sed hoc esse assumentum ad opus Aluari, inde monstratur, quod omnia illa verba desiderentur in Manuscripto perantiquo illius operis, quod asseruatur in Sfortiana Bibliotheca, & desiderentur quoque, in eiusdem Operis exemplaribus Vaticanis. Adde quod iussu Pauli V. conquisita sunt omnia antiqua Missalia, & libri Rituales eiusdem Ecclesiæ, neque vsquam deprehensum est, vocem *Sanctificationis* adhibitam esse pro voce *Conceptionis*, cum de hoc festo ageretur. Non est ergo, quod tam insignis Ecclesia censeatur suffragata huiusmodi interpolationi Officij Sacri. Alij verò vsurpata quidem voce *Conceptionis*, hoc festum celebrabant, sed eam intelligendo de *Conceptione Spirituali per gratia infusionem*, quandocumque facta esset post primum instans vitæ, & animationis; in quo supponebant gratiam non potuisse infundi, ob existentiam peccati Originalis, contracti vi generationis ex Adamo via seminali. Fuisse enim qui hanc glossam adhiberent, & non nisi Conceptionem sic sumptam, hoc est sanctificationem subsecutam primum vitæ instans celebrarent, habetur ex Bachono t, & disertissimè ex Sixto IV. in altera editione Constitutionis *Graue nimis*: qui grauiter damnat nonullos, eo quod *affirmare præsumerent, S. Romanam Ecclesiam, de spirituali dumtaxat conceptione, & sanctificatione eiusdem Virginis gloriosæ, festum celebrare*. Similiter celebritatem de Conceptione B. Virginis, (quippè Originali peccato fœdata,) repudiabat Richardus à S. Laurentio u: admittebat autem celebritatem de ea quam vocabat *Reconceptationem*: quo pacto appellabat *sanctificationem*. Has itaque glossas festi de Conceptione à Romana Ecclesia celebrari, & officij de eadem recitari, à Sixto IV. damnatas, iteratò damnat Gregorius; explicatissimè decernens, mentem Romanæ Ecclesiæ esse, quæ fuisset iam pridem Sixti IV. hoc est celebrare de Conceptione in proprio sensu huius vocis; prout videlicet significat Animationem primam, à qua abfuisse peccatum Originis, piè supponitur, non autem prout, fingitur significare sanctificationem, post aliquod tempus à primo vitæ instanti subsecutam. Idquè ipsum disertissimè petebat nomine Regis Catholici Comes à Monterey, cuius libello supplici respondens Pontifex ad eius mentem, emisit decretum. Non potuit ergo Gregorius, explicatiùs & fortiùs reformationem Dictionarij ipsi impositam repellere, quàm fecerit in ea postrema decreti clausula: Ita vt aduersarij renouantes Cantinelam illam à Gregorio explosam; & contra eius expressam prohibitionem, regerentes notionem *Conceptionis* pro *Conceptione spirituali & sanctificatione*; hancque ab Ecclesia Romana sub disjunctione coli contendentes, non autem quod simpliciter sonat vox *Conceptio*; non possint excusari à manifesta inobedientia, & ab incursu Censurarum atque pœnarum quas Gregorius inflixit iis qui huiusmodi detorsionem mentis suæ, in eam festi & officij celebrationem obtruserint.

Dixi, non posse excusari Aduersarios *ab inobedientia*, & consequenter *ab incursu pœnarum impositarum inobedientibus*, quia certum est, Pontificem potuisse obligare omnes, atque adeò etiam aduersarios, ad cultum *Conceptionis Immaculatæ*, iuxta sententiam piam, & moraliter certam, ac practicè securam, ita vt non sit cur simus solliciti, aut inconsulta meticulositate tangamur, ne ei adhærendo labamur. Vt enim constat ex tractatione de Conscientia, latéque confirmant Sanches 1 atque Suarez 2 allegatis innumeris, etiam in re dubij Iuris, & de qua ambigi potest, an sit licita; Inferior si superioris præceptum interueniat, tenetur cum dubio speculatiuo operari quod præcipitur, formans Iudicium practicum contrarium. Quanto magis igitur Pontifex poterit cultum *Conceptionis*, siue primæ animationis *Immaculatæ*, (qui cultus certò licitus est, & securus ab omni periculo peccandi, vt Sixtus IV. definiuit;) omnibus præcipere, ita vt teneantur, sub illa voce, in eo sensu accepta, venerari publico officio tale religiosum obiectum? Nec si Aduersarij arbitrantur talem cultus materiam esse illegitimam, idcirco liberantur obligatione obediendi; quasi essent adhæsuri falsitati, vsurpata ea locutione contra mentem. Nihilominus enim facile eis est declinare mendacium, conformando practicè Iudicium suum, iudicio superioris; quod facere honestissimum est, ac (vt præmisi) necessarium. Et verò Aduersarij, ex peculiari inter eos præcepto superiorum, tenentur docere ac prædicare doctrinam S. Thomæ: quamuis plerique inter eos, aliquando secus in animo sentiant, & oppositum habeant pro vero. Sed quia doctrinam S. Thomæ habent pro probabili, & mandatum superioris vrget; accommodat se illi doctrinæ inter docendum ac prædicandum, posthabito quoad hoc iu-

dicio

s l.2. de plan. Eccles. art.52.

t quod l.3. q. 13. u

n lib. 1. de B.Virg. pag. 1408.

1 lib. 1. summæ c.10. n.13. & l.6. c.3. n. 3.

2 Tract.10. de relig. 4. c.18. à n.17.

dicio suo speculatiuo contrario. Quidni ergo tantundem deferant præcepto superioris superiorum omnium, cuiusmodi reuera est summus Pontifex? At Pontifex liquidò & explicatè præcipit, festum celebrari sub nomine *Conceptionis*: Vulque, primam animationem Deiparę immaculatam, & sanctam, esse obiectum cultus Religiosi omnium fidelium; ita vt cultus illius obiecti qui ante Gregorium pius & licitus erat, securusque à peccato; non tamen adeò explicitè necessarius, nunc vi præcepti Gregorij, sit ex obligatione, quoad Officia Ecclesiastica, & diuinum sacrificium. Igitur qui illi præcepto refragatur, est reus inobedientiæ, fitque obnoxius pœnis omnibus ob transgressionem illam impositis.

10 Vix superest aduersariis aliud effugium, nisi vt cum Cleto dicant, Pontificum decreta præterquàm cum cudunt definitiones de fide, non debere esse tanti; nec adigere inelu&abiliter fideles. Id enim est quod Cletus, cum sibi opposuisset, plerosque Pontifices vocasse *Conceptionē Immaculatam*, respondet; *hoc eos dixisse recitatiuè non dispositiuè*. Id est proposuisse eas voces ad modum personarum, nullo sensu informantium verba quę proferunt: quod profectò extra necessitatem vrgentem ad vtendum tali æquiuocatione cum sola lex veritatis vrget, non est nisi stolidorum. En quàm verecundè de Pontificibus Romanis loquitur Cletus; & quidem in ipsa vrbe Roma. Similiter igitur asserere posset Cletus, Greg. prædicta quia spectant Conceptionem Immaculatam, locutum recitatiuè tantùm, & verbis sensu correct verborum substracto destitutis; vtique ad illudendum audientibus. At perspicuum est, Gregorium dispositiuè esse locutum, & non tantùm recitatiuè; alioqui quomodò intenderet obligare ad exequendum, & pœnam transgressoribus decerneret!

11 Æquè honorificè de Pontificibus locutus est idem Cletus, cum dixit, Pontifices interdum admiscuisse Bullis suis titulum *Immaculatæ Conceptionis*, non quod ita sentirent, nam recitatiuè tantùm loquebantur, sed quod obsecundarent vel pietati vel opinioni aliorum. Quod est dicere, Pontifices fuisse serua pecora, & gratia dedisse non veritati, quod voce tenus sine sensu enunciabant. Hoc si de Gregorio in hac re affirmet Cletus, næ ille admodum inofficiosè, & inuerecundè locutus censebitur: cum maledictus sit iuxta Guerricum, qui gratiam cum gratia Dei malè cohærentem captat: quod dicere, fecisse in hac causa Gregorium, atrox esset contumelia, & castigatione digna. Nec hoc ipsum quod ait Cletus, Pontifices tantùm recitatiuè locutos, labe vacat, cum sit perinde, ac si diceret, eos admodum asinæ Balaam effutiuisse vacuos sine mente sonos, nec in iudice aliquid decernente, vel in principe aliquid edicente, ferendum esset. Capret itaque Cletus aliud latibulum ad eludenda Pontificum dicta.

12 An eo confugiet, vt dicat quod effutiuit circa concessionem Indulgentiarum in fauorem Immaculatæ Conceptionis? Ait enim argumentum inde ductum, esse infirmum; tum quod Indulgentiæ dentur pietati, non opinioni, tum quod nosse se dicat, *titulos ex quibus conceduntur Indulgentiæ, à Pontificibus, non exquiri diligenter*. Id est, oscitanter & negligenter agi illud negotium. Qua ratione, facilè esset tegere concessionem Indulgentiarum pro nugis, vel etiam pro morbosis motiuis: Et quod de Indulgentiis non concessis opinioni, sed pietati dicitur, ridiculum est. Quis enim non videt, opinionem non posse lucrari Indulgentias; atque adeò eas non concedi opinioni? Si autem conceduntur pietati sic operantium, piè igitur operantur qui colunt Conceptionem, prout est prima Virginis animatio sancta, in cuius cultus gratiam conceduntur Indulgentiæ. Non potest autem in hac re circa Gregorium, habere locum effugium illud vix ferendum ab homine, & Catholico, & Religioso, quod scilicet Pontifices oscitanter, & indiligenter quandoque agant Gregor. enim quod hic edixit, summa cum maturitate, & adhibitis in Consilium viris grauissimis, edixit. Penè exciderat, quod idem Cletus in hac ipsa Pontificum sugillatione circa Indulgentias Immaculatæ Conceptionis piis cultoribus concessas, calces item illisit Messanensibus; dicens, Pontifices, dum gratificantur Messanensibus, & eorum heteroclitæ pietati velificantur, elargitos esse molem Indulgentiarum ob Epistolam apocrypham, & (vt ipse supponit) Commentitiam. Benè, quod Cletus, dum pietatem Messanensium suscipit mordendam, eam componit cum pietate cultorum Conceptionis Immaculatæ, ita vt iuxta ipsum, eodem certitudinis gradu sit, veritas Epistolæ Marianæ ad Messanenses, quo est passim apud Catholicos veritas Immaculatæ Conceptionis. At veritas Conceptionis Immaculatæ, & nitoris eius à labe parentali, quamuis non sit certa ex fide, tamen apud viros perdoctos eo est loco, vt non dubitauerint affirmare, qui pro eius veritatis pietate mortem oppetierit, contestatus malle se vita excidere, quàm negare piam esse assertionem Conceptionis Immaculatæ, veris Martyribus esse annumerandum. 1 Quod Ægidius à Præsentatione allegato Aluaro Pisanna de Pallacios statuit vt indubitatum; & affirmauit etiam Franciscus Suarez, quem adducit & sequitur Iacobus Granado, latè in hoc argumento exspatiatus. 2 Itaque quod Paulus V. Vrbanus VIII. & nunc sedens ad Ecclesiæ clauum Innocent X. Indulgentias concesserunt Messanensibus, intuitu venerationis B. Mariæ de Littera; tantum abest vt possit iuuare ad quatiendum argumentum pro veritate Immaculatæ Conceptionis, ductum ex concessione Indulgentiarum, vt potiùs mirum in modum promoueat Messanensium causam, in quos admodùm improuidè coniicat, & arietat aduersarius. Quid enim attinebat, in causam conceptionis Imaculatæ: aduocare Epistolam ad Messanenses Indulgentiis Pontificiis friuolis, (proh audaciam!) & indiscussis munitam? Aut si libebat, extra rem & locum mordere eam Epistolam, quorsum vellicare Indulgentias à summis Ecclesiæ Rectoribus fouendæ eius venerationi concessas? Impetendi potiùs erant Scriptores supra centum, Messanensibus suffragati, quatienda vetus in eam rem traditio, exagitanda miraculorum ei pietati astipulantium frequentia, quæ & alia proferunt qui stant pro veritate Epistolæ Messanensium viri docti complures, variis de eo argumento lucubrationibus, quas Cletus consulere per otium poterit. Nam mihi hic, ea in causa nec feritur neç metitur, atque adeò intacto eo negotio, contentus aduersarij in Messanenses frontem obiter contudisse, primam rationem pro titulo Immaculatæ Conceptionis propositam, obsigno.

1 l. 3. de Immacul. Concept. q. 8. §. 4.

2 lib. de Immacul. Concep. c. 31. toto

§. IV.

IV.

Secunda Ratio Ex communi sensu Totius Ecclesiæ.

13 ARgumentor secundò, quia sententia Aduersariorum, est manifestè contra sensum totius Ecclesiæ. Omnes enim fideles, etiam post Gregorium XV. cum agitur de cultu religioso Conceptionis, non existimant se aliud colore, quàm quod cortex vocis præfert: nimirum animationem primam immaculatam. Neque arbitrantur proponi sibi colendam Conceptionem, vagè significantem, vel conceptionem primam maculosam, quantumcunque postea mundatam; Intendunt ergo duntaxat, colere Conceptionem Deiparæ prorsus puram atque nitentem. Aduersatur igitur communi fidelium sensui, qui dicit, à tempore Gregorij XV. conceptionem cuius est in Sacris Calendariis & Missalibus ac Breuiariis mentio, significare, non animationem primam immaculatam; sed disjunctim, vel animationem primam prorsus putam, vel eandem labe primùm sordentem, sed postea accessu gratiæ & sanctificationis subsecutæ mundatam: quod disjunctum, aduersarij dicunt esse notionem voci *Conceptionis* subiectam per Gregorium XV. Non est hic fidelium sensus; quibus proinde falsa notio Conceptionis impingitur. Quin etiam, fideles, iuxta Aduersarios, non essent tuti in tali cultu Conceptionis. Contendunt enim Aduersarij, obiectum Religiosi cultus ab Ecclesia propositum, non posse esse sanctitatem dubiam, ac multo minùs falsam: & ideo dicunt, Conceptionem quæ colenda proponitur, non esse compossibilem cum attributo *Immaculata*, seorsim ac præcisè sumpto. Quomodo igitur fidelium intentio ferri poterit Religiosè, in complexum illud cuius pars est incapax Religiosæ venerationis, ob labem mortalis peccati qua sordet? Præstitisset sanè vocem adeò lubricam, prorsus expungere, nec cisternam ac foueam apertam relinquere, cum periculo, vt bestiæ irruentes pereant: id est, (vt diuinum illud iussum exponunt S. Gregorius 1, & S. Cyrillus Alexandrinus 2) obijcere rudibus offensaculum ad quod illidantur. Nec qui in recognitionem Codicum Ecclesiasticorum incubuerunt, post vulgatum Gregorij XV. decretum, immunes à culpa & iusta reprehensione abirent, non ablata è libris ritualibus voce *Conceptionis B. Virginis*, prout sonante obiectum Religiosi cultus: cuius cultus, aliquid in illius vocis adæquata notione inuolutum, est incapax: ita vt dici possit de notione huius vocis sic fermentata, quod Photius 3. de Agapio dicebat, eum adhibere vocabula in speciem sana, sed reipsa morbositatis refecta, & penitùs inspicientibus graueolentia.

1 lib. 17. moral. c. 13.
2 lib. 7. de ador.
3 Cod. 179.

Illuditur ergo fidelibus à tempore decreti Gregorij XV. cum proponitur illis, vt obiectum Religiosi cultus, quod adæquatè, (atque adeo absolutè, & simpliciter) non est purum & veneratione dignum. Et fideles qui pio (vt putabant) affectu ducti coluerunt Conceptionem Beatæ Virginis, prout ab Ecclesia propositam, delusi esse, & ius habere [illegible] expostulandi de suis in spiritu ac Magistris, quod ab eis non essent dedocti errorem, aut præmoniti de latente decipula, in noua illius vocabuli notione. Similiter ratiocinari licet de Indulgentiis, quibus fideles putant se reatum è culpis eluris residuum abstergere, colendo Conceptionem B. Virginis, ex quo motiuo sunt concessæ tam olim Indulgentiæ, intelligendo per *Conceptionem*, non disiunctum ex animatione pura vel impura, sed solùm Conceptionem puram; vt est perspicuum ex Sixti IV. Extrau. *Cum præcelsa*, & ex variis aliorum Pontificum concessionibus, vsque ad Gregorium XV. quas mutato post eius decretum, motiuo concessionis, euanuisse oporteret: atque adeò fatendum esset, deludi fideles, arbitrando se consequi Indulgentias intuitu cultus Conceptionis puræ concessas, quæ nunc ob mixturam factam in motiuo concessionis exoleuissent. At sine dubio abhorret à sensu Ecclesiæ, quod fideles decipiantur in his omnibus; aut, quod tetrius est, deludantur à Pastoribus, conniuentibus ad communem errorem, & adeò latè fusam hallucinationem.

14 Inexcusabilis verò præter cætera esset prolapsio in recitatione officij de Conceptione; etiam illius quod Pius V. recitari mandauit, mutato nomine *Natiuitatis* in nomen *Conceptionis*: Nam in octauo illius Officij responsorio, ad Matutinum, precatur Ecclesia Deiparam, vt *sentiant omnes eius iuuamen, quicunque celebrant sanctam ipsius Conceptionem*. Si *sancta Conceptio*, quomodò *maculata*? Aut quomodò in eius significato disiunctim inuoluuntur sordes peccati prorsus exterminantis sanctitatem, cuiusmodi est peccatum Originis, quod verè est mortale, & inferens æternam damnationem? At Rectores Ecclesiæ, in publica & solemni precandi formula, proponunt absolutè & simpliciter *Conceptionem sanctam*; & fideles ductu suorum Pastorum inhærentes, agnoscunt *sanctam Conceptionem*; & allegato eius cultu, poscunt Deiparæ auxilium.

15 Vtebantur autem ea precandi formula ante Gregorium XV. cum vox *Conceptio*, iuxta aduersarios sonabat animationem primam. Et cum in celebratione publica sic loquerentur, præeunte Ecclesia, talem precandi formulam suggerente, manifestum est sensum totius Ecclesiæ tunc fuisse, Conceptionem siue animationem primam, haberi posse sanctam atque adeò immaculatam. Nam sanctitas in prima animatione, apertè fert exclusionem mortalis maculæ Originalis, quod est esse immaculatam. Nec est verum, quod Cletus post longam tricationem, ait, *sanctā Conceptionē*, aliud sonare quàm *Immaculatam Conceptionem*: eo quod vox *sancta* neutri sententiæ de Conceptione Deiparæ alligetur: & verè Conceptio Virginis dicatur *sancta*, quia hoc attributum ei quadrat pro eo Instanti quo fuit sancta. Hæ tricæ destituuntur veritate. Nam vox *sancta*, cum cadit in Conceptionem acceptam in sensu protrito, quem habebat ante Reformationem Dictionarij, sonat gratiam animæ inhærentem in primo vitæ momento, cum qua inhæsione incompossibile est peccatum Originis. Quia ergo Ecclesia sanctam vocabat, & colebat conceptionem sic sumptam, agnoscens in ea piè & probabiliter sanctitatem, planè eodem tenore agnoscebat Conceptionem immaculatam. Nunc porrò Ecclesia eandem precandi formulam retinet quàm priùs: & huc vsque, per annos circiter xxv. priusquàm Lini & Cleti glossa prodiret, etiam post Gregorium, vsurpauit ea verba in eodem sensu quo ante Gregorium. Nemo enim quidquam inaudierat de reformatione Dictionarij, adscripta Gregorio. Perspicuum igitur est, glossam nouam prædictam, &

Dictiona

Dictionarij reformationem quibus aduersariorum responsio innititur, pugnare cum sensu in vniuersa Ecclesia recepto.

16 Declinare satagit hoc telum Cletus sed obiecta straminea parma. Ait enim, Arianam hæresim vniuersam propè Ecclesiam infecisse; & tamen fuisse vertice blasphemiæ. Item sub S. Stephano primo, tota ferè Ecclesia, duobus tantum vel tribus Episcopis resistentibus, in Anabaptismum abiit neque tamen propterea Anabaptismus habendus est sanctus. Miror hominis peritiam, qui ex eo quod multitudo errantium non officiat veræ fidei luminibus infert quantumuis ferè tota Ecclesia (perpaucis ex vna facta familia, ac ne omnibus quidem intra eam degentibus, exceptis,) consentiat in vnum sensum atque iudicium; parui esse faciendam eam tantam totius ferè Ecclesiæ consensionem. At nos aliter edocti sumus de Ecclesia Christi sponsa loqui, & sentire, non esse innitendum multitudine corrupta quantumuis numerosa in ferenda sententia, docuit nos ipse Deus Exodi 23. sic præscribens. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententia, vt à vero deuies*; vbi Abulensis 1 latè prosequitur non esse adhærendum sensui multitudinis, etiam totius populi, in pronunciando de re quapiam, nisi si agatur de re ambigua, tunc enim (præsertim in practicis) quia plus vident oculi quàm oculus, censendum esset, posse faciliùs errare vnum intellectum, quàm tot aliorum stantium in contrarium. At cum veritas liquida est, non si mundus vniuersus in contrarium feratur, fas est à vero recedere, & turbæ adhærere, quantumuis numerosæ. Haustum id à Platone, qui in pronunciaturo de rebus, præter peritiam deposcit fortitudinem, ne obstupefactus multorum clamoribus, ignauè cedat, & contra quàm par est, ferat sententiam, vnde ortam Poëtarum Siculorum, & Italicorum ad numerosi vulgi iudicium se fingentium, deprauationem expostulat. Idem 1 pluris esse debere paucorum sapientum quàm vulgi innumerabilis sensum confirmat. Pessimè præterea rem geri, vbi suffragia non ponderantur, sed numerantur, statuit Æneas Sylvius. 1 Hoc igitur facilè damus quoad humana quoque negotia. Et idem multo magis seruandum esse in dogmatibus, docuit nos S. Athanasius integro Opusculo nono, vel potiùs Theodoretus cuius esse ea Opuscula perperam tributa S. Athanasio docemur ex Photio. 3 Vnde Hæreticos quandoque gloriatos de sua numerositate, explodi à Patribus sæpe obseruauimus. Longè verò aliam esse rationem sensus quo ducitur vniuersa propè Ecclesia Catholica, frustra monerem. Itaque aduersarij scutum, ex comparatione Ecclesiæ Catholicæ, & Synagogæ Arianorum, non est tutum, nec repellit telum intortum. Quod de S. Stephano dixit Aduersarius, monstrat quàm accuratè Patres euoluerit, vel illius temporis historicos. Nam tantum abest, vt omnis ferè Ecclesia, demptibus duobus vel tribus Episcopis resistentibus, abiierit in Anabaptismum, vt potiùs extra Africam vbi authoritas S. Cypriani bona fide errantis, multos abripuit, vix tres quatuorue alicuius nominis Antistites, vt Firmilianus Cappadox, & Dionysius Alexandrinus, S. Cypriano adhæserint, & multa Episcoporum millia cum S. Stephano constanter steterint, vt tradit S. Augustinus: qui etiam vrgens Donatistas S. Cypriani errore materiali abutentes, vt cum reliqua Ecclesia toto orbe diffusa consentirent, infinities contestatur. Quin etiam multi Africani, ex eodem August. 1 adhærere S. Cypriano renuerant. Et illos ipsos qui ei adhæserant primùm, breui contrario edito decreto rescidisse quod cum eo de Anabaptismo sanxerant, S. Hieronymus agens in Luciferianos testatur: quod item fecere Firmilianus, ac Dionysius & alij Diuo Augustino teste, ac Dionysio Alexandrino apud Eusebium. 1 En quomodò vniuersa Ecclesia, præter tres Episcopos, & Pontificem Romanum, Anabaptismo est suffragata, vt Aduersarius affirmabat.

1. q. 2.

1. in conuiuio.

1. Epist. 387.

3. Cod. 46.

1. lib. 3. cont. Cresco c. 1. 2. 3.

1. 7. histor. c. 4. & 8.

---

§. V.

Ratio tertia, ex eo quod aduersarij ipsi secum pugnent.

17 TErtiò argumentor, quia aduersarij apertè secum pugnant. Nam ita volunt excludi *Conceptionem Immaculatam*, vt tamen admittant B. Virginem iurè dici *Immaculatam*. At hæc duo si cohærenter sumantur, idem planè sonant, nec sunt duo, sed vnum & idem. Nimirum Conceptio seorsim à Deipara, non est aliud quàm passio & productio effectus in subiecto. Passio autem illa, non est capax maculæ Originalis, de qua sola hic agitur: sed ea capacitas tantum cadit in subiectum gratiæ, & carentiæ illius; quod subiectum est anima, vt benè notauit Caietanus 1. aut vt alij volunt, & nunc nobis perinde est,) subiectum peccati est voluntas implantata animæ. Vel ergo aduersarij, admittentes Deiparam esse immaculatam, hoc tribuunt Deiparæ, pro toto tempore vitæ eius, comprehenso primo animationis instanti; & sic perspicuè secum pugnant, cum renuunt agnoscere, Conceptionem, id est Virginem, prout primæ animationi sinè conceptui substantem, esse immaculatam, vel certè cum concedunt Deiparam dici immaculatam, id admittunt tantùm de tempore vitæ Deiparæ post primum instans: & sic quoque secum pugnant. Nam denominatio *Virginis immaculatæ* absque addito restringente, fert, vt absolutè & simpliciter, atque adeo per totam vitam, B. Virg. omni labe, & macula caruerit, quod Aduersarij diffitentur. Deinde vox *Immaculata*, non potest in Deiparam cadere pro reliquo tempore, si ei non quadrauit pro primo instanti: quia attributum *immaculata*, præfert veluti virginitatem spiritualem animæ per elongationem ab omni mortali peccato quod S. Chrysostomus 1. vocat *animæ deuirginationem*. Sicut ergo virginitas corporea, sonat omnimodam corporis integritatem nullo impuro commercio violatam? & nullus Virginem dixerit mulierem, cuius nitor corporeus non sit illibatus; etiamsi post carptum aliquando florem illum, depereat Sanctimoniam & corporis munditiem: ita non potest dici *immaculata* quæ fuit aliquando maculata, quantumcunque postea niteat, & emaculetur, ac sanctificetur. Simile est de attributo *Innocentiæ*, quod perspicuum est non cadere in eum qui aliquando grauiter impegerit, etiamsi postea resipuerit, & perfectè reuenerit ad animæ sanitatem. Igitur (vt præmittebam,) si Deipara absolutè, & absque addito dicitur *Immaculata* (quod Aduersarij non renuunt,) debet quoque censeri caruisse peccato Originis in prima animatione: quod est dicere *Conceptionem fuisse immaculatam*. Vt quid ergo

1. 1. q. 83. art. 2. & 3.

1. homil. 14. in Epistol. ad Ephes.

ergo prohibemur, ore profiteri,& ſcriptis committere, atque vulgare typis, *Conceptionem* Deiparæ *immaculatam?*

18 Præterea manifeſtè ſibi in eo contradicunt Aduerſarij,quod dicunt,fatendum eſſe,Gregorium XV. niſi aliter ſumpſiſſet *Conceptionem* quàm priùs ſumeretur, definiiſſe Conceptionem Immaculatam eſſe ex fide certam, quandoquidem propoſuiſſet primam Virginis animationem, gratia ſanctificante collucentem, vt obiectum cultus religioſi. At iidemmet fatentur, ſimilem propoſitionem Conceptionis, id eſt animationis primæ in obiectum cultus Religioſi, manaſſe ab anterioribus Pontificibus,Sixto,Alexandro,Pio,& Paulo:à quibus tamen agnoſcunt Conceptionem immaculatam non fuiſſe definitam. Manifeſtum ergo eſt, Aduerſarios ſibi contradicere, nec loqui cohærenter.Sed vt benè dixit Anaſtaſius Sinaiſta 1.ſunt qui nihil penſi habent,etiamſi inconſequenter loquantur, aut in præcipitia ſe ingerant, dummodò Aduerſariis rectè ſentientibus creent moleſtiam.Quod aliter de iiſdem dixit S.Ephrem 2,[Linguam dumtaxat habent,& non mentem : loquuntur quæ volunt, & non intelligunt quæ conſequentium ſit intelligentia.] Hoc eſt, nolunt aduertere quàm incohærenter loquantur, & quomodò ſecum ipſi pugnent ac collidantur.

1 cap. 15. ὁδηγ.

2 ſerm. de margar. pretio.

Sed facillimum eſt, abſque anfractibus ratiocinationum monſtrare, Aduerſarios in hoc negotio ſibi contradicere nec loqui cohærenter. Admittunt enim, poſſe abſque labe, & nota aſſeri,B. Virginem in primo ſuæ productionis momento habuiſſe gratiam ſanctificantem.Nam quanquam ipſi hoc cenſent falſum, tamen non audent inficiari, quin ſub vocibus propoſitis fas aliis ſit aſſerere,B Virginem, in eo ipſo inſtanti quo eius anima creata eſt ac infuſa corpori,caruiſſe peccato Originali,ob infuſam illi eo ipſo inſtanti gratiam ſanctificantem,à quouis mortali peccato,(cuiuſmodi eſt Originale) inconciliabiliter diſſidentem. Tantùm itaque contendunt,abſtinendum eſſe vocibus illis,*B. Virginis Conceptio fuit immaculata*.Eas quippè voces à Gregorio XV. expunctas volunt ob commutatam notionem vocis *Conceptio*, cum qua ſic commutata, negant cohærere attributum *immaculatæ*. Tametſi quia Gregorius non conuulſit decretum Sixti IV. firmatum in Concilio Tridentino, quoad pietatem & probabilitatem doctrinæ agnoſcentis nitorem B. Virginis in primo inſtanti ſuæ productionis; fatentur Aduerſarij, liberum adhuc eſſe, abſtinendo vocibus *Conceptionis immaculata*, affirmare. B.Virginis animam in primo inſtanti ſuæ productionis accepiſſe gratiam ſanctificantem, & caruiſſe peccato Originali; idque voce & ſcripto, vulgari nunc quoque poſſe. In hoc dico Aduerſarios ſecum manifeſtè pugnare, & ludicros videri, ac verè Logomachos. Perindè enim ſe gerunt,ac is qui fateretur, Petrum eſſe *hominem*, negaret tamen eſſe *animal rationale*. Aut perinde ac is, quia agnoſceret animam rationalem eſſe *immaterialem & impartibilem*, negaret tamen eſſe *ſpiritualem*. At hæc eſſet puerilis Logomachia, pugnans ipſa ſecum; quandoquidem aliud non eſt, eſſe *hominem*, quàm eſſe *animal rationale:* Nec aliud eſt eſſe *ſpiritale*,quàm eſſe *independens à materia atque inſectile*. Et qui vnum horum admitteres, inficiaretur alterum; rideretur, & ſecum ipſe pugnare diceretur. Quare aduerſarij aliud de ſcriptis iudicium expectare nequaquam debent; cum è terminis ſynonimis, vnum ablegent veluti impurum ac fermentatum; alterum retineant tanquam ſyncerum ac purum. Nemo quippè non videt,has voces,*B. Virginis conceptio eſt immaculata*,ſynonimas eſſe cum iſtis; *B. Virgo in primo momento productionis animæ ſuæ, habuit gratiam ſanctificantem, & caruit peccato Originali*. Et tamen Aduerſarij, has poſteriores voces, retineri patiuntur,quia non audent aperte conuellere decreta Sixti IV. & Concilij Tridentini. Priores autem illas voces, eadem notione manifeſtè grauidas, habent pro reprobatis, nec ſinunt vulgari. Quid eſt ſecum pugnare, ſi hoc non eſt? Græci dicerent, hoc eſſe μαγαδίζειν; à fiſtula quam μάγαδιν vocabant, & pugnantes ſimul edebat ſonos. Vnde illud ex Alexandride adductum ab Athenæo lib. 14. Μάγαδιν λαλήσω. Μικρὸν ἅμα σοι καὶ μέγαν. Satyrus à menſa ruſtici, calidum ſimul ac frigidum ex eodem ore efflantis, indignabundus ſeceſſit, vt eſt apud Anianum fabulatorem. Verendum, ne pariter, tam manifeſtè aduerſantia proloquentes aduerſarios, abiiciant cæteri.

---

§. VI.

Quarta Ratio, ex periculo quatiendi Doctrinam fidei.

19 ARgumentationem quartam duco ex periculo ne hæc nouitas in fundamenta fidei incurrat, eáque ſuccutiat. Tametſi enim non eſt ex fide certum, quod Conceptio Deiparæ fuerit Immaculata,idque nondum eſſe ab Eccleſia definitum, conteſtatus ſit Gregorius; tamen hæc propoſitio, *Pium eſt & probabile,quod Conceptio Deiparæ eſt immaculata*,(ſumendo *Conceptionem* in ſenſu proprio, ſiue pro prima animatione,) hæc inquam propoſitio, videtur eſſe de fide:ita vt eius inficiatio, ſordeat explorato errore. In eo quippè ſenſu,de Conceptione locutus Sixtus IV. in Extrau. *Graue nimis*, videtur ſtatuere vt certum, & de quo non liceat homini Catholico dubitare, quod pium ſit & probabile, ac elongatum ab omni periculo erroris practici, atque peccati, aſſerere B. Virginis Conceptionem fuiſſe immaculatam, ob interuentum diuinæ præſeruationis, anteuertentis naturam, vt S. Damaſcenus 1 egregiè dixit; & infectionem animæ in momento creationis,attento naturæ curſu conſecuturam,ex ſingulari in Virginem beneuolentia prohibentis. Concitatur ibi grauiter Sixtus, aduersùs quoſdam auſos criminari piam illam aſſertionem: quos item ait, non erubuiſſe affirmare ac prædicare, *eos qui tenent aut aſſerunt B. Mariam abſque Originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos: einſdémque immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audientéſque ſermones illorum qui eam ſine macula conceptam eſſe affirmant, peccare grauiter*.Has aſſertiones, Sixtus motu proprio, & ex certa ſcientia, pronunciat *falſas, & erroneas, ac penitus à veritate alienas*;& libros ad eas falſas aſſertationes tunc editos à Vincentio Bandello, de Caſtro Nouo, Ord. Prædicatorum, authoritate Apoſtolica reprobat, damnatque. Et eos qui deinceps auderent aſſertionibus illis aſtipulari,vel libros quibus confirmarentur legere, excommunicationis Pontifici reſeruatæ ipſo facto incurrendæ, fulmine percellit. Sixti decretum firmauit anno 1501. Alexander VI. addito Dominicanis interdicto, agendi de Concep-tione

1 Orat. de Natiuit. B.V.

tione pro concione, quod refert ad eum annum B. Zouius. Roboraoit item postea Sixti decretum Synodus OEcumenica Tridentina, & Pius V, cæterique deincaps Pontifices à quibus assertio Conceptioois Immaculatæ, (sumendo *Conceptionem* pro prima animatiooe,) agnoscitur pia, & probabilis, ac extra omne erroris practici periculum. Idque Pontificea ex Cathedra loquentes, hoc est intendentes Christianam plebem docere, ac obligare ad ita sentiendum, tanta asseueratione confirmant vt non liceat ambigere de veritate talis doctrinæ: quam proindè omninò fatendum videtur, ad fidem Catholicam pertinere, cum obstrepentes ei notentur à Sixto, non falsitatis taoiùm, sed etiam *erroris*: qui modus loquendi, plerooq; non solùm signat secundũ gradum propositionum reprobarum, quiad hæreseos vestibulum pertingit, sed etiam veram hæresim, vt videre est in variis capitibus tit. *har.* in 6.

20 Nec ambigendum puto, quin, sin minùs io hoc seosu vsurpetur ibi à Sixto vox *erroris*, at nobis saltem vsurpanda sit. Nam vt rectè monuit Malderus, cum Ecclesia notat temeritatis? alteriusve similis notæ, hæresi inferioris, aliquam propositionem; hæreticum est eam censuram abiicere: quia talis abiectio continet inficiationem potestatis Ecclesiæ ad ferendam illam Censuram. Atque adeo, etiamsi Sixtus Paulo inferiorem quàm hæresis notam inussisset reprobæ illi doctrinæ, sugillanti pietatem ac probabilitatem Conceptionis Immaculatæ; tamen oune dicere quod damnatio negantiom pium esse, & probabile ac peccati expers, asserere conceptionem esse immaculatam rectè non habuerit, sordeter hæresi, & explorato errore contra fidem. Igitur post tantas tamque repetitas Ecclesiæ definitiones, quod pium sit atque probabile, B. Virginis primam animationem fuisse immaculatam denuò eam doctrinam quatere, ac velle illam premi, tanquam non cohærentem cum doctrina sana, vel cum scitis Ecclesiæ; hæresim resipit, ferrique ab homine Catholico non potest. qood si S. Thomas 1. 2. quæst. 81. art. 3. ait, secundùm fidem Catholicam firmiter esse credendum qnod præter Christum solum, alii omnes contrahant peccatum Originale; vel exponendus est nisi præscrutetur, vt satis insinuat ibi Caietanus; vel pro hac vice non est audiendus. Quoniam post Sixtum IV. propositio illa D. Thomæ, eo udè accepta, est erronea, & dissonat fidei Catholicæ, ac Decreto Ecclesiæ, cui potiùs est auscultandum.

3. 2. q. 12. art. 2. memb. 5.

21. Nec Idcirco quod dicamus pium esse ac probabile Conceptionem Deiparæ esse Immaculatam, *propositio*, (vt vocant) *de inesse*, substrata huic modali propositioni, venditatur à nobis tanquam certa ex fide: imo admittimus eam re ipsa posse laborare falsitate. Cum enim non sit ab Ecclesia definitum primam Deiparæ animationem, fuisse peccati Originalis expertem, nihil vetat, Metaphisicè, aut speculatiuè loqoendo, subesse falsum propositioni affirmanti eam animationem fuisse immaculatam. Sed nos hic non satagimus pro veritate propositionis illius de inesse, sed pro veritate alterius propositionis veluti modalis, qoa asseritur pium esse ac probabile, agnoscere Conceptionem fuisse immaculatam: quod rectè cohærere potest com falsitate propositionis de inesse, pronunciantis Conceptionem esse immaculatam: & facile est eam pietatem & probabilitatem euincere.

22. Nam pietas in assertione illios propositionis veluti modalis, illicò se prodit, ex affecto erga tantum ac tam insigne Virginis ornamentum, admodùm consentaneum eius dignitati. Esse enim hoc Deiparæ onamentum omnino eximium, pono extra dubium. Et miror Abulensem 1. tametsi de Immaculata Conceptione optimè sentientem, idque omninò tutiùs, atque adeò planè eligibile pronunciantem, tamen eò deuenisse, vt diceret, *non mutari in hoc vel minui Deipara laudem ac gloriam, si dicatur incurrisse Originale peccatum; vt putant qui non penetrant naturam Originalis peccati.* Imo vero tu ipse (Vir cæteroqui maximè) minùs penetras naturam Originalis peccati. An enim eximi labe peccati mortalis, est parua gloria? Aut noo minoitur laoa eius, qui adeò fodere supponitur? Itaque bona verba, sodes. Turpissimè autem ac indignissimè (ne quid addam) vnus quispiam non ita pridem, vt est candidus & amans synceritatis veritatem in iniustitia non detinentis; stomachatus recenseri tot scriptores qui in stabilienda immaculata conceptione laborassent quot legi possunt in optimi Patris, & Deiparæ addictissimi Hippoliti Marascij Bibliotheca Mariana, erupit in eam bestialem vocem, *Etiam Bestia absque peccato sunt concepta*: ratus inde vilescere ac depreciari hoc Viginis ornamentum. Concinit bellissimè vox ista cum voce Manichæorum apud S. Augustinum mores eorum describentem cap. 14. Vrgeotibus enim Catholicis quod sancta Ecclesia tot Virgines haberet, infregere hoc argumentum Manichæi, illud respondentes: *etiam mula Virgo est.* Sed dimissa Symphonia vocis illius Manichææ cum hac ferali voce in conceptionem immaculatam, vel puer videtit, quod bestiæ sine peccato sint conceptæ, non esse bestiarum decus, quia suot bestiæ id est peccati incapaces, sicut, & sanctitatis ac gratiæ. At io subiecto sanctitatis capaci, cuiusmodi est persona homana, splendet insigniter ornamentum illud immaculatæ cooceptionis: vt facile est æstimare, ex tetra labe qua peccatum Origiois animam inquinat, & ex summa luce gratiæ, qua fucoa illa caligo dispellitur.

1. Parad. 12 cap. 21.

Est ergo haud dubiè pium, affici erga illud Deiparæ ornamentum: præsertim cum Ecclesia ad id inuitet, securos nos faciat quod sic affecti non peccamus sed laudabiliter agimus. Hac enim cautione supposita, non defuerunt qui *impietatis*, id est (vt ego interpretor,) *imminuta ac frigida erga Deiparam pietatis*, insimularent eos qui tenuerent pietatem suam erga B. Virginem prodere, tantum eios decus agnoscendo ac celebrando. Sic præter cæteros pronunciauit vir doctrina & pietate præcellens, Franciscus Titelmannus, de primis qui in Capucinorum sacram familiam aggregati sunt, vnus: cuius omnia scripta etiam philosophica, iudice Bellarmino mirum spirant sanctitatem. Ablegato autem omni prorsus acore verborum, dico qui eum possit absque vllo labendi aut peccandi periculo, tenuat ad eum modum honestare B. Virginem tribuendo illi statum gratiæ nullo inquam peccato temeratum, non se adeo pium erga illam exhibere quam posset, nec posse inficiari, illos qui eandem Virginem eo ornamento honestant pietatem suam erga illam prodere, & præ ipsis pios esse.

Bel. de script.

23 Iam probabilitas eiusdẽ propositionis enonciantis Concept. Deip. sumptam pro prima animatione fuisse immaculatam, est per se perspicua, ex coosensu tot DD. tot Academiarũ in quibus à multis sæculis ea doctrina constantissimè traditur, & nemo ad Lauream theologicam nisi iuramento eam doctrinam firmatus promouetur, vt infra attingam. Accedit omnium (via vna dempta) Religiosa-

rum familiarium, Viris doctissimis abundantium, in eam doctrinam; eiusque defensionem conspiratio, miraque consensio. Quæ ad probabilitatem huic doctrinæ conciliandam, plusquam, sufficiunt: si enim vnus aut alter grauis Doctor, accedente ratione non incongrua, potest opinionem aliquam reddere probabilem, vt est certa omnium doctrina in tractatione de Conscientia, quomodò non sit plusquam probabilis doctrina, à tam multis, & tam idoneis Doctoribus tanto consensu proposita? Nec Patres refragantur, imò impensè fauent, cum Deiparam appellent *omni ex parte puram, & incontaminatam, ac prorsus impollutam, ipsisque beatis Spiritibus puriorem, & mundiorem*: quæ non possent verè dici, si beata Virgo, vel ad momentum, fuisset cœno mortalis culpæ inquinata. Abstineo adscriptione singularium locorum, quod passim prostent: & præcipua quæque libata memini in Dipthycis Marianis 1. Innumera verò ex Patrum, & Græcorum, & Latinorum primoribus carpsere Iustinianus 2. & Coccius 3. ac qui Patres Christianorum omnium seculorum in hanc rem accuratè digestos dedit, Salazarius 4.

1. Part. 2. pun. 2. n. 14. 2. 1. Ioan. 1. v. 8. à n. 35 3. 1. 1. Thes. l. 3. art. 1. 4. De Conc. cap. 42.

24 Ipse Christus, Magister optimus; & viam Dei in veritate docens, iam cœlo illatus testimonium perhibuit veritati huius doctrinæ. Nam vt est in actis B. Oringæ, quæ aliàs *Christiana* nominatur, & in Etruria anno 1310. è viuis excessit, virtutibus, & miraculis illustrissima, sancta hæc Virgo aliquando per extasim in cœlum abducta: vidit Deiparam in fulgentissimo throno assidentem Filio, alba veste pretiosissima amictam; exultantibus circa eam Sanctis omnibus, & festum solemne agitantibus. Sunt enim etiam in cœlo festa & celebritates quotannis recurrentes, vt Sanctus Chrysostomus collaudans sanctum Philogonium, ex Paulo eruit. Miranti autem Oringæ, tantæ celebritatis causam, & suspicienti maximè, candorem vestis quo Deipara prænitebat, Christus ipse his verbis eam allocutus refertur: *Miraris Christiana, honorem qui ab Angelis hodiè Matri meæ gloriosæ exhibetur, & qua induta est, vestem. Sed scito hodiè agi in cœlo celebritatem immaculatæ Conceptionis, eius quæ deinde concepit, ac peperit verum Deum, ac hominem, illibata semper virginitate. Vestimenti eius candor, prærogatiua est singularis innocentiæ.* Nimirùm quia nemo filiorum Adam, præter Deiparam, ea prærogatiua potitus est in animatione prima. Subiicitur in iisdem actis. *Propter hanc visionem voluit Christiana, Monasterio quod deinde erexit, nomen esse* Sanctæ Mariæ Nouellæ, *statuitque, vt in eodem salua sancta Sedis Apostolicæ, summique Pontificis autoritate, & reuerentia, quotannis sacra Conceptionis solemnitas celebraretur.* Edidit ea acta Syluanus Razzi, quæ Bollandus mense Ianuario repræsentauit. Itaque sicut apud Cæsarium Heisterbachensem 1. memoratur obita in cœlo, antistropha nostrati, festiuitas Virginis Purificatæ: ita festiuitas Immaculatæ Conceptionis, (vt eam Christus ipse appellasse refertur) per beatos cœlites, applaudentibus Angelis agitatur. Ex tanta ergo nube testium, in terra simul & in cœlo dantium testimonium, suppetente insuper ratione congruentissima, ducta ex maternitate Dei, quam vt sanctus Anselmus 2. rectè statuit, decebat tantus à peccato per vniuersam vitam recessus, quantus infra Deum concipi poterat, manifestè concluditur, assertionem Conceptionis Immaculatæ, esse exquisitè probabilem, vt assumebam, & Sixtus IV. declarauit; planéque habet ex ratione tacta à S. Anselmo, agnoscunt S. Thomas, 1. S. Bonauentura, 2. Gulielmus Vorrilongus 4. & passim alij.

1. l. 7. mirac. cap. 20.

2. l. de Conc. Virg. c. 18.

2. Ir 1. d. 44 art. 3. 3. sum. 1. 2. & 3. de B. V. 4. la. 3. disp. 3.

Doctrinam ergo quam Ecclesia iam à tempore Sixti IV. mandat probabilem & piam agnosci, estque reuera talis, vt monstratum est: pronunciare non cohærentem cum noua Gregorij XV. declaratione, est collidere Pontificum Decreta ad rem fidei spectantia, & inducere turbationem vel conuulsionem in doctrinam fidei, quod nemo non videt, quanto cum incommoda sit coniunctum.

---

§. VII.

Ratio quinta ex scandalo per hanc nouitatem ingenerando.

25 Quintò argumentor, ex scandalo quod hæc nouitas potest ingenerare, & fidelibus & infidelibus.

Inter fideles, dimissis implacabilibus inde iurgiis inter duas patricias sacras familias, de quibus Abulensis 1. quantas rixas & contentiones scuerit peruicax adhæsio ad præconceptam sententiam de conceptione Deiparæ maculata, testis est Sixtus IV. in Extrauag. *Graue nimis.* Nec hoc diffitentur ipsimet contrariæ doctrinæ propugnatores. *Perstringitur enim vulgus fidelium, percutitur, & torquetur* (inquit Melchior Canus Ordinis Prædicatorum,) 2. cum infectam mortali originis peccato, B. Virginem audit. Ob, exorientia inde in populis iurgia, & capitales dissentiones Aragonum ac Valentiæ Reges ab anno 1394. vsque ad annum 1461. legibus seuerissimis agere in buccinatores maculatæ conceptionis, sunt adacti. Sed vt gens Francica, Deiparæ semper fuit addictissima, ita vix vllibi, hanc ob causam, maiores fuere turbæ. Thomas Valsinghanus Benedictinus, 3. sic rem hanc describit. [*Per idem tempus in Francia FF. Prædicatores suam opinionem resumentes, de conceptu B. Mariæ Virginis, in tantam efferuti sunt superbiam, vt Episcopis illis inhibentibus huius rei silentium, noluerint obedire, Postremo nec Regi, & Præceptoribus id iubentibus: Quapropter, extra protectionem Regiam facti sunt. Iussi sunt etiam, intra propria se habitacula cohibere: de labore manuum suarum, intra loca sua viuere, egredi nusquam præsumere, sub pœna capitali: præceptumque est eis, ne de cætero quemquam ad Ordinem suum admitterent, sub pœna præmissa, vt post hos qui modò viuunt, nullus esset qui eorum Ordinem continuaret.*]

1. Parad. t. 6. 21.

2. l. 12. de locis cap. 11.

3. Hist. Angl. ad ann. 1389.

26 Hæc spectant turbas excitatas Lutetiæ anno 1387. cum Frater Ioannes de Montesono, aduersus immaculatam Deiparæ conceptionem, licentiùs egisset, tot enim turbæ aduersus ipsum Montesonum, & Ordinem Prædicatorum sunt excitatæ, vt Autor gestorum Clementis VII. qui Auenione agebat se pro Pontifice, testatus se affuisse, & omnia cominus perspexisse, diram procellam in Ordinem suum Dominicanum ea de causa excitatam describens, altè ingemiscat. Plagulam huc facientem, aliis multis recisis, repræsento. [In toto ferè Regno Franciæ, & præsertim in lingua Gallicana, (in *Languedoca*) quam plurimi

riml cõtra ipsos insurrexeruot multos ea ipsis capriuando, oblationea, & elenmosynas eis denegando, prædicationes verbi Dei propositiones, & confessiouum auditione eis inhibendo. Dicta etiam vniuersitas Parisiensis, eos à se totaliter segregauit. Quoad actus Scolasticos nullibi faciendos, aut honores, & gradus recipiendos, nedum non admisit, sed etiam impediuit. In quibus omnibus, fautores paucissimos, persecutores plurimos, habuerunt : fueruntque passi damna plurima, & infinita ; nedum in personis, sed etiam in bonis. Ac ve de iniuriis opprobriis, contumeliis irrisionibus, detractionibus taceamus ; pro tunc facti fuerunt tanquam opprobrium hominum, & abiectio plebis : durauitque tempestas huiusmodi, per plures annos, nec fuit qui eos adiuuaret & hoc maximè, quia, qui eos persequebantur, se Beatæ Virgini existimabant sacrificare, cui dictum Ordinem, & eius suppofita, multimodè iniuriari, & detrahere asserebant, in eo quod quasi omnes, ipsam asserunt, & opinantur in peccato Originali conceptam fuisse, quod vtique fore erroneum & damnatum, tales attruebant.] Threnos quos attexit, prætereo. Addunt Acta Caroli VI. Regis Francorum, Regem ipsum, Gulielmum de Valone Episcopum Ebroicensem, ea eodem ordine assumptum, munere Regij Confessarij abdicasse, pepulisséque tanquam infamem, eoquod Ioanno de Montesono defensorem ageret ; aduersus Conceptionem immaculatam ; & nunquam se Deinceps è tali ordine electurum aliquem qui ipsi esset à Confessionibus, confirmasse. Nec sedatam vtcunque fuisse tempestatem in populo commam, priusquam inducti Fratres Regia autoritate, festum Conceptionis celebrassent, & sententiam immaculatæ Conceptionis aduersantem publicè reuocassent. De turbis occasione eiusdem controuersiæ Rothomagi excitatis & indito aduersariis Conceptionis immaculatæ, probroso *Huettorum*, id est *exsibilatorum* nomine, meminit eiusdem temporis res describens Iuuenalis Vrsinus.

27 Huc pertinent quæ Ioannes Trithemius in Chronico Spanemensi ad annum 1497. memorat de turbis in Dieppensi Normanniæ vrbe concitatis, F. Ioanne Veri Ordinis Prædicatorum . ausso publicè de suggesto declamare in Conceptionem immaculatam. Qui citatus, compulsus est ad palinodiam, & iuramento firmandum, nunquam se deinceps tala quippiam effuturum. Per quam occasionem, in Academia Parisiensi, decretum esse vt deinceps quotquot Laureani Theologicam consequi vellent, iuramento firmarent, se eiusdem immaculatæ Conceptionis assertores, & pro viribus propugnatores futuros ; Idque Coloniensem quoque Academiam sanxisse biennio post Parisiensem ; moxque etiam Moguntiuam, altero post Coloniensem biennio, scribit Trithemius ad annum 1499. & 1501. Ioannem Thomam, Adamum Suessionæum, Gaufridum de sancto Martino, Ioannem Adamum, Petrum de Canchro, Ioannem Nicolai, & Petrum de Cheriaco, ad publicè retractandam opinionem de macularia Conceptione adactos esse Lotetiæ, vt excitati per eam doctrinam fragores conquiescerét, scribit Guaguinus in præfatione ad opus suum metricum contra Vincentium Baodellum de Castro Nouo qui edito libro, eaodem Deiparæ maculam, non absque tumultu, & turbatione tentarat astruere.

Eiusmodi nunc fuit sensus Gallorum, qui hodiéque persenetat, ita vt apud eos, assertio Conceptionis maculatæ scandalum graue esset illatura si audiretur. Et cum artificio quodam (de quo aliàs) solemnitas Conceptionis beatæ Virginis liberi cultus facta videretur, oemo fuit Episcoporum qui derogari splendori tantæ celebritatis pateretur. Itaque per totam Galliam, tantum abest, vt solemnitas festi recens sit imminuta, vt potiùs longè illustrior sit reddita. Miratus autem sum vehementer, qua ratione Frater Turcus Ordinis Prædicatorum Generalis, redux ex Gallia, & apud Hispanos quo primùm diuertit, & postea apud Italos disseminauerit, Fratrique Ioanni Baptistæ Marino id passim spargenti persuaserit oure in Gallia, optima quæque ingenia in sententiam Dominicanorum de Conceptione maculata concessisse. Hue è Gallis plerique, impacta mentitione repulerunt, audiente me, & fuit qui confirmaret, tantam Marianæ gloriæ maculam, appressa fortiter spongia, perbreui esse detergendam monstrata continuatione sensus Gallorum per quatuor minimùm secula, in asserenda Conceptione passiua Deiparæ, absque parentalis culpæ labe. Oportuit autem Fratrem Turcum, & edoctum ab eo Fratrem Baptistam Marinum, Apologorum Fratris Turci Romæ nomine dissemlnatorem, admodùm demissè de Sorbonicis Doctoribus sensisse, cum eos expunxerunt è serie optimorum Galliæ ingeniorum : quippè stantes pro Conceptione immaculata, eiúsque propugnatione, dicto ante inaugurationem, Sacramento firmantes, ne Dominicanis quidem cum Doctorum lauream suscipiunt, (& frequenter suscipiunt, ea iurandi obligatione immunibus. Si enim nunc optima quæque Galliæ ingenia, stant pro Conceptione infecta peccato originis, vt Turcus dixit, & Marinus refert, ac spargit, non sunt profectò Sorbonici inter optima Galliæ ingenia, & in re Theologica cedunt optimis quibusdam ingeniis, quæ atrorum ne, an alborum sine ignoratur. Neque enim audetent hoc palam in Gallia effutire, certi excitandorum ex ea assertione scandalorum, & discriminis effutiend impendentis, præsertim si supra, aut iuxta Sequanam, vel Ararim, tale quippiam andiretur. Turbas in Germania excitatas, cum Frater Vigandus Caupo Ordinis Prædicatorum, ausus esset impugnare Conceptionem immaculatam, memorat in allegato proximè Chronico Trithemius ad annum 1494. Itaque assertio Conceptionis labe originaria maculatæ, scandalum piis fidelibus ingenerauit iam olim,

28 Hæc si in viridi ligno sunt facta, in arido quid fiet? Non erat tunc adeò subacta hæc materia ; nec, difficultates aduersus eã more, adhuc à tam multis erant contritæ. Necdum quoad primas illas turbas decretum Sixti I V. fecoros præstans immaculatæ Conceptionis, studiosos prodierat: & tamen tanto zelo concitati sunt pro eius nitore fideles. Quid mirum radicata iam penitùs in pectoribus Fidelium ea veritate, affectu item erga Deiparam eiusque decora semper auctiore, doctrinam de Conceptione fœdata Originali peccato, nolitbi audiri absque grauibus scissuris & Ecclesiæ turbatione? Ita retiatur in decreto suo Gregorius decimus quintus. Et vt ille reticuisset, in re propè certa, non esset monitore opus. Insonant omnium auribus tempestates sonoræ ante paucos hos menses in variis Orbis Christiani regionibus

Theophili Raynaudi Marialia.

nibus, hanc ob causam excitatæ: etiamsi Aduersarij, vix nisi de retinenda sua opinione cogitarent; quæ procellæ sine dubio non miscerent, sed recrudescerent vehementius, cum fideles audient, tendi insidias piæ sententiæ, allegata immutatione notionis Vocum, facta à Gregorio XV. de qua immutatione post tot annos à Gregorij obitu; nemo mortalium quicquam inaudiuerat, ante hoc (prope dixerim) trinoctium. His ergo artibus depelli se de possessione antiqua, verbo, ac scripto appellandi Conceptionem Deiparæ immaculatam, plebs fidelis feret ægerrimè: & longè ægriùs quam ferret, quod aliqui Concept. Deip. censerent, ac dicerent maculatam, non obstantes tamen quominùs cæteri, & verbo, & scripto immaculatam dicerent: quod nunc primùm aduersarij satagunt vt prohibeatur. Nolim verus Vates esse; sed præsagit animus; quæ præcesserunt turbationes, non fuisse nisi prolusiones ad consummationem malorum: & qui huiusmodi moretum intriuerint, primos mortem in olla deprehensuros. De scandalo fidelibus hinc creando, satis. Lucas Vadinghus iusto ea de re commentario, multa singularia exempla in eam rem addensat; Neminem verò latet, quanta cuique iniiciatur obligatio, remouendi scandali, & consulendi paci fidelium; cum hic ob magnam negotiorum dissimilitudinem, non habeat locum ea D. Gregorij 1. sententia, S. Bernardo 2. probata; [Melius est vt scandalum oriatur, quàm vt veritas relinquatur.]

1. homil.7. in Euang.
2. e Apol. ad Gul. Abbat.
3. in Cantic. Magnificat ad vers. 3.

29 Quod infidelibus quoque creandum hinc scandalũ præmittebam, intelligo præsertim de sectarijs: Quamquam vix ambigam, quin si ad Turcas quoque, & alios Paganos fama huius nouitatis permaneret 3. renouandum esset scandalum quod Iacobus Perea de Valentia, Ioanne XXII. ad Ecclesiæ clauum sedente, anno 1322. exortum testatur; cum Soldani Armeniæ filius, Græcè, & Latinè peritus, qui ad Pontificem Baptismi candidatus aduenerat, audito Concionatore qui pro suggesto aduersus immaculatam Deiparæ Conceptionem conclamauerat, resiluit à consilio suscipiendi Baptismi, non absque stomacho in eos qui talia de Christi matre dicta sustinerent, quæ ne Saracenos quidem pacificè excepturos, est contestatus. Hereticos quos habemus propiores, quantam sermonum materiam ex hac nouitate accepturos putamus? Quàm altè cachinnos tollent, si intelligant, nouas vocum notiones excogitari, & refingi ac reformari Dictionaria, ne quod præfert cortex verborum, in Pontificum de Conceptione decretis, retineatur; & ne prima Deiparæ animatio, (vt hactenus licitum fuerat) immaculata affirmetur? Quod verò iudicium ferent de Catholicis, si audierint apud eos verirum esse, dicere Conceptionem sumptam pro prima animatione esse immaculatam; fas tamen esse, dicere animationem primam B. Virginis esse immunem ab omni peccato? At (inquient) sensus, non sermo fit crimen, iuxta Hilarium l.2. de Trini. & Nazianz. præfatione ad tractatum de fide. Tametsi verò Sectarij erga Deiparam, quæ caput serpentis contriuit, & cunctas hæreses sola interemit in vniuerso mundo pessimè sint affecti, & Lutherus qui fuit illis magnus Pan, professus est se ad nomen *festi Conceptionis* cohorrescere, tamen de nostris, (vt iactabunt) contentionibus, ac verbalibus tricis, deque mutabilitate in rebus tanti momenti, ac de proscripta, (certè vulgari typis verita) Conceptione immaculata B. V. agent triumphum.

30 Recens, certis nuntiis auditum est, Blondellum quendam, apud Veneticos non ignobilem in Caluini hara sobuculum, aut edidisse, aut proximè editurum esse, lucubrationem quandam suam, de mutata tandem, quæ hactenus inuariata, & immobiliter firmata habebatur, fide Romanæ Ecclesiæ: argumento ducto ex eo quod erasum esset ex albo festorum agitandorum cum cessatione à seruilibus, quod priùs iam ab aliquot sæculis solennissimum erat, festum Conceptionis B V. itémque ex eo quod vetentur nunc Catholici dicere, & vulgare Concept. Deip. esse immaculatam quod pridem dicere, & edere sinebantur. Haud vana est coniectura pro more huiusmodi pecuariorum Caluini, genio Blondelli, ipsum Molossicè in Catholicos, & Romanam Ecclesiam baubaturum, non minùs scripto, quàm voce iam fecerit. At interest permagni, vt subducatur hostibus Ecclesiæ, occasio opponendi nobis instabilitatem in negotio doctrinæ fidei ac religionis. Ex quo capite præsertim, malè audierunt semper omnes Sectarij, vt de sui temporis erronibus notauit Sanctus Irenæus 1. & de nuperis, vir doctissimus Claudius Sanctesius. 1. l.3 c.2. 2. præfat. ad rep. de Euch.

---

§. VIII.

Sexta Ratio, ex inanitate fundamentorum quibus prætensa mutatio notionis vocum, & reformationis Dictionarij, innititur.

31 ARgumentor sextò, monstrando Aduersarios omnia hactenus proposita incommoda deuorare absque fundamento. Hoc vt euincam, breuiter recolo, quæcunque in Luni, & Cleri scriptione occurrerunt, ad huius nouitatis comprobationem, & tituli *Immaculatæ Conceptionis* proscriptionem.

Primum ac præcipuum, quod ab his Theologis vrgetur, est, quod nisi admittatur, à tempore Gregorij XV. vocem *Conceptionis*, aliud significare quam priùs, atque adeo non amplius significare animationem primam, sed longè aliud, sequeretur, Pontificem illum, suo decreto, quo edixit, festum quod agitur VIII. Decembris, esse celebrandum tantùm sub vocabulo *Conceptionis*, definiuisse, tanquam ex fide certum, primam Deiparæ animationem fuisse absque peccato Originis, quod tamen ipse Gregorius, negat ab se definitum. Hoc autem sequi ex decreto Gregorij, nisi mutata per eum sit notio nominis *Conceptio*, probant aduersarij: quia Conceptio quam Pontifex proponit vt obiectum cultus religiosi, debet necessariò esse sancta; non sanctitate dubia, sed explorata, & certa secundum fidem. Cùm igitur Pontifex mandet in celebratione festi, & officij de Conceptione, præteriri alias voces compossibiles cum sententia contendente primam Virginis animationem fuisse Originali peccato maculatam, iubeat verò adhiberi solam vocem *Conceptionis*, necessarium prorsus est, vt ab eo tempore significatum vocis *Conceptio*, non arctetur amplius ad primam animationem, sicut priùs arctabatur: sed extendatur ad nomenem vtriusq; sententiæ communem, ita vt iuxta illam significationẽ ei voci de nouo substratam, prima Virginis animatio agnosci, ac dici possit maculata: vnde concluditur,

nunc

nunc *conceptionem* non posse dici *immaculatam*; quia probabilitas alterius sententiæ, cui Ecclesia nullum intulit præiudicium, non potest cohærere cum eo attributo *Immaculata*, cadente in conceptionem, quamuis ante decretum Gregorij, cum vox *Conceptio* non grauidabatur notione indifferente ad vtramque sententiam, posset dici *Conceptio immaculata*, quia non excludebantur voces, quibus alia sententia labem Originalem Virgini illinens, efferri poterat. Hoc est primarium fundamentum, cui Aduersarij inædificant proscriptionem illius pronunciati *Conceptio Virginis est immaculata.* Quo fundamento iacto exclamat interrogando Linus: Quis ergo non videt, diuersitatem status in acceptione huius nominis *conceptio*, ante Greg. XV. & post illum.

32 Non est tamen difficile monstrare hoc fundamentum esse planè ruinosum. Neque enim si Gregorius XV. dixit velle se, vt omnes octauo Decembris, festum, & officium peragerent sub nomine *Conceptionis*, sumptæ prout ea vox tunc sonabat: hoc est pro prima Virginis animatione, eámque Conceptionem proposuit pro obiecto cultus religiosi, & laudabilis erga Deiparam pietatis, consequens est, vt definiuerit tanquam ex fide certum, quod prima Virginis animatio fuerit labis originariæ expers, & immaculata. Nam ad statuendam Conceptionem sic acceptam, pro obiecto cultus; sufficit vt Pontifici visum sit pium, ac probabile, quod B. Virgo semper labe caruerit, eiusque prima animatio fuerit immaculata. & hoc est in quo aduersarij, vel vltrò cæcutiunt, vel obturatos habent oculos, quibus perspiciant, quando definitur cultum alicuius personæ esse licitum, & religiosum ac pium, non idcircò statui, vt ex fide certum, quod persona, cui cultus decernitur, fit sancta, & collucens gratia sanctificante. potest enim religiosè, ac piè coli, ex sola certitudine morali, aut ex prudenti & probabili iudicio, quod sit cultu digna.

33 Habemus euidentissimum exemplum in Natiuitate, & Præsentatione B. Virginis, quæ religioso cultu quotannis sunt illustres: neque tamen ex fide definitum est, quod B. V. Natiuitas fuerit sancta, cum id solum habeatur ex moraliter conuincente congruitate, ob prærogatiuam natiuitatis sanctæ, aliis quibusdam puris hominibus concessam: quæ prærogatiua multò magis Virginem decuit: ac proinde nullo modo potest videri verisimile, Virgini defuisse. Multò minùs definitum est, Virginem in Templo fuisse præsentatam, sed id ex paucorum non adeò antiquorũ testificatione, tanquam pium, & verisimillimum, religioso cultui obiicitur, magno fidelium bono. De Assumptione, quatenus spectat præcocem Virginis Anastasim, & corporis iam rediuiui sublationem in cœlum, idem dicere liceret. Nec enim est fide certum, quod B. Virgo sit eo modo assumpta in cœlum, vt ex multis DD. ostenditur in Diptychis 1. Et tamen ea Assumptio, est religiosissimum anniuersariæ solemnitatis obiectum. Non minus perspicuum est, exemplum de Sanctis Canonismo exornatis: ago de illis SS. quos Scriptura, aut Verbum diuinum traditum, non proponit vt Sanctos; sicut proponit Deiparam, & Apostolos quorum nomina scripta in cœlis fuisse testatur. Qui ergò Canonismo honestantur, & post discussam ritè causam, diplomate Pontificio renunciantur sancti, & cultu digni, haud dubiè honestè coluntur, & religiosè ac piè: neque tamen fide certum est, eos sanctos esse, vt expressè tradit Sanctus Thomas 2. consentiuntque primarij quique Theologi; ac nominatim Caietanus 3. Canus 4. Corduba 5. Malderus 6. Suarez 7. Vasquez 8. & alij, suo loco recensiti. Ac vt præcidamus disputationes non necessarias, saltem de his qui *beatificati* duntaxat dicuntur, certum est, eos piè ac religiosè coli; quamuis nemo dixit, eorum cœlestem gloriam fide diuina esse tenendam. Igitur cultus religiosus non infert certitudinem fidei de sanctitate personæ quæ colitur. Simile est, de hac numero hostia consecrata, quæ sub sactum adoranda proponitur: & certum est, ex prudenti iudicio quod sit verè consecrata, piè ac religiosè coli, quamuis non sit diuina fide certum, quod sit consecrata. Quid si enim is, qui ministerium consecrationis obiuit; defectu Characteris, aut intentionis necessariæ, nihil fecit? Non dissimiliter igitur in re nostra, quamuis non sit ex fide certum, primam Deiparæ animationem fuisse immaculatam; tamen quia prudenter iudicatur talem fuisse; idque Pontifices pium, & probabile, & expers cuiusuis periculi agnoscunt, rectè Conceptionem sic spectatam proponunt fidelibus, vt obiectum cultus Religiosi, salua contrariæ aduersariorum opinationis immunitate à censura hæreseos, vel erroris, quamdiu Ecclesia hærens in Conceptionis immaculatæ summa probabilitate ac pietate, non vult ad penitiora progredi in hoc negotio: Sed quorsum quæruntur in plano salubræ? Ipsimet aduersarij fatentur Sixtum IV. & alios Pontifices Gregorio XV. anteriores, approbasse celebrationem Immaculatæ Conceptionis, sumendo *Conceptionem* pro prima animatione: Nec tamen idcirco definire intendebant tanquam ex fide certum, Conceptionem esse Immculatam, vt etiam Aduersarij profitentur. Quare ergo Gregorius XV. censendus esset definisse Conceptionem esse immaculatam; quia eam pro obiecto Religiosi cultus proposuit, nisi *Conceptionis* nomen vsurpasset in alio sensu, quam pro prima animatione?

1. part. 2. p. 10. num. 1.

2. quodl. 9. art. 16. 3. 1. opusc. tract. 15. c. 8. 4. 5 de locis c. 5. 5. 1. 4 q. 12. 6. tract. de Pont. d. 4. prop. 4.

7. d. 5. de fide l. 8. n. 8. 8. 1. 2. d. 115. num. 94.

---

§. IX.

Detersa calumnia sextuplex impacta titulo Conceptionis immaculatæ, *spectatis illum tribuendi fundamentis.*

34 Sic disiecto primario fundamento, ex quo aduersarii contendunt factam esse à Gregorio XV. mutationem significationis vocis *Conceptio*, & inductam necessitatem proscribendi à *Conceptione* sic reformata, titulum *Immaculata*; attingenda obiter ac cursim sunt alia quædam, quibus Linus & Cletus grauant piam sententiam cui inhæremus, & titulum *immaculata* à Conceptione Deiparæ proscriberidum decernunt. Nam etiam, hæc pars est non postrema fundamentorum quibus aduersarii inædificant homonymiam vocis *conceptio*, eiusque notionem excludentem titulum *immaculata*, substratam (vt volunt) à Gregorio XV.

Causantur itaque imprimis, stare aduersùs eum titulum, *authoritatem omnium SS. Patrum ac Doctorum Antiquorum*: nec eum tit inniti nisi fundamentis admodum ruinosis; puta *Apocrypha definitione Concily Apostolici, confictis reuelationibus, miraculis somniatis, & Bullis Pontificũ adulteratis.* Eiusmodi verò non esse fundaméta sententiæ

negantis Conceptionem immaculatam, gloriatur Linus, qui hac gloriatione, immane quantum piæ sententiæ assertores sauciat, sed ita tamen, vt eadem se sica confodiat. Expendamus tantisper singula, illud breuiter præfati, opportunum hic maximè videri monitum ab Atheniensibus, facto potius quam voce suggestum, cum aras contumeliæ ac impudentiæ, statuerunt. Fana vocat Tullius agens de scelere Cyloniano 1. Lapides argenteos vocat Pausanias 2. aras Plutarchus 3. Heraclides Ponticus 4. ac Zenobius 5. Parœmiastes, omnes post Theophrastum. Iubebantur accusator, & reus accusationem depellens, iis lapidibus aut aris insistere, accusator quidem ei cui nomen erat *contumeliæ*, reus autem ei cui nomen erat *impudentia*. Significabant autem Athenienses indicta vtrique parti concertanti ea insistentia, criminatoris esse absque contumelia accusare, rei verò esse incerta probra absque independentia depellere. Sic enim institutum illud Atheniensium, rectè exposuit Iacobus Nicolaus Loënsis. An criminator in hac causa, aræ contumeliæ institerit, exoraturus à contumeliis indignis abstinentiam, viderit ipse: quanquam quæ ab eo intorta referemus, planè monstrabunt, quàm infeliciter litauerit. Nostrum erit atroces contumelias, & quibus vix possint acerbiores inferri, tenere moderationem, ac pudenter Deiparæ causam agere, tametsi efficaciter, & ita vt intuitione decorum tantæ matris, ac in pactorum ei probrorum depulsione non præuaricemur. Esto atrocitas contumeliarum quibus pia sententia eiusque assertores impetuntur, robustiorem cœni regestionem admitteret.

1. l. 2. de leg. 2 in Atticis. 3. in Solone. 4. in fragm. politiarum 5. adag. Θεὸς ἡ ἀναίδεια. 1. l. de legibus. 2. l. 5. miscel. cap. 7.

---

§. X.

Labes prima, quod huiusmodi titulus sit contra omnes Patres, eluitur.

35 QVòd sententia tribuens *conceptioni* titulum *immaculata*, dicitur esse *contra omnes sanctos Patres, & antiquos Doctores*, atrociter iniuriosum est illius sententiæ assertoribus. Hoc enim perinde est, ac si diceretur eam sententiam esse hæreticam. Rarum quippè est in Dei Ecclesia, doctrinam sanam, eam esse habendam, quæ est conformis communi sensui sanctorum Patrum. Id enim est idoneum argumentum verbi Dei, vel scripto comprehensi, cuius explicatio ad communem sensum Patrum est exigenda, vt sanxit Tridentinum Concilium 1.) vel certè verbi traditi, ac per manus ad nos transmissi, vt fusiùs exponunt Carbo 2. Molina 3. Gillius 4. passimque qui declarant locos Theologicos; vel fundamenta ad ferendas de propositionibus Censuras aperiunt: viceuersa demonstrantes, doctrinam cum sensu communi sanctorum Patrum pugnantem, reprobam esse, & hæresi vel errore sordere. Hoc aduersarij, de sententia immaculatam Conceptionem approbante, non ausint dicere; quia est manifestè contra Sixti IV. decretum; in Concilio Tridentino confirmatum.

1. sessio 4. 2. l. 4. cap. 19 introd. ad Theol. 3. 1. p. q. 1. art 8. 4. 1. p. l. 1. tract. 7. c. 13. n. 10.

36 Solus post Sixtum, Bartholomæus Spina, vt erat h... nominis sui, & supra Hipponactem mordax, ac vt Catharinus de eo scribit, *terribiliter ac infrunitè loquens, adeo acutè vt spinam esse facilè agnosceres*, ausus est, piam illam sententiam damnare hæreseos: Et acerbissimè scripsit in Caietanum, tametsi Magistrum Ordinis Generalem, ob ea quæ habet 1. 2. quæst. 81. art. 3. Ibi enim præmittit Caietanus, de fide esse, quod omnis vtriusque sexus, ab Adam secundùm rationem seminalem prouenientis, ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato Originali: quia aliter non indigeret redemptione per Christum: quod dicere, esset hæreticum: quamuis ad indigentiam redemptionis, sufficiat obnoxium fuisse peccato Originali, illudque incurrisse, vel in actu, vel in necessitate habendi illud, neque enim solùm redemptione eget actualiter captiuus, sed etiam obnoxius captiuitati. Hæc omnia ibi Caietanus, qui subdit; *& hæc benè notabis tu Thomista, ne nimio zelo, non secundum scientiam accensus, erronea dicas, quæ erronea non sunt, cum de Beatissima Virginis conceptione disputas, aut prædicas.* Hæc sapientissima Caietani monitio, adeò pupugit Spinam, vt oblitus pudoris, eadem petulantia in Caietanum bacchatus sit, quâ solet in Scotum, aut Scotistas: vt videre nominatim est, in digressionibus quas intexuit lectionibus sancti Thomæ in Metaphysicam, filum cannabinum admodum crassum, aureo sub tegmini immittens. Adeò enim ibi inhorrescit eius scriptio, vt nullus si Rhamnus aut Paliurus horridior. Contendit itaque Spina, malè pronunciasse Caietanum quod non sit damnanda hæreseos, exclusio peccati Originalis à B. Virgine, dummodo admittatur habuisse contrahendi illius peccati debitum, nisi diuina præseruatio actum exclusisset. Hæc audiens Spina, continet aures suas, & impetum facit in Caietanum integro aduersus eum tractatu, qui inter eius Opuscula legitur, editus longè post Caietani obitum, peruicaciter, & obfirmatè contendens hæreticum esse, negare quod B. Virgo reipsa, & actu contraxerit peccatum Originale. In quo Spina quantumcunque lauerit se nitro, & multiplicauerit sibi herbam borith, non potest purgari à graui culpa, aut eximi ab excommunicatione per Sixtum prius intorta. Aduersarios autem cum quibus nunc res est, existimo cautius agere. Abstineant ergo necesse est, infami illa nota, qua piam sententiam inusserunt, dicentes eam esse contra *communem sensum omnium sanctorum Patrum, & antiquorum Doctorum*: Hoc enim perinde est ac dicere, eam eam esse erroneam, vel hæreticam.

37 Absit verò vt admittamus, sanctos Patres, & antiquos Doctores omnes, stare ab Aduersariis. Quinimò maxima Patrum pars, contrarium habet: & ex omninò multis quos Bādellus allegabat, pars non modica infideliter citatur, & per adulterationem manifestam, vt iam infinities est monstratum à grauissimis recentioribus: paucique illi qui pro aduersariis esse videntur, ferè agunt de debito contrahendi peccatum Originis: cui debito, (quidquid recentiorum plerique ad alterum extremum progressi statuant,) verisimilius est subiacuisse Deiparam. Vix aliud intendisse Patres cum aliqua dixerunt, quibus in speciem visi sunt minùs attentis, aduersus immaculatam Deiparæ Conceptionem sentire, monstratur in Diptychis Marianis 1. post Thomam de Argentina 2. Petrum Canisium, 3. & Catharinum in Caietani impugnatione 4.

1. p. 2. punc. 2. 2 n. 27. 2. in 3. d. 3. q. vnic. art. 1. 3. l. de Deip. c. 7. 4. L. 4. d p. 291.

38 Quod si liberet concedere, Patres olim fauisse aduersariis, (quod nunquam dabo,) in promptu esset responsio quam ipsimet FF. Prædicatores iam olim suggesserunt, cum anno 1524. Hispali in Manuali ab ipsis edito, sic edixerunt *Quia Ordo Prædicatorum solitus est sanctorum Doctrinæ adhærere; defendit huc-vsque opinionem quod. B. Virgo fuit concepta in Originali sed jam de hoc non est*

curandum; cum materia sit nullius vtilitatis, & valdè scandalosa: præsertim cùm tota ferè Ecclesia, cuius vsus, & authoritas secundum B. Thomam prævalet dicto Hieronymi, & cuiuscunque alterius Doctoris, iam asserat, quod fuit præseruata. Nec mirum, quia tempore Augustini, tanta quæstio erat de Assumptione Beatissimæ Virginis: Unde dicit: Homo non fingat mendaciter apertum, quod Deus voluit manere occultum. Et tamen iam vniuersaliter tenet Ecclesia, quod sit assumpta in corpore & anima; & appositum nullus auderet iam opinari.] Firmarunt hæc, magna ex parte, eiusdem Ordinis Patres, in Capitulo Vallisoletano anno 1605. Itaque quamuis negamus, Patres (maiori saltem ex parte) fauisse aduersariis, & paucos illos quos in speciem pro se habent, facilè explicationem admittere, meritò contendamus; tamen etiamsi Aduersarij, contrarium euincerent, (quod nunquam facient;) potiorem debere esse sensum Ecclesiæ, liceret reponere: vt vides ipsosmet FF. Prædicatores agnoscere, post S. Thomam 1.

1 1.2.q.10. ar.12.

39 Quod verò nominatim Cletus, vrget Sanctissimum Dominum Innocentium, ad agnoscendam Conceptionem Deiparæ maculatam, exemplo decessorum suorum, Innocentij secundi, & Innocentij tertij, ac Innocentij quinti, Sanctis Patribus meritò annumerandorum, cùm fidelium omnium Patres fuerint; non simpliciter, sed subdolè est factum. Nam Innocentius quidem secundus, quo libro scripserit quod ex eo alligatur, mihi incompertum est. Vnicum enim eius opus, quod in Canticum Canticorum exarasse dicitur, & in Bibliotheca Sancti Galli apud Heluetios asseruari ferunt, necdum lucem vidit. Quid si igitur vocantur hic, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt? Hæc sanè Innocentij secundi allegatio, primùm facta est à Vincentio Bandello de Castro Nouo. At hic author adeò infinitè mendax in allegandis Patribus atque Doctoribus deprehensus est, vt suos quoque puduerit tot falsiloquiorum, truncationum, adulterationum, suppositiciarum allegationum, quibus vniuersa Bandelli scriptio scatet. Sed vt res se habeat, verba quæ ex Innocentio secundo allegantur, facilem admittunt explicationem. Monstrans enim quàm differens sit Euæ & Deiparæ natiuitas, illam absque culpa conceptam, filios cum culpa concepisse: Mariam verò ita esse in culpa productam, (nempè vi generationis ordinariæ ex Adamo, ac nisi diuina præseruatio interuenisset,) vt tamen filium sine vlla culpa produxerit. Quæ verborum Innocentij explicatio, est per se fluens, & expedita; nec minùs congruit, quàm expositio illa generalium locutionum scripturæ & Patrum; quibus vniuersè asseritur, non esse hominem qui non peccet; & iustos quoque, septies in die cadere, ac neminem mundum esse à sorde, saltémque à labeculis minutorum peccatorum: Et tamen certum est ex fide, B. Virginem illis locutionibus non comprehendi, vt declarauit Concilium Tridentinum; tametsi locutiones sunt vniuersales, & veræ; quia comprehensuræ quoque essent B. Virginem, nisi speciali priuilegio diuinitùs fuisset communita, & ne laberetur, prohibita. Aliam loci Innocentij interpretationem mox dabo, tractans locum secundum ex Innocentio tertio, cuius est locus qui allegatus est tanquam Innocentij secundi, vt plures minùs fauentes Deiparæ, ingererentur Innocentio X.

a Serm. de de Purit. B. Virg.

40 Non minùs facilè expeditur Innocentius tertius 1 qui sermone quem habuit cum adhuc esset Lotharius, Canonicus Regularis tantùm ait, B. Virginem fuisse mundatam à peccato Originis: quod est accipiendum eodem sensu, quo apud D. Ambrosium 1, *Caro Christi* dicitur fuisse à *Spiritu Sancto expiata*; quod idem est atque *mundata*. Sicut ergo non idcirco Caro Christi vllis peccati sordibus fuit inquinata, vt *expiata* & *mundata* in sensu quem cortex vocis præfert, dici potuerit: sed dicta est *expiata*, siue *mundata*, quia, regente Deo, ab omni labe mansit immunis; Ita idem proportione statuendum est, de Deiparæ mundatione à peccato Originali. Id quod multo magis de ea valet, quàm de Christo, qui nulla ratione poterat esse peccati sordibus obnoxius; quibus subiacuisset Deipara, nisi obstitisset diuina præseruatio, quæ fuit virtualis & anticipata mundatio. Sicut etiam redempta à Christo dicitur, quamuis nunquam fuerit serua peccati, & captiua satanæ; quia præuenta est ne captiuaretur: quæ fuit anticipata & virtualis exsolutio à captiuitate, & gratiosior liberatio, quàm si post incursum seruitutis, annumeratum esset litrum, & pretio comparata libertas.

1 in cap. 8. ad Rom.

Opponi præterea ex Innocentio tertio solet, Illud ex sermone eius secundo de Assumptione B. Virginis, inter pertractandum antitheses varias quibus Eua & Maria contraponuntur. [Illa; (Eua) fuit sine culpa producta, sed produxit in culpam. Hæc autem (Maria) fuit in culpa producta, sed sine culpa produxit.] Hæc antitesis nullo negotio retinetur, saluo nitore Conceptionis passiuæ Deiparæ, si illæ voces *in culpa producta*, referantur ad culpam parentum Deiparæ, generantium prolem cum sua aliqua culpa. Nihil quippè procliuius est, quàm vt coniuges quantumuis pij & sanctitate prædiri, culpam aliquam admittant in vsu coniugij, abripiente vehementis delectationis illice voluntatem, aliquatenus vltra recti exquisitè sumpti terminos. Quod enim Lactantius 1, etiam vehementem libidinem in proprio thoro, culpa carere pronunciauit, accipiendum est de carentia culpæ grauis, non autem de omni prorsus culpa, quam perfacilè in tali opere obrepere, sæpè docet D. Augustinus, & disertè quoque S. Fulgentius. 2 Et ad illius incendij temperationem, in Ecclesia Christiana ex vsu perantiquo, de quo Turrianus 3 innuitque etiam à S. Paulino in calce Epithalamij Iuliani & Iæ consortis censetur Sacerdotalis benedictio, ante coniugij vsum præmitti solita; cuius quamuis aliæ præterea sint vtilitates, hæc tamen non est exigua, quod interuentu piæ illius apprecationis, & precum sanctificantium, quasi ventus roris, fornacem Babylonicam perflet ac temperet, ne in æstus illos afferuescat, de quibus Serarius 4 ad monitum Angeli datum Tobiæ iuniori, coniugium ineunti. Quamuis ergo parentes Virginis essent sanctissimi; nec dubium sit, quin coniugale commercium exercuerint in omni iustitia & sanctitate coram Deo: Tamen Innocentius captans antitheses inter Euam sine vlla prorsus culpa à Deo ipso productam, & B. Mariam à parentibus humano more procreatam, ingessit mentionem leuiculæ alicuius culpæ, quæ saltem vt plurimùm, aut etiam ferè semper, parentibus coniugio ex se Immaculato vtentibus, obrepit; & vt talis quædam labecula in eo ipso commercio ex quo B. Virgo est procreata, leuissimè sanctos illos coniuges maculauerit, cogitare potuit. Qualiscunque verò atomus (vt ita dicam,) culpæ, satis Innocentio fuit, ad contrapositionem & antithesim Euæ ac B.[æ] Mariæ circa illius effectionem absque vlla culpa, & huius Con-

1 lib. 6 Inst. cap. 16. & 23.

2 l. de fide ad Petr. cap. 3.

3 lib. 5. contra Magdeb. c. 3.

4 in C. 6. Tob 4. 16. & 17.

ceptionem actiuam cum culpa; non ipsius Virginis, sed parentum actiuè eam concipientium. Non assentior quidem huic Innocentij dicto tanquam certo; qui alibi ostendo, commercium parentum B. Virginis ex quo ipsa prodiit, fuisse vndecunque nitens ex speciali Spiritus Sancti prouidentia. Tantùm aperio, quid Innocentio sit visum, & in quo ipse authithesim ortus primæ ac secundæ Euæ constituerit, quod vnius plenum nitorem penes causam efficientem, alterius verò nonnullam maculam in eodem causæ genere, absque vlla tamen effectus producti, siue B. Virginis, labe.

41 Tandem summus Pontifex Innocentius V. nihil tale dixit quale ex eo allegatur: nimirùm quod *B. Virgo fuit in vtero Matris sanctificata; non ante animationem, quia tunc gratia capax non erat; nec etiam in ipsa animatione, quia tunc Originale peccatum non contraxisset; & sic non eguisset vniuersali Christi redemptione, quod non est dicendum. Sed piè considerandum est, quod citò post animationem, non tamen in ipso momento, à peccato fuit per gratiam mundata & sanctificata: aliter fuisset æqualis puritatis cum Christo. Hoc non est dicendum.* Nihil horum dixit Papa Innocentius V. sed neque apud F. Petrum de Tarentasia, Ord. Prædicatorum, in Romanum Pontificem postea assumptum, & nomine Innocentij quinti donatum, tale quid reuera legitur. Imo ipse in 3.d.3. planè tradit contrarium, & Conceptionem Deiparæ, agnoscit fuisse immaculatam. Quod si alicubi dixisset, quæ ex eo sunt prolata, facilè esset respondere, non esse adscribenda Innocentio, quæ F. Petrus in Cœnobio dixerat, cum eius doctrina multis furfuribus scateret: in quibus cribrandis, laborandum fuit Sancto Thomæ, iussu Magistri Generalis Ioannis Vercensis; qui centum & octo propositiones ex libris Petri de Tarentasia, censendas miserat ad S. Thomam. Possit verò & ipse Petrus, de se iam Pontifice, dicere, quod Dux Aurelianensis, euectus in Regem Francorum Ludouicum XII. reposuit; *Francorum Regis non esse, pro Duce Aurelianensi agere.* Quod si Aduersariis hæc pro Innocentio. V. responsio non facit satis, cogitent quid respondeant, si vrgeantur authoritate Alexandri V. qui in 3. dist. 3. cum esset F. Petrus de Candia Ordinis Minorum, stetit pro Conceptione immaculata, eámque apertissimè comprobauit. Hæc strictim ad authoritatem omnium Patrum, qua Linus, piam sententiam immaculatæ Conceptionis patrocinantem inconsideratè grauabat.

§. XI.

Extergitur labes secunda, quod Titulus Immaculatæ Conceptionis, *omnes Priscos Doctores habeat Aduersantes.*

42 IAm quod Doctoribus omnibus Antiquis, aduersari dicitur pia sententia; per auxesim, imo prodigam veritatis dilapidationem, dictum esse, demonstrare nullo negotio liceret, nisi id pridem alij diffusissimè monstrassent. Et verò an non Schola Scotistarum, multos & insignes habuit antiquos Doctores? At ij ad vnum omnes, à primo, qui vel S. Antonius Patauinus, vel Alexander Alensis habendus est, ad hodiernos vsque, stant acerrimè pro Conceptione Immaculata. Qua igitur fide iactatur, omnes antiquos Doctores impugnasse Conceptionem Immaculatam? S. Antonium Conceptioni immaculatæ adhæsisse, loca ex eo ab aliis annotata, fidem faciunt: nec ex fide allegatur in contrarium, serm. de Natiu. B.V. cum nullus talis apud eum extet sermo. De Alexandro Alensi, dictum est in Diptychis. S. Bonauentura 1. visus est maculatæ Conceptioni patrocinari in Commentariis 3. sententiarum, quia tunc iunior erat, & Mauritij Episcopi Parisiensis interdictum, scribentes in Gallis, angebat: sed regressus in Italiam & senior factus, contrarium sensit. Hæc eius verba sunt, serm. 2. de Natiu. B. Virginis ad finem Tomi tertij. [*Domina nostra, fuit plena gratia præueniente in sua sanctificatione: Gratia scilicet præseruatiua, contra fœditatem Originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia præuenta præseruataque fuisset: Solus enim filius Virginis, fuit ab Originali culpa immunis, & ipsa mater eius, Virgo. Credendum est enim, quod nouo sanctificationis genere, in eius Conceptionis primordio Spiritus Sanctus eam à peccato Originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit; atque singulari gratia præseruauit.*] Similia habentur in 1. & 3. sermone. Et in hoc postremo allegantur duo anteriores sermones: & proferuntur indidem verba quædam, ex proximè recitatis, spectantia immunitatem Deiparæ ab Originali peccato. Vt videas, quàm vana sit coniectura Angeli Roccæ, qui sermonem illum secundum è quo plagulam carpsimus, abiudicat S. Bonauenturæ, eo quod ibi S. Bonauentura clarè agnoscat immaculatam Conceptionem, quam in 3. sentent. negauerat. Sed meminisse oportuerat Roccam, duodecim esse horas diei: Et vnum ac eundem authorem, pro veritate diuini luminis, posse priorem sententiam quam falsam deprehenderit, recantare. 1. in 3. d. 3. q. 2.

43 Idem de S. Thoma pronunciat Gulielmus Vorrilongus 1; cum scilicet nunc hoc, nunc illud de hac re tradidisse. Nam in 1. sent. 2 explicatissimè negat, B. Virginem contraxisse peccatum Originale. Alia ex eo loca signantur in Diptychis; vbi etiam admonetur, apud aliquos suspicionem esse adulterationis in q. 27. tertiæ partis artic. 2. ad 4. Sicut constat varias fermentationes (maximè circa hoc negotium,) ab aliquibus passum esse S. Thomam. Similitérque Albertus, 1. qui passim citatur contra Immaculatam Conceptionem, adulteratus est manifestè. Sic enim allegatur. [*Dicimus, B. Virginem contraxisse Originale peccatum, nec fuisse sanctificatam ante Conceptionem, nec in Conceptione; sed post Conceptionem. Dicere autem oppositum, est hæresis condemnata à B. Bernardo, & ab omnibus Magistris Parisiensibus.*] Sic quidam Albertus, ex fide infida allegantium illum contra Conceptionem Immaculatam; contra quam reuera nihil habet; cum tantùm ista scribat. [*Dicimus quòd B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem. Et qui dicunt oppositum, est hæresis condemnata à B. Bernardo in Epistola ad Lugdunenses, & à Magistris omnibus Parisiensibus.*] Heu prisca fides! Possem similiter ex aliis Ordinibus, aut ex secularibus proferre multos antiquos Doctores, si res ferret. Sed hoc specimen esse satis videtur, vt liquidò appareat, quanta cum prodigalitate veritatis, Aduersarij asserant sententiam aduersantem Conceptioni Immaculatæ, esse omnium antiquorum Doctorum. 1 in 3. d. 3. 2. dist. 44. q. 1. art. 3. ad 3. 1. in 3. d. 3. art. 4.

Non priùs hinc excedo, quàm notauerim, originem nonnullius veritatis quæ in scriptis priscorum Scholasticorum deprehenditur, dum eorum aliqui quandoque agnoscunt Conceptionem Dei-

paræ

paræ esse immaculatam, quam alibi tradunt sorduisse peccato Originis. Verisimile est, eos alicubi, (cum scilicet nitorem Conceptionis agnoscunt,) expressisse sensum suum. Aliàs autem profitendo contrarium, expressisse sensum alienum, & adactos seruisse tempori. Cum enim vtraque pars videretur posse probabiliter sustineri; & suppeterent haud inania fundamenta, quibus inniti, siue hanc, siue oppositam partem firmarent; facilè eueniebat, vt cum liberum erat expromere sensum suum, piæ sententiæ suffragarentur: cum autem metu accersendi sibi aliquod incommodum, non possent aperire rotundè ac syncerè mentem suam, seruirent tempori; quod in re minùs tunc explorata, & vtrinque in speciem probabili, fas esse videri poterat, & in rebus opinabilibus, factum sæpè à Sanctis & à Philosophis, notauit Gabriel 1. Quia ergo Mauritius Episcopus Parisiensis, ex suo peculiari sensu quod Conceptio Deiparę fuisset maculata peccato Originis, interdixerat celebratione festi Conceptionis B. Mariæ, in Ecclesia Parisiensi; & eiusdem Academiæ Doctores assertionem Conceptionis Immaculatæ propugnare vetuerat; plerique Scolastici Doctores, ne exautorarentur, aut Episcopi & patriarchorum offensionem incurrerent; & Parisiis docendo aut scribendo, contra Conceptionem Immaculatam steterunt; cui alibi scribendo, vbi cessabant causæ induendi sensum contrarium, haud inuiti suffragabantur. Decreti à Mauritio editi, meminit Altissiodorensis 1. Súnique qui illud decretum consignent an. 1175. Ab eo igitur anno vsque ad annum 1346. quo constat de contrario decreto Parisiis edito, & indicta emissione iuramento omnibus Doctoribus, de tuendo nitore Conceptionis; aliqui Doctores, nunc vnum, nunc aliud visi sunt tradere. Nempe Parisiis, vt scenæ seruirent, docendo Conceptionem maculatam; alibi verò ex sua mente, tradendo fuisse Immaculatam. Affine est quod nunc videmus in Gallia, prudentiores Thomistas, de suggesto, siue templorum, siue Scholarum, ne incurrant in odium omnium, & grati sibi accersant grauia damna, publicè docere Conceptionem Immaculatam. Pater de Landes, qui postea in Episcopum assumptus est, cum Lugduni ad S. Crucem Conciones per aduentum haberet, explicatissimè pro Conceptione Immaculata stetit, cum primaria illa Galliarum Ecclesia nitori Conceptionis addictissima, deiectionem de sacro suggesto, Concionatori si sensum ipsius conuelleret, vel intentasset, (vt fama erat,) vel irrogatura non dubitaretur. Frustra signarem alia singularia exempla, cum hodiéque videamus apud Hispanos & Lusitanos, qui volunt de gradu decedere, & cathedris incundis prohiberi, vel de iam initis deturbari; contra priuatum sensum suum cui in cœnobio inhærent, stare publice pro Conceptione Immaculata, & Sacramento de ea pro suggesto tradenda, se astringere haud illubentes. Idem ergo accidisse potuit plerisque Scholasticis Parisiensibus, maculatam Deiparæ Conceptionem aliquando tradentibus; ob vigens tunc Mauritij Episcopi decretum; cum aliàs, vbi liberè poterant, starent pro eiusdem Conceptionis nitore. Sic potuit fieri vt Heruæus Magister Generalis Dominicanorum, cum in 3.d.3. professus esset Lutetiæ Conceptionem maculatam, eidem profusè nitenti patrocinaretur in 2. ad Corinth ad Caput.5. Item vt Paladanus qui eadem d.3. Parisiis docens, peccatum Originis B. Virgini adscripserat, factus Patriarcha contrarium tradat, & quidem explicatissimè ac feruentissimè, tribus de Conceptione sermonibus. Alensis in summa Lutetiæ exarata, inhæret decreto Mauritij, cuius contrarium integro opere alibi tradidit factus sui iuris. Non est inuerisimile, referendum esse ad hanc Originem, SS. Thomæ ac Bonauenturæ hac in parte varietatem, nunc vnum, nunc oppositum in hac controuersia tradentium.

1 in 4. d. 4. q. 1. art. 3. dub. 2.

1. lib. 3. summa tract. 1. cap. 3.

---

§. XII.

Eluitur Macula tertia, quod Titulus Immaculatæ Conceptionis, *definitione Apocrypha Concilij primi Apostolici, in libris plumbeis Granatensibus consignata, nitatur.*

44 Criminantur præterea Aduersarij, quod *innitamur Apocryphis*, id est vanis & nullius momenti *definitionibus Concilij Apostolici*, quo refertur lata hæc definitio. *Illa Virgo, illa Maria, illa sancta, præseruata fuit à peccato Originali, in primo instanti suæ Conceptionis; & libera ab omni culpa. Et qui ita non senserit, consequetur salutem æternam.* Huic decreto, non admodum innititur sententia pia, vt in Diptychis monstratur. 1 Quanquam quod ibi dicitur, Pontifices affirmantes, Ecclesiam nihil adhuc de Immaculata B. Virginis Conceptione definiuisse, eneruasse totum illius decreti vigorem, agnosco facilè infringi posse, dicendo Pontifices egisse duntaxat de Ecclesiæ definitionibus tunc compertis; vel planè exploratis, qualis non est ista, de qua adhuc sub Iudice lis est: nec nisi anno 1596 in apertum erupit.

1 parte 2. punct. 2. n. 43.

45 Cæterum quod ad libros plumbeos Granatenses attinet, quibus hæc definitio continetur, quamuis (vt dixi,) non eis admodum innitatur pia sententia: admonendi tamen videntur Aduersarij, vt posticæ sannæ temperent, nec præcipiti impetu in eorum deprecationem abripiantur. Nam libri illi, hoc ipso tempore, Romæ, mandante summo Pontifice, accuratè examinantur, adhibito cœtu numeroso peritorum, & exoticarum linguarum cognitione, & Doctrina Theologica illustrium: à quibus audio, nihil notatum esse in laminis illis, quod à Catholica veritate dissentiat. Immeritò igitur, pendente Iudicio coram sedis Apostolicæ delegatis, Linus suo præiudicio grauat eas laminas, quia circa passiuam Deiparæ Conceptionem (non enim circa Actiuam, vt parum aptè contendit Biuarius 1) aliud ferunt, quàm quod ipsi arridet. Et quocumque tandem inclinaturum sit Ecclesiæ de illis laminis iudicium; tam antiquum, támque luculentum pro Immaculata Deiparæ Conceptione, testimonium, non fuit flocci faciendum à Lino, cui minutalia pro contraria parte, sunt tanti.

1. ad Dextr. anno 308. n. 9.

***

§. XIII.

§. XIII.

Labes quarta fœdissima, quod Titulus Conceptionis Immaculatæ, *fundetur in confictis miraculis, Detricatur Ioannes Eusebius Nerembergius, à turpi dehonestatione purgatur.*

46 NVmerantur insuper, in nostris piæ sententiæ fundamentis, conficta miracula. Non tepono illud S. Hieronymi. a [Solent oculis clausis denegare, qui non credunt factum esse, quod nolunt.] Hoc non tepono: sed tantùm dico, quæ in hanc rem conficta sint miracula, quibus pia sententia innitatur, me prorsus latere. An enim curationes illæ in suspicionem vocantur, quas Catharinus 3 suo tempore exoratas dicit, interpellato Deo per immaculatam Deiparæ conceptionem? qui item addit, nosse se personas fide dignas, quibus gratiæ admirabiles in nomine *Immaculatæ Conceptionis* obtigerunt, nec ferendos putat qui ista despiciant. An figmenti damnatur, narratio miraculi in vrbis Granatensis de Mauris receptione per Ferdinandum & Isabellam? Ferunt enim eos frustra connisos in Maurorum depulsionem, cum omnis spes præclusa videretur vrbe potiundi, votum concepisse de fabricando templo sub titulo Immaculatæ Conceptionis, si Deus vrbem illam venire in potestatem ipsorum annueret. Voto autem emisso, mox vrbe citra difficultatem esse potitos, & reos se voti profitentes, illud exoluisse. An similiter figmenti insimulatur narratio liberati apud Bommeliam Hispani exercitus? Ferunt enim, cum fames obsessos consumeret, simul hyemis rigor malè multaret, & eluuiones aquarum ad desperationem propè vrgerent, nocte quæ sacram Virginis Conceptæ diem antecessit, ventum adeò validum esse excitatũ, vt aquas per campos latè stagnantes, adstrinxerit, magno conclusorum bono, à quibus hostes abscedere sunt adacti, veriti, ne gelu comprehensis nauigiis, hærerent. Nec ita multo post ab eorum recessu, gelu repentè defluxit, quasi perfunctum officio, ac obsessis qui immaculatam Conceptionem (occasione tabulæ sacræ intra fossam humum repertæ, qua pura Deiparæ Conceptio exhibebatur,) adhibuerant exorandæ tutelæ pignus; vnde etiam grati beneficio, mox societatem constituunt eorum qui se *immaculata Conceptionis milites* dixerunt, suscepto primùm per Belgium, tum in Hispanias diffuso sodalitio. An spurcum Sacerdotem in peccatis suis mersum, quem Guaguinus ad calcem poëmatis memorat à Deipara excitatum, iussum celebrare Conceptionem immaculatam, fabulis accensent? Hæc & similia pro immaculata Deiparæ Conceptione miracula, cur figmenti arguerentur, me latet.

Nolo tamen dissimulare nuperos rumores clancularios, de fictitio nupero miraculo ad astruendã immaculatam Deiparæ Conceptionem. Vnde suspicio ingenua, prodiisse ab hoc ipso calamo, infamem prorsus Censuram, qua nuper apud Eminentissimos Congregationis Indicis Patres, dehonestatus est scriptor magni vbique nominis, Ioannes Eusebius Nerembergius, occasione vitæ S. Ignatij de Loyola, ab ipso conscriptæ. Præcipuum enim caput quo tantus vir grauatus est, illud fuit; quod confinxisset miraculum in subita depulsione ægritudinis à P. Iacobo Laynes; cum is ex diutina quartana laborans, pro immaculata Conceptione per aliquot horas egisset ad Tridentinam Synodum; cui vt Sixti IV. Extrauagantem confirmaret, & B. Virginem decreto de peccato Originis comprehensam nollet, qua pollebat ingenij vi, & Doctrinæ vbertate, persuasit. Figmentum id esse, pronunciauit Censor; & probauit, quia decretum de peccato Originali, latum est sub Paulo III. cum Laynes ad Concilium Tridentinum missus sit à Pio IV.

47 Hoc verò est in grauissimi scriptoris famam, indignissimè & simul & malignissimè grassari; ac Eminentissimis Congregationis Præpositis, impudenter admodùm imponere. Quæ enim fuit ea ignorantiæ supinitas, vel potiùs malitia excæcans, vt è triplici Laynis ad Concilium Tridentinum profectione, solam tertiam, atque postremam signaret, præteriens primam, qua Laynes, non vt Generalis Societatis Præpositus, (qualis tertia illa vice erat,) sed vt Theologus summi Pontificis, Concilio interfuit, & pro Conceptione Immaculata egit potentissimè? Probatio veritatis huius in promptu est. [Nemo (iuxta Ennodium, aggredientem ad vitam S. Epiphanij Ticinensis,) sub oculis præsentia penè & nimium nota commemorat, nisi qui de veritate confidit.] At Petrus Ribadeneira, qui Laynis acta chartis commisit, cum adhuc negotium velut caleret, narrationem de qua agitur, publico dedit. Et Iudices Pontificiorum Theologorum in Tridentino Concilio, Laynem minimè præterierunt; cum tamen sub Pio, aliam quàm Theologi Pontificij personam sustinuisse sit exploratum. Itaque quod Ioannes Eusebius Nierembergius, confinxisse miraculum ad fulciendam Conceptionem Immaculatam dictus est, & eo nomine nigro theta notatus, impostura aperta Censoris fuit, siue per ignorantiam supinam, siue per malignitatem accersere conantis infamiam scriptori de Ecclesia, & re Literaria benemeritissimo.

Suspicionem quam alij ingesserunt, de notato Nierembergio, & illo eius opere figmenti obtrusi insimulato, malo vanam censeri. Scripsit ibidem Nierembergius in vltima editione c. 4. S. Ignatium Loyolam hausisse affectum erga conceptionem Deiparæ immaculatam, ex miraculo quod Manresæ vbi vir sanctus vitæ purissimæ tyrocinium posuit, erat tunc vulgatissimum. Rem, sic gestam describit. Sacerdos probus ac pius, Franciscus Mulctus, Manresæ, quosdam pueros erudiebat. Eorum vnum ob noxas, cum nonnullo fortassis excessu castigauit, vnde tanta inferbuit puelli patruo bilis, vt impacta sica Sacerdotem letho dederit. Cumque elato intra Ecclesiam funere, dum iusta ritu Christiano persoluuntur, cadauer in feretro iaceret, astante & sacrorum hominum & laicorum multitudine pium virum quem omnes venerabantur & impensè amabant, supremis officiis prosequente; magno omnium stupore, resedit mortuus & cœpit loqui; suum erga Deiparam affectum referens, quo per vitam vniuersam flagrauerat. Vnum tamen fuisse, ob quod anima iussa esset ad corpus regredi. Nimirum quod dum viueret; censuisset, B. Virginem conceptam fuisse in peccato Originali. Hanc vnam ob causam, iussum se à Deo ad vitam tantisper reuenire, vt purissimam & omnino immaculatam Deiparæ Conceptionem passiuam, retractata sententia, cui viuens inhæserat, profiteretur. Retexuit dicta illa sua anteriora pius Sacerdos, & Deiparam in Conceptione

a l. cont. Lucifer. 4.

3. lib. 4. contra Catet. 9. quod vero pag. 357.

ceptione sua prorsus nitentem, ac parentalis labis expertem professus, munere sibi concredito perfunctus, placidè obdormiuit. Rem gestam picturæ in Claustro Collegiatæ Ecclesiæ vrbis Manresæ, à tempore quo inibi contigit, repræsentant. Et cum aliqui eas picturas obduci cuperent, repetitis à Quæsitorum Barchinonensium tribunali accuratissimis disquisitionibus, comperta & omni fide restata veritate, nihil euicerunt, miraculi veritate per sacros Quæsitores firmata. Descripsit hoc miraculum Eusebius Nierembergius, & ex eo vir doctissimus Sebastianus d'Abreu, in suis omni accuratione conscriptis ad 1. 2. S. Thomæ Commentariis; 1 quibus non Eborensem duntaxat Academiam, cuius Cancellarium egit summa cum laude, sed etiam Lusitaniam vniuersam mirificè illustrauit. Ob narrationem itaque adeò testati miraculi, impactam esse Nierembergio, siue à Lino, siue à Cleto, dicam confictorum pro immaculata Virginis Conceptione miraculorum, vt non nemo suspicatus est, ego quidem (vt præmisi,) inanis suspicionis insimulo: præsertim quia in ea tanti Scriptoris Censura, quæ à malè feriatis Aristarchis sacræ Indicis Congregationi obtrusa est, nihil tale annotatur; sed duntaxat, quod de curato Laynio retuli, in quo quisquis conficti pro immaculata Conceptione miraculi Nierembergium est criminatus, non eum tenera aspersit infamia, sed suam criminandi scabiem, aut ignorantiam, vel vtramque simul, prodidit.

1. Tract. 5. disp. 6. sect. 4. n. 36.

48 Mirum verò est, opponi nobis à Theologo Ordinis Prædicatorum, quod assertio immaculatæ Conceptionis, innitatur confictis miraculis; aut vt ille Tullianos manes inquietans dixit, *somniatis*; qui sciat, latere neminem, quid testes omni exceptione maiores, de miraculis in contrarium affictis, summa fide scriptis prodiderint. Adigor prodere quæ pressa mallem, sed vrget criminatoris importunitas, affingentis nobis conficta miracula ad stabiliendam Immaculatam Conceptionem, vt quod Religiosissimi Scriptores, Trithemius, 1 Laurentius Surius, 2 Nicolaus Baselius Nauclæri continuator, & qui appendicem ad Eusebij Chronicon apposuit; item Petrus Martyr Anglerius; ac Henricus Spondanus, non putarunt dissimulandum, nec ipse quoque iusta necessitate adactus, dissimulem. Autor præparationis ad Apologiam pro Herodoto, rem minutè persequitur l. 1. c. 35. & fratrem laicum de quo nunc agimus, dictum ait, *Ioannem Ietzer*, oriundum Zurzaco, professione sartorem. Quatuor implanatorum eius, hæc prodit nomina. *Ioannes Vetter*, Prior, *Stephanus Boltz*. Concionator. *Franciscus Vlchi* Subprior, *Henricus Sten*. Procurator. Prolixam apud eum Autorem, huius facti narrationem sciens prætereo. Surij duntaxat verba adscribo, ex Commentario de rebus sua ætate gestis ad annum 1509. [*Eodem anno apud Bernates in Heluetiis, quidam instituti Dominicani, inconsultè admodum ac temerè, oppugnantes Immaculatam Virginis Matris Conceptionem, cœperunt etiam commentitiis quibusdam miraculis & visionibus, suam apud vulgus opinionem tueri. Abusi ad hoc erant quodam simplici fratre Laico, (qui tamen rem omnem produxit in lucem,) nonnulláque alia egerant, quæ viros graues & Religiosos minimè decerent. Sed quia prapotens Deus, Matris suæ iniurias haud facilè sinit inultas abire, Bernates zelo permoti, (quippè qui id laudis eximiæ, iure tunc referebant, quod essent vltores egregij iniuriarum Matris Dei) Lausanensem Episcopum, vt in eos inquireret, sunt hortati. Facta est inquisitio, & res veritate comperta, quatuor primarij Fratres Dominicani, degradati sunt, & inde flammis exusti.*] Dedi ipsa Surij verba. Iotemerisse Iulij II. Pontificis Maximi authoritatem, sicque Priorem Lectorem, Subpriorem, & Custodem Dominicanorum, viui combustio extinctos esse, ob conficta miracula & visiones contra Immaculatam Conceptionem; produnt alij ex citatis, ad annum notatum; nisi quod aliqui rem totam anno superiore consignant, vt Anglerius, ac Spondanus. Nam Bzouius, quia res domestica hîc agebatur, nec spectabat denigrationem Fratrum Minorum, mutus est supra piscem Itaque immeritò notamur, quod confingamus miracula ad stabiliendam Immaculatam Conceptionem. Talia, sententiarum quibus inhæserint fundamenta conquirere, aliorum est, non nostrum.

1 In Chron. Spanhei.
2 in historia rerum sui temporis, ad annum 1509

Nec Eleutherios Bizenus, qui in metrica Caprionis Apologia, varias Dominicanis obiicies notas circa conficta miracula & visa, factum Bernæ in hoc genere, reticuit. Narrata enim cæde Henrici septimi Imperatoris, per porrectam à F. Paul. hostiam veneno infestam, inducit Fratrem sic reponentem;

Semel (inquis) *fecimus istud.*

Instat è contra Bizenus.

Berna negat, scelerisque affert monumenta secundi.
Tempore iam nostro. Tum vos vssisse sepito.
Vulnera lessere; & sanctum volasse videris
Francisci fratres, iactent ne scilicet vltra
Autori concessa suo, hæc insignia soli.
Fert eadem simulata Deum responsa, iocósque
Mentita Maria; monstras scelerata Vigandi
Vox habita ad populum, dictáque afferta libello,
Deinde remansa labris, Conceptam in crimine matrem.
Iam vetus historia est. Quod Galla Lutetia narrat,
Vnius est anni; quoddam de plebe cadauer,
Restituisse animas, vestrásque vt cederet, artes
Decepisse rudem populum, pœnasque dedisse.
Vestra hæc sunt, & adhuc alios depositis agris

Hæc ego non renunciandi aut recriminandi animo profero, sed adactus iusta necessitate, monstrandi nos perperam vrgeri, quasi fictores miraculorum, aut falsarum reuelationum fabros pro astruenda immaculata Conceptione.

49 Viderint verò qui hoc nobis impegerunt Aduersarij, an eam notam quam Ioanni Eusebio Nierembergio, & assertoribus Immaculatæ Conceptionis gratis inusserunt, deprecari possint Hyacintho Coquerio Dominicano, autori libri cui titulus est, *B. Maria viscera materna, erga Ordinem Prædicatorum*. Eo opere, cum alia inaudita continentur; tum illud nominatim cap. 16. quod P. Thomas de Lemos, cum coram summo Pontifice & Cardinalibus, de auxiliis diuinæ gratiæ disputaret, transfiguratus sit ante eos; & facies eius, siue opponeret, siue responderet opponentibus, non absque stupore Purpuratorum Patrum, cœlestibus radiis resplenduerit: ita vt summus Pontifex, & Patres Purpurati, ac reliqui astantes, ea Cœlestis Lucis vbertate de vultu eius promicante in confirmationem doctrinæ quam propugnabat, præstinguerentur. Et monstratum inde notat Coquerius, quæ Pater Lemos de gratiæ auxiliis voluntati humanæ ineluctabilibus, ex clara S. Augustini, & D. Thomæ sententia differebat fundebátque, diuinitùs illi

suggesta

suggesta esse, eáque non tam sua verba, quam numinis oracula referre. Ex relatione quoque M. P. Bartholomæi Avignon, testatur, in iisdem disputationibus, Patrem Lemos, *longissimas periodos, sententiasque ex Augustini, aliorumque sanctorum Patrum scriptis, coram Pontifice & Purpuratorum Patrum consessu memoriter, dextrè, expeditè, atque accuratè recitasse, quas ipse nunquam antea memoriæ commendarat; sed singulari, vt ipsemet fassus est, Dei beneficio:* hiat oratio defectu verbi; ad iungendum igitur est, *callebat.* Addit prætera eo ipso loco Coquetius, quod idem P. Thomas de Lemos, ab Vrbano VIII. euocatus, vt de rebus grauissimis consuleretur à Pontifice, in ipso ad eum accessu, visus sit maiestatem præferens humana Augustiorem; & insolito, atque admirabili lumine vultu coruscans; Idque Vrbanus, Cordubensi Episcopo, & plerisque Regum Legatis aperuerit. Item illud refert Coquetius, sanè illustre, quod ait spectasse Orbis Principem Romam: Nimirum quod idem Pater Thomas de Lemos Conceptionis Immacolatæ, & eluctabilium gratiæ auxiliorum oppugnator indefessus, in extrema ætate, velut alter Tobias, cæcus factus; super sacrificium tamen incruentum, quod quotidie celebrabat, oculareretur; resumens cæcitatem, quoties re diuina operatus, regrederetur. Sed illud luculentum inprimis, à Coquetio item vulgatum, quod ad eiusdem Patris Lemos Romæ defuncti cadauer in feretro expositum, quamplurimi concurrerint; (vtique admoturi cadaueri lacias corollas, & fixuri pia oscula venerandis manibus:) Et cum gratus tanto Magistro, nihilo minor discipulus, Nicolaus Richardius, cui *Monstro* nomen, adesset, nec fortè posset præ turba, non quia pusillus, sed quia crassior erat, ad feretrum propiùs accedere, Magistri iacentis manibus fixurus osculum, reuerentiæ ac beneuolentiæ tesseram; ait Coquetius, cadauer Patris Thomæ, (mirum dictu) plurimis circumstantibus ac spectantibus, & scilicet stupore præ rei nouitate defixis, sustulisse manum ad os vsque Ricardij, ne expetitis osculis fraudaretur.

40 En densa miracula exarata à Hyacintho Coquetio Ordinis Prædicatorum, de Patre Lemos, qui Romæ obiit anno 1629. X. Cal. Augusti: quorum nemo Romæ conscius est: & Coquetio talia poëtanti, passim reponitur: *Tu dixisti.* Sed illud quidem de morbo ad altare se subducente, expressum est imitatione miraculi verè editi in Gregorio Theologi patre, venarratur in eius moredia, cum de postremo eius morbo. Quoad Lemosium autem, puta puta fabula est; vt & reliqua, specie miraculi iactata. Vrbanus ipse, quo superstite vulgata sunt hæc miracula, demiratus fabulatoris impudentiam; negauit se vnquam, vel Thomam de Lemos accersiuisse, vel micantes de eius facie radios conspexisse, aliisve tale quippiam à se visum retulisse. Nam de brachio ad Richardium exporrecto, & dexteræ sublatione, nunc primùm, (tam recenti licet rei memoria) Romæ audita; commentum portentosum, ac verè monstrosum, Æsopi quibusuis fabulis nugacius, obruisit Coquetius eo libro; dignus cui reponatur ex illo Ennodij effato: [Scriptor præsentia scribens, præsumendus est vera dicere] cum nulla est aduersus eum præsumptio mendacitati. E contrario autem, qui de rebus præsentibus, ac propè calentibus seminat mendacia dignus est cui & de præsentibus, & de procul positis fides abrogetur. Liber ille si à Ioanne Eusebio, vel ab aliquo sociorum editus esset, illico feri fluctus marini,

Orat. 19.

despumantes confusiones suas, illum absorbuissent. Nunc quamquam Coquetij liber Vrbani VIII. mandato proscriptus est, tamen quia dat veniam coruis vexat censura columbas, censura cingitur, & liber impunè venit. O æqualem Iustitiæ vigorem!

§. XIV.

Detergitur Labes quinta, quod Titulus Conceptionis Immaculatæ per commentitias reuelationes inualuerit.

50 Dicimus præterea, reuelationum, ac visionum fabri, ad astruendam Immaculatæ Conceptionis veritatem; eique de primariis fundamentis vni, inædificatam esse sententiam de Conceptione Immaculata, opponit Linus, quod tamen à semetipso non dixit. Est enim qui neque Clero neque Lino, de Zelo contra immaculatam Conceptionem concedat, Bartholomæus Spina in Opere *de vniuersali corruptione generis humani*, † vbi de reuelatione pro Conceptione Immaculata sic Lino præiuit. [Esse in sanctitate conceptam B. Virginem, cum non conuincatur rationibus; nec ex sacris literis secundùm Sanctorum expositionem habeatur, sed potiùs indirectè concludatur oppositum, vt superiùs visum est, non debet aliquem mouere quæcunque reuelatio inducatur. Et præcipuè cum persona ipsa cui facta reuelatio fertur, describatur infamis & malæ vitæ fuisse, & res ipsa reuelata, magnum causauerit in Ecclesia scandalum, propter Doctores sanctos contradicentes, ex intentione sacræ Scripturæ & sacrorum Conciliorum. Vnde potiùs timendum fuit & pro certo tenendum, quod ab Angelo Satanæ, qui se transfigurat in Angelum lucis, vt fideles sub specie sanctitatis deciperet, deceptio ista processerit: Magis autem vt inter ipsos fideles dissidium grauissimum causaret, & contra bonos religiosos, & fidei sanctæ pugiles inuictissimos, persecutiones grauissimas excitaret: gauisus est ipse Satanas & continuè molitur. De qua tamen tribulatione, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, potiùs gaudent, & Deo gratias agunt, quod pro nomine eius, & pro fide Catholica defendanda, merentur contumelias pati, & varias afflictiones incurrere. Neque deest ipse Deus fidelissimis seruis suis, faciens & in hoc mundo cum tentatione prouentum, & in futura vita repromissam ac paratam coronam seruans. Sed Diabolus nihil aliud inquisiuit ex hoc à se causato dissidio, nisi vt sequerentur infinita scandala, sicut factum est. Suæ autem præfatæ scandalorum parenti reuelationi, se pronius opposuere sanctissimi Ecclesiæ Doctores & præcipuè Bernardus, declarans, eidem nullatenus adhibendam fuisse fidem, & detestans festum, eiusdem reuelationis assertæ gratia inchoatum.] Exscripsi fideliter verba Bartholomæi Spinæ, olim Magistri S. Palatij: qui sententiam de immaculata Conceptione, pro primario fulcro censet habere, reuelationem, Satana se transfigurante in Angelum lucis obtrusam Ecclesiæ, ad decipiendos fideles, & excitanda scandala atque dissidia, & bonorum (hoc est aduersariorum immaculatæ Conceptionis,) persecutiones ac vexationes. Et cum agat sine dubio de reuelatione facta Helsino Abbati, probata S. Anselmo, & Ecclesiæ Anglicanæ

† parte 5. c. 9.

glicanæ illius temporis, mirum eſt quomodò Spina infigat aculeum in famam illius Abbatis, vocétque perſonam infamem ; & quomodò dicat Sanctum Bernardum eſſe deteſtatum eam reuelationem.

Quæcunque verò fuerit perſona cui facta eſt ea reuelatio, & à quocunque priuato ſit reiecta, nos habentes firmiorem ſermonem, reuelationes priuatas ad hanc rem parum moramur ; non quod omnes reuelationes, etiam rudium, aut piarum mulierum repudiemus : ſed quod frequentibus maiorum experimentis edocti, nouerimus hîc maximè locum habere Apoſtoli monitum, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete* ; Auſcultemuſque optimo ſpiritualis vitæ Magiſtro Ioanni Charlierio, cognomento *Gerſoni*, qui de probatione ſpirituum, & de verarum reuelationum diſcrimine à falſis, commentarios reliquit, quibus quanta ſit in hoc genere adhibenda cautio, perudité demonſtrat, ac pro more ſuo admodùm piè. Mirum verò eſt, hic quoque à Theologo Ordinis Prædicatorum huius negotij conſultiſſimo, opponi nobis fabricatas reuelationes, ad ſtabiliendam Conceptionem Immaculatam. Oportuit enim hæc ſcribenti, robur & æs triplex circa pectus fuiſſe, quem latere non poſſet, quid ex Domeſticis ipſis, Ambroſius Catharinus 1, excutiens Caietanum, & Martinus Delrio in diſquiſitionibus Magicis 2, prodiderint de fabrefacta, cùm è re fuit, Sanctæ Catharinæ Senenſis reuelatione, ad confirmandam maculatam Conceptionem. Neque hoc dico, quod non puduit hominem ferrei oris Ioannem Lamnoyum 1 Normannum, Ordinum propè vniuerſorum Maſtygem, ſæpiùs dicere, cùm Magdalenæ in ſacra apud Salyos ſpecu Dominicanis concredita, tricenariam commorationem impugnaret. Auſus quippè eſt ſcriptis publico datis profiteri, reuelationes quibus vniuerſa illa hiſtoria nititur, cuſas eſſe à Dominicanis, dexterrimis, (vt ille criminatur) fabularum in genere viſionum & reuelationum concinnatoribus atque propolis. Hanc verborum illuuiem, dignam, quæ aquis marinis elueretur, deterſi ipſemet alibi. Et abſit, vt illam velim meam eſſe. Tantùm ſub moderamine inculpatæ tutelæ, impactam nobis, & piæ de Conceptione Immaculata ſententiæ, aſſertoribus calumniam depuli, quod omni iure conceditur.

1 *l. 3. pro Immaculat. Concept. & l. 4. in Caiet. p. 374.*
2 *lib. 4. c. 2. q. 7. ſeq. 4.*
1 *In diſquiſit. de Magdalena.*

---

§. XV.

Purgata labes ſexta, quod Titulus Immaculatæ Conceptionis, in Bullis adulteratis fundetur.

52. QVam denique Bullarum adulterationem ad Conceptionis Immaculatæ veritatem confirmandam nobis impingat Linus, planè me latet. Nos enim talia ignoramus, quia non deducimur in intellectibus manuum noſtrarum circa huiuſmodi mangonias. Et eſt hæc ignorantia ſecurior, vt de mali notitia rectè pronunciatum eſt à S. Auguſtino.

Recolo quidem Nicolaum Emericum, Ordinis Prædicatorum, Raymundo Lullo, pro quo FF. Minores ſtabant, iniquiorem, accuſatum eſſe de confi cto, (nedum adulterato) Summi Pontificis nomine, Bullato Diplomate contra Raymundum. Nec dubium quin falſare potuerint quæcunque ſcripta, qui ipſos Cœlitum Codices falſaſſe & pridem & proximè ſunt deprehenſi. Nam P. Thomas Lemos, cui Coquetius tot & tanta viuo ac defuncto, (ſcilicet) miracula adſcribit, in Romana editione ſummæ Sancti Thomæ 1. 2. q. 102. art. 4. cùm textus in omnibus antiquis Codicibus, haberet, arcam, & propitiatorium fuiſſe lapidea, mutauit ex ſuo cerebro quæ voluit, & pro *lapideis* ſubſtituit *lignea* ; Vbi ſecus quàm Tiburc, & in aliis quibuſdam locis, ligna in aquis lapideſcunt, lapidea materia apud Thomam Lemos tranſiit in lignum, ſola eius voluntate, contrà fidem omnium Codicum ; quæ ſitne falſatio & adulteratio, viderit Linus.

Nec aliter ſtatuendum de Coſma Morelles, Ord. Prædicatorum, qui præfuit editioni operum S. Thomæ à Iohanne Keerbergio adornatæ, anno 1613. Nam Sanctus Thomas in 1. d. 44. q. vnica art. 3. iuxta omnes antiquas editiones, etiam Romanam iuſſu Pij V. recognitam, ait *B. Virginem eſſe conceptam ſine peccato Originali.* At Morelles, infidus emaculator Typographicus, Vnius ſyllabæ adiectione, textum Sancti Doctoris ita falſauit, vt contrarium, & à totius diſcurſus iunctura alienum ſenſum efficiat, inducens hoc ſenſu loquentem D. Thomam, *B. Virgo non eſt concepta ſine peccato Originali.* Hoccine eſt revereri Sanctorum Codices, an falſarium & adulteratorem agere? Scriptores grauiſſimi pridem monuerunt; Sanctum Thomam, cum in cap. 3. ad Galat. lect. 6. & Opuſc. 4. in Salutationis Angelicæ expoſitione, Immaculatam Conceptionem agnouiſſet, & explicatiſſimè tradidiſſet ; in poſterioribus editionibus fuiſſe truncatum 1. Videſis Henriquem, Caniſium, Pinedam, Salazarium. Nobis enim, quod hic perfunctoriè tantùm iſta verſemus, nec niſi quantum ferт iuſta neceſſitas eluendi falsò impoſitam labem, de adulterationibus, & falſationibus, ad fundandam idoneis fundamentis deſtitutam Immaculatam Conceptionem, non vacat pleniùs, ac preſſiùs ita excutere : poſſúntque hæc pauca, ſatis ſupérque eſſe ad inſtitutum. Tantùm obiter dico, è diplomatibus Pontificiis pro Conceptione Immaculata, nullum prorſus occurrere, quod vel per ſomnium, comminiſci liceat eſſe ſuppoſititium aut adulteratum. Allegantur paſſim in hanc rem decreta Sixti IV. Alexandri IV. Pij V. Pauli V. & Gregorij XV. Exploratiſſimum eſt Sixti decreta eſſe eſſe ſana vndecunque & infermentata, cùm extent in corpore Iuris. Cæterorum diplomatum fides non poteſt nutare cum ritè comprobata habeantur, & adhuc poſteriorum calcat memoria, in quibus alleganrur anteriora. Gratis autem confingere, Bullas illas eſſe adulteratas, & ab aduerſatiis FF. Prædicatorum concinnatas, vt contra mentem Pontificum ſuffragatentur Immaculatæ Conceptioni, calumnia eſt voluntaria atque teterrima. Voluntaria quidem, quia cùm oportuiſſet ſignare locum, tempus, opifices adulterationis, ac quid infartum ſit principalibus edictis ; nihil tale eſt factum ſed gratis abſque probatione ac tectè, generatim tantùm, vt meliùs criminatio lateat, obtruditur, Conceptionem Immaculatam ſtabiliri à nobis per adulterata aut etiam ſuppoſititia diplomata. Eſſe autem hanc calumniam planè horrendam, monſtrant pœnæ grauiſſimæ inflictæ falſatiis, de quibus DD. toto titulo de

1 *Adducti ſunt in Diptychis.*

de crimine falsi. Nequitiæ autem verticem inter falsarios occupant, qui principalia edicta vel rescripta adulterant; quos inter Aduersarios reponit assertores Conceptionis Immaculatæ, non alia de causa, quàm quia ipsi placet, aut ne tudis calumniandi videatur.

§. XVI.

Clausula parænetica, de affectu erga Conceptionem Immaculatam reformando, dimissa Dictionary reformatione.

53. EXpeditis non indiligenter omnibus, quæ monstranda proposueram, canendum est receptui, si illud amicè ac ex beneuolentissima Charitate, ex Laurentij Surij Commentario de sui temporis rebus, adscribam. Descripserat Surius, viuit comburium quo Bernæ dum adhuc ea Vrbs in fide Catholica staret, Dominicani quatuor ob conficta contra Immaculatam Conceptionem miracula, deflagrarunt. Subdit verò 1. [*Inprimis cauendum est, hominibus è religione Christiana, vti ne in defendenda sententia sua, & aliena oppugnanda, nimium sint pertinaces: iis præsertim in rebus, quas certum est nihil officere veræ pietati, qualis est opinio de Immaculata Sanctissimæ Virginis Conceptione: quam videmus ab Ecclesia receptam, & à multis grauissimis atque Doctissimis Viris fortissimè propugnatam: atque etiam aliquot Conciliorum Generalium approbatione firmatam. Videant refractary, ne dum matris honori & priuilegio, cum multorum graui scandalo & offensione derogant, Filij eius seuerum in se iudicium prouocent.*] Hæc Surius temperatè ac sapienter. Nam quæ paulò fortiùs à Catharino in hanc rem non vno loco sunt scripta, sed maximè quæ ab eo in opere tripertito pro Immaculata Conceptione traduntur; video periculum esse, ne aduersarios à zelo amaro, & contentiosa in præconceptis opinionibus peruicacia ægriùs demoueant, quantumvis in hoc connitatur Catharinus: plus profuturus, si exemplo Apostoli scribentis ad Hebræos, nomen suum pressisset. Quod Patres factum eo consilio notant, ne exacerbatis aduersùs Paulum plerisque Hebræorum, quod eum vt præuaricatorem criminarentur, inutilis fieret eius Epistola. Similiter enim Catharini, cum primariis quibusdam Ordinis sui, (etiam ipso Generali Thoma de Vio, Caietano,) iurgia & contentiones, tot scriptionibus, vltrò citróque testatæ, persuadent; ne Catharinum, sodalibus quandoque suis monitorem abiiciendæ obfirmationis in minùs pia sententia adducamus. Absterso igitur eo amarore, quem Catharini mentio emoueret, satis sit pia suggestio Laurentij Surij religione, & Scriptorum laude præstantis, qui haud dubiè non minùs grauiter ex charitate corripiens ageret, si tricas recens excogitatas, ad deiiciendam Beatam Virginem de possessione tituli, quo à multis iam seculis potiebatur, audiret, à negantibus dicendam aut vulgandam deinceps esse, Conceptionem Virginis Immaculatam; eò quod Vox *Conceptionis* nunc post Gregorium XV. eam notionem substratam habeat, quæ pugnet cum attributo *Immaculata*, ipsam Conceptionem afficientis.

1 In Historia sui tempor. ad annum 1509.

54. Satis verò supérque liquere ex antedictis puto, has esse meras tricas, iis non dissimiles, quas Gregorius Nyssenus 1 à versatili & vafro ingenio Iurisperitis excogitari tradit, cum idoneis causæ firmamentis dissi iunt. Quærunt enim in plano latebras, & appingunt distinctiones, vbi obuius sensus tenendus fuerat, nec gratis fingendæ æquiuocationes. Sed ita solent accipitres illi forenses agere, vt offusa lodicibus caligine, vel litem producant, vel remoram iniiciant negotij definitioni; vel sententiam secundùm clientes suos à minùs consultis disceptatoribus extorqueant. Æquè ingeniosè in hoc negotio aduersarij, vt lis de Conceptione Immaculata numeretur inter quæstiones interminatas, (nam etiam aliquando moliti sunt persuadere hanc controuersiam ab Ecclesia definiri non posse) nouas subinde cutelas & artes efferunt. Sed eminet profectò inter eas, hæc recens causa, quam posteri & demirabuntur, & ridebunt, vix credentes iactatum aliquando esse, & in augustissimo Orbis vniuersi consessu, porrectis libellis supplicibus, expositum, nomen *Conceptionis* à Gregorio XV. factum esse æquiuocum, ita vt intra notionem sibi subiectam, comprehendat statum capacitatis peccati Originalis, quam excludebat priusquàm hac noua significatione grauidaretur; & nunc quoque excluderet, si in actu signato *Immaculata* diceretur.

1 Homil. 5. in Eccles.

55. Quid dicam? Quid nisi quod Irenæus 1 iam olim: Coguntur tanta malè interpretari, qui vnum nolunt benè intelligere. Coguntur distortis notionibus vocabulo ex se perspicuo immissis, tentare nubilum aliquod iniicere; vt priusquàm eæ offuciæ dispellantur, vel pateat effugium, vel Auditor cæcutiens hæreat, & quò se vertat ambiguus, suspenso iudicio nihil definitè pronunciet. Quod si non eidem Voci corticetenus immutatæ, noua veluti anima (hoc enim est in voce iuxta Origenem 1 & Maximum 2 significatio) fuisset inducta, sed vel vicinum aliquod nomen fuisset adhibitum, aut nouum ex integro cusum, tolerabilior videri potuisset mutatio. Ipsa siquidem diuina Scriptura, quod Diuus Augustinus 3 admonuit, eum vsum non refugit. [Et ex vicinitate verbum vsurpatum, cui propinquitas ipsa impetrat intellectum, non est velut censoriâ notatione culpandum.] De vocibus item planè nouatis, ac recens cusis ex proprio ingenio, ad alicuius rei expressionem liquidiorem, habemus Beati Pauli exemplum, quem Gregorius Nyssenus 4 liberè ex proprio ingenio nouas voces esse fabricatum, demonstrat. Eiusque imitatione, Ecclesia cùm res tulit, & necessitas firmandi, expressiusve proponendi veritatem aliquam ad nouorum vocabulorum formationem adegit, intrepidè hoc fecit, vt voces *homousij* & *Transsubstantiationis*, testatum faciunt. Nec tale nouiloquium posse reprehendi, fusè confirmant Espencæus 1, & Carbo 2. Ac certam quoad humanam litteraturam, posse idem, citra probrum, imò cum laude præstari, Sidonius tradit 3, allegato Tullio, quem etiam ad id profert Sanctus Hieronymus in illud Apostoli ad Gal. 1. *Notum vobis facio Euangelium*, & latè Nicolaus Susius 4 in opere Limæ Ciceronianæ. Nihil horum factum est in re præsenti. Idem externum vocabuli corpus retentum est, & noua anima subinducta: noua inquam notio, & significatio, vt ineptiente (scilicet) Gregorio XV.

Deipara

1 l. 5. c. 53.

1 Hom. 5. in Leuit.

2 In Mystag. c. quod scrip. sit homo.

3 Epist. 59. q. 3.

4 De loco Apostoli, tunc & ipse filius.

1 In Paralip. ad Epist. 1. Tim digress. 5.

2 l. 4 introd. cap. 14.

3 Præfat. ad suum carmen 14.

4 Cap. 8.

Deipatæ *Conceptio*, deinceps non diceretur *Immaculata*.

56. At sunt remouendæ æquiuocationes, & fideles dedocendi anachronismos? Sic sanè Cletus. Verùm qui hîc anachronismi interueniant, nisi mutata item sit, voci *anachronismus*, sua notio, & reformatum eadem quoque opera Lexicon Græcum: nemo vnquam assequatur: cùm hîc non agitetur lis de scrupulis Chronologorum; sed de puritate omnimoda primæ animationis Beatæ Virginis, & eiusdem primæ animationis elongatione à peccato Originis: vbi nihil Chronologis seritur aut metitur; ac proinde nullus potest fingi anachronismus. Nec minùs perspicuum est, abesse æquiuocationem, cuius declinatio captari dicitur, proscriptione tituli *Immaculatæ* à *Conceptione* Beatæ Virginis. Quæ enim homonimia cernitur, in nexu illius attributi, cum eo subiecto, ea voce expresso? Perinde enim prorsùs est dicere, *Conceptio immaculata*, ac dicere, *Prima Virginis animatio immaculata*: quæ non est bifotmis enunciatio Vocalis, sed vna, & simplex, cum qua simplicitate & vnitate notionis non potest cohærere æquiuocatio. Itaque inducit potiùs æquiuocationem quàm tollat, qui fingit, vocem *Conceptionis*, duplici notione fœtam esse, cuius reuera non est nisi vna notio, probè consistens cum Immaculata, & peccati prorsus experte sanctitate. Mirum verò est, quomodò similiter quo tempore contentiones feruebant circa B. Virginis Assumptionem; non fuit ex iis quibus mysterium illud non arridebat, qui opponeret proscribendam esse vocem *Assumptionis B. Virginis in Cœlum*, sicut nunc proscribendæ dicuntur voces, *Immaculatæ Conceptionis*, prætextu æquiuocationis. At ea æquiuocatio, quæ circa Conceptionem est planè conficta, circa *Assumptionem* poterat colore aliquo obduci. Nimirum nihil vetabat allegare, vocem *Assumptionis* æquiuocam videri; cùm extendi posset ad designandam euectionem hypostaticam, iuxta illud, *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*. Abstinendum igitur esse Assumptionis vocabulo, ne aliqui Collyridiani, qui Beatam Virginem Deam mentiebantur, existimarent ab Ecclesia Catholica, cum definiuit piè & religiosè coli posse Deiparæ Assumptionem, definitam esse; & Christiani dogmatis iure donatam, ipsorum hæresim. Nihil tale cogitatum est, quia absque tricis & futelis res agebatur: & idem profectò in præsenti negotio contingeret, si purè veritas quæreretur, & non obfirmatio in præconcepta sententia. Nam æquiuocationes quidem, cùm reuera interueniunt, remoueri nemo reprehendat, iuxta illud Cassiodori 1, [Oportet priùs nominum similitudines quasi ramos obuiantes abscindere, ne semitam disputationis nostræ, vocabulorum consonantium sylua, vmbrosis imaginibus videatur intexere.] At cùm *Conceptio Immaculata* dicitur, nulla, (vt vocem Aduersarij retineam) nisi somniata æquiuocatio occurrit.

1 In præfat. ad lib. de animâ.

57. Quare satiùs ergò esset, dimissis subtilibus tricis, cum reliqua Ecclesia vniuersa sentire, & affectum pium erga Deiparam, hoc eius tam insigni ornamento agnoscendo induere? Quid enim vetat non vltra segreges esse. Sed vno ore cum cæteris vbique fidelibus, immaculatam prorsus, & nullâ contaminatam peccati labe Magnæ Matris Conceptionem profiteri? Gloriam Deiparæ, hinc auctiorem esse, diffiteri non licet & erga matris beneuolentissimæ decora affici gratos filios, omnia iura deposcunt. Periculum omne ab huiusmodi pio sensu summouet Ecclesia, aduersùs cuius scita pugnare, insolentissimæ insaniæ damnat Diuus Augustinus 1. Itaque ambigere, an pium & religiosum, ac periculi & peccati expers sit, agnoscere Conceptionem Deiparæ fuisse Immaculatam; iudice Diuo Augustino insolentissimæ insaniæ fuerit. Quid igitur (vt aiebam) obstat, quominùs ore vno, in eum pium, ac religiosum sensum concurrant omnes? Num obstat rationum in contrarium propositarum efficacia? At sunt tela imbellia sine ictu. An auocat à communi sensu, momentum authoritatum? Pridem verò monstratum est, euanidas esse, nec reuera Immaculatæ Conceptioni incommodare. Num pudet, tamdiu & tanto studio, vel etiam contentione defensam Doctrinam, mutatâ mente, nec absque honoris communis detritione abiicere? Catharinus quidem, hoc suo tempore iactatum refert; Honorem Ordinis ferre, vt in maiorum sententia hæreant posteri, & mutatis quantumlibet circumstantiis, omniúmque aliorum iudiciis aliò auersis, persteut ipsi nihilominus, nec dimoueantur de sententia. Sed profectò non honor est hîc. Imò verò vt Catharinus ait, infamia potiùs est Ordinis, in re ad pietatem faciente, secluso quocunque labenti periculo, malle domestico mori inhærere, quàm reliquæ Ecclesiæ Vniuersæ iudicium probare.

1 Epist. 118.

58. Adhortatio quâ Rusticus Diaconus vrget Acephalum, vt tandem eius obfirmatio derigescat, huc bellè cadit, in calce disputationis, cùm præter cætera ait. [Ne amicitias hominum verearis, vt non inimicitias incurras Cœlestium potestatum; Ne affinium multitudinem, vt annumeretis omnibus à sæculo sanctis; ne hanc vestem, vt induas Christum; Ne hos temporalium flores, vt fulgeas sicut Sol in regno Dei.] Consultò premo cætera, tametsi fortia, quod prolixiorem hominis orationem fastidiam. Nec minùs commodè in rem præsentem Tertullianus 1, quem potiùs huc aduocatim, cùm mutatam abs se mentem profiteretur, & societatis pristinæ repudio, obiectandam leuitatis notam agnosceret. [Nunquam (inquit) societatis repudium, delicti præiudicium est, &c. At enim me non magis dedecorabit inutilis leuitas, quàm ornarit nocens. Non suffundor errore, quo caruisse delector, quia meliorem me, & pudicitiorem recognosco. Nemo proficiens erubescit.] Eundem animum induerat Theodorus Mopsuëstenus, in cuius laudibus ponit Facundus 1, quod videns nonnulla sibi excidisse, tametsi erroris vacua, tamen à communi aliorum sensu discrepantia, ideóque improbata; fortiter agens, sine confusione correxisset, quod primùm proposuerat. [Et reuera magnæ fortitudinis fuit, (vt Facundus addit) calcare gloriam, magisterio longi temporis acquisitam, & ad emendationem dicti sine confusione descendere.] Par decus retulère Arsenoitæ, qui dedocente priora sensa Dionysio Alexandrino, vt Eusebius refert 2; Cum quid in vero patuisset, accommodabant nihilominus absque contentione consensum iudicantes hoc, quod non continuo si quid semel animo visum fuerit, omni id studio & contentione seruandum est; sed esse rectius tunc mutare sententiam, cum eam melior, & rectior superauerit

1 l. de pudic. c. 1.

1 l. 10. cap. 2.

2 l. 7 Hist. c. 22.

rauerit. [Addit apud Euſebium Dionyſius, id tanto animo tantáque ſyncetitate ab eis factum, vt is qui inter eos maximus Doctor, & vitæ maturitis præſtanrior habebatur, *Coracion* nomine, ſurgens in medio cunctis audientibus proclamaret, & proteſtaretur, neminem debere vltra eins doctrinæ facere mentionem. Sufficere quod erratum eſt. De cætero non ſolùm nihil horum tenendum, vel ſequendum, ſed ne commemorandum quidem de talibus.]

59. Non ſic improuidi plerique, quibus exitialis fuit in præconceptis opinionibus obſirmatio. *1 l.10.c.2.* [Multos didicimus (ait Facundus [1]) eminuiſſe ſcientia, & maximam pro hac gloriam conſecutos: At vbi humanitus lapſi ſunt, homines ſe cognoſcere noluerunt, & ſimpliciter admoniti, contempſerunt cedere veritati. Atque ita ipſis illa gloria ſcientiæ multùm obfuit ad ſalutem, quoniam ſcientia inflat, charitas autem ædificat.] Erat in ea claſſe Iulianus Celanenſis, quem San- *2 l.1.cap.5.* ctus Auguſtinus [2] oſtendiſſe ait, quantum in malis humanis valeat, eò quemquam fuiſſe progreſſum, vbi manere non libeat, vnde iam redire pudeat. [Sed ô (inquit alloquens illum Sanctus Auguſtinus) ſi pax Chriſti in tuo corde vincat, & bona pœnitentia de mala verecundia palmam ferat!] Hoc dicit, propter gregales, quos alibi *3 Tomo 10. ſragm.10.* [3], ſibi ait mutuo timentes, ſeque inuicem erubeſcentes, quia graue putant depudere vanitati, vltrò procul fieri à veritate. Itaque meritò idem *4 l.3.cont. ſuum.cap 3.* Diuus Auguſtinus [4] Creſconio ingerebat, mutationem prioris iudicij enubilata veritate, in laude eſſe; nec vllam cerni infamiam in ea mutatione: quia *ſententiam falſam nunquam tenere, prima laus eſt, ſecunda mutare.*

60. Propè pudet, poſt adhibitos ad molliendam duritiem animi veriùs quàm conſtantiam, Patres quos Christus *Galenus Maximus* (vt cum Piſida *2 in Coſmop. v. 1359.* [2] dicam) prouidit, aduocare Ethnicum, ſapientet omninò in hanc rem, diſputantem. Epictetum dico iuxta Ethnicos, referente Origene [3], *3 lib.6. contra Celſum.* Moralis diſciplinæ Magiſtrum abſolutiſſimum, & veluti alterum ægritudinum quarumvis animæ Æſcolapium. Quando non piguit Sanctum Chry- *4 tom 13. In Acta.* ſoſtomum [4] in grauiſſima tractatione de moribus, Epicteti meminiſſe, eiuſque ſenſu communire ſenſum ſuum, age nonnulla ex eius apud Arria- *5 l.2. c.15.* num [5] diſſertatione excerpamus, veluti bellarium aut placentam ſolidis cibis è ſacra penu hactenus petitis, ſubiungentes; iuxta phraſim Clementis *6 lib.1.ſtrom* Alexandrini [6]. [Nonnulli (inquit Epictetus) cum diſputationes tales audierint, quibus nimirum iubeantur eſſe conſtantes, opinantur ſe debere in omnibus quæ ſemel decreuerint, abſque ceſſione vlla permanere. At inprimis ſanum eſſe oporter quod ſtatuitur. Cenſeo enim robur ac neruos debere eſſe in corpore, ſed vt in ſano & athletico. Quod ſi mihi furioſi vires oſtentaſis, & vana gloriatione ſuperbius, ſuadebo ſanè, ô homo, tibi vt Medicum quæras. Robur enim illud non eſt, ſed quodammodò virium imbecillitas. Huiuſmodi affectio animos quoque illorum occupat; à quibus diſputatio hæc de conſtantia, non rectè percipitur. Quod ipſum amico etiam cuidam meo accidit, qui nullam ob cauſam inedia mori decreuerat. Is cum iam tertium diem abſtinuiſſet cibo, & ego ipſum accedens, quærerem quidnam eueniſſet, reſpondit, ſe inediam decreuiſſe. At ego; Quid, inquam, hoc vt faceres tibi perſuaſit? Nam ſi rectè ſtatuiſti, agè aſſentiemur tibi & iuuabimus etiam, vt hinc diſcedas: Sin peruersè decreuiſti, muta ſententiam. Sed manendum eſt in his conſtanter, quæ ſemel ſtatueris. Quid agis bone vir? Non perſiſtendum in omnibus, ſed in his dumtaxat quæ conuenienter ſunt conſtituta. Si ita animo nunc affectus, pronuncies, noctem eſſe, tibique ita diceres videri, mutares ſcilicet nunquam ſententiam tuam, ſed in ea perſiſteres hanc ob cauſam, quod mutandum non videatur, ſi quid ſemel ſit conſtitutum? Quid agis bone vir? Nónne omnibus tanquam principium & fundamentum prælocandum, conſideratio decreti, vtrum rectè an ſecùs habeat; quo poſito, cætera deinde ſuperſtruere, robur videlicet animi & conſtantiam in ſuſcipiendo cenſes? Quod ſi putridum illud ſit, aut ruinoſum, ab ædificatione abſtinendum. Nam quo plura & ponderoſiora impoſueris, tantò ocyùs ſubuertetur ædificium.]

61. Subijcit longiuſculum cum eodem ſuo Biothanato colloquium, cui non alia erat pereundi cauſa, quàm quod ſemel ita decreuiſſet. Ei tamen deníque, tametſi ægrè, abs ſe perſuaſum, ait Epictetus; non item aliis quibuſdam, in quibus perditam ſibi operam dolet; cum euincere nunquam potuerit, vt aliter ſentirent quàm ſemel in animum induxiſſent. [Quare (inquit) videor mihi, id quod priùs ignorabam, intelligere iam: Quid nimirum ſit quòd vulgo dici ſoleat; Stultum, nec perſuadendo nec tundendo mutari poſſe. Dij prohibeant, vt amicum habeam ſtultum, pertinacem, (videlicet qui mihi illud vnum reſpondeat) Nihil efficis, ſic conſtitui. Et mente incitati, conſtitutum aliquid habent: & quo firmiùs aliquid decreuerint, eo opus eſt ipſis maiore copia ellebori.] Reliqua aduersùs hanc furioſi (vt vocat) non ſani firmitatem, quæ retroceſſionem à ſemel decretis, tantùm quia decreta ſunt, refugit vt probroſam ac ſapiente homine indignam, ab ipſo Epicteto petat, licet, cui hæc non fuerint ſatis.

Hunc meraciſſimæ ſuperbiæ partum, Religioni plerúmque fuiſſe exitialem, monſtratam memini tractando iſtam librorum confixionem, cum de confixione ob nouitatem ſermo eſſet [1]. Ibi *1 partis 1. etatem 1d.* enim & Iudæos in Chriſtum exarſiſſe quaſi pridem conſtituta conuelleret, & Ethnicos non alia magis de cauſa in ſacra noſtra ſuccenſos eſſe, quàm quòd noui ritus aduersùs receptos à maioribus Inducerentur; ex variis Patribus eſt demonſtratum. Sed & Hæreticos Sanctus Auitus [2], inde *2 Epiſt.41.* præſertim monet in errore obſirmari, quod eos pudeat videri ſententiam mutaſſe, aut non inhæſiſſe maiorum ſenſui, quantumvis diſcuſſo nubilo, liquida ſe veritas ingerat. Par igitur eſt, filios lucis ab vſu eorum qui in tenebris ambulant procul factos, piam de Immaculata Virginis Conceptione ſententiam, cui nihil opponitur ſolidum, quódve difficultatem meritò faciat, à qua omne practicè errandi periculum ſemouet columna & firmamentum veritatis Eccleſia, in tanta cæterorum omnium conſenſione amplexari deinceps, nec logomachiis ad nihil vtilibus inſiſtendo, præconceptionibus ſuis inſiſtere. Quid par fuerit, dixi: Quid ſperandum, filia temporis veritas manifeſtabit.

Agnoſcunt



GNOSCVNT Nationes omnes, & vniuersi Ordines hanc immaculatam Virginis dotem, quam cùm in ipsis Salutationis Angelicæ verbis fæliciter retextis litteris inuenerit pius iuxtà & ingeniosus Vir P. IOANNES FRANCISCVS A LVCA ex Familia Turria Ord. Cappucinorum, eius ex propè infinitis aliquot Anagrammata subiungere non abs re visum fuit, vti in Hagiologio Lugdunensi, quæ tunc Ioannes Baptista Agnensis ediderat, à nobis relata fuerunt.



IN EIVSDEM IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS Exaltationem.

ELOGIVM ANAGRAMMATICVM.

Ex eiusdem Angelicæ Salutationis Sanctissimis Verbis.

AVE MARIA GRATIA PLENA DOMINVS TECVM.

Propositiò rerum dicēdarum.

IN insta, Dia, pura Mater, elogium canam;
Agni Matrem sine ve, ac ita puram laudo;
Ea vnica mira est; laudo genitam puram.

Inuocatio ad B.Virginem.

Virgo sacrata mea, mei tu lumina pande,
Vera magistra pia da lumen cantui meo,
Dignare me, vt vi canam te, ô pura à malis;

B. Virginem sine macula conceptam Salutationis testimonio Gabriel asseruit.

O Dei amata, nunciat Aliger, summè pura;
Nunciat Aliger puram Iesu Deo amatam,
Diuinam Genito macula præseruatam,
Monui, ait, dignè maculâ præseruatam,
Ac mirè egi in salutando, tam puram aue;
Virgo Mater pia almè Sancta mundi Eua;
Eua Dia patens regina immaculatorum,
O pura Eua! Mater magna, & lucida nimis,
O agnitam viuam perseruatam in clade!
O mirum! diua palam genita verè sancta,
Euge alta actu pura. Admiramini omnes;
Ea tanta, ea sanè miraculum prodigium,
O grande miraculum! piè insta emanata;
O miraculum! nam pura, etsi Adæ genita,
Cara mea, i viuas; non pergit ad te malum;
O alma inuicta, magna re, tu paries Deum,
Te aduocata mea mitè magna nil purius,
Tu Agna Dei creata purè immunis à malo,
Tu alma pia, tu verè magná, decora nimis,
Tu genita es pura omni macula rei Adam,
Ac si Eua impura gemat, non tu; alma ride:
Amore ignita es, vnde pura immaculata,
Gemma sine luto, tu anima pura cara Dei,
Iò tu valdè manè micas Agni mater pura,
A nigrâ maculâ munda is tempore vitæ,
Tu vnica pura es, ô magni Dei mater alma,
Age Diua Immaculata inter omnes pura,
Vige ô alma, ama, carne, & spiritu munda;
Et ita munda es à macula Regina Piorum,
A culpâ es tam mirè munda à tua origine,
Priuilegium! otra es, ac emanata munda;
O veritas pia! munda è macula germinat;
Virgo mea pura nitet sine macula Adam;
Vna summè pura, clara tota Agni Dei mei;
Pura Dei sanè Maculam ignoret Auitam;
Næ Virgo te pia est, Munda, Immaculata;
Anima Dei verè magna micat pura vt Sol:
Dum emanat aue, purior Angelis micat:
A vina à magna Matre splendor emicuit,
Genita pura omni macula veteris Adam,
Iurem; Genita est pura omni macula Adæ,
Eueam culpam, & Adami ruinas ignorat,
Vna est aula regia, nemo dicat impuram,
Manauit vna, vt Gemma Poli, res cara Dei;
Emanauit Gemma lucida, Vrna pretiosa
Clemens magna Deo vita pura, vita mira,
Nata Dei amore ignita summa luce pura,
Verè iam palam genita diua Sanctorum,
Tam pura sine maculâ Virgo Dei emanat.
O alma pura! miranda est: euicit Anguem:
Euicit durum ipsa Agna armata Leonem.
Prostrauit Anguem alma mea vnica Dei,
Dei piarum sola Anguem mactat Auerni.
I, procul, i, Satan, i à vera munda, & gemma;
I, i, procul, sæue, à Matre Agni, dum manat;
I, i, tam elatum, Agna, vi supera Draconem;
Iò tremenda clama, Rupi iugum Satanæ,

I, I, procul, Nata Eoa magna Dei mater ſum,
Geneſ. 3. Aula magna iam verum, * id ipſa conteret.
Tu Gemma alta nimis, pora, niuea, decora,
O regina Vatum Dei parens immaculata,
Pura amiea Deom tulit anima generoſa,
O alma ſacta! Ea pari: Deum voigenitum,
Argoe: Amans Dei, vt primò luce animata,
Argue: ſana lucem primò animata videt,
Vè maculam Auitam Dei parens, ignorat.
Si Deum genoit anima ereata, pora malo,
Magni Dei Mater pura ſine macula ouat:
Vna Agni merito culpam Adam te eoaſit,
Mirè ea mooda à culpa viſa ioorte Gnati,
Et vt Regina pura es omoi macula Adami,
Iam ceù mondi alma Regina Tora pura es;
Ea manans pura lucet, vt mira Imago Dei,
O pura magni Dei Mater! ea, vt Looa, micas:
O Area Dei mei ſanè agnita multum pura,
Iam age, iam tota pura es, lucerna mundi,
Amen ea Virgo creara, vti lampas muodi,
Ea id ereata, vt lumen magnom Paradiſi,
Eo clamo, Tu Ianoa, Tu re gemma Paradiſi,
Pura genita es, ô miraculom! Dia emanat.
O ita iam mundos elamet, ea Regina pura,
Iam munde ſcito, ea pora, vt alma Regina;
Vide emanat vt ſumma Cara Regina Poli,
Munde iam vi clama, Regina tota pura es,
Munde iam clama, Regina pura tota Ieſu,
Munde clama, iſta Eua pora merito Agni,
B. Virginem ſine labe conceptam omnia proclamant. Munde eia clama, Virgo pura. nam ita eſt:
Agna mira & munda à culpa merito Ieſu,
Iam clamor mondi eſt, puræ vitæ Agna;
Omnes alunt, Regia Dei tam pura macula;
Cœlum Empyreum Ieruſalem gaudeto, Anima pura micat
Canat Empiteum, i monda es alia Virago,
Sancti E Glotia Sancti eam viuam puram edaot,
Angeli Dicont Angeli, ô puram te à Ieſo amatam:
Cœli agmen ait Mater pura viſa munda,
Iam gaudent, clamaot, Superi, ô E a mira,
Mare Iſta magna Dia piam cœlum veneratur;
Inſula Laudate, Oceani, Virginem ſatam puram;
Elementa Inſulæ dicite, ô puram ruga emanatam;
Aſia Data pia, aiunt ſolum, mare, aër, cum igne,
Re Eua munda, genitam puram colit Aſia:
America Manaſti id pura lumen, gaudet America,
Europa Clamitat Eutopa, Agna I e s v mirè munda,
Africa Auſtri Regio piè clama, Manat muoda ve
India India, ſurge, cole puram vitæ manatam,
Antipodes Ant podum turma clama, en regia à Ieſu,
Italia Italia, Reginam puram deuotè canatous,
Germania Vna Dia eſt Enam puram Germania colit,
Nationes omnes Almam, purá ave à ruga dicite Nationes,
Regna Ita clamate, Regna, ô Diuina ſummè pura.
Roma I Roma, vi elama, Munda & pura genita es,
Luca O Luca, Diam ritè amemus, en agnita pura,
Mediolanum Mediolanum ait, Tu Agna es, ac mirè pura,
Neapolis Regia Neapolis iurat, eam actu mundam:
Venetia Clamant Veneti, iam gaudes ô mira pura:
Roma, Sena, Luca, Genua Roma, Sena, Luca, Genua, puram itidem ait:
Eia tam munda es à ruga, colunt Imperia;
Reges Reges iam proclamant, uit munda à væ:
Duces Id & Magni Duces aiuot, Alma, mera, pura;
Epiſcopi Præſulum mitræ dicant, id magna Eua
Cardinales O pura in Gemmâ vitâ! Cardinales aiuot:
Biblia Sacra O mirum! Sacra Pagina è mente laudauit:
D. Paulus I, Paule, ama, canta, Virgo mirè munda eſt:
In Adamo geous perit, mater viua clama:

Cantate ô Diui, alma Regina ſummè pura,
Clamate Pij, Virgo munda manes à reatu:
Clamate ô Iuſti mea Regina, munda pura;
Amatam puram à væ; Religiones dicunt: *Religioſi*
Age viuat pura iam declamant Minores: *Minoritæ*
Amen menda pota Virgo elamat Ieſuita. *Societas Ieſu*
Ieſuita me adorat in magna luce puram:
Tu Dominicanis Gemma, altera Eua pura, *Dominicani*
Vide agas, * M a r i n e Tui colant eam puram, ** Generalis Dominicanæ Familiæ*
Euge M a r i n e ama, dic Alumnis, Tota pura:
Auguſtiniane doce, Almam te ita puram: *Auguſtiniani*
Serui ô magoa, tui declamant, eia puram, *Seruitæ*
A neo Diua ea, puram aguouit Carmelita, *Carmelita*
A ruga pura es, laudem cantate ô Minimi: *Minimi*
Puram cane, Ieſuata, tam monda Religio: *Ieſuata*
Cartuſiaoi iam laudaot, ô Gemmea purè: *Cartuſiani*
Oliuetanos canit, Dia mera gemma purè: *Oliuetani*
Dic vi Præmonſtrate, Magna alma viue: *Præmonſtratenſes*
Monaſtica Regula oæ vidit eam puram; *Monachi*
Tu Monialis gaude pora, ac mirè emanat: *Moniales*
Diui Patres clamant, ô mera magna viue: *S. Patres*
Clama mens Diua, purè mira tota in Auge:
Canta ei, ô Regloam iuſtam valdè puram,
Seoti lingua ait, munda mea, te pura mea, *Scotus*
Ità puram eam laudare magis conuenit;
Eia Vir Angelicus puram amat, admonet, *D. Thomas*
Doctrioa Angelus eia me amauit puram,
Declamate ô magni viri tu pura emanans;
Age pura es immaculata, aiuot moderni, *Neoterici*
O genitam valdè puram, en ait Maracius, *Hippolytus Maraccius*
Maracios arguit alte, piè, ô næ mundam, *Congr. matris Dei.*
Erô vides puram in Anagrammate Calui,
Liogua Seuum dicit, ô te pura amata mea: *Io Bapt. Agnenſis à Calui*
O pura mea! Viri iam gaudeotes clamant:
Ad gloriam iam cantate Iouenes, puram, *Senes*
Et clama ô puer, Manauiſti regia muoda: *Viri*
Agmina pueroιum dicant Alma ea iuſta: *Iuuenes*
Agmina & Purorom dicaot, Alma, ea Ieſu, *Pueri*
Diuites clamant, pura niuea gemma ora, *Puri*
Ità clamant egeni, ô Dina te ſumma pura, *Diuites*
I Anima deuota, clama, Teoe puram rugis *Pauperes*
Deuoti Rei eanamus læti Agnam puram, *Deuoti*
Maumeti gens ea dira vana, puram colit, *Peccatores*
Ivò iam pura genita declamat Auernus; *Turca*
Omnia vi clamare regia munda pura eſt, *Damnati*
Cantate vna pura malo Regia ſummi Dei *Omnia*
Eia ita clamate en pura io ſummo gradu,
Clamate magis ô Diua in æternum pura,
Amate, erigite Columnas, nam Diua pura
O æternitas, vi elama dignam puráove,
Imagines, vota, te poram è Iuda clamant,
Miracula item magna aiunt, Deo pura es;
Diuina mater clamita, oæ pura ego ſum:
Clamat mater, Ego Dei finu pura manaui,
Re mundè emanaui plagata ictu Amoris,
Clamat, pura ego, nam dioina Ieſu mater;
Ego mitis veneranda, pura, Immaculata
Ter immaculata viuo, Magna Dei parens,
Mater penitùs ignoraui maculam Adæ,
Et pia ac munda Saluatorem geminaui,
Alma Dei Nati mater ego vnica pura ſum,
Munda etuta à maculâ ipſam in origine,
En pura ſum mira luce ignita amara Deo *Sollicitatur, ab Apoſtolica Sede Definitionem reſſiſum de Conceptione Immaculata.*
En purè Clara, animara ſum vt Imago Dei,
Diua te genita ſum pura, omnia clamate,
Ità demùm pura ſine maculâ agnita ero,
O mira! Vtinam Magnæ S e d i luceat pura,

Eia

Eia vtinam emanes DOGMA, puta elaruit,
In ruinis Euæ clamate DOGMATA puram,
Dic legé, Roma, Tui Amans emananit pura
Dic lege Roma, Manauit, mansit Eua pura,
Dic lege, Roma, pura emanat, viuit amans,
Dic lege, Roma, ei, Tam puta manans vinat.
Clama te, pura est, Magnanima Deo viuit
Mali puram agnosce, Ita, ita verè munda
Dic, Summe Pater, En gloria manata viua,
Mater pura immensa genita Incida ovia,
Gaude mater, itâ pura sine omni macula,
Alma nitore emicat: Gaudeamus in pura,
Gaudeamus; primò animata erat in luce,
Manans pura erat vti Eui lucida Gemma.
Magna pia emicans, io, laudetur, ametur;

Agna micat pura mali; Venite adoremus:
Et reginam itâ puram, io, laude canamus,
Munde colas reginam puram væ, itâ, itâ:
Agna mater viuentium Deiparam colas
Saluta eam, Virginem dic, ô purè manata,
Tene: Pura à maculâ originis Deum amat,
En amata semper ac mundi gloria viuat,
En ipsa mulier magna tam decora viuat,
En Ciuitas Dei magna pura malo ametur
Viuat, Roma clames, te mundâ piâ genitâ,
Nosce puram, viuat Agni Dei alma mater,
Roma, viuat magna Dei mater sine culpa,
En Virgo data apertè immunis à maculâ,
Iudicet ALMA ROTA Agnam puram sineuè.



CORONA
STELLARVM XII.
SEV XII. ANAGRAMMATA
PVRA IN EXALTATIONEM IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS.

Ex Antiph. & Vers. Solemnitatis eiusdem CONCEPTIO SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

CANTO: ecce, iò, in te agnita purissima.
Sic conijcio: Regina est: emanat pura:
Sic conijcio: Mater Agni: næ puta est.
Cano: ecce sat iusta, in primâ origine:
Vna iàm recta sine peccato originis:
Ecce itâ genita purissima, in Corona:
Cognita verè Amica Increati Sponsi.
Mira res! In viâ cognita sine peccato.
O genita pura! Sic, ô, in carne emicasti.
Sic genita, ô Roma, sine peccati ruinâ
O sine peccatis, iò, mira vnica regnat
I sine peccato, ac mira Virago nitens.

ALIA

Ex iisdem Verbis.

CONcino: eia agnita purissima certè.
O tesmina! Vnica sine peccato ignita!
Sine Otei peccato manauisti Regina:
Grata oriens vni es inimica peccato:
Manasti pia, ô Virgo! cecinere Sancti.
O Mater Agni! si sic, eia concine: pura!
Concine! certè nata pissima Virago.
Concine: Iò, genita, creata purissima.
Vnica risi, Roma, genita sine peccato:
Sic Iutè: In gratia sine peccato mano.
O Arca Agni IESV ecce primo instanti!
Ecce, ô Iusta in prima origine sancta!

ALIA

Ex his tantùm Verbis

CONCEPTIO SANCTÆ MARIÆ.

CAnto, ea mira sine peccato,
Cor eià sine peccato manat.
Anima, & Caro sine peccato:
Itâ ea carens omni peccato:
Careat ea peccatis omninò.
O casta piè te carmine cano,
Cano: ô Pia emicans erecta:
Et non peccasti, Iò cara mea.
Rea peccata, ô! omnia nescit.
Iò piè ac sanctè recta mano:
Iàm eo carens norâ peccati
Peccata nescio te ita mano.

ALIA

Ex iisdem Verbis.

O, ô mira! næ peccata nescit,
O Anima recta sine peccato!
O pia! ecce ornata, & micans.
O pia! Cano, sic certè emanat.
O Anima! Caret in se peccato.
O ecce orta pia, ante micans,
Ecce, sic noto, te manata pia.
Ecce pia manat: re ita nosco.
Ecce nosco: tet pia animata:
Ecce Tonantis Camera: ô pia!
Ecce piè coronata manasti.
Ecce micas, non rea, tota pia.

In



IN EIVSDEM

IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS Exaltationem.

CARMEN SPONDAICVM ANAGRAMMATICVM

AVE MARIA GRATIA PLENA DOMINVS TECVM.

CAnto Reginam Puram eia valdè iustam :
Eua pia, alma Dei, tùm Sanctorum Regina,
Aula Dei Gnati, IESV, cano, Matrem puram :
I, Vnica Regis, Te laudo puram emanatam!
Ac Tu vera Magistra mei pia, dona lumen,
Es pura, alma tui cantu ô iam me dignare.
O mea (Puram Nuncios Aliger edit) Amata!
Dicit, ea, Aliger, ô manat summè pura Vna:
O pura! Vnam sic videt Aliger emanatam,
A macula monuit, dignè iam perseruata:
Pura, salutando, Iterem, canit, eia Gemma,
Immaculata ea pura est! ô mundi Regina!
O Agni Mater data verè à culpa immunis!
Immunia verè à culpa Adam, te tota Agni.
Summè lucida, agè! ô pia natura mirante!
O mirè super Immaculata, Dei Gnata, Vna!
Iam tota è Macula pura es mundi Regina!
O Regina micas vita almè pura, & munda.
Virgo dic alma amen amen vita est pura.
Ignorauisti maculam Adæ pura mente,
Euæ pura omen mutasti digna, ac mira.
Ad lucem tam purà venis, aio, Agni Mater,
Pura Deum genuisti, clara imò emanata:
Alma Dei Virgo, næ summè pura, intacta!
Diua mea almè, tu pia Sanctorum Regina,
Magna Dei tu oculis, i, pura merè manara,
I, munda è macula, præuisa Gnati morte?
Agni stà meritò, iam verè munda à culpa.
Ita munda à macula, tu, ô Empirei Regina.
Pura Dei viue Mater magna, olim Sancta!
Magna Dei Viui Mater an pura? est, clamo.
Virgo Dei, maculis emanat pura? emanat.
Emicat, Adami lapsum verè vna ignorat,
Et rea non gemuit pura à maculis Adami;
Pura ô mirè! Diua est, magna emanat luci.
Magna ô mirè, vt pura Dei manauit celsa,
Euam ditam culpam næ Iusta ignorat.
Euæ macula ignorata prima est mundi.
E mundi prima à Genito macula seruata.
Virgo manu Dia micat en verè plasmata:
Ore Dei pia manauit, magna luce Astrum.
Vt dignè! imò mirè! auersa à culpa manat!
Munda pia est Virgo, mira luce emanata!
Immaculatè Virgo Diua Parens emanat,
Ac Anguem, ô dirum! Pura emanata elisit,
Contrà Adami, Euæ lapsum Regi munita:
Re amota à culpâ IESVM genuit miranda.
O magni mater IESV alma! inde actu pura;
E maculâ omni Adami pura est, vt Regina.
Mira vt imago Dei lucens pura emanata.
Sanè manauit purè: Iò, ad Cœlum migrat.
Pura vnde? è visa, clama, iam Gnati morte.
Euasi maculam, meritò dante Agni, pura:
Per mira, euasi turè maculam, Agni donas
Miremur: Satanæ caput elido magnâ vi!
Sum genita Vna Dei, te amota culpa, mirae
Pura Deum, clara Agni noui Maiestatem,
Sancta Dei magni Mater purè viuo alma:
Portaui alma Dei Natum: sic verè magna
Munda pia, ac mira genui te Saluatorem.
Clamate omnes vi: Diua Agni Mater pura:
Plaudite vos: magna manaui, certè mira.
Manauit purè Virgo Dei amans: clamate
I, mundè eia clama: Virgo est manat pura.
Emanat Diua, ac te, vt summa Poli Regina.
Dia, i, clama verè magna, in totum pura es.
Laudate, ô Pueri, Reginam: iam cantamus.
Laudate, ô cani, puram Agni IESV Matrem.
Laudes, ô magni Viri, eam puram cantate.
Munda ista, ô verè! magni, patui clamate.
Agni IESV Mater pura; ità clama, ô mundo,
Eia tui Reges iam clamant: Munda ô pura!
Magni mira Parens: Viuat: clama deuote.
O Diui cantate malis verè Agnam puram;
Laudate, Iò, Sancti Reginam, Euam putam.
Magna Dei Viui clamantes: pura ô Mater!
Agmina Iustorum næ pura Dei: clamate.
Pura Dei Mater; Vos magna vi ioclamate.
Næ Virgo munda, iam Patres, vi clamate.
Pura, agmen Cœli suadet manauit mira.
Iò, Ierusalem gaude, cantas in tam Puram:
Gens clama: eià tu mira Iò, Pura, & munda.
Ingrediens vitam, clama tàm pura ò Eua!
Canta, iò, IESV Agni Matrem valdè puram.
E à, & iam Mundus clamat: Pura ô Regina!
Magna Dei Viui, clamor est, pura emanat.
Alma, & Ius dicat: Virgo Pura. Amen, Amen.
I, nata Euæ: Dogmà tuinis puram clamet,
Viuit amans, Roma, dic lege, emanat pura.
Magna reluceat ô vtinam SEDI iam pura:
O PRÆSVL magne, dic: manat viua, & mira,
Agni seruatam meritò macula, vi pande.
Magna Dei mater pura est: noui: clamaui,
En laudaui, Iò, castam, & puram Reginam!
En Adam culpam, væ ignorauisti Mater.
Regina Anima, ô pura vita, summè dilecta:
O Amen re Iusta Dei Agnum iratum placa.
Adami en culpam verè iam tuta ignoras.
O mira! en Adam culpam, vt Regina euasit:
Et verè ignorauit Amans Adami culpam.
Iure, Io, dicat puram Angelus emanatam.
En Reginam Puram, ac Iustam, Iò, laudate.
Aula Agni Pura: edic ASTRVM iam à MONTE.

NOMEN

NOMENCLATOR MARIANVS;

E TITVLIS SELECTIORIBVS;

Quibus B. VIRGO à SS. Patribus honeſtatur, contextus.

A R. P. THEOPHILO RAYNAVDO,

SOC. IESV THEOLOGO.

Eiuſdem ad Nomenclatorem Obſeruationes, & Gloſſarium.



PIIS MANIBVS, ET ÆTERNÆ Memoriæ,

CLARISSIMI VIRI

IOANNIS ARTHAVD CIVIS ET CONSVLIS LVGDVNENSIS.

GEORGIVS REMEVS.



ON mihi dubium eſt quin incredibili gaudio perfundatur Pater Theophilus, vbi amiciſſimum quondam ſibi Dominum Arthaud elegiſſe me intelliget, cui Marianum ſuum Nomenclatorem dicarem. Gaudebit vtique me feliciter ad optatum exitum perduxiſſe, quod ipſe dudum apud ſe peragere decreuerat, niſi mors quæ hominum fallacia ſæpius anteuertit conſilia, vtrumque, antequam hæc typis denuo excuderentur opuſcula, ad æternas beatarum mentium ſedes euocaſſet. Decreuerat,inquam, pro ea quâ ſuum complectebatur amicum beneuolentia, illi vnum ex ſuis libris non obſcurum grati animi argumentum inſcribere. At ego multis de cauſis adducor vt credam, nullum tibi (quem ego fato functum licet, tanquam præſentem alloquor, viuit enim etiamnum apud nos ſuauiſſima tui memoria, nullâque temporis obliuione delebitur) tibi inquam, niſi qui de beatæ Virginis laudibus ageret, nuncupandum fore. Nouerat enim ſolertiſſimus arcanorum mentis tuæ indagator, quàm ſingulari ſtudio Deiparam coleres. Viderat ſæpiſſimè, quâ conſtantiâ, quo pietatis ſenſu, ſingulis hebdomadibus in ſodalitium conuenires. Audiuerat à cæteris ſodalibus, (inter quos velut Aſtrorum princeps inter alias ſydera collucebas) dum præſertim, vna omnium voce illius Præfectus renuntiatus es, quantis laudibus tuum in Mariam ſtudium collaudarent: ideoque proculdubio de Mariæ laudibus conſcripta volumina, illius amantiſſimo clienti commendaſſet: cum præſertim in eius regendo ſodalitio ita diligentem ſedulamque nauaſſes operam, vt ipſa Deipara vt hæc de ſe conſcripta volumina, tuæ tutelæ committerentur vehementer exoptare videretur. Verum vtinam qui mihi hanc mentem huius tibi ſcribendi operis dedit Pater Theophilus

philus, idem ille nobis tua præclara facinora litteris mandata, reliquisset. Miratemur infinita propemodum tuæ virtutis heroïcæ portenta, quorum ille cui penitiores animi recessus aperueras conscius erat, quæque à cæterorum oculis tua verè Christiana piâ fraude subduxit modestia. Attamèn abscondat quantùmvis syderum Princeps radios, & lucidissimam faciem cæcâ tertatum nubium inuoluat caligine: emerget identidem vel inuitus, & discussis nebulis micantium ignium splendido apparatu sese coronatum ostentabit. Idem planè tibi contigit Vir clarissime, frustra præclaras animi tui dotes, frustrà illustria virtutum tuarum decora generosâ conatus es animi abiectione obtegere: Splendidior emicuit ex tenebris virtutis tuæ fama; & totam hanc vrbem longè nobiliori pompâ peruagata est. Testis est Lugdunum celeberrima totâ Galliâ ciuitas, quæ licet eximios viros intueri soleat & alere; tamen insolito tantarum laudum perculsa splendore obstupuit, dum tua virtus suorum ciuium oculos insuetâ luce perstrinxit. Quem enim vnquam ciuem viderat aut Alumnum, tam numeroso virtutum agmine circumseptum? Aliquos singularis in Deum commendabat amor, at rerum publicarum ferendæ moli erant impares. Enituerat hic in ciuilis laude prudentiæ, sed in turpis auaritiæ cœno miserè iacebat inglorius. Illius modestiam in tenui mediocrique fortuna mirabamur, cuius in summo dignitatum apice collocati omnes oderant superbiam. Denique non plurimos reperire fas erat cuius virtutes nullo vitiorum læderentur confinio. At in te Vir Illustrissime, quàm mira eluxit virtutum omnium consensio! quàm gratus tot rerum mirabilium concentus? Ita sacro numinis amore conflagrabas, vt patriæ incolumitati prospiceres; nunquam tenet ille pietatis sensus, qui ex omnium virtutum concentu suauiter efflorescit, ingentium negotiorum mole oppressus elanguit. Tu inter tumultuantium curarum tempestates Alcyonis ad instar, inanes Oceani minas aspernantis, adeò tranquillâ mente perstitisti, quasi ab rerum humanarum strepitu expeditus, inter deserta commorareris. Vidisti tu quidem ingentes earum opum cumulos, quas tantoperè ambit humana cupiditas, at eas acceptas Numini retulisti, & in pauperum & Religiosorum, vsum liberaliter admodùm elargitus es: vt illorum sublenares inopiam, & immensam nusquam perituræ gloriæ segetem colligeres. Quid ergo mirum, si te tantis exornatum virtutibus, ad summum splendoris fastigium Lugdunum extulerit? Si te illustrissimâ Consulatûs dignitate honestarit; in qua velut in ipso gloriæ sinu felicem animam emisisti. Hæc tuis merces virtutibus, & tuis in patriam meritis debebatur. Tu denique (cogit enim me huius Epistolæ breuitas infinitam laudum tuarum iacturam facere,) tu ita cupiditatibus imperabas, vt vigor ille excelsi animi, tenáxque recti Sanctitas, nec voluptatum blandimentis emolliri, nec flecti gratiâ, nec errore abduci, nec infringi potentiâ, nec remitti minis, nec labefactari præmiis, nec expugnari laboribus, nec mole negotiorum opprimi vnquam potuerit. Habuerunt in te habebúntque semper Lugdunensis Vrbis, & Ciues & Consules, quod assiduè spectent, mediteatur, colant,

lant ; monimenta iustitiæ tuæ , vestigia pietatis , integritatis effigiem, spirantis imaginem charitatis in pauperes ; in quæ dum intuebuntur, felicitatem bonis Ciuibus, metum impiis, legibus æquitatem , reuerentiam cœlitibus, templis honorem, & huic Lugdunensi Ciuitati rerum omnium beatissimam affluentiam conseruabunt , & augebunt. Hæc omnia tibi aditum ad amicitiam cum Patre Theophilo ineundam aperuere : qui vbi primùm te altâ quadam mente præditum, & verè Christianis virtutibus decoratum vidit , sic dilexit, vt neminem te chariorem habuerit. Ita enim à natura comparati sunt magni viri , vt propter mutuam virtutum concordiam facilè amicitiâ coniungantur. Vos similium penè virtutum vincula tenaciter alligabant. Quid enim ambo præter Diuinam gloriam , quid præter Beatæ Virginis cultum quærebatis ? Eadem prætereà ciuitas vtriúsque syderis faustâ luce collustrata est ; & quamvis paulo antè Patrem Theophilum è viuis excesseris ; ideò tantùm prior ad Superos emigrasse videris, vt amico breui secuturo in beatorum sede gloriosum parares hospitium. Vos nunc eadem in cœlo manet gloria, nunc arctiori, & nunquam dissoluendo amicitiæ vinculo astricti estis. Vterque similem vitæ id est sanctam mortem obiit : vtque de te tantummodò loquar Illustrissime Arthaude. Quid ad tuam laudem dici potest gloriosius. Tu in ipso mortis imminentis periculo vberes lachrymas profundebas , at quas lachrymas ? an eas quas mortis horror , aut infernorum cruciatuum metus expresserat ? nùm ideò flebas quia consanguineos , amicos , opes , & tuæ dignitatis insignia , & tibi charissimam patriam relinquerè molestum erat ? Nequaquam ! Vtinam tua illa nouissima verba , omnium Christianorum auribus exciperentur , & illorum animis altè infixa inhærerent. Ego, inquiebat, ille multis astantibus ; ideò lachrymas doloris mei testes profundo, quia diuinum Numen à quo tot muneribus cumulatus sum , criminibus meis læsi. Nihil me mortis imminentis horror , nihil immania Tartari tormenta terrent : id ego vnum defleo quod adeò ingratus in tam beneficum numen extiterim : id meas extorquet lachrymas. O Christianum pectus ! O Germanæ Sanctitatis indices lachrymæ ! O luctus æternæ felicitatis prænuntij. Vos igitur illustres animæ , dicata Christo pectora, perfectissimo etiamnum amicitiæ vinculo coniungimini, vos muneribus etiamnum spirantem fouetis amicitiam. Statueras Tu quidem si vita suppeteret Patris Theophili librorum editionem ære tuo iuuare , ille vicissim tibi aliquod ex suis operibus nuncupare decreuerat ; id post mortem vterque perfecit, quod dum viuerent neuter exequi potuerat. Id enim hæredes tui in quos amicum in Patrem Theophilum animum transfudisti , quique non minùs amicitiæ tuæ quam opum virtutumque tuarum hæreditatem adiere , liberaliter admodùm præstitere, dum partem pecuniæ quam sodalitio legauerat , Patris Theophili libris excudendis impendi libentissimè concesserunt. At Pater Theophilus illorum operâ qui suorum edendorum voluminum prouinciam suscepere hunc tibi librum offert , quod singularis ipsius in te beneuolentiæ , ære perennius extabit monimentum.

Idcóque

Ideóque quod vnum perfectiſſimæ horum amicorum coniunctioni deeſſe videbatur hactenus, vt nempè in eodem ſepulchro conderentur vtriúſque reliquiæ, id aliqua ex parte nobiliori tamen modo accidit. Hæc enim Epiſtola erit huius amicitiæ celeberrimum Mauſolæum, quod nulla bellorum ferocia, non edax temporum rabies, non inuida vetuſtas tentabit vnquam temerare. Demùm vt hoc carmine epitaphij loco inſcribendo finem imponam, hæc vtriúſque amicitia.

Non poterat tumulo nobiliore frui.



INDEX AV



INDEX AVTHORIS OBSERVATIONVM IN VARIA Elogia Beatæ Virginis quæ in hoc Nomenclatore explicantur.



GLOSSARIVM.

Elogiorum quæ explicantur.

Intemperatrix

PATRES



PATRES ET VETERES DOCTORES; E' QVORVM SYMBOLIS Nomenclator contextus eſt.

A

DAMVS de Perſe.
Adamus de S.Victore.
S.Ambroſius.
Ambroſius Ansbertus.
Amedeus Lanſanenſis.
S.Anaſtaſius Sinaita.
Anaſtaſius Nicænus.
Andreas Hieroſol.Epiſcop.Cretenſis.
S.Anſelmus.
S.Antoninus.
Apollinaris.
Arnoldus Bonæ Vallis.
S.Athanaſius.
S.Auguſtinus.

B

S. BAſilius Magnus.
Baſilius Seleuciæ.
S.Beda.
S.Bernardus.
S. Birgitta.
S.Bonauentura.
S.Bruno.

C

CAntacuſenus.
Cathemerinon Græcorum verſum à Syluio.
Chryſippus.
Commemorationes Græcanicæ ex Horologio Græcorum.
Coſmas Hieroſolymitanus.
S. Cyprianus, ſeu potiùs apud eum Auctor libri de operibus Chriſti Cardinalibus.
S.Cyrillus Alexandrinus.

E

ECbertus Abbas.
S.Ephrem.
S. Epiphanius.
Euthymius.

F

FVlbertus Carnotenſis.
S.Fulgentius.

G

GAlfridus in Allegoriis Tilmanni.
Georgius Nicomedienſis.
S.Germanus Conſtantipolitanus.
Giſelbertus, Autor Altercationis Synagogæ & Eccleſiæ.
Goffridus Vindocinenſis.
S.Gregorius Magnus.
S.Gregorius Neocæſ. Thaumaturgus.
S.Gregorius VII.
Guerricus Abbas.
Gulielmus Aruernus,Epiſcopus Pariſienſis.
Gulielmus Paruus.

H

HAilgrinus Cardinalis.
Heſychius.
S.Hieronymus.
Hieronymus à S. Fide.
S.Hildefonſus.
Honorius Auguſtodunenſis.
Horologium,ſiue Diurnale Græcorum.
Hugo de S.Caro.
Hugo de S. Victore.
Hymni Græcanici verſi à Buccone.

I

S. IAcobus.
S.Ignatius,seu potiùs tributa ei epistola ad Ioan.Euang.
Innocentius III.
S.Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Hierosolymitanus.
Ioannes Geometra.
S.Ioannes Mansu,Damascenus.
S.Irenæus.
S.Iustinus.
Iustus Orgelitanus.

L

S. LAurentius Iustinianus.

M

MArtyrium S. Martini Papæ in Collectaneis Anastasij.
Matthæus Philadelphius.
S. Maximus.
Menæa Græcorum,*recens deflorata à Simone Vuagnerechie nostro, in opere planè pio ac erudito, cui titulus,* Pietas Græcorum, *erga B.Virginem.*
Metaphrastes.
S.Methodius.

O

S. ODilo.
Origenes.

P

PEtrus Blesensis.
S Petrus Chrysologus.
B. Petrus Damiani.
V.Petrus Mauricius, Abbas Cluniacensis.
Philippus Abbas Bonæ spei.
S. Proclus.
Prosæ veteres apud Clychtoueum in Elucidatorio Ecclesiastico.

R

RAymundus Iordanus, Præpositus Vticensis vulgò *Idiota.*
Richardus à S.Laurentio.
Richardus Victorinus.
Rupertus Abbas.

S

SEdulius.
Sergius Hierapolitanus.
Sophronius.
Synodus 6. Constantinopolitana.

T

S. THeodorus Studita.
Theodotus Ancyranus.
Theophanes.
Theosterictus.
Theotochia Græcorum, *siue Antiphona ad B.Virginem.*

V

VEnantius Fortunatus.

Collum Virginis sunt,de ea scribentes;qui quasi collum, cibum verbi Dei degluriunt, & in alios quasi in corpus transmittunt.

Labia Virginis sunt, qui de ea Dei secreta aperiunt: qui vt fauus distillant, quia omnes sermones de ea,dulcedine redundant.

Lingua Virginis dicuntur,qui eius præconia loquuntur, de quibus mel & lac manat, quia eorum doctrina sapientes & insipientes satiat.

HONORIVS AVGVSTODVNENSIS

In sigillo Mariæ,cap.4.

NOMEN

NOMENCLATOR MARIANVS,

E' TITVLIS SELECTIORIBUS, quibus B. Virgo à SS. Patribus honestatur, contextus.

A



BSOLVTIO peccatorum.
S. Anselm. alloq. cal. 24.

Absolutio multorum delinquentium.
Hym. Græc. apud Butteonem,

Abyssus gratiæ.
Damasc. Orat. 2. de Assumpt.

Abyssus miraculorum.
Damasc. Orat. 1. de Nat.

Acerra spiritualium aromatum quæ spirituale sacrificium Christus, compositus è Deitate simul & humanitate, in igne diuinitatis, viuificæ ipsius, ac spiritualis carnis, boni odoris, inconfusè indiuisè ostendit.
S. Germanus Orat. de Natiu. B. Virg.

Accersitio humanæ salutis.
Com. Græc. apud But. 21. Nou.

Adiutorium Altissimi.
Hugo Card. in Psal. 90.

Adminiculum contra hostes inuisibiles.
Hym. Græc. apud But.

Aduocata Euæ.
S. Iren. l. 5. cap. 19.

Aduocata vnica peccatorum.
S. Ephrem in laud. B. V. S. Bern. Ser. 1. de Nat. B. V.

Aduocata nostra piissima, aduocata miserorum.
S. Bonau. in corona B. V. S. Basilius homil. in S. Mamantem. S. Bern. Epist. 174 & serm. 3. de Assumpt.

Aduocata nostra apud Deum.
Rich. a S. Laur. l. 2.

Æmulatrix primæ integritatis, & virginitatis.
Guilel. Paruus in c. 3. Cant.

Æternitas virginitatis.
S. Hildef. l. de virginit. S. Mar. c. 10.

Ager spicam vitæ vnicam germinans, quæ est alimentum Christianorum; & ortam à superstitionibus famem, ex toto orbe terrarum verissimè profligauit.
Menæa 18. Maij Ode 6.

Ager amplissimus Dei, quem nullus alius locus comprehendere potuit.
Andr. Hierosf. Or. in salut. Angel.

Ager Domini, generans sine semine frugem.
Fortunatus l. 1. de partu Virg.

Ager minimè cultus, qui Verbum, veluti granum suscipiens, etiam manipulum germinauit.
Epiph. Or. de Deip. Gregor. Neocæs. Or. 1. de Annunc.

Ager plenus, cui benedixit Dominus.
Rich. à S. Laur. l. 8.

Ager inaratus, spicam diuinam germinans.
Hym. Græc. ap. But.

Agna, ex qua Pastor ouem induit, veteris mortalitatis tunicis laceratis.
Damasc. Or. 1. de Nat. B. V.

Agna genitrix Agni Dei, totius mundi peccata tollentis.
Hym. Græc. ap. But.

Agna
S. Germ. Orat. de Natiu. Virg. Georgius Nicom ed. Orat. de oblat. Deip.

Agna grauida agno Dei nostri.
Menæa 22. Ianu.

Alabastrum vnguenti sanctificationis.
S. Amphiloch. Orat. in S. Deiparam.

Altare in quo Agnus viuificans spiritaliter omnem fructum, offertur.
S. Germ. Orat. de Natiu. B. Virg.

Altare animatum panis vitæ.
Method. Or. de Hypap.

Altitudo cogitandi inaccessibilis, inuisibile profundum Angelorum oculis.
S. Anselmus hymno 2. de variis festis B. V.

Altrix vitæ nostræ.
Comm. Græc. 7. & 8. Sept.

Amictus à Deo variatus.
And. Cret. Or. 2. de Assump.

Apertura ianuarum Paradisi.
Hym. Græc. ap. But.

Apex gaudij nostri, meta dedecoris.
Ioann. Geom, Hym. 3. de B. V.

Apostola Apostolorum, Euangelistarum Euangelista.
S. Ansel. l. de quatuor virtut. B. Mariæ c. 5.

Apotheca Christi Medici.
Rich. à S. Laur. l. 10.

Aquæductus, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, prout capere poteramus, per quem descendit vena illa cœlestis, non fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus infundens.
S. Bern. serm. de Nat. B. V. Rich. à S. Laur. l. 9.

Raym. Iord. p. 14. c. 17.
Ara lucis adyti.
Hym. Græc. ap. But.
Arbor fructum ferens splendidum, vnde fideles aluntur.
Hym. Græc. ap. But.
Arca nunquam quiescens.
Ioan. Geom. in Cat. Corderij ad c. 1 Luca, v. 36.
Arca spiritu deaurata.
Hym. Græc. ap. But.
Arca viua, & animata, ac velut propitiatorium in terra.
Method. Or. de Hypap.
Arca sancta, & indissolubilis.
Chrysost. serm. 6 de Ascens. Rich. à S. Laur. l. 10. ab initio, latiss. Raym. Iord. p. 14. c. 29.
Arca Noë
S. Bonau. in laud. B. V. n. 4.
Arca arca Noë latior, longior, illustrior.
Hesych. Or. 2. de laud. Deip.
Arca gloriæ spiritualis.
Epiph. Orat. de Deip.
Arca verè regia, arca pretiosissima, quæ excepit totius sanctificationis thesaurum.
Chrysip. Or. de Deip. Greg. Neocæs. Or. 1. de Annunc.
Arca noua gloriæ, in qua Dei spiritus delapsus quieuit.
Andr. Hieros. Or. in salut. Angel.
Arca sanctificationis quæ portauit cæleste manna.
Georg. Nicomed. Orat. de oblat. Deip. S. Ambros. serm. 80. in fine.
Arca testamenti verissima, quæ auro vestita mundissimo virtutum gemmis ornata, ea impotribilignis spiritualiter facta, Testamenti tabulas, frondentem virgam, & suauissimum in se manna continuit.
Laur. Iustin. serm. de Nat. B. V.
Arcus fœderis [illegible]iumi, & reconciliationis nobiscum.
S. Bonau. in laud B. V. n. 5.
Arca Christi, spicæ immortalitatis
Andreas Hierosol. in salutat. Virg.
Areola aromatum, ea qua odor iustitiæ natus est.
Iustus Orgelit. in Cant. ad c. 6.
Areola aromatum Sanctorum à cœlesti confita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans.
Echertus in deprecat. ad B. V.
Armarium vitæ.
Chrysip. Or. . . de Deip.
Aruus à Deo cultus, quæ sine semine intactam nobis vitæ spicam, velut in cumulo, vtero gestauit.
S. Germ. Orat. de Natiu. B. V. nec dissimiliter S. Bernardus hom. 2. de Aduentu ad illud, Ego flos campi.
Ara Sina sanctior.
Damasc. Or. 1. de Nat. B. V.
Arx Religiosorum.
Ioan. Geom. hym. 4. de B. V.
Astrum mundi Occidentis.
S. Anselmus hymno 2. de variis festis Beatæ Virginis.
Astrum Solis imagine splendidum.
Monac. 5. Lecan. in vesp.
Astrum non occidens, magnum Solem inducens mundo.
Hym. Græc. ap. But.
Aula cœlestium Sacramentorum.
S. Ambros. l. de instit. virg. c. 7.
Aula vniuersalis propitiationis.
S. Ansel. alloq. cœl. 27.
Aula regalis soli Deo subdita.
S. Ambros. de Instit. virg. cap. 12. An legendum, subiecta, siue addita, & accessa?
Aula Regis æterni.
S. Ambr. epist. 79. Augustinus serm. de Assumpt. qui habetur. tom 9.
Aurora, de qua nascitur Sol iustitiæ, solis claritati succumbens.
Pet. Damian. de assump. Hugo de S. Vict. ser. 34. Creditus Bernard. serm. 4. in Salue Regina.
Aurora Solis prœuia, & dies noctis nescia.
Pet. Cluniac. in Prosa de B. V. Innocent. 3. serm. 2. de Assum. Echertus opt. in deprecat. ad B. V. S. Bonau. lect. 11. Specul. Latiss. Rich. à S. Lau. l. 9. latiss. Raym. Iord. p. 14. c. 18.
Auctrix meriti, sicut Eua peccati.
Aug. serm. 17. de Nat. Dom.
Auctrix reformationis intelligibilis.
Hym. Græc. apud But.
Auctrix virtutum.
Creditus Bernard. serm. 4. in Salue Regina.

B

Balsamum, mundum vniuersum opinionis optimæ redolentia inæstimabiliter adimplens.
Hugo de S. Victor. serm. 47.
Beneplacitum Dei erga mortales.
Hym. Græc. ap. But.
Bethleem spiritualis, cognitione & natura viui panis; domus spiritualis & facta & appellata, in qua habitauit nobiscum contemperatus non commistus fermento, totum sibi Adam fermentans, vt panis fieret viuus ac cœlestis.
S. Germ. Orat. de Natiu. B. Virg.
Bonum generis humani.
Apollinaris tragœd. Christus patiens, *in fine.*

C

Calathus ferens manna, dulcedinem præbens sensibus piorum.
Hym. Græc. apud But.
Campus.
Rich à S. Laur. l 8. p. 496. latiss.
Campus, quem non læsit cupidus operator, manus rustica non arauit, non extulit tumor noxius, sed diffusa humilitas complanauit.
Philipp. Abb. l. 1. in Cant. c. 18.
Candelabrum inauratum, lucerna cuius fines illuminat: per quam accenderunt septem dona spiritus, & mundum terrenum illuminarunt.
Georg. Nicomed. or. de Præsent. B. V.
Candelabrum in medio mundi.
Ansel. alloq. cœl. 54.
Candelabrum aureum, septem lychnis, donis, scilicet, Spiritus sancti ornatum, clarum, & lucidum.
And. Hieros. orat. in salut. Angel. Anast. q. 53. in Script.
Candelabrum, quod ab Altissimo throno accepit ter lucidum ignem.
Epiph. Or. de laud. Deip.

Canticum Cherubim, ac Seraphim, & Hymnodia Angelorum.
S. Ephrem in laud. B. V.

Capacitas minima, illum capiens quem nulla res capit.
S. Amphiloch. orat. in Deip.

Caput Virginum.
S. Isidc. l. de Eccles. Offic. c. 17. S. Hildef. serm. 4. de Assumpt.

Castellum.
Innocent. III. serm. 2. de Assumpt. Beata Virginis latè.

Castellum muro vndique vallatum, ad quod nullus fuit accessus libidini.
S. Ansel. hom. in Euang. Luca 19. Bern. serm. 2. de Assumpt. Honor. in sigillo B. M. init. Raym. Iord. p. 14. c. 55. Rich. à S. Laur. l. 11. 677. latiss. Credatur Bern. serm. 4. in Salue Regine.

Cathedra non inferior cathedra Cherubica.
Hesych. Orat. 2. de Deip.

Cathedra Regis, portans omnia portantem.
Hym. Grac. de B. V. apud Bus. 116.

Caula ouium rationalium.
Hym. Grac. apud Bus. p. 119.

Causa rerum.
S. Bern. serm. 2. de Pentec.

Causa vnionis omnium cum Deo.
Hym. Grac. apud Buseon. p. 130.

Causa vitæ, sicut Eua causa mortis.
S. Epiph. hær. 78.

Causa generalis reconciliationis.
S. Anselm. alloq. cœl. 27.

Causa salutis vniuerso humano generi.
S. Iren. l. 3. c. 33.

Charta magna.
S. Epiph. hær. 30.

Charta diuinissima.
S. Ephrem in laud B. V.

Charta purissima, in qua Verbum sine scriptis impressum scidit fraudis chirographum.
Georg. Nicomed. Orat de oblat.

Circumscriptio eius, qui circumscribi non potest.
Method. Orat. de Hypap. Sophron. Constant. Or. 1. de Nat. Dom.

Cisterna Bethlemitica, vitæ refocillatrix, à Dauide desiderata, ex qua immortalitatis poculum cunctis emanauit.
Method. Orat. de Hypap. Sophron. homil. de Christi Natiuit.

Ciuitas Dei.
Iorda. pag. 14. capite trigesimo sexto. Richardus à sancto Laurentio libro vndecimo, latissimè sanctum Bernardus serm. de laude B V. ciuitatis Dei.

Ciuitas magni Regis, &c.
S. Germ. Orat. de zona Deip.

Ciuitas animata, de qua dicebat Propheta: *Gloriosa dicta sunt de te, Ciuitas Dei.*
Greg. Neocæs. Orat. de Annunciat. Georg. Nicom. Orat. de oblat.

Clauis regni cœlestis.
S. Ephrem in laud. B. V.

Clauis Regiæ Christi.
Hymn. Grac. apud Bus. p. 126.

Clibanus intellectualis, ignem, & panem vitæ habens.
Epiph. Orat. de laud. Deip.

Coadiutrix Christi in Passione, & Redemptione humani generis.
Theophili Raynaudi Marialia.
Rich. à S. Laur. l. 1. p. 104.

Concha purissima diuinæ margaritæ.
Hym. Græc apud Bus. p. 130.

Cœlum, & Thronus Cherubicus, Sancta Puella Maria.
Epiph Orat. de laud. Deip.

Cœlum splendidum, incomprehensum cœlis, continens Deum.
Sanctus Epiphanius Orat. de Deipara Richardus a S. Laur. lib. 7. init. latiss. Iord. pag. 14. c. 11.

Cœlum viuum, cœlis ipsis latius.
Damasc. Orat. 1. de Nat. B. Virg.

Cœlum alterum, quod est in terra.
Greg. Neocæs. Orat. 3. de Annunc.

Cœlum eius qui terram, cœlum fecit.
Andreas Cretens. Oratione prima de dormitione Deip.

Cœlum secundum.
Missa Æthiopica.

Cœlum Dei, vnica sedes Domini.
Rupert. l. 5. in Cant. Proclus Oratione de Transfigur.

Cœlum mirabile, proferens solum Solem.
Philipp. Abbas lib. 6. in Cant. capite decimo-octauo.

Collectrix malè consonantium, coniunctrix iam olim disiunctorum.
S Germ. Orat. de Præsent. Deip.

Collegium sanctitatis.
Chrysolog. serm. 146.

Collum Ecclesiæ, nectens caput cum membris.
Rich. à S. Laur. l. 1. p. 107. & l. 5. p. 366.

Columba vna, perfecta, electa.
Philipp. Abb. l. 6. in Cant. c. 8. latè.

Columba castissima, carens omni felle.
Sanctus Bonauentura in Cantico super Salue Regina *Rupertus libro tertio in Cantic. latissimè.*

Columba pura, & Sponsa cœlestis.
Epiph. Or. de laud. Deip.

Columba pacifera.
sanctus Bonauentura in laud. Beata Virginis num. 16.

Columba impolluta.
Rupertus latè libro tertio, in Cantic. Hesychius Oratione 2. de Deiparâ Philip. Abb. in Cant. cap. 8.

Columna viuifica, non carnalem per lucem deducens Israëlem, qui fugatur; sed spiritalem, qui deducitur ad inenarrabilem lucem cognitionis, diuinis illuminans facibus.
Andr. Cret. Or. 2. de Assumpt.

Columna flamma deducens ad supernam vitam.
Hym. Grac. de B V. ap. Bus. p. 138.

Columna ignea, his qui sunt in tenebris viam demonstrans.
Hym. Grac. apud Bus. p. 122.

Columna virginitatis.
Hymn Grac. apud Bus. p. 131.

Commilito adiutrix & insuperabilis.
Nicetas Choniates lib. 5. de rebus Manu. c. 5.

Complexio eius, qui cætera complectitur.
Method Orat. de Hypap.

Concha, quæ cœlitùs ex Diuinitatis fulgetra in

vtero concepit, ac peperit Christum, ingentis pretij vnionem.

Damasc.Or.1.de Nat.B.V.S.Athanas. latè q.19. ex vltimis.

Concha, quæ diuinam purpuram Regi virtutum, sanguine suo colorauit.

Hym:Græc.apud Buteon.p.128.

Concha marina veri vnionis, ex cœlesti fulgore, & purpureo latice procreati.

S. Ephrem de mag. pret. Ioan. Geom. Hym. 1. de B.V.

Conciliatio omnium erga Deum.

Hym.Græc.apud Buteon.p.130.

Conciliatrix efficacissima totius Orbis terrarum.

S.Ephrem in laud.B.V.

Concilatrix sanctarum animarum.

Hym.Græc.apud Buteon.p.131.

Conseruatio mundi.

Hym.Græc. apud Buteon.p.123.

Consilium ineffabile, & quod planè cognosci non potest, eius, quæ est ante principium, curationis hominum.

Andr.Cret. Orat.2.de Assumpt.

Consilium occultum sapientis Dei.

Ioan.Geom.hym.1.de B.V.

Consolatio totius mundi.

Hym.Græc.apud Buteon.p.118.

Consolatio infirmorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus vniuersorum.

Giselb.in Alterc.c.19.

Consolatrix peccatorum.

Innoc.3.in hym.de Christo, & B.Maria.

Cornu in quo vnguenti pigmentum.

S.Germ.Orat.de Natiu.B.V.

Corona gratiarum.

S.Germ.Orat.de Natiu. B.V.

Corona regia pretiosissimum habens lapidem, & gemmis similem Christum.

Epiph.or.de laud.Deip.

Corona virginitatis.

S.Cyrill.Alex.hom.Ephes.habita in Nestor.

Corona Sanctorum omnium.

S.Ephrem initio laudat.B.V.

Corona temperantiæ.

Hym.Græc. apud Buteon.

Corona certantium.

Hym Græc.apud But.

Coronis oraculorum diuinorum.

Andr.Cretens.Orat.3.de dormit.Deip.

Coronis prophetarum.

Euthymmon. Orat.de Fascijs Salu. & zona Beatæ Virginis.

Coronamentum Martyrum planè diuinum.

Menæa 13.Iunij ode 9.

Crater, qui Deum suscipit, sapientiæ, quæ non potest exinaniri.

Andreas Hierosol. Episcopus Cretensis orat. 2.de Assumpt.

Richard.à Sanct. Laurent. lib. 10.pag. 638.latiss

Crater fundens exultationem.

Hym.Græc.apud Buteon.p.133.

Cubiculum Incarnationis Verbi.

Gregorius Neocæsar. oratione tertia de Annunciatione.

Cura mundi, spes vna Christianorum, tutrix peccatorum quæ Deum Maria concipis.

Andreas Cretensis Canone in Conceptionem.

Currus Eliæ, tepidis virtutum quadri iugis concitus.

Ioan.Geom.hym.1.de B.V.

Currus Verbi igneus.

Hym.Græc. apud Buteon.

Currus Dei decies mille, millibus multiplicatus, qui millia locupletum adduxit ad Deum carne tectum.

Andreas Cretensis Oratione secunda de Assumptione.

D

Dabit in quo diuini Sanctæ Ecclesiæ mystagogi, iudicis tenentes sedem, diuinarum reuelationum futura prædixerunt.

S.Germ.Orat.de Natiu.B.V.

Declaratio occultorum, & profundorum diuinæ incomprehensibilitatis.

Andreas Cretensis Oratione secunda de Assumptione.

Decus Virginum, Domina gentium, Regina Angelorum.

Sanctus Anselmus alloquio cœlesti vigesimo quarto.

Decus singulare, & ornamentum virginitatis.

Sergius Hierap. Oratione de Natiuitate Beatæ Virginis.

Decus & gloria omnium mulierum; salus, & nobilitas omnium electorum.

Sanctus Gregorius septimus libro octauo epistol.22.

Decus hominum.

Laurentius Iustinianus sermone de Natiuitate Beatæ Virginis.

Decus hominum & Angelorum.

Menæa 4.Ianu. ode 9.

Decus eximium, & ornamentum Orbis terræ.

Cyrillus Alexandrinus homilia Ephesi habita in Nestor. Sanctus Bonauentura in Psalte. Min. quinq.1.

Decus illibatæ virginitatis.

Proclus Orat.de Nat.Dom.

Decus naturæ.

Ioannes Geometr. hymno tertio de Beata Virgine.

Deipara semper beata, & omnibus modis irreprehensa, honorabilior quàm Cherubim, & gloriosior quàm Seraphim; quæ sine corruptione Deum Verbum peperit, verè Deipara.

S.Iacobus in Liturgia.

Deiparens sancta, venerandaque, & omnibus laudibus celebranda; quæ est sola casta & pura; quæ est sola sancta, anima & corpore; quæ sola habet fiduciam ad eum qui est natus ex ipsa, quæ est solatium eorum qui affliguntur, quæ est vltio eorum qui vexantur; quæ est amictus eorum qui sunt nudi; quæ est baculus senectutis, quæ est firma defensio eorum qui manè ad eam vigilant; quæ semper suis vlnis fouet Christianos.

Eutychianus in Narrat.de Theophili pœnitentia.

Deiparens incontaminata, impolluta, immaculatissima, sanctissima, illibatissima, venerandissima.

Catbemer. Græcan.per Syluium.

Delubrum

Delubrum sacrum Christi, qui solus in adytia, sanctisque Sanctorum, secundum ordinem Melchisedec sacrificauit.
S.Germ. Orat.de Nativ.B.V.
Dextera Christi, ad lapsos omnes erigendos, extensa.
Menaa 14. Maij,Ode 8.
Diadema regni non manu factum.
Andr. Cret. Orat. 2.de Assumpt.
Diadema pulchritudinis.
S.Germ.orat. de nat. B.V.
Diadema pretiosum piorum Regum.
Hym.Grac. apud Batean.p.134.
Diarium vnicum, creaturæ Domini.
Hymn.Grac.apud.But.p.129.
Dies.
S. Bern. serm.5. ex paruis, & serm. de aquaductu. Raym. Iord.p.14.c.20.Rich.à S.Laur. li 7. sub finem.p.477.
Dies mystica quæ aduexisti in mundum; Solem præluſtrem, inacceſſum, & nullo vnquam occaſu finiendum.
Menaa 7. & 8. Iulij Ode 9.
Dilectio desiderium omne superans.
Hym. Grac. apud But. 125.
Dilectiſſima dilectarum.
Rupert.l.3.in Cant.
Diluuium lucidum, adducens Christum Solem.
Hym.Grac. apud But.p.124.
Dioptra perſpectiua, per quam sedentes in tristi vmbra peccatorum, recipientes solem iustitiæ mirabiliter illustrati sunt.
Andr. Hierof.Orat.in salut. Angel.
Diplois aurea speciei.
Andr. Cret.Or.2.de Assump.
Directio dubitationis nostræ.
S. Germanus Orat.de Præsent. Deip.
Diſſipatrix maledictionis primigeniæ.
Menaa 15. Ianu. in vesper.
Diuerſorium, atque refugium peccatorum.
S. Ephrem. in laud.B.V.
Doctrix Confeſſorum.
S Birgit. in serm. Angelic.c.9.
Domicilium eius qui est supra Seraphim.
Hym. Grac. apud But.p.126.
Domicilium æquiualens cœli, ac terræ.
Greg. Neocæs. orat. 3.de Assump.
Domina magna, bona Domina, Domina mundi.
S. Anselm. aleq.cal. 56.
Domina rerum, Sancta Sanctorum, Regina cœlorum.
Creditus Bernardus sermone 4. in Salue Regina.
Domina nostra ſanctiſſima, incontaminata, ſuper omnes benedicta, & glorioſa.
S.Chrysost. in Liturgia.
Domina nostra ſanctiſſima, immaculata, glorioſiſſima Mater Dei, & ſemper Virgo Maria.
Sanctus Iacobus in Liturgia. Sanctus Marcus in Liturgia.
Domina nostra ſola, quæ ſola nobis ex Deo ſolatium, ſola æſtus in nobis exiſtentis diuinus ros, cordis nostri exardeſcentis guttæ diuinitùs fluentes, & tenebricoſæ nostræ animæ ſplendidiſſima lampas, dubitationis nostræ directio, debilitatis nostræ potentia, nuditatis nostræ veſtimentum, nostræ mendicitatis diuitiæ, inſanabilium vulnerum nostrorum medicina, lachrymarum ablatio, gemituum nostrorum ceſſatio, calamitatum nostrarum reſtauratio, dolorum nostrorum reuelatio, vinculorum nostrorum ſolutio, ſalutis nostræ ſpes.
Sanctus Germanus Oratione de præsentatione B. Virginis.
Domina misericordiæ, dulciſſima Dei Mater.
Guil. Parif. in Rhetor. diuin c.18.
Domina Dei Genitrix, validum auxilium oppugnatorum; ſtabilis anchora iis, qui tempeſtate iactantur; præſidium vexatorum, exhortatio laborantium, ſpes deſolatorum, conſolatio lugentium.
In Florilegio Buteanus ex Orationibus Gracanicis.
Domus ſanctitatis.
Menaa 10. Febr. Ode 3.
Domus ſapientiæ æternæ omnibus virtutibus conſpicua.
Hieron. in c.7. Esaia.
S.Bernard.ser.6.ex paruis.
Domus Dei.
Iord.p.14.c. 32.
Domus Dei à vero Salomone constructa.
Sanctus Bonauentura in laud.beata Virginis numero 12.
Domus magna Dei, manifeſtus mons Dei, Deipara Maria.
Sanctus Dionysius Alex. epist. contra Paulum Samosat.
Domus Dei glorioſa, à Deo ſibi ædificata, instructa columnis 7.
Georgius Nicomed. Oratione de oblat. Petr. Damian. sermone de natiuitate beata Virginis. Bernardus sermone 9. ex paruis. Hildefonsus sermone 3. de Assumptione l.10.p.612. latin.
Donarium ſalutare omnes lætificans.
Sanctus Germanus Oratione de natiuitate beata Virginis.
Donatrix bonorum, & opum generis humani ornamentum, & omnis creaturæ decus.
Damascenus Orat.1.de Assumpt.
Donum Dei maximè nouum.
S. Germ. Orat.de præsent. Deip.
Ductrix ductorum fortiſſima.
Ioan. Geom. hym. 4. de B. V.
Dulcedo credentium animarum.
Ostelb.in altercat cap. 7. Rich.à S.Laur.lib. 4.à pag.295.
Dux continentiæ fidelium.
Hymn. Grac. apud But.
Dux prænia Eccleſiæ.
Henerius Augustod. in sigillo sancta Maria, capite 4.

E

Eden ſpiritalis, antiqua illa ſanctior, & diuinior.
Damasc. or. 1. de Assump.
Egreſſus diuinus Seruatorum.
Hym. Grac. de B. V.apud. But. 124.
Erectio Adami, Sponſa Dei, Inferni mortalitas.
Hym Grac. apud But. p. 123.

Eructio mortalium, euersio dæmonum.
Hym. Grac. apud Butson. p. 121.
Esca spiritalis hami, qui est diuinitas.
Epiphanius Oratione de laud. Deipara. Innocent. III. sermone de Natiuitate beata Virg. S. Bruno serm. de Nat. B.V.
Euangelista.
S. Hildef. serm. 2. de Assumpt.
Eua noua.
Fulgentius sermone de laud. beata Virginis Athanasius sermone de sanctissima Deipara Chrysip. Oratione de Deip. laud sanctus Iren. l. 3. cap. 33. & l. 5. capite 19. Tertull. de Car. Chr. cap. 17.
Exemplar viuidum virtutum.
Ioan. Geomet. hymn. 3. de B. V.
Expletio dispensationis conditoris.
Commemoratio Grae. 21. Nouemb.
Exultatio olei vnctionis.
And. Cret. Orat. 2. de Assump.

F

FAuus Christi mellis.
Rupert. lib. 3. in Cant. in fine. Philip. Abbas l. 4. in Cant. c. 24.
Fax fidelium.
Method. orat. de Hypap.
Fax inextincta.
Ioann. Geomet. in Catena Corderij cap. 1. Luca, vers. 38.
Fenestra splendor mundi.
Chrysost. serm. 6. de Ascens.
Fenestra cœli, per quam Deus verum fudit sæculis lumen.
S. Fulgentius sermone de laud. beata Virginis.
Petr. Dam. serm. 3. de Nat. B.V.
Raym Iordan. part. 14. c. 34.
Honor. in sigillo S. Maria c. 2.
Ferculum (*seu lectus conuiuialis*) veri Salomonis, de lignis Libani.
Guil. paruus in c. 3. in. Cant.
Richard. a S. Laur. l. 10 p. 579. latissimè.
Fermentum Sanctorum Dei, quo tota generis humani massa conspersa est, & ex vno Christi corpore, ceu panis factus in vnum coiit incredibilis concretio.
Andr. Hieros. Or. in salut. Angel.
Fibula Seraphica mystici Anthracis.
Andr. Hieros. Orat. in salut. Angel.
Fictinium noui ortus.
Amphiloch. orat. in S. Deip.
Fideiussio pignoratitia diuinarum reconciliationum.
Andr. Cret. serm. 2 de Assumpt.
Fides eorum, quibus est opus silentio.
Hym. Grac. apud But p. 17
Fiducia mortalium erga Deum.
Hymn. Grac. apud But. p. 118.
Fiducia Martyrum.
Hym. Grac. Apud But. p. 119.
Fiducia sola mandatorum.
Hym. Grac. apud But. p. 125.
Filia Regum. Mater Regis Regum.
Pet. Dam. serm. 3. de Nat. B.V.
Filia prædilecta æterni Patris.
Laur. Iustin. serm. de Nat. B.V.
Filia Regis, filia Sion, filia Iuda.
Rich. à S Laur. l. 0. p. 405.

Filia Dei primogenita.
Raym. Iord. p. 14. c. 10.
Filia vitæ.
S. Dyonys. Alex. epist. contra Paul. Samos.
Finis Testamentorum, quæ nobis fecit Deus.
Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt.
Finis iræ Dei.
S. Bonau. in Psalter. min. quinq. 1.
Firmamentum.
Raym. Iord. p. 14. c. 12.
Firmamentum dogmatum Christi.
Hym. Grac. apud But p. 117.
Firmamentum omnibus firmamentis firmius.
Autor sermonis tertij super Salue Regina, *apud Bernardum.*
Firmamentum in terram demissum.
S. German. orat. de prasent.
Flos de spinis spina carens, flos spineti gloria.
Adam. de Sancto Victore in prosa de Assump.
Flos incorruptionis.
Andr. Cret. orat. 2. de Assump.
Flos vitæ immaculatus.
Greg. Neocas. orat. 1. de Annunc.
Flos campi de quo ortum est pretiosum lilium conuallium.
S. Aug ser. 18. de Sanctis.
Flos immortalitatis.
Hymn. Grac. ap. But. p. 124.
Flos immarcessibilis.
Hym. Grac. ap. But. p. 193.
Flumen multifluum gratiarum.
Hym. Grac. ap. But. p. 137.
Flumen Dei repletum aquis gratiæ.
Rich. à S. Laur. l. 9. p. 516. Raymundus. Iordanus, p. 14. c. 26.
Fluuius clementiæ.
Creditur Bernardus in meditat. super Salue Regina.
Fodina, vnde prodit lapis totam terram tegens, à nullo incisus.
Hesych. orat. 2. de Deip.
Fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renouantur, inferna remediantur, homines saluantur, Angeli redintegrantur, fœmina plena, & superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia, respersa reuirescit omnia creatura.
S. Anselm. alloq. cal. 27.
Fœmina, quam conceptio virginem reddit, quam partus virginem seruat.
Sanctus Hildefonsus lib. de Virginit. S. Maria. c. 10.
Fœmina fœminarum crimen dissoluens.
Damasc Orat. 1. de Nat. B.V.
Fœmina singulariter veneranda, super omnes fœminas admirabilis, parentum reparatrix, posterorum viuificatrix.
S. Bernard. hom. 2. super Missus est.
Fœmina super fœminas benedicta, quæ virum omnino, non nouit, & virum suo vtero circumdedit.
S. Aug. serm. 18. de Sanctis.
Folium sanctimoniæ non scriptum.
Sanctus Germanus Oratione de Natiuitate beata Virginis.
Fons gratiæ, & totius consolationis.
Sanctus Ephrem. in laud. beata Virginis. Raym. Iordanus, pag. 14. cap. 24. Damasc. Canon. 1. Anastasius.

Fons conclusus.
Richard. a S Laur. l. 9 p. 510 latissimè Hesych. Orat. 2. de Deip.
Fons hortorum.
S. Anselm. alloq. cœl. 54.
Fons lucis omnem hominem illuminantis.
Greg. Neocæs. Orat. 1 de Annunc. Chrysip Orat. de Deip.
Fons pellucidissimus viuifici laticis.
S. Amphiloch. Orat. in S. Deip.
Fons vitæ susceptor.
Andreas Cretensis, Canone de Conceptione Beatæ Virg.
Fons perennis fluenti.
Damasc. Can. 1. Anastasim. serm. 1. cant. 7.
Fons aurifluus vitæ æternæ verum nectar cæleste profundens.
Menæa 27. Ianu. Ode 9.
Fons sanctificationis à nemine exhauriendus.
Menæa 4. April. in vesper.
Fons immortalis, qui solus aquam remissionis peccatorum effudit.
Menæa 12. Maij Ode 3.
Fons vniuerso Orbi medicinam afferens.
Damasc. Orat. 1 de Nat. B.V.
Fons fontis viui.
Pet. Dam. serm. 3. de Nat. B.V.
Fons ascendens de terra ad irrigandum Paradisum.
S. Bonau. in laud. B. V. n. 1.
Fons, ex quo vita orta est.
Damasc. Orat. 2 de Assumpt.
Fons diuinarum illuminationum qui non potest exhauriri.
Andr. Cret. Orat. 2 de Assumpt.
Fons immortalitatis, qui exhauriri non potest, vitæ fluuij perennis.
Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt.
Fons propensionis filij erga genus humanum.
Method. orat. de Hypap.
Fons signatus totius sigillo Trinitatis, ex quo vitæ fons manat, in cuius lumine videbimus lumen.
Sophron. hom. de Assumpt. Richard. à S Laur. lib 9. ab initio, latissimè.
Fons misericordiæ.
Amed. Laus. hom. 8.
Fons incorruptionis.
Theosterictus in Canone conciliatorio,
Fons inexhaustus aquæ viuentis.
Hym. Græc. apud Baseon.
Fons vitæ.
S. Anastas. Sinaita l. 2. hexaem.
Fons vberrimus totius sanctitatis.
Methodius orat. de Hypap.
Forceps cunabuli Purgatorij.
S. Method. orat. de hypap. Anastas. Sinaita lib. 8. Hexaem. Andr. Cretens. orat. 1. de dormit. Deip.
Forma Dei.
S. Aug. serm. 35. de Sanctis.
Forma credentium, & piorum exemplum.
Greg. Neocæs. orat. 1. de Annunc.
Forma omnium Ecclesiarum.
S. Hildef. serm. 3. de Assump.
Fornax Babylonica, in qua visus quartus similis Filio Dei.
Damasc. orat. 1. de Assumpt. & carmine de Theogonia. Cosmas Hieros. carmi eiusdem argumenti.
Fornax operum ardoris Dei.
Rich. à S Laur. lib. 10 p. 597.
Fornax irrorata, simul, & accensa.
Ioann. Geomet. in Catena Corderij ad cap. 1. Luc. vers. 36.
Fulcimen validum fidei.
Hym. Græc. apud But.
Fulgetra illustrans animas.
Hym. Græc. apud But.

G

Gaudium commune mundi.
Sanctus Germanus oratione de Natiuit. B. Virginis.
Gaudium certum vniuersi, vitæ largitrix, maledictionis interemptrix, benedictionis conciliatrix.
S. Germ in Psal. 44.
Gaudium Angelorum.
Hym. Græc. apud But.
Gazophylacium Thesauri, quo sumus de cruenti prædonis seruitio comparati.
Petrus Damianus sermone 2. de Natiuitate beatæ Virginis.
Genitrix immensi gaudij, & Authoris lætitiæ.
Andr. Hierosol. orat. in salut. Angel. Theosterictus in Canone conciliatorio
Genitrix nos gignensis, Parens nostri Parentis.
Pet. Cluniac. in Prosa de B.V.
Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli.
Petr. Dam. serm. de Assumpt.
Genitrix genitoris sui, filia pariens patrem.
Prosa vetus de Conceptione apud Clychtou. lib. 4. Elucid.
Genitrix virtutum.
Ioannes Geometra hymno 2. de B.V.
Genitrix vitæ.
S. Cyrill. l. 1. de fide ad Reginas ex homilia cuiusdam Patris.
Gladius virtute acutus, inimici caput abscindens.
Menæa 5. Martij in vesp.
Gloria nostra quæ parturiit nobis sacrificium.
Missa Æthiopum ex S. Matth.
Gloria luti nostri, quæ Adamum pudore, Euam comminatione liberauit.
Hesych. Orat. 2. de Deip.
Gloria veneranda Religiosorum Sacerdotum.
Hymn. Græc. apud But.
Gloria Sanctorum omnium.
Hymn. Græc. apud But.
Gloria indubitata fidelium.
Hymn. Græc. apud But.
Gratia ipsamet Dei.
Menæa 25. Iulij in vesp. de S. Anna.
Gratia gratiarum, mater gratiarum.
Ioannes Geometr. hymno primo, de beata Virgine.
Gutta.
Sanctus Germanus Oratione de Natiuitate beatæ Virginis.

Habita

H

HAbitaculum omni fuco, & dolo carens.
Chrysost. serm. 6. de Ascens.
Habitaculum incomprehensibilis naturæ.
Chrysost. Orat. de Annunc. B. V.
Habitaculum amplissimum illius qui nunquam capitur;
Andr. Hierosol. in salut. Angel.
Habitaculum pulchrum diuinæ demissionis.
Andr. Cret. Orat. 2. de Assumpt.
Habitaculum luminis, quo lumen conspeximus.
Hym. Græc. apud Butron.
Hortus non seminatus, fertilis inuentus.
Hesych. Or. 2. de Deip.
Hortus conclusus, quem falx corruptionis, ac vindemiæ non attigit.
Hesych. Or. de Deip. Rich. à S. Laur. l. 12. ab init. latiss. Raym. Iord. c. 20.
Hortus Patris
Chrysipp. Or. de Deip.
Hortus deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum.
Sophron. hom. de Assump. Philip. Abb. l. 4. in Cant. c. 15. fusè. Ecbertus in deprecat. ad B. V. Honorius c. 4. Sigilli S. Mariæ. Adam de S. Victore, in Prosa de Purific. B. V.
Hortus refugij.
Ioann. Geom. in Catena Corderij ad cap. 1. Lucæ, vers. 36.

I

IAnua cœli.
S. Ildef. serm. 2. & 4. de Assumpt. Rupert. l. 1 in Matth.
Ianua redemptionis humanæ.
Menaa 10. Febr. Ode 3.
Ianua salutis.
Hym. Græc. apud Butron.
Ianua filij Dei.
Aug. serm. 6. de tempore.
Ianua Paradisi, fenestra Cœli.
Petr. Dam. serm. 3. de Nat.
Ianua Pœnitentiæ.
Theosterictus in Canone conciliatorio.
Ianua sancti mysterij.
Hym. Græc. apud But.
Ianua, quam Verbum solum permansit.
Hym. Græc. apud But.
Ianua & aditus peregrinationis Verbi ad nos.
Theodor Abucara Opusc. 1, in fine.
Illuminata per quam tenebræ pulsæ, luxque introducta: per quam cessauit lex, & gratia inclaruit.
S. Germ. Ord. de Natiu. B. V.
Illuminatio multa.
Hym. Græc. apud But.
Imago diuini Archetypi rectè descripta.
Andr. Cret. orat. 3. de Assumpt.
Imperatrix diues, vitæ datrix.
S. Bonau. in Psalt. minor quinq. 5.
Imperatrix Angelorum, & hominum vniuersalis.
Goffrid. Vindoc. serm. 8.
Imperatrix Cœlorum, Reparatrix terrarum.
Pet. Cluniac. in Prosa de B. V.
Imperatrix clementiæ.
S. Bonau. in Offic. de Compass. B. V.
Incensum acceptabile deprecationibus.
Hymn. Græc. apud But.
Incensum redolens.
Hym. Græc. apud But.
Indumentum lucis, & virtutis domicilium.
Greg. Neocæs. Or. 2. de Annunc.
Indumentum impollutum eius, qui luce, vt vestimento, circumfunditur.
Method. Or. de Hypap.
Indumentum regale.
Andr. Cret. Orat. 2. de Assump.
Initiatrix arcani consilij.
S. Anselm. hymno 2. de variis festis B. V.
Interemptrix vniuersæ hæreticæ prauitatis.
Sophronius serm. de Assumpt.
Intercessio sedula, murus inexpugnabilis, fons misericordiæ, refugium mundi.
Theosterictus in can. conciliat.
Interuentrix mundi.
Laur. Iustin. serm. de Nat. B. V.
Inuentrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis.
Bern. serm. 2. de Aduentu.
Inuentrix gratiæ magnifica.
Bern. ep. 174. Raym. Iord.
Iuuenca diuina, quæ portauit iugum eius, qui peccata nostra portauit.
Menaa 21. Ianua.
Iuuenca nunquam iugum experta, quæ vitulum genuit.
Epiph. Orat. de laud. Deip.
Iuuenca pura, immaculati fidelium vituli parens.
Hym. Græc. apud But.
Ius dirimens lites.
Ioan. Geom. hym. 4. de B. V.

L

LAbrum aquæ salientis in vitam æternam.
Menaa 3. Ianu. Ode 1. de S. Gordio.
Lacus viuificus desiderij Dauidis in Bethleem, è quo poculum immortalitatis scaturit.
Method. Orat. de Hypap.
Lætitia humani generis.
S. Ephrem. in laud. B. V.
Apollinaris in Tragæd. Christus patiens.
Lætitia nostra indefinens.
Method. Orat. de Hypap.
Lætitia cunctarum generationum.
Hym. Græc. apud Butron.
Lamentum fortè dæmonum.
S. Anselm. hym. 2. de variis festis B. V.
Lampas luculentissima quæ splendore Dei illustrata, desideratum illud lumen quo inuenta est dragma perdita, sedentibus in vmbra mortis protulit.
Ecbertus in deprecat. ad B. V.
Lampas gestans lucem inextinguibilem, Sole splendidiorem.
Epiph. Orat. de laud. Virg.
Lampas per quam iustitiæ Solem, altiori supra naturam ratione, natura suscepit.
Andr. Cretens. orat. 1. de dormit. Deip.
Lampas circa quam nullum vmbræ vestigium cernitur.
Menaa 25. Iulij in vesp. de S. Anna.
Lampas inextinguibilis.
Cyrill. Alex. hom. Ephesi habita in Nestor. l. 6. c. 6. Conc. Ephes.
Lampas splendida, his qui sunt in tenebris conspicua, immortali accensa lumine, ad cognitionem diuinam omnes deducens, splendore mentem irradians.
Hym. Græc. Apud But.

Lampas

Lampas multilnca.
Theophanes hyma. de Annunc.
Lampas lucentissima, cuius splendore inuenta est drachma perdita.
Ecbertus in deprecat. ad B.V.
Lapis angularis.
Rich.à S.Laur.l.2.c.10.
Læëna faocta, cui secundus partus non obtigit, nec proles altera.
Epiphan. har. 78.
Lectulus Dei floridus.
Guil. Paruus in c.3.Cant.
Lectulus Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt.
Georg.Nicomed.orat.de oblat.Deip.in Temple Rupertus Cant.3.
Liber verè viuus, Verbi paterni, tacitò inscripti, viuifico calamo Spiritus
And.Cret.Orat.de Assump.
Liber nouus, in quo inenarrabili modo Deus Verbum, citra omnem manus operam inscriptus est.
Damasc.Orat.2.de Assumpt.
Liber obsignatus, datus viro nescienti litteras.
Greg.Neocaes. Or. 3.de Annunc.
Damascen. Orat.de Nat.B.V.
Georg.Nicomed.orat. de oblat.
Liber diuinæ munditiæ; cui S. Spiritus digito, inscriptaest diuina sapientia.
Menaa 24 Maij Ode 3.
Liber incomprehensus, qui Verbum Patris mundo legendum exhibuit.
Epiph. Orat de laud. Deip.
Liber animatus, spiritu sigillatus.
Hym.Grac. apud But.
Liber grandis, in quo scriptum est Dei Verbum.
S.Anton.4.p.tit.15.c.5.
Liberatio lachrymarum Euæ.
Hym. Grac. Apud But.
Lignum vitæ, gaudium & voluptas.
S.Ephrem. in laud.B.V.
Lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis.
Bernard.hom.2.de Aduentu. Damascen. canc. 1. Anastasiue.
S.Bonau. in laud.B.V.n.5.
Lignum adumbrantium foliorum, multos præterecos.
Hyma.Crac. apud But.
Lilium immaculatum, rosam immarcescibilem generans.
Epiph.Orat.de laud.Deip.
Lilium conuallium.
S.Ephrem.in laud.B.V.
Ray. Iord.v.14.c.14.
Lilium suaue spirans, fideles odore perfundens.
Hym. Grac. apud Buteon.
Lilium inter spinas ex regia radice ortum.
Damasc. orat.1.de Nat.
Petr.Dam.serm.3. de Nat.B.V.
Locus sanctificationis nostræ.
Hebrai antiqui apud Galatinum l.7.c.10.ex Hierem.17.
Locus voluptatis.
Petr.Dam.serm.de Annunc.
Rich.à S.Laur.l. 10. p.593.
Locus eius, qui loco capi non potest.
Cyrill.Alex. hom. in Nestor habita Ephesi.
Locellus infiniti conditoris sui.
Cosmas Hierosol. hym. in Pentec.

Locus sanctificationis, transcendens Seraphim.
Hym.Grac. de B V.ap But.
Rich. a S.Laur.l.10.
Lucerna oris expers, à seipsa ardens.
Hesych.Or.2. de Deip.
Lucerna inextincti luminis.
S. Cyrill.hom.6. in Nestor.
Lucerna luminosa.
Andr. Cret. orat. 2.de Assumpt.
Lucernarium auro exornatum, quod lumen intellectuale mundo peperit, & tenebrosam nebulam dissipauit.
Theodor. Studita ode 5.Canonis pro SS. Imaginibus.
Luna plena, nunquam minota, aut deficiens, aut suo lumine priuata.
Anast.41. Exaem.
Richardus à S. Laur.lib.7.à p.456. latissimè.
Luna nostra in nocte, Aurora in diliculo, Sol in die.
Ianec. 3.serm.2.de Assumpt.
Iordan. 14.c.14.
Philip. Abbas lib.6. in Cant.cap.10.
Lux mundi
Laur.Iust.serm.de Nat.B.V.

M

MAgistra Magistrorum.
Rupert. lib.2. & 5. in Cant. & lib. 2. in Matth.
Magistra gentium.
S. Aug.serm.6.de temp.
Magistra Apostolorum.
S. Birgitta serm. in Angel.c.19.
Magistra virginitatis.
Ambros. de Instit.Virg.c.5.
Magistra virtutum.
Laur. Iustin.serm.de Nat. B.V.
Magistra religionis ac fidei.
Rupert.l.5. in Cant.
Magnes cæli.
S. Brigitta l.3.reuel.c.32.
Magnificentia Dei.
Rich. à S.Laur.l.4.
Magna, de qua gignitur vermis Christos, subtilis & splendida; suauis & virgo, quæ velut cælitus veniens, cunctis populis cibum suauiorem melle defluxit.
S. Max.serm.de ram.palm.
Mare spiritale, habens gemmam cœlestem, Christum.
Epiphan.Orat. de Dei laud.
Mare demergens intelligibilem Pharaonem.
Hym. Grac.apud But .p. 522. & in Menala 27. Ian.Ode 9.
Mare diuulsum, & iter confluens ad mergendum mysticum Pharaonem.
Ioann. Geom. in Catena Corderij ad cap.1.Lucæ vers.36.
Margarita regni pretiosissima.
Method. Orat.de Hypap.
Margarita pretiosa orbis terrarum.
S. Cyrillus serm.6.in Conc.Ephes.
Mater alma.
Hymni Ecclesiastici passim.
Mater Dei, digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, excelsa Altissimi, sponsa Regis æterni.
Hugo de S. Victore serm.de Assumpt.

Mater pastoris, & agni.
Hym. Græc. apud Bat.
Mater diei.
Hym. Græc. apud Bat.
Mater gentium.
S. Aug. serm. 2. de Assumpt.
S. Hildef. serm. 2. de Nat. B.V.
Mater gratiæ.
Fortunatus hymno de B.V.
Rich. à S. Laur. l. 6. à p. 122.
Mater totius gratiæ.
S. Ansel. alloq. cœl. 23.
Mater gratiarum.
Ioan. Geom. hym. 1. de B.V.
Mater lucis gestatrix vitæ, & lætitiæ mundi.
Preces Abecedaria Syrorum.
Mater admirabilis virginitatis.
S. Anselm. alloq. cœl. 25.
Mater totius veniæ.
S. Ansel. alloq. cœl. 23.
Mater electorum.
Ambros. Ansbert. ser. de Paris.
Mater Christianorum.
Origen. hom. 1. in divers. S. August. lib. de sancta virg. c. 6.
Goffridus Vindoc. serm. 7.
Rich. à S. Laur. l. 2. p. 75.
Guil. Parvus in c. 4. Cant.
Rupertus lib. 7. in Cant. initio.
S. Bona. in speculo, lect. 8.
Mater misericordiæ.
S. *Odo vt est in eius Actis, sub finem.*
Mater pietatis.
Pius Sacellanus apud Cantiprat. l. 2. apum c. 29. num. 12.
Mater pulchritudinis, maximi para, Lucifera Virgo mater.
S. Cyrillus lib. 1. de fide ad Regin. ex quodam Patre.
Mater veræ pacis.
Petr. Damia. l. 6. epist. 32.
Mater viuentium.
S. Epiph. hær. 78. Aug. serm. 2. de Assump. Chrysolog. serm. 140. & 99.
Mater quam Christus sibi in domicilium elegit, omnibus aliis rebus creatis superior, omnium hominum salus, mundi patrocinium, quæ propter virginitatis suæ præstantiam, propè Deum versatur.
Theosterictus in S. Niceta encomio.
Mater intemeratissima sanctitatis
Amphiloch. orat. in S. Deip.
Mater vitæ.
Com. Græc. 15. Aug.
Athanas. serm de Deip.
Amed. Lausan. hom. 8.
Mater vitæ, qua viuunt vniuersi.
Guerricus serm. 1. de Assumpt.
Mater lucis.
Hesych. Orat. 1. de Deip.
Mater misericordiæ, benigna & clemens.
S. Ephrem in deprecat. ad B.V.
S. Anselm. alloq. cœl. 22.
Mater misericordiæ, & pietatis, Mater misericors, & clementissima.
Petr. Dam. serm. 3. de Nat. B.V.
Goffrid Vindoc. serm. 8.
Iordan. parte 14. c. 1.
Mater misericordiæ, Regina pietatis.
Guil. Paris. in Rhetor. diuina, c. 18.

Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater intacta.
Orig. hom. 1. in divers.
Mater dilectionis, timoris, agnitionis, sanctæ spei.
S. Hildef. serm. de Assumpt.
Raym. Iordan. part. 14. c. 1.
Rich. à S. Laur. l. 6. à p. 388. latissimè.
Mater noui moris.
S. Bonau. in Psalt. minori quinq. 1.
Mater Matrum, Virgo virginum, Stella stellarum.
Alterc. Synag. & Eccles. c. 11.
Mater miserorum.
Richard. Vict. suo c. 23. in Cant.
Medicina mundi.
S. Bonau. in Psalter. min. quinq. 2.
Medicina ægritudinum nostrarum.
Ioan. Geomet. hymn. 4. de B.V.
Mediatrix cœli, & terræ, quæ vnionem naturaliter peregit.
Epiph. orat. de laud. B.V.
Mediatrix legis ac gratiæ.
S. Germ. Or. de nat. B.V.
Mediatrix pacifica inter summa & infima.
Giselb. in altercat. c. 7. & 14.
Mediatrix Dei, & hominum.
S. Ephrem. in laud. B.V.
Mediatrix salutis.
Bern. epist. 174. Gisebert. c. 19. altere.
Mediatrix ad Mediatorem.
Bern. serm. in illud Signum magnum.
Mediatrix, & media inter humana & diuina.
Rich. à S. Victore c. 39. in Cant.
Medium ad quod respiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascuntur ab illis.
S. Bernard. serm. 2. de Pentec.
Mensa portans copiam propitiationum.
Hymn. Græc. apud Bat.
Mensa spiritalis, viuifico animarum omnium pane instructa.
Menaa 30. Maij Ode 3.
Mensa diuina sacrificij mentem omnem excedentis, super qua Christus ipse panis cœlestis qui super omnes agnus, vt suffitus & vaporatio, sacrumque viuificum collocatur, vitam afferens iis qui participant omnis mystici sacrificij pignus quo Dei caro mactatur, omniaque sanctificantur, ac mysticè hominibus conuersans inhabitat ac participat, tractatur manibus nec à peccatoribus contaminatur, labris etiam luteis assumitur, nostræque in carnis pulverem temperatum commiscetur, non per flatum.
S. Germ. Orat. de Nat. Virg. sub finem.
Mensa quæ portat vitam, in qua vitæ nostræ panis propositus, ambrosia pauit eos qui illius fuerunt participes, ex qua crateres sapientiæ imperturbatum, & purissimum effundunt poculum cognitionis.
Georg. Nicomed. Or. de Præsent. B.V.
Mensa fidei intellectualis, panem vitæ mundo suppeditans.
Epiph. Or. de laud. Deip.
Mensa animata.
Damasc. Orat. 2. de Assumpt.
Mensa panis vitæ.
Ioann. Geomet. in Catena Corderij cap. 1. Luca, vers. 56. Georg. Nicom. Orat. de oblat.

Mensa

Mensa animaes, continens panem vitæ.
Hym.Grac.apud But.p.123.
Mercatrix bona denarij virginitatis.
Amphiloq. orat. in S.Deip.
Meridies de Spiritu sancto splendens, ac feruens, in qua Christus decliuauit æstum libidinosomm.
Honer.Augustod. in sigillo S. Mariæ c.1.
Ministra cibi sancti.
Hym.Grac.ap.But.p.122.
Miraculorum abyssus.
Damasc. orat.1.deNat.B.V.
Miraculum stupendum in cœlis.
Epiph.orat. de laud. B.V.
Miraculum præstantissimum vniuersi orbis terrarum.
S. Ephrem. in laud.B.V.
Miraculum magnum mundi.
Chrysost. orat. de hypap.
Miraculum celebramm Angelorum.
Hym.Grac. apud But. p. 117.
Monile Paradisi inexplicabile.
Epiph. orat. de laud. Deip.
Mons, vnde lapis angularis abscissus est sine manibus.
Chrysipp. orat. de Deip.
Cantacus.Apolog.1.
Mons in vertice montium, exaltatus super colles.
S. Gregor. l.1.in 1.Reg.init.
Mons montium,mons omnium aromatum.
Guerric.serm 1.de Annunc.
Mons vmbrosus, mons Dei,mons pinguis.
Andreas Hierosol. orat. in salut.Angel.
Rich.a S. Laur.l.8.latiss.à p.499.
Mons qui collem omnem,& montem id est Angelorum, & hominum sublimitatem exuperat, ex quo cura vllam manuuo operam, corporeo modo exscindi voluit lapis angularis Christus, vna persona distinctas naturas copulans, diuinitatem nimirum, & humanitatem, homines & Angelos, Gentiles & carnalem Israëlem, in vnum spiritualem Israëlem.
Damascenus Orat.3.de nat. B.V.
Mons Sion, mons coagulatus, in quo benè placuit Deo habitare, ex quo in carnem concretus quæ sicut oos est intelligenter animata, is fuit coagulatus,qui est supereßentialis.
Andr.Cret.Orat.2.de Assump.
Mons inumbratus Spiritus sancti.
Method. or. de hypap.
Mons pinguis coagulatus in Spiritu.
Hymn.Grac.apud But.p.128.
Mons insecabilis, densus virtutibus, & vmbrosus.
Ioan.Geomet.in Cat.ad cap.1.Luca,v.36.
Mons montium, Virgo virginum, Sancta Sanctorum.
Rupert. l.9. in Cant.fine.
Mortalitas Inferni.
Hym.Grec. apud Buteon.p.123.
Mulier fortis.
Richardus fue c.16. in Cant.
Petrus Blesensis serm.1.
Mulier prudentissima, veræ Sapientiæ,atque ineffabilis scientiæ Mater.
Metaphr. Geom. in Catena Cordery ad c.1.Luca, versu 76.
Munimentum virginum.
Theophili Raynaudi Marialia.
Hym.Grac.apud Buteon.p.131.
Mundus minor,in quo Deus magis, quam in maiori delectatus est.
S. Birgit. in serm. Angelic. toto c.5.
Mundus magnus in paruo, eius qui mundum ex nihilo creauit, suæ ipsius magnificentiæ nuncium.
Andr.Cretens.Orat.1.de dormit.Deip.
Mundus spiritualis.
S. Bern.serm.de B.M.
Munus inexpugnabilis, & munimentum salutis.
Horolog. Grac. in Mesonyctio.
Murus regni inexpugnabilis.
Hymn.Grac.apud Buteon.p.134.
Iordan.parte 14.c.38.
Murus refugij,& omnibus modis animarum salus, ac in anxietatibus munimentum.
Theosteristus in Canone conciliatorio.
Mystis arcani consilij.
Hym.Grac.de B.V.apud But.p.117.

N

Nata sui nati, Genitrix Patris.
Ioan.Geom. hymn.3. de B.V.
Nauis salutem quærentium.
Hym.Grac.apud Buteon.p.127.
Nauis mercibus referta, nullo egens gubernatore.
Hesych.Orat.2.de Deip.
Nauis institoris, portans de longè panem suum.
Rich.à S.Laur. l.13.p. 691.latissimè
Raym.Iord.p.14.c.39.
Nebula lucida, ex qua scater fons luminis.
Georg Nicomed.Orat.de Præsent.B. V.
Nebula relucens, fideles inumbrans continuè.
Hym.Grac.apud But.p.131.
Nebula Solis-animata.
Hymn.Grac. apud But.p.139.
Negotium omnium sæculorum.
S.Bern.serm. 3. de Pentec.
Nexus virginitatis, & puerperij.
Hym. Grac. apud But.p. 126.
Nobilitas populi Christiani.
S.A nsel.alloq.cœl.13.
Nobilitas omnium electorum.
S. Greg. VII.l.8.epist. 22.
Nobilitas cœli, & terræ.
Hymnus antiquus de Purificatione B. V. apud Clytton.l.1. Elucid.
Norma omnium virtutum.
Pet. Dam.opusc.33.c.4.
Nubes leuis.
S.Ambr.de inst. virg.c.13.
S. Cyrill.in cap.19. Esaia.
Nubecula parua, quasi vestigium hominis, dulcis & pura, de mari salsissimo,& inquinatissimo.
Ioan.Hierosol.de instit.Monac.c.32.& seq.
Nubes.
Raym.Iord.part.14.c.12.
Nubes leuis, quæ super Cherubim sedentem gestauit.
Proclus Orat.de nat.Dom.
Hieron. in psal. 77.
Nubes columnæ similis, Deum habens ductrix per desertum.
Epiph. Orat.de laud. Deip.
Nubes lucida, quæ fulgur de cœlo lucidissimum deduxit, *Ibidem*

Nobes aërea diuini luminis.
Menaa 14. Martij ode 8.
Nubes cœlestis, quæ iooitreum Spiritus sancti in seipsa recondrtum, deduxit in mundum, & imbrem Spiritus sancti in vniuersam terram ad producendum fidelibus fructum, cum impetu dimisit. *Ibid.*
Nubes tonitruiformis, fulgor in vtero interiùs gestans. *Ibid.*
Nubes pluuias incorruptas continens.
Hesych. orat. 2. de Deip.
Nobes pluuiæ portum animis Sanctorum exhibentis.
Chrysip. Orat. de Deip.
Nobes dici, numquam in tenebris, semper iu luce.
Hieron. in Psalm. 77.
Nobes in die, nuncia iustitiæ tecti.
Ioan. Geom. in Catena Corderij ad cap. 1. Luca vers. 36.
Nutrix nutritoris omnium.
Philip. Abbas l. 1. in Cant. c. 14.
Ioan. Geom. hym. 3. de B. V.
Nymph. Dei.
Theophanes hym. de Annunc.

O

OBliteratio vnica mœroris.
Damasc. orat. 2. de Assumpt.
Oblectamentum terrigenarum omnium.
S. Ephrem. in laud. B. V.
Obses fidei nostræ apud Deum.
S. Aug. serm. 6. de Nat.
Officina in qua Verbum caro factum est.
Arnoldus bona Vallis De tertio Christi verbo.
Officina celebris diuiooorum cum hominibus contractuum.
Andr. Cret. serm. 1. de dormit. Deip.
Offitina ad refingendam massam nostram.
Menaa 26. Ianu. Ode 5.
Officina immensorum bonorum, omnem captum superantium.
Damasc. or. 1. de Assump.
Officina miraculorum.
Damasc. orat. 1. de Natiu. B. V.
Officina vnitarum in se naturarum.
Proclus orat. de nat. Dom.
Oliua speciosa in campis.
Adamus de Perso latè in allegor. Tilm ad c. 24 Ecclesiastici.
Olfactus bonæ redolentiæ Christi.
Hym. Grec. apud Buteon. p. 133.
Olfactoriom nominis suaue spirans.
Menaa 27 Ianu. Oda 5.
Olla spei nostræ.
S. Ambr. instit. Virg. c. 12.
Opus quod solus Opifex supergreditur.
Pet. Dam. serm. 2. de Nat. B. V.
Opus solum Incarnationis filij Dei.
S. Ildef. l. de virg. S. Mar. c. 10.
Opus magnificum tremendæ dispensationis.
Andr. Cretens. orat. 3. de dorm. Deip.
Oratio pulchra hymnographorum omnium.
S. Ephrem. in laud. B. V.
Organum lætitiæ, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudij plena compensatio facta.
Andr. Hierosol. orat. in salut. Angel.
Oriens solis intelligibilis.
Greg. Neocaes. orat. 1. de Annunc.
Oriens Orientis, Partus Parentis, fons fontis viui, origo principij.
Petr. Dam. serm. 3. de nat. B. V.
Origo omnium amœnitatum.
Menaa 15. Iann. & 27. Maij.
Ornamentum generis humani, & vniuersæ creaturæ decus
Damasc. orat. 1. de Assump.
S. Cyrillus hom. in Nestor. t. 6. Concilij Ephes. c. 6.
Ornamentum præclarissimum cælestis Hierarchiæ.
S. Ephrem de laude B. Virg.
Ornamentum illibatæ virginitatis.
Proclus orat de nat. Dom.
Ornamentum præclarum naturæ nostræ.
Hesych. orat. 2. de Deip.
Ornamentum Prophetarum, & Patriarcharum omnium.
And. Hierosf. orat. in salut. Angel.
Ornamentum diuinum Iustorum.
Hym. Grec. apud But. p. 138.
Ornamentum Apostolorum.
Hym. Grec. apud But. p. 130.
Ortus Solis, qui nullum ferre potest occasum.
Chrysost. orat. de Deip.
Chrysipp. serm de B. V.
And. Hierosol. in salut. Angel.
Os disertissimum Apostolorum.
Hym. Grec. de B. V. apud. But. 129.
Os Ecclesiæ.
Rich. à S. Laur. l. 12. p. 828.
Ouis immaculata, quæ peperit agnum Christum.
Epiph. Orat. de laud. Deip.

P

PAlatium solius Dei.
Hym. Grec. ap. But. p. 125.
Palatium terrenum cœlestis Regis.
Andr. Cret. orat. 1. de dormit. Deip.
Palatium diuinum quod Rex pro arbitratu suo incoluit.
Menaa 4. Ianu. Ode 1.
Palatium animatum Regis Angelorum.
Greg. Neocaes. Orat. 3. de Annunciat.
Palatium Regis consecratum.
And. Cret. Orat in salut. Angel.
Palatium Regis æterni.
Petr. Dam. serm. 2. de Nat. B. V.
Panegyris salutaris reconciliationis.
Proclus orat. de nat. Dom.
Paradisus animatus, lignum vitæ Dominum habens, in medio cuius dulcedo vitales facit participes, qui contagioni succubuerant.
Hym. Grec. apud But. p. 129.
Paradisus nouus, Paradisus cœlestis.
Rub. l. 4. in Cant.
Paradisus mysticus illaboratè germinans Christum.
Cosmas Hierosol. hymno de Exaltatione sanctæ Crucis.
Paradisus de quo flos immortalitatis germinauit.
Menaa 6. Ian. ad horam 1.
Paradisus immortalitatis semper vigens.
Gregorius Neocæsar. Oratione secunda de Annunciatione.

Paradisus spiritalis secundi Adami.
Proclus Orat. de nat. Dom.
Paradisus viuidi salotis nostræ ligni, quæ ipsum horti Eden. colonum, Christum, inquam, Dominum, intra se habet, figuris in se adumbratum: qui ineffabili quadam potentia, fluminis instar, viorparum vterum eius egressus orbis faciem irrigauit.
And. Hierosol. orat. in salut. Ang.
Paradisus deliciarum, totiúsque amœnitatis, & immortalitatis.
S. Ephrem. in laud. B.V.
S. Bonau. in laud. B.V. n. 3.
Paradisus Dei ratione præditus.
Greg. Neocas. Orat. 3. de Annunc.
Paradisus voluptatis.
Rupert. l. 4. in Cant. latiss.
Petr. Dam. serm. 3. de Annunc.
Paradisus florentissimus virginitatis, in quo lignum vitæ satum produxit fructus omnibus salutares, & ex quo Euangeliorum fons in quatuor ora sectus, miserationum flumina, credentibus diduxit.
Basil. Seleuc. orat. 39.
Paradisus animatus noui Adami in quo plantatum est lignum vitæ.
Damasc. orat. 1. de B.V.
Parens Dei sola verè & propriè, defensio nostra, recreatio eorum qui ad ipsam confugiunt, quæ est sola nubes lucem ferens, quæ educata fuit in Sanctis sanctorum.
Euthycianus in narrat. de Theophili pænitentia.
Parens Dei intemerata, quæ est hominibus pons ad Deum, spes eorum qui spem abiecerunt, refugium eorum qui sunt vexati; quæ humanæ naturæ sustulit maledictum vera porta quam peccatores pulsamus. & sæpè aperitur, & offert preces nostras Deo nostro. *Ibidem.*
Pars, quæ indissolubiliter, & non per diuisionem Deo voluit hominem.
Andr. Cret. Orat. 2. de Assump.
Patrocinium, lætitia, oblectatio omnium.
S. German. Orat. de Præsent. Deip.
Theosterictus in Canone conciliatorio.
Patrocinium Christianorum.
Euthym. Orat. de Zona B.V.
Patrona mondi pura & inculpata.
Hym. Græc. apud Button. p. 158.
Pauor spiritualium nequitiarum.
Laur. Iustin. de casto connub. verbi cap. 9.
Pax, gaudium, consolatio, & salua mundi.
S. Ephrem. in laud. B.V.
Pelagus gratiarum.
Damasc. Orat. 1. de Nat. B. M.
Pelagus gaudij inexhaustum.
Damasc. orat. 2. de Assump.
Pelagus sanationum.
Damasc. orat. 2. de Assump.
Peluis emondans conscientiam.
Hym. Græc. apud But. p. 133.
Penarium vitæ, nihil potest auferri.
Andr. Cret Orat. 2. de Assump.
Perfectio diuinarum ordinationum.
S. Germ. orat. de præsent. Deip.
Petra, melle, id est, verbo fluens.
Ioan. Geom. in Catena Corderij ad c. 1. Luc. v. 36.
Petra, quæ potionem sitientibus vitam tribuit.
Pharmacum ex omni pectore dolorem propulsans.
Dam. orat. 2. de Assump.
Pincerna gratiarum.
Theophili Raynaudi Marialia.
Rich. a S. Laur. l. 12. p. 763.
Pinguedo omnis sacrificij.
Method. orat. de hypap.
Piscina probatica, in quam descendit magni consilij Angelus.
Petrus Blesensis serm. 8.
Placatio iusti Iudicis.
Hym Græc. ap. But. p. 155.
Plaga Dæmonum luctuosa.
Hym. Græc. apud Button. 117.
Planta incorruptionis, & Paradisus immortalitatis.
Hesych. orat. 2. de Deip.
Planta feracissima virginitatis.
Damascenus Orat. 1. de nat. B. V.
Planta cœlestis pretiosior cunctis, sanctior vniuersis.
Bern. serm. 2. de Adu.
Pluuia, cuius vnica stilla Christus, iniquitates omnium abluit.
Menaa 16. Febr. ad vesp.
Polus mille oculis præditus, ornatus globis, & septenis zonis spirituum; polus mente plenus.
Ioan. Geom. hym. 2. de B.V.
Pons traduceus omnes de morte ad vitam.
Hym. Græc. ap But. p. 117.
Pons per quem Deus ad homines descendit.
Proclus orat. de Nat. Dom.
Pons ad penetrandos polos.
Fortunatus l. 1. de partu virg.
Pons, homines à terra traduceos in cœlum.
Hym. Græc. ap. But. p. 117.
Pons securus Christianorum.
Theodorus Studita in canone Od. 8.
Pons traduceus in cœlum.
Hym. Græc. apud Button.
Pomum odiferum patiens odoramentum Regis.
Hym. Græc. ap. But. p. 123
Porta.
Raym. Iord. p. 14. c. 33.
Porta peruia simul & clausa.
Ioannes Geom. in Catena Corderij ad cap. 1. Lucæ vers. 36.
Porta vitæ, lucis fons.
Damasc. orat. 1 de nat. B. V.
Porta cœli.
Rich. à S. Vict. suo c. 39. in Cant.
Porta cœli maxima per quam manna pluit.
Rupertus 3. de offic. c. 13.
Porta luminis.
Menaa 4. Ianu. Ode 5.
Porta cœlorum.
S. Aug. serm. 6. de temp.
Epiph. Orat. de laud. Deip.
S. Ephrem. in laud B.V.
Greg. Neocas. orat. 3. de Annunc.
Porta orientalis.
Greg. Neocas. orat. 3. de Annunc.
S. Hieron. ad Pammach. in Apol. pro libro aduers. Iouin.
Porta impertransibilis.
Andr. Cret. canone in Conceptionem passiuam B. Virginis.
Porta clausa in Oriente sita, quæ introduxit portarum Regem.
S. Ambros. in virginis Institut. capite octauo Hiero. in capite septimo Esaia & 44. Ezech. Aug. sermone secundo de Assumpt. Damasc. 4. fid. c. 8.

Pet. Dam. serm. 2. de nat. B. V.
Hesych. Orat. 2. de Deip.
Hier. à S. Fide lib. 1. c. 4.
Petrus Blesensis serm. 2.
Porta sublata super cœlos cœlorum.
Andr. Cret. Or. 2. de Assump.
Porta per quam Deus in carne exoritur.
Method. or. de hypap.
Portus tranquillissimus, & à fluctibus procellisque agitatorum liberatrix desideratissima.
S. Ephrem. in laud B.V.
Portus naufragantium tutissimus.
S. Ephrem in laud. B.V.
Portus sine tempestate.
Theotechium apud. But. p. 21.
Portus nauigantium ad vitam.
Hym. Grac. de B. V. apud. But. 127.
Portus securus Christianorum.
Teod. Studita Od. 8. Cant. pro SS. Imag.
Potentia, quæ non potest labefactari.
Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt.
Possessio fructus incorruptibilis.
Hym. Grac. apud But. 118.
Præses vitæ, & custos tutissima.
Theesterictus in Cant. conciliatorio.
Præconium verissimum, inæstimabiliom Dei oraculorum.
And. Hierosf. orat in salut. Angel.
Præsidium inexpugnabile oppressorum.
Cathemerinon Grac. per sylnium.
Præcnuinm Patrum & decus Prophetarum.
S. Ephrem. in laud B. V.
Prædium Dei amplissimum.
Liturgia Græcorum Dom. ad Missam in Theotochie.
Pratum totius fragrantiæ. S. Spiritus.
Chrisip. orat. de Deip.
Pratum pratorum maximè odoriferum, & varium, & incorruptione coronans eos qui decerpunt, non vernis comatum floribus qui species habent delectationem quæ facilè marcescit, sed emittens gratiæ bonum odorem.
Georg. Nicomed. orat. de præsent. B. V.
Pretium pretiorum, præmium præmiorum, exaltatio exaltationum.
S. Germanus orat. de Pres. Deip.
Primiceria virginitatis.
S. Bern. serm. in illud, Signum magnum, *& hom. 3. super* Missus est.
Richard. à S. Laur. lib. 3. p. 181.
Primitiæ verè mirandorum Christi operum.
S. Anselmus hymno 1. de varijs festis B. V.
Primitiæ immortalitatis.
Menea 5. May Ode 3.
Promptuarium munditiarum omnium.
Menea 17. Iann. Ode 7. ex Damasc.
Primitiæ communionis, & coniunctionis omnium Genitoris Dei cum suo figmento.
And. Cret orat. 2. de Assump.
Princeps Virginum prævia.
Gisilb. c. 19. Alterc.
Princeps omnium prudentissima, & sagacissima.
S. Ephrem. in laud. B. V.
Procuratrix sola supernaturalium bonorum mortalibus.
S. Damasc. Ephymnio de S. Trinit.
Prodigium cœleste, & sacratissimum spectaculum, in quo humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ sociatur.
S. Ignatio adscripta epist. 2. ad S. Io. Euang.

Præmium bonæ voluntatis Dei
Commemoratio Grac. apud But. 21. Nou.
Præmium miraculorum Christi.
Hymn. Grac. apud But.
Profunditas inexplicabilis, ineuacuatæ plenitudinis, eius qui omnia implet in omnibus.
Andr. Cretens. orat. 2. dorm. Deip.
Profundum incogitabile, altitudo inenarrabilis.
Hym Grac. apud But. p. 128.
Profunditas visu difficilis, oculis etiam Angelorum.
Hym. Grac. apud But. de B. V. p. 116.
Profunditas contemplatu difficilis.
Hym. Grac. apud Buteon. p. 192.
Proma lætitiæ.
Ioan. Geom. hym. 4. de B. V.
Promptuarium prouidentiæ Dei.
Hymn. Grac. apud. But. p. 126.
Promptuarium diuinæ charitatis.
S. Method. orat. de hypap.
Prophetissa.
S. Basil. Seleuc. in c. 8. Isaia.
S. Epiph. haresi 78.
S. Hildefons. serm. 2. de Assumpt.
Prophetissa magna.
Rub. l. 1. in Cant.
Propitiatorium laborantium.
S. Ephrem in laud. B. V.
Propitiatorium.
Arnoldus Carnot. de tertio Christi verbo.
Propitiatorium mundi.
Hym. Grac. apud But. p. 127.
Propitiatorium ex quo Deus hominibus humana forma innotuit.
Method. orat. de hypap.
Propugnaculum fidei Christianorum.
Andr. Cret. orat. 2. de Assump.
Protectio latissima, nebula mundi.
Hym. Grac. apud But. p. 128.
Pulchritudo Martyrum, & Sanctorum Corona.
S. Ephrem. in laud. B. V.
Pulchritudo pulcherrima, pulchritudinis pulchrorum omnium summum ornamentum.
Grac. Nicom Orat. de oblat.
Purpura regia, quæ cœli terræque Regem vestiuit.
Epiph. Orat. de laud. Deip.
Hugo à S. Victore serm. 46.
Puteus semper viuentis aquæ.
Rich. à S. Laur. l. 9. p. 914. latè.

Q

QVadriga Eliæ virtutibus trahentibus consita.
Ioan. Geom. Hym. 1. de B. V.
Quies, & lectulus Dei.
Guill Paruus in cap. 1. Cant. Hesych. serm. 2. de Deip.
Quies tranquilla nauigantium in sæculi pelago.
Matth. Philadelfus Episcopus Ephesinus Orat. ad B. V.
Quasi varias arbores, aliáque illustria inanimata esse Deiparam monstrant.
Hugo à S. Vict. serm. 47. & 55. Honorius Augustodunensis in sigillo, sub init. in exposit. ep. festi Assump. Rich. à S. Laur. l. 12. in toto 6. particula horti conclusi, & magna ex parte. Raym. Ior. p. 14. à c. 41. ad 52.
Quasi Balsamus, Cedrus, Cinnamomú Cypr. Ficus, Galbanus

Galbanus, Gutta, Malus Punica, Myrrha, Oliua, Palma, Platanus, Rubus, Storax, Terebinthus Vitis, Virgula.

R

RAdius solis intelligibilis.
Hym.Græc.ap.But.p.132.

Radius Deitatis.
Creditur Bernardus in Meditat. super Salue Regina.

Radix per nullum vnquam hominem irrigata, de se germinans hortulanum qui homines plantauit.
Menæa 18. Aug Oda. 1. de SS. Martyr.

Radix floris speciosissimi.
Method. Orat. de Hypap.

Radix æterni floris, flos, & fructus æternæ benedictionis.
Gilib c. 19. Alterc.

Radix gloriæ.
Epiph. Orat. de laud. Deip.

Radix omnium bonorum.
Chrysip. Orat. de Deip.

Ratio tota spei nostræ.
S. Bern. ser. de Nat. B.V.

Rationale Manifestorum τὸ τῶν δήλων λόγιον.
S. Germ. Orat. de nat. B.V.

Receptaculum capacissimum naturæ incomprehensibilis.
Greg. Neocæs. Orat. 4. de Annunt.

Receptaculum sapientiæ Dei.
Hym. Græc. ap. But. p. 157.

Receptaculum Dei, reuocatio Adæ, Euæ redemptio.
Theophanes hymno de Annunc.

Receptaculum illocabilis.
Cosmas Hierosol. hymno in Pentec.

Reclinatorium aureum, in quo solo Deus post tumultus Angelorum, & hominum reclinauit, ac requiem inuenit.
Pet. Dam. serm. de Annunc.
Philipp. Abbas l. 4. in Cant c. 5.
Honor. Augustod. in sigillo S. Mariæ, c. 3.

Reconciliatorium commune.
Andr. Cret. Orat. 2. de Assump.

Recreatio potentissima eorum qui affliguntur.
S German. Orat. de fasciis Saluat. & zona Deipara.

Refocillatio afflicti generis nostri.
Menæa 15. Ianu. in vesp.

Reductrix contrariorum ad idem.
Hym. Græc. apud Buteen. p. 126.

Regina.
Raym. Iord. parte 1. c. 10.

Regina, ac Domina cunctis sublimior.
S. Ephrem. in laud. B.V.

Regina cœli, mater vitæ fons misericordiæ.
Amed Laus. hom. 8.

Regina summa cœli, super omnes choros Angelorum exaltata, decus & gloria omnium mulierum, & salus & nobilitas omnium electorum, quia sola meruit Virgo, & mater edere naturaliter Deum & hominem, caput & vita omnium bonorum.
S. Greg. VII. l. 8. epist. 22.

Regina supernorum ciuium, & domina Angelorum.
S. Ephrem. in laud. B.V.

Regina omnis humanæ naturæ.
Theophili Raynaudi Marialia.
Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt.

Regina totius castitatis.
Petr. Chrysol. serm. 143.

Regina virginum prudentum.
Fulb. serm. de Nat. B.V.
Bern. epist. 174.

Regnum è terrenis sumptum, sed ex superna gloria, potentiam habens inexpugnabilem.
Andr. Cret. Orat. 2. de Assump.

Reparatrix sæculi.
Laur. Iust. serm. de Nat. B.V.

Requies sanctissimæ Trinitatis.
S. Bonau. in spec.

Rex illa magna venerandæ œconomiæ, quam cupiunt inspicere Angeli.
Andr. Cret. orat. 2. de Assump.

Reseramentum portarum cœlestis Paradisi.
S. Ephrem. in laud B.V.

Resonantia Prophetarum, ornamentum Apostolorum.
Hym. Græc. apud But. p. 13.
Andr. Cret. orat. 2. de Assump.

Restauratio fœminarum.
S. Fulg serm. de laud. B.V.

Restauratrix sæculorum.
S. Bernard. epist. 174.

Restauratio Adami.
S. Ephrem. in laud. B.V.

Resurrectio Adami.
S. Ephrem. in laud. B.V.

Releuatio Adami, solutio maledictionis.
Hym. Græc. de B. Virg. apud But. p. 111.

Rheda aurea Solis mystici.
Ioan. Geom. Hym. 3. de B.V.

Robur & munitio hominum.
Hym. Græc. apud But. p. 128.

Robur fidelium omni laude dignissimum.
Theosterictus in Can. consolatorio.

Ros diuinus æstus existentis in nobis.
S. Germ. orat. de præsent. Deip.

Rosa.
B. Hermannus apud Sur. 7. Apr. c. 12. ita absolutè nominabat B.M.
Raym. Iord. p. 14. c. 43.

Rosa cælicæ amœnitatis.
S. Ansel. l. 10. medit. in fo. S. Gertrudes l. 3. diuin. insinuat. c. 19. dicens, se ab ipsa Deipara edoctam, sic eam compellare.

Rosa ex Spinis Iudaicis orta, diuina fragrantia perfundens omnia.
Dam. orat. de nat. B.V.
Hugo de S. Victor. tote serm. 65. qui est in illud. Sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam.

Rubus ardens, qui non exurintur.
S. Ephrem. in laud. B.V.
Sanctus Bonauentura in laud. beatæ Virginis numero 7.
Hesych. orat. 2. de Deip.
Chrysip. orat. de Deip.
Theophanes hym. de Annunc.
Adamus de sancto Victore in prosa de purificatione.

Rubus naturæ animatus, quem diuini ignis partus non combussit.
Proclus orat. de nat. Dom.

S

SAcellum Spiritus sancti.
Honor. Augustod. in sigillo sanctæ Mariæ, initio.

Sacerdos pariter, & altare, panis vitæ.
Epiph. Orat. ac laud. Deip.

Sacratium plenitudinis totius diuinitatis.
Petr. Dam. serm. 3. de Nat. B. V.

Sacrarium omnium virtutum.
Anselm. alloq. cœl. 22.

Sacrarium Scripturarum sanctarum.
Rupertus l. 4. in Cant.

Sacrarium Spiritus sancti.
Sanctus Hildefonsus lib. De virginitate sanctæ Mariæ. c. 10.
Beda serm. de omnibus SS.
Giselb. in altercat. c. 7. 14. & 19.

Sacrarium sancti Spiritus, sanctimoniæ thalamus.
Anthor. lib. de oper. Card. serm. de Nat.

Salus mundi visibilis.
Ioannes Geometra hymno 3. de B. V.

Salus firma omnium Christianorum ad eam recurrentium.
S. Ephrem. in laud. B. V.

Salus omnium hominum.
Theosterictus Orat. in S. Nicet.

Salus totius mundi, & refugium generis humani.
Eutychianus in narrat. de pœnitentia Theophili Giselc. in altercat. cap. 7. & 14. S. Ephrem. Orat de laud. B. V.

Sancta Sanctis sanctior.
Andr. Cret. Orat. 2. de Assump.
Hym. Græc. apud But p. 134.

Sanctissima, & immaculata, benedictáque, gloriosissima, & excellentissima omnium creaturarum, gratiæ plenissima, gaudium faciens & tribuens, domina nostra, propriè natura & veritate Dei genitrix, Virgo Maria.
Ex Martyrio S. Martini Papæ, in Anastasij Collectaneis.

Sanctuarium totius sacri cultus, & sacrificij.
Andr. Cret. serm. 1. de dormit. Deip.

Scala ascensúsque omnium.
S. Ephrem. de laud. B. V.

Scala peccatorum.
S. Bern. ser. de nat B. V. & ep. 174.

Scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras.
Aug. serm. 15 de SS.
Fulg. serm. de laud B. V.

Scala cœlestis, per quam supernus Rex humiliatus, ad ima descendit.
Petr. Dam. serm. de nat. B. V.

Scala Iacob.
S. Bonau in laud. B. V. a. 6

Scala polum penetrans, & sydera tangens.
Ioan. Geom. Hym. 1. de B. V.

Scala per quam descendit Deus, sed ascendit homo, à terra quidem incipiens, sed ad cœlum pertingens.
Ioan. Geomet. in catena Corderij ad cap. 1. Lucæ, vers. 36.

Scala ad cœlum extensa, Paradisi porta, ingressus ad incorruptionem, hominum ad Deum vnio, ac consertio.
Anastasius Anthiochenus Oratione de Annunciatione.

Scala viua, cuius locum Iacob conspexit.
Damasc. Orat. 1. de Natiuitate beatæ Virginis, & optimè Orat. de Assumptione, Iordan. part. 14. c. 35.

Scalæ honestatis ad cœlestium altitudinem, per quas Verbum descensu nouo ad nos descendit, per quas quod inferius erat situm, terrenum naturæ tabernaculum, ascendit ad Cœlos
Georg. Nicomed. Orat. de Præsent. B. V.

Scala omnes è terra ad gratiam subleuans.
Hym. Græc. apud But. p. 128.

Sceptrum cunctis imperans.
S. Eprem. in laud. B. V.

Sceptrum planè ipsum Domini, super res omnes admiratione dignissimum.
Menæa 25. Iulij post Odam 9.

Sceptrum rectæ doctrinæ.
S. Cyrill. Alex. hom. in Nestor. habita Ephesi, Tom. 6 c. 6. Concilij Ephes.

Scientia scientiarum sanctarum.
Autor sermonis primi super Salue Regina. *apud Bernardum.*

Scopus qui excogitatus fuit ante secula.
Andr. Cret. orat. 2. de Assump.

Scrinium diuinæ legis.
Arnoldus de tertio Christi verbo.

Sedes lucida omnipotentis.
Hym. Græc. apud But. p. 123.

Sequestra Dei & hominum vt inimicitiarum parietes intergerini conuellerentur, & cœlestia terrenaque in vnum coirent.
Basil. Seleuc. Or. 39.

Seraphim incomprehensæ visionis.
Epiph. Orat. de laud. Deip.

Seruatrix omnium fidelium.
Hym. Græc. apud But. p. 138.

Sigillum noui, & veteris Testamenti.
S. Germanus Orat. de nat. B. V.

Sigillum virginitatis, speculum castitatis.
Alanus in cap. 1. Cant.

Signifera & exemplar virginitatis.
Rich. à S. Laur. l. 4. p. 234.

Simolachrum diuinum, ac viuum.
Damasc. orat. 1. de Nat. B. V.

Simulachrum immaculatum puritatis, & integritatis.
Greg. Neocæs. Or. 2. de Annunc.

Sinus exiguus, immensi illius sinus, omnia in se concludentis.
Method. Orat. de Hypap. Andr. Cret. Orat. 2. de dormit. Deip.

Socia viatorum, portus naufragantium, lumen errantium.
Ioan Geom. hym. 4. de B. V.

Sol mysticus.
Philip. Abb. l. 6. in Cant. c. 10.
Rich. a S. Laur. l. 7. à pag. 453. latiss.
Iordan. parte 14. c. 13.

Solatium mundi.
S. Ephrem. in laud. B. V.

Solium regium, cui astiterunt Angeli, Dominum & effectorem, insidentem videntes.
Damasc. Orat. 1. de Assumpt.

Solium altitudinis gloriæ à principio, locus sanctificationis nostræ.
Hebræi veteres apud Galatinum l. 7. c. 10.

Solum natale gaudij.
Menæa 27. Ianu. Ode 1.

Solutio maledictionis, lapsorum erectio.
Hym. Græc. apud But. p. 139.

Specimen

Specimen gemmæ omne pretium excedentis.
Ch.ysip.Orat.de Deip.
Hesych.Orat.1.de B.V.
Specimen illustre castitatis.
Hym.Græc.apud Bui.p.120.
Species Christi.
Richardus Victor.c.39.in Cantica.
Speculum intellectuale contemplatiuæ cognitionis.
Andr.Hierosol.Orat. in salut.Angel.
Speculum & species totius castitatis.
S.Hildefons.serm.3.de Assumpt.
Speculum Virginalis munditiæ.
Pet.Damiani Opusc.33.c.4.
Speculum sanctæ virginitatis.
Giselbert.c.19.Altere.
Speculum sanctitatis perlucidum.
Laur.Iustin.serm.de Nat.B.V.
Spes æternorum bonorum.
Hymn Græc. apud Bui.p.128.
Spes beata, spes mundi.
B. Margareta filia Bela Regis Hungaria apud Petrum Ransanum in epito. rerum Hungar.
Spes Christianorum quæ pudore non afficeris.
S.Ger.Orat.de fasciis Salaat. & Zona Deip.
Spes mortalium.
Acta S.Bernardi 20.Maij.Optimè.
Spes totius mundi.
Basilius Seleuc.Orat.de Annunc.
Spes vnica Christianorum.
S.Ephanius Orat.de B.V.
Spes delinquentium.
Laur.Iustin.serm.de Nat. B.V.
Spes Christianorum.
Ephrem de laude Virg.
Damasc.Orat.1.de Nat.B.V.
Spes certa miserorum, mater orphanorum, leuamen oppressorum, medicamen infirmorum, omnibus omnia.
Prosa de Conceptione apud Clicthou. lib. 4. Elucid.
Spes, & patrona, refugiúmque Christianorum.
Theotecica apud Bateea.p.121.
Spes vnica Patrum, gloria Prophetarum, præconium Apostolorum, honor Martyrum, lætitia Sanctorum, & lumen probatissimorum, Abraham, Isaac, & Iacob; decus Aaron, splendor Moysis, & Gedeonis vellus, cœtus Hierarchiarum, omniúmque Sanctorum, ac Virginum corona, ob immensum fulgorem, atque splendorem inaccessa.
S.Ephrem initio laud.B.V.
Spes vitalisque mundi.
Ioan.Geom.hym.4.de B.V.
Spiritus & vita Christianorum.
S.German encomio Zona B.V.
Splendor æui, illustrissimus & fulgentissimus.
S.Ephrem in laud.B.V.
Splendor & fenestra mundi.
S.Chrysost.homil.6.de Ascens.
Splendor accensum in tenebris.
S.German.Orat.de Praesent.
Splendor mystici syderis inoccidui.
Hym.Græc.apud But.p.120.
Sponsa & thalamus, è quo sponsus Christus processit.
Epiphan.Orat.de B.Virg.
Sponsa insponsata.
S.Anselm hymno 2.de variis festis B.V.

Sponsa Dei, fit pronuba Nati.
Ioan.Geom.hym.1.de B.V.
Sponsa; immaculata, simul & mater viduati orbis.
Greg. Neocas.Orat.3.de Annunc.
Sponsa Trinitatis.
Epiph.Or.de laud.Deip.
Sponsarium immortalitatis, & Sanctuarium manifestum.
Theophanes hymno de Annunc.
Sponsio subsistens, veráque diuinorum contractuum.
Andr.Cretens.Orat.3.de dormit.Deip.
Spiritus & vita Christianorum,
S.Germ.Orat.de zona Deip.
Statua à Deo sculpta.
Andr.Cret.Orat.2.de Assump.
Stella demonstrans Solem, Sol diei mystici.
S.Anselm.hymno 2. de variis festis B.V.
Stella cuius ductu ad patriam transfretamus
Altere Synag. & Eccles.c.16.
Stella fulgidissima, ex qua Christus processit
S. Ephrem in laud.B.V.
Galfridus laté in allegoriis Tilmanni ad cap.24. Numer.
Iordan.parte 14.c.15.
Stella matutina.
Iordan.parte 14.c.16.
Stella matutina in medio nebulæ; quæ in cœli cardine, summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radiis incolorat.
Petr. Dam.serm.de Assump.
Stella maris.
S.Odilo serm.14.
Bernard hom.2.super Missus est.
Fulbert.serm.de Parific.
Adam.de S.Victor.prosa 4.de Assump.
Hugo Victor.serm.4 insigniter.
Rich à S.Laur.lib.1.à pag.19 latiss.
Iord.parte 14.c.17.
Stella Solem procreans.
Pet.Dam.serm.1.
Hymn. seu Prosa S.Bern. pro 3.Missa Natiuitatis apud Clichteum.
Stella Stellarum.
Altere.synag.& Eccles.c.7.
Beda homil.de Annunc.
Stella vitæ.
Hesych.Orat.2 de Deip.
Stola regia Verbi principium omne superantis.
Andr.Cretens.serm.1.de dormit.Deip.
Sublimitas ascensu difficilis cogitationibus humanis.
Hym.Græc.apud Buteea. p.116.
Summa diuinorum Oraculorum.
Andr.Cret.Or.2.de Assump.
Suppeditatrix diuinæ bonitatis.
Hymn.Græc.apud But.p.131.
Supplementum clarissimum totius Prophetiæ.
S.Germ.Or de Nat.B V.
Suffitus aromatum; intelligentia apprehenduntur.
Andr.Cret.Orat.2.de Assumpt.
Sustentaculum totius contemplationis; & asceosis.
Andr.Cret.Orat.1.de Assump.
Sydus inclytum, illustrans omne sæculum, per quod dies, & tempora assumunt vitæ lumina.
S.Odilo hymno de Nat.B.V.

Sydus Solem illuminans.
Hym.Grac. de B V.ap.But.p.116.
Sydus præfulgidum inter primæuas lucernas diuini luminis susceptiuas.
S. Anselm.l.10. meditat.in 10.

T

TAbernaculum cœleste Solis gloriæ.
Andr.Hierosol. Orat.in salut. Angel.
Tabernaculum gratiarum Dei.
Andreas Cretensis oratione prima de Assumptione.
Tabernaculum non manufactum atque à Deo conditum, in quod semel in consummatione sæculi, solus Deus ac summus Pontifex introiuit, occultè in se rem faciens diuinam.
S.Germ.Orat.de Natiu.B.V.
Tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis.
Dionys.Alexandr. epist.contra Paulum Samosateaum ad q.7. in fine.
Tabernaculum fœderis.
Athanas. serm. de sanctiss.Deip.Chrysost.serm.de Anunc. Damascenus Orat. de Natiu. B.V. Andr.Cretens.serm.de Anaunc.
Tabernaculum supercœleste.
Commemor.Graeca.21.Nouemb.
Tabernaculum Dei habens in se Sanctum Sanctorum, virgam signorum, tabulas testamenti, altare incensi.
Arnoldus Bona Vallis in encomio Deip.
Tabernaculum Domini, quod nostrum, quod ceciderat, erexit tabernaculum.
Greg.Nicomed.Orat.de oblat.
Tabernaculum sanctissimum Verbi omnium Creatoris.
Andreas Cretensis Oratione secunda de Assumptione.
Tabernaculum sacrum, sacerrimum, Deo dignum.
Damasc Orat.2. de Assumpt.
Rich.à S.Laur. l.10.p.598 latissimè.
Tabernaculum Dei, in quo veniens requieuit, & de quo vt sponsus de thalamo processit.
Honor.Augustod.in sigillo S Mariæ,initio.
Hym.Grac.apud Buteon.p.134.
Tabernaculum capax Verbi.
Hym.Grac.apud Buteon.p.130.
Tabula nouæ legis ab ipso numine sculpta, cui suum Deus Verbum inscripsit.
Menaa 20.Iunij oda 9.
Tabula scriptam legem mortalibus afferens.
S.Ephrem in laud.B.V.
Tela admirandæ œconomiæ, in qua tunica admirabilis illius vnionis confecta est, cuius textor Spiritus sanctus, netrix virtus ex alto obumbrans, lana, vetusta Adami pellis, trama, impolluta Virginis caro; radius textorius, immensa gestantis gratia; artifex, Verbum per auditum illapsum.
Proclus Orat.de Nat.Dom.
Tellus inarata & nunquam seminata, panem ferens cælestem, satiantem intellectum.
Menaa 24.Martij oda 9.
Tellus virginalis, ex qua nouus Adam ineffabili fictione formatus est, qui veterem saluti restitueret.
And.Cret.Orat.in salut.Angel.

Templum magnificum diuinæ gloriæ.
Andr.Cret.orat.in salut.Angel.
Rich à S.Laur.lib.10.latiss.
Templum sacranctissimum Virginitatis.
Menaa 7.Ianu.ode 1.
Templum sanctum, receptaculum Diuinitatis, organum virginale, regius thalamus.
Sergius Hierap. Oratione de Natiuitate Beata Virginis.
Templum & thronus Diuinitatis, qui coruscantem in cœlo, & terra Solem habet.
Epiph.or.de laud.Deip.
Templum minimè compositum, lapidem cœlestem habens. *Ibidem.*
Templum singulariter vnicum factoris sui.
S.Hildef.l.de virg.S. Mar.c.10.
Templum maius cœlo.
Hesych.Orat.de Deip.
Templum Dei sanctum, quod ille pacis Princeps Salomon spiritualiter construxit & habitauit, non auro & inanimis lapidibus ornatum, verùm auri loco spiritu fulgens; pro lapidibus autem pretiosis; margaritam ingentis pretij Christum habens.
S.Damasc.1.Orat.de Nat.B.V.
Templum pudoris, honestatis, puritatis.
S.Ambros.de instit.virg.c.5.
Templum Dei animatum.
Greg. Neocas.Orat. 3. de Annunciat. Chrys. in Liturg.
Templum indissolubile.
S.Cyril.hom.in Nestor.
Templum verè Deo dignum, castitatis aromatibus benè odoratum, quod magnus inhabitauit Pontifex.
Basil.Seleuc.orat. de Annunc.
Templum misericordiæ Dei.
Aug.serm.2. de Assumpt. Ansel. de excell. B.V. cap.vltimo.
Templum Salomonis.
Damasc.orat.de Natiu.B.V.
Templum sanctum spei nostræ, in quo sanctitas omnis & magnificentia residet.
Amphiloch.Orat.in S.Deiparam.
Templum proprium charitatis.
Rupertus l.7.de process.spir.sanct.c.13.
Templum magnum Deitatis.
Pet.Chrysol serm.144.
Templum sanctificationis in gloria.
Hym.Grac. apud Buteon.p.129.
Templum purissimum Seruatoris.
Comm.Grac.21. Nouemb.
Templum inaccessum.
Ioan.Geomet.in Catena ad cap.1.Luca,v.36.
Terminus Testamentorum à Deo conditorum.
Andr.Cretens.orat.3.de dormit.Deip.
Terra.
Raym.Iordan.parte 14.c.22.
Rich.à S.Laur. l.8.latiss.
Terra habens omnia.
S.Dionys.Alex.epist.ad Paul.Samos.ad q.10.
Terra desiderabilis è qua figulus limum terræ capiens, æquale nobiscum vas, sub peccati lege induit.
S.Germ.Orat.de Natiu.B.V.
Terra incorrupta, cui benedixit Dominus.
S.Bruno in Psal.101.
Terra benedicta, quæ nec tacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cœli, Saluatorem germinauit, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam

monium vitæ æternæ ministrauit.
Guerric.serm.2.de Annunc.
Terra, de qua veritas ortur, quæ dedit fructum suum.
S.Hildef.de virginit.S.Mar.c.3.
Terra inarabilis cœlestis panis.
Damasc.Orat.2.de dormit.Deip.
August.serm.18.de temp.
Terra inuia & sitiens.
Iustinus in Colloq.cum Trypb. Euseb. l. 3.de demonstr. c.2. Hieron.in cap.53.Esaia.Orig.hom.19.in Genes.
*Chrysost.in demonstr.*Quod Christus sit Deus.
Synod.6.Constant action.8.in fine.
Terra verè desiderabilis.
Andr.Cret.Orat.3.de Assump.
Terra virginalis, è qua secundus, & vetere antiquior processit Adam.
Andr. Cret. Orat. 3.de Assumpt.
Terra ferens aromata. *Ibidem.*
Terra repromissionis, quæ longè antè paritura Saluatorem mundi, à Prophetis multifariàm est promissa, quæ verè lac & mel manauit, dum Deum & hominem intemerata virginitate profudit.
Petr.Dam.serm. 3.de Nat.B.V.
Terra sine semine, fructum germinans salutarem.
Terra virgo, melior prima terra virgine.
Theodotus Ancyr. hom. 2.de Nat. Salu. in conc. Ephes.
Terra promissionis, lacte & melle fluitans.
Hym.Grae.apud Bus.p.182.
Terra quæ germinauit prouentum miserationum.
Hymn.Grae. apud Bus.p.518.
Terra orientalis.
Philipp. Abb. tom. 1. Moral. in Cant.sub initium.
Terra semper sui similis, referta diuinis alimentis, & manna panem incultum proferens, arationis expers, & sationis.
Ioan. Geom. in Catena Corderij ad cap. 1. Luca, versu 36.
Terror Diaboli.
Laur. Iustin. de casto connub. Verbi & animæ cap.9.
Thalamus.
Raym.Iord.part.14.c.38.
Thalamus in quo Verbum carnem humanam sibi desponsauit.
Proclus Orat.de Nat.Dom.
Andreas Hierosol. Orat. in salut.Angel.
Thalamus purus, natiuitatis Dei secundùm carnem.
Greg. Neocas.Orat.3.de Annunc.
Rich.a S.Laur.l.10.pag.603.
Thalamus sanctimoniæ.
Creditus Cypr.serm.de Nat.Christi.
Thalamus immortalitatis.
Menea 25.Martij.
Thalamus vndique relucens.
Hym.Grac. apud Buteon. p.13.
Thalamus Verbi incontaminatus *Ibidem.*
Thalamus puræ desponsationis.
Hymn.Grac.apud Bus.p.152.
Thalamus, in quo potentissimus quieuit.
Ioan.Geomet.in Cat.ad cap.1.Luca,v.36.
Theca noua, vnguenti quod minimè exinanitur.
Andr.Cret.Or.2.de Assump.
Theca vnguentaria è qua suauiter halans vnguentum ebullit.

Menaa 27.Ianu.Ode 5.
Thesautaria gratiarum Dei.
Raym.Iordan.in Prologo.
Thesaurus dispensationis planè arcanus.
Epiph.Or.de laud.Deip.
Thesaurus noui Testamenti.
Georg.Nicomed.orat.de oblat.B.V.
Thesaurus stupendus Ecclesiæ. *Ibidem.*
Thesaurus amoris Dei Patris.
Method.Orat.de Hypap.
Thesaurus locupletans.
Hesych.Orat.2.de Deip.
Thesaurus vitæ immarcessibilis.
Andr.Hieros.Orat.in salut.Angel.
Thesaurus incorruptionis, intellectum superantis.
Andr.Cretens.Orat.2.de dormit.Deip.
Thesaurus inexplicabilis diuinæ Oeconomiæ.
Epiphan.Orat.de B Virg.
Thesaurus beneplacitorum æterni Patris.
Menaa 1.Aug.Oda 8.de SS Machab.
Thesaurus purus illibatæ virginitatis.
Proclus orat. de Nat. Dom. Damas. orat. 2. de Nat.
Thesaurus absconsi ante sæcula mysterij.
Andr.Cret.Orat.2.de Assump.
Thesaurus pretiosus qui vitam suscepit.
Damasc.Orat. 2. de Assumpt.
Thesaurus Sanctissimus omnis sanctitatis.
Andr.Cretensis Or.2 de Assumpt,
Thesaurus vitæ inconsumptibilis.
Hym.Grae.apud Bus.p.154.
Thesaurus salutis.
Theostericlus in Canone conciliatorio.
Andr.Cretens.Orat.1.in Natin.S.Maria.
Thesaurus sacratus gloriæ Dei.
Commem.Grac.2.Nou.
Thesaurus puritatis.
Hym.Grec.apud Buteon.p.123.
Thronus Cherubicus, cruciformis, cœlestis.
Epiph.Orat.de laud Deip.
Thronus verè Cherubicus.
Cosmas Hierosol.carm. de Theog.
Greg.Neocas.Orat.2. de Annunc.
Thronus regalis Sancti Sanctorum qui omnia sub Deo sanctitate superat.
Gregor.Neocas.serm.1.de Annunc.
Thronus Sanctus & solus dignus qui Sanctum Sanctorum gestaret in terra.
Hesych.Orat.2.de Deip.
Thronus palam diuinus; in quo qui consedit, ille omnibus nobis, sellam in eo cœlestem confecit.
Menaa 17.Aug. Ode 7.
Thronus verè regius, thronus gloriosus, thronus sanctus.
Chrysip.Orat.de Deip.
Thronus Cherubinis sublimior,
Damasc.Orat.1.de Nat.Deip.
Thronus excelsus.
Andr.Cret. Orat.2.de Assump.
Rich.à S.Laur.l.10.pag.553.latissimè.
Thronus Salomonis.
Petr.Dam.serm.1. de Natiu. B.V.latiss.
Adam de S.Victore in Prosa de Assump.
Iordan. parte 14.c.50.
Philipp.Abbas tom. 2. mortalit.in Cant.pag.303. fusè.
Thronus summus superans thronos.
Ioan.Geom.hymno 2.de B.V.

Thronus

Thronus cœlestis.
Hym. Grae. apud But.p.138.
Thuribulum aureum.
S.Ephrem.in laud.B.V.
Thuribulum aureum in quo Verbum quod carnem assumpsit,bono odore impleuit orbem terræ; in quo combusta fuerunt crimina inobedientiæ; per quod liberatur aër à molestia inquinamentorum; per quod bonus odor spiritus, spirauit in homines.
Georgius Nicomed.Orat.de Præsent.B V.
Thuribulum aureum, quæ carbonem ignitum portasti.
Missa Æthiopum ex S.Matthæo.
Tinctura purpuræ Verbi, quæ intelligentia percipitur,nec nominari potest.
Andr.Cret. Orat.1.de Assumpt.
Tomus purissimus ac animatus Dei Verbi; in quo sine voce & scriptura, ipse inscriptus Deus & Verbum per diem legitur.
S.Germ.Orat.de Natiu. B.V.
Tonitrum consternans inimicos.
Hym. Grac. apud But p.133.
Torrens bonitatis diuinæ.
Menaa 17. Iann. Ode 7.
Triclinium Deitatis.
S.Bonau.in laude rythm. B.V.
S.Thom. opusc.8.
Triclinium nobile totius Trinitatis.
Adam de S.Victore in Prosa de Assump.
Turris propugnaculi.
Theostereltus in Canone conciliatoria.
Turris Libani cum propugnaculis.
Autor sermonis 4.super Salue, Regina, *apud Bernardum.*
Turris immobilis Ecclesiæ.
Hym. Grae. apud But.p.134.
Iord.part.14 cap.37.
Turris firmissima absconditæ spei.
Andr.Cret.Orat.1.de dormit.Deip.
Turris fortissima.
Rich.a S.Laur.l.11.p.686.latiss.
Bern.serm.4.super Salue, Regina.
Hailgrinus,& Rup.in c.4.Cant.
Turtur munda.
Hesych.Or.2.de Deip.
Turtur pudicissima.
Aponius l 4.in Cant.
Turela, murus, firmamentum sacrum, refugium omnium.
Hym. Grac. apud But.p.138.
Typus Virginitatis.
S Germanus Orat. de Nat.V.

V

VAllum fidelium, mundique salus.
S.Ephrem initia laud.B.V.
Vapor, ἀτμίς.
S.Germ. Orat. de Nat. B V.
Vas sanctificationis.
S.Hildef de virginit.S.Mar. c.10.
Vas aureum continens manna.
Arnold.Carnot. de tertio Christi verbo.
Vas ex quo recreationis manna, nos malorum ardoribus arefacti ebibimus.
S.Germ. Orat.de fasciis Saluat.& zona Deip.
Vas & templum vitæ salutis vniuersorum.
S.Ansell alloq cal.27.
Vas virgineum diuinis charismatibus & margaritis ineffabiliter ornatum,in quo qualitas Dei mixta homini compaginaretur corporaliter.
Fulbert.serm 2.de Nat.B.V.
Vas Dei præclarum & electum,
S.Ephrem.in laud. B V.
Raym.Iord.p.14.c.57.
Vas atque receptaculum supercœlestis lætitiæ, & mysteriorum omnium.
Greg.Neocaes.Orat.1.de Annunc.
Vas electum, vas honoris, vas cœlestis gratiæ, ab æterno vas præuisum, vas insigne, vas excisum manu sapientiæ.
Adam de S.Vict.in Prosa de Assump.
Vas pulchrum inexhausti super eam vnguenti.
Hym.Grac. apud But.p.138.
Vas pretiosum & excellentissimum, vas honoratum.
S.Epiphan.hær.78.
Vas pretiosum virtutum.
Greg.Nicomed.Orat.de Præs.B.V.
Vas lætitiæ, per quam primæ matris maledictio dissoluitur.
Hym.Grae.apud But.p.122.
Vehiculum sanctissimum eius qui est super Cherubim.
Hym.Grae.apud Buteon. p.126.
Vehiculum perspicuissimum spiritalis lucis.
Andr. Cret. Orat. 1. de dormit.Deip.
Vehiculum valdè purum diuinitatis.
Menaa 24.Martij,in Vesperis.
Velamen alterum Sanctorum in quo elegans propitiatorium Cherubim.
S.Germanus Orat.de Natiu. B.V.
Vellus mundissimum cœlesti pluuia madens, è quo pastor ouem induit.
Proclus Orat. de Nat. Dom. Andr.Cret.Orat.1. de dormit.Deip.
Vellus Gedeonis.
S.Ephrem laudat.B.V.
S.Bernard.hom.2. in Missus est.
Adam de S.Vict.in Prosa de Purific.
S.Bonau.in laud.B.V.n. 11.
Vellus imperceptibilis roris.
Method.Orat.de Hypap.
Vellus virgineum, cui cœlestis imber placido se fudit illapsu; & tota Diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit tegmine, donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus pluuiam se salutis effunderet.
Petr.Chrysol.serm.143.
Vellus sanctum.
Rich.à S.Laur.l.12.p.904.latè.
Vellus de quo omnes vestiti.
S.Ambros.serm.13.
Vena veniæ,fons vitæ.
Rich.à S. Victore sup c.42.in Cant.
Vena aquarum.
Raym.Iord.parte 14.c.54.
Vestis absque macula, eius qui lumen induit sicut vestimentum.
Method.Orat.de Hypap.
Vinea sancta,cuius hortus Christus.
Petr. Dam.serm. 3.de Nat.B.V.
Rich.à S.Laur.l.12 p.927.latiss.
Viola purpurea.
Hugo de S.Vict.toto serm.46.
Virga Iesse.
Hesych.Orat.1.de Deip.
Hieron.in c.11.Esaia,& epist.22.

Ambr.

Ambros. in virg. Instit. c. 9.
Virga Iesse semper virens, quæ generi humano vitam pro fructu attulit.
Chrysip. Orat. de Deip.
Virga Aaron frugifera supra naturam.
August. serm. 18. de tempor. Andreas Cretens. orat. 1. de Dormit. Deip.
S. Benan. in laud. B.V. n. 9.
Virga Aaron efflorescens per Spiritum sanctum.
S. Ephrem in laud. B.V.
Amed. Laus. hom. 1. optimè.
Virga Aaron arida, absque fomentis naturalibus fructificans.
Philipp. Abb. l. 1. in Cant. c. 16.
Virga mystica, flos immarcessibilis.
Hym. Græc. apud Buteon. p. 135.
Rich. à S. Vict. tract. de compar. Virginis ad virgam, & Christi ad florem.
Virga sustentationis, Deo fesso.
Petr. Blesens. serm. 1.
Virgula fumi.
Raym. Iordan. parte 14. c. 56.
Virgo secunda, miseriæ omnis fœmineæ expultrix.
Hesych. Orat. 1. de Deip.
Fulbert. serm. 1. de Nat. B.V.
Virgo nous, & intemerata, facinus antiquæ virginis expians.
Anselm. alloq. col. 21.
Virgo prudentissima.
S. Anselm. alloq. cœl. 21.
Virgo serenissima. *Ibidem.*
Virgo singularis meriti, sola sine exemplo.
S. Anselm. Alloq. cœl. 14.
Virgo intemerata, & in æternum benedicta, specialis & incomparabilis Virgo, Dei genitrix, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, ianua regni cœlorum, per quam post Deum, totus viuit orbis terrarum.
S. Ansel. alloq. cœl. 28.
Virgo Virginum, nec primam similem visa, nec habere sequentem.
Ruper. l. 1. in Cant post Sedulium.
Virgo Virginum, omnium plena gratiarum.
Guerric. serm. 1. de Annunc.
Virgo acquisitionis.
S. Germ. Orat. de Natiu. B.V.
Virgo secundùm naturam, mater supra naturam.
Menaa 5. Ianu. Ode 9.
Virgo pulchripara.
Ioan. Geom. hym. 1. de B. V.
Virgo noua.
Sedul. l. 2. Pasch.
Virgo maior cœlo, fortior terris, orbe latior, quæ Deum quem mundus non capit, sola cepit.
Pet. Chrysol serm. 141.
Virgo florentissima, fructu speciosissima, vita & moribus præcellentissima.
Giselbertus in Alterc. cap. 7.
Virgula radicis, gemmula floris, aurora Solis, nutus Patris, genitrix & germana filij, simul sponsa & fœlix vernacula, sanctarum socrus animarum, supernorum Regina ciuium, columba inter sexaginta Reginas & bis quadringentas pollices.
Aldelmus de laude Virginit. c. 12.
Vita mystici connubij.
Hym. Græc. apud But. p. 133.
Vita viuentium, causa vitæ, suppeditatrix vitæ.
Andr. Cret. Orat. 2. de Assump.
Vitis veritatis fertilissima, minimè vindemiata.
Epiph. Orat. de laud. Deip.
Vitis vuarum ferax, valdè florens, intacta.
Hesych. Orat. 2. de Deip.
Vitis vuas pulchras producens.
Chrysipp. Orat. de Deip.
Vitis ferens botrum, per quem pulsa mundi sitis.
S. Benan. in Psalmia. quinquagen. 3.
Vitis vera, quæ germinauit fructum vitæ.
Theotchion. apud But. p. 135.
Vitis vera, quæ racemum maturum aluit, vinum stillantem quo exhilarantur animæ.
Hym. Græc. apud But. p. 135.
Vitis palmitis nunquam marcidi.
Hym. Græc. apud But. p. 118.
Vitula ingi expers saginati vituli parens.
Andr. Cretens. Orat. 1. de dormit. Deip.
Vitis mystica & à Deo consita quæ innocandis Ecclesiis sarmentum nobis protulisti & igneum botrum incorruptionis germinasti.
S. Germ. Orat. de Natiu. B.V.
Vmbraculum Spiritus sancti.
Method. Orat. de hypap.
Vnguentum pretiosum.
Hymn Græc. apud. But p. 151.
Volumen in quo Verbum scriptum est digito Patris.
Hym. Græc. apud Buteon p. 115.
Volumen intaminatum recentissimi nitoris cui sapientia diuina est inscripta.
Iosephus Confessor in Menaeis 6. Martij Ode 7.
Volumen noui Testamenti, à Deo scriptum, quod ante fecit cum hominibus.
Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt.
Vrna aurea continens manna cœleste.
Amed. Laus. hom. 1. Damasc. Canc. 1. Anastasine.
Epiph. Or de laud. Deip.
S. Benan. in laud. B.V. n. 8.
Vrna aurea, ferens eum qui dulce manna reddit.
Andr. Hieros. Orat. in salut. Angel.
Vrna pulcherrima, cœli manna gestans.
S. Ephrem in laud. B.V.
Vrna Deum continens.
Ioan. Geom. in Catena Corderij ad cap. 1. Luc. vers. 36.

Viderunt illam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ & concubinæ laudauerunt eam. Nonne vt secundùm præsentem literam hoc dictum sit, & generatio concubinarum, & generatio adolescentularum; nonne, inquam, omnes istæ generationes, beatam dicunt illam? Reuera, etsi impares meritis, tamen fide consimiles, ecce vident illam, ecce contemplantur illam vnam, illam electam, & eum admiratione ineffabili, voces extollunt iugiter ex omnibus locis suis, talem laudantes, talem beatissimam prædicantes.

Rupertus lib. 5 in Cant.

LECTORI

LECTORI

Hi: pridem semel atque iterum vulgatis incidi in opellam piam Theodori Lascaris Imperatoris Orientis factam insignibus titulis Deipara, quorum aliqui in Nomenclatore iam sunt signoti, sed magna pars nos praeterierat. Tam piam ergo lucubratiunculam tanti Principis eiusdem argumenti cum Nomenclatore visum est & subtexere. Ac ne ea me noxa contaminem quam Plinius in praefatione ad naturalem historiam obnoxij & infelicis ingenij *esse contestatur, malentis in furto deprehendi quàm mutuum reddere; atque adeo ne amulatus ipse videar plagium eius, qui Nomenclatorem meum expilauit, dissimulans vnde profecisset; & qui enimvero Deúm atque hominum fidem implorasset, si exiguum quid ex eius myricis carptum & transplantatum esset, non indicato authore, vnde petitum esset, admoneo suppeditatam mihi esse hanc opellam à A.p. Hyppolyto Maraccio laudum sanctissima matris nunquam satuлro, qui eam è graeco codice D. Leonis Allacij per fratrem suum Ludouicum Maraccium Graca lingua peritissimum latinè fieri curauit: fruere lector his pietatis, graecanica Reliquiis, & optimo patri qui eas Latio nuperrimè inferri curauit, faue ac bene precare.*

In principibus mariauit V. Theodorus.

CANON. SALVTATIO ad sanctissimam Dei param.

Opus pyssimi Imperatoris, domini Theodori Lascari.

ODE I.

SALVA propitiatorium animarum, virgo mater, quae gaudium peperisti: Salue Regina: Salue templum Christi: Salue augustissima. Salue tutela animarum simul & firmamentum.

Salue beatae vitae primitiae, Salue Maledictionis ablatria Domina: Salue Deo desponsata: Salue Christi Dei nubes lucidissima; Salue virga diuina, quae passionum pelagum diuisisti.

Salue lactatria vitae: Salue Verbi mater, Dei sponsa; Salue stabilitas scientiarum. Salue Angelorum glorificatio; Salue Dei Mater: Salue lucerna refulgens.

Salue, quae Christi Capax fuisti; salue pristini lapsus Releuatio; Salue inuicta: Salue patrona mundi; Salue Immaculata: Salue Regni Christi Dei familiaritas.

Largire mihi lachrymarum fontes; cordialem, ô dcipata, humilitatem, vitam irreprehensibilem, & Conuersationem puram, ô mundissima, vt glorificem diuitias bonitatis tuae.

ODE III.

Salue felicitas inuiolabilis Christi fidelium: Salue Diadema; Salue stella domini lucidissima: Quàm magna sublimitas! praesta mihi gratiam, vt possim clamare ad te domina: Salue, sola Regina, Thalamus Regis omnium Immaculatus.

Salue castissima sponsa Dei; Salue Deo carissima, per quam nos mortales homines deificati sumus: Salue rubus incombustus; Salue tranquilitas: Salue Maledictionis exterminatio: Salue sola omni laude dignissima.

Salue portus salutaris, Salue pratum odore suaui redolens: Salua fax animarum immaculatissima: Salue quae omnium creatorem peperisti; Salue, quam laudauit prophaetarum Coetus, & cui Gabriel obtulit *Aue*.

Salue hominum Regina Angelorum; Salue domina: Salue principatibus ipsis superior.

Salue promptuarium Christi immaculatum: Salue porta perquam nulli patuit via: Salue vellus animatum: Salue, sola spes animarum nostrarum.

Fortitudo mea, & turris tutissima esto, ô Deo Charissima: & scutum, & armatura insuperabilis; spiritualium hostium phalanges repellens à me, qui cum fide, & affectu te cano.

ODE IV.

Salue ignea, ac solaris Columna lucis: Salue Columba veneranda; Salue pretiosissimum Regis gloriae palatium: Salue quae sola, lapsum Imminuisti.

Salue nubes tota lucida, Immaculatissimum templum Dei: Salue venerabilis: Salue thalamus decentissimus: Salue Iubar in occiduum spiritualia Lucifera: Salue semper lucens fax mundi: Salue castissima domina.

Salue Regina; Christi Liber inuolutus; eorum quae dissita erant, in vnum Concursus, Salue fluentum vitae: Salue solis forma, praedita, Trinitatis formae castum habitaculum: Salue mensa, vena, & pons.

Salue hominum Regina Incomprehensibilis: mundi mediatrix veneranda: Salue Stella semper lucida; Salue alabastrum reuerendum vnguenti gratiae spiritualis; Christi, Quod ex Deo, & patre germinauit; Salue domina.

Me, daemonum fraude, à Dei mandatis grauiter abstractum, ne despicias, ô benignissima; sed miserere precor, & fac me eorum fraude superiorem, qui semper confugi ad misericordiam tuam.

ODE V.

Salue lapis, quae summum angularem lapidum, Christum peperisti. Salue turris, quae hostium superbiam retundis. Salue tota immaculata, quae lucem sempiternam omni principatu superioris Thearchiae excepisti.

Salue stabilitas eorum, quae ex materia mouentur, ô purissima: Salue Aurora, quae lucem iis, qui in tenebris versantur, adducis. Salue verè domina. Salue lucerna: Salue gladius, quae resecas infirmitates.

Salue volumen, quod Dei sapientiam suscepisti

Salue

Salue tabulæ, in qua per Spiritum scriptum est verbum. Salue donum datum à Deo mortalibus ad salutem, benedicta, omni laude dignissima.

Salue flos purificatus irrigationibus Spiritus. Salue Stella lucidior omni puritate: Salue Crater inexhauste vitæ fidelium sempiternæ, Maria, mater Christi Dei.

Tempestatem multorum peccatorum meorum Compesce; & æstum passionum mearum tranquilla, ó casta; & ad altissimam impassibilitatis serenitatem dirige me, qui te ritè glorifico.

ODE VI.

Salue lucerna refulgens, Salue lux semper resplendens. Salue diuitiæ spirituales: Salue Christi mater immaculatissima: Salue, quæ sola Deum peperisti.

Salue basis firma, salue immobilis stabilitas: Salue sponsa Patris: Salue Mater Christi; laudabilissima mundi protectio: Salue spes vniuersorum.

Salue dissolutio maledictionis: Salue custos religiosorum: Salue cosis contra hostes: Salue murus pugnantium Ascetarum, omni laude dignissima, Dei Verbi mater innupta.

Salue scala spiritualis à terra in cælum pertingens: Salue lucis ianua; Salue fidelium gloria, Immaculatissima: quippè quæ Creaturis omnibus est eminentior.

Ad te semper confugio, ô benignissima: Te enim solam firmam, ac securam anchoram in rebus aduersis, ego seruus tuus, ô laudatissima, possideo.

ODE VII.

Salue portus tranquillus animarum: Salue Thalamus aureus: Salue lectus regius: Salue fulgurea forma ornata; Salue mater Virgo per quam nobis in tenebris versantibus, exortum est lumen; Christus scilicet, omni gloria superior.

Salue manifesta ægritudinum sanatio, eorum, qui ad te recurrunt. Salue protectio gloriosissima; Salue ô Compassione plena: Salue fluentum perenne, quæ propitiationem exundas, & morborum scaturigenes exsiccas.

Salue vitæ principium, & pons traiiciens populos à terra in Cœlum: Salue habitaculum immaculatum, atque incontaminatum Dei verbi, quemadmodùm ipse sibi complacuit, Salue lucerna, quæ gratiarum lucem fidelibus affers.

Salue fons aquarum vitæ perennis: Salue paradisus deliciarum: Salue murus fidelium: Salue virgo perpetua: Salue sola domina; per quam nobis manifestus est laudabilis patrum Deus.

Mentem, & animam, & Carnis Infirmitatem tibi commendo, exclamans; ô Deipara, fortissima, protectio, & auxilium; Libera me ab ignorantia & obliuionis socordia, ô omni benedictione cumulata.

ODE VIII.

Salue splendor, quæ solem Christum mundo intulisti; Decor Regni Christi Salue casta; quæ gaudium nobis conciliasti: Benedicimus omnia opera, filium tuum æternum, & te incessanter, pro debito veneramur.

Salue vrna, tota aurea, quæ Deum, tanquam manna, suscepisti: fluentum vitæ æternæ populis: Salue Augusta, Salue ô Immaculata Dei mater: Salue Orthodoxorum portus, & præsidium: Salue animæ meæ spes stabilissima.

Salue virga victoriam præbens, quæ omnium aduersariorum elationem intercessione tua fortiter confringis: Salue ô Dei sponsa sanctissima: Salue solitariorum firmamentum & custos: Salue animæ refugium & protectio.

Seda animæ meæ passionum impetus, ô Deipara; affectionúmque mortiferarum simulachra in finem abole, ô casta Dei mater, vt semper glorificem te, ac benedicam tibi, quæ fuisti causa vnica salutis cunctorum.

ODE IX.

Salue Deipara Domina; Salue sublimitas sapientiæ, quæ peperisti sapientiam, & verbum Patris substantiale: Salue pelagus Immensum scientiæ: quæ perpetuæ lætitiæ dignos facis eos, qui te honorant.

Salue hirundo felicis Augurij, & Columba quæ serenitatem attulisti: Salue Immaculata.

Salue flos naturæ; mons à lapicidæ manu non tactus, omnium Regina: Salue ô Deipara, spes hominum, quæ confusionis repulsam non patitur.

Salue, quæ vitam omnium peperisti; Salue forceps ferens Carbonem diuinum: Salue vestis purpurea Regis terribilissima: Salue Christi legum custodia: Salue, quæ antiquas Prophetarum prædictiones ad finem perduxisti.

Salue Templum animatum; Salue porta cælestis: Salue, ô veneranda; mons Dei vmbrosus. Salue basis, & stabilitas, & mons Martyrum, & Sanctorum atque Apostolorum fulcimentum.

Salue rerum existentium tegumentum, vtpote quæ in his non comprehensum peperisti: Salue splendidum virginitatis monimentum: Salue omnium fidelium salus, Salue verè patrona nostra, & auxiliatrix in bello insuperabilis.

Salue Mater Regis omnium: Salue causa lætitiæ mundi, ô Castissima: Salue Iuuenca elegans, quæ fers vitulum Iesum, Saluatorem, & Dominum. Salue gaudij receptaculum: Salue Mundi propitiatorium.

Salue verè stemma pretiosum; Thearchicæ lucis castum habitaculum: Salue truncus, quæ vitæ fructum produxisti: Salue, quæ tanquam vitis, botrum, fers Dominum gloriæ, quem pro dignitate magnificamus.

Salue fecundè germinans paradisus: Salue delicium vitæ, & via nectaris: Salue dux ad virtutem deducens, Salue dissipatio sterilitatis animarum; Sapientiæ sedes; ægrotantium redintegratio ad salutem.

Salue lilium verè redolens; Rosarium gratiarum pratum salutare; Salue fulgur, quæ margaritam progignis: Salue totius naturæ eminentia: Thalamus Cœlestis; Salue spes mea, quæ non confundis.

Salue Cœlum sydereum; virtutum splendoribus variè adornata: Salue Regina, quæ adstas à dextris Domini tui, vestimentum habens Augustè variegatum; quemadmodum Dauid ad te exclamauit.

Tu mea fortissima protectio, ô Immaculatissima: Tu mea spes, refugium, & firmamentum; Tu meum contra hostes trophæum, ô Deo carissima, & animæ meæ Custodia, ô gratia plena; propterea te incessanter Magnifico.

Tolle graue pondus dictorum meorum, ô omni sanctitate ornata; omni laude ornanda: & fac me dignum portare leuissimum iugum filij, & Dei tui,

tui,& incedere per semitam,quæ ducit ad supernam hæreditatem.

Troparia,& Stichera.

TAnquam misericordias scaturiens in infirmitatem nostram, & aquis spiritualibus circundana nos; miseratione mouere, ô omni misericordia prædita Deipara, & libera me à tentationibus, & periculis, ô sola benedicta.

Concede requiem labori animæ meæ, quæ multis gemitibus,ac suspiriis sese affligat.Tu quæ omnes lacrymas à facie terræ cessare fecisti:Tu enim mortalium dolores depellis,& mœstitiam peccatorum dissoluis. Te omnes habemus spem, & firmamentum ô sanctissima mater virgo.

O spes desperatorum : ô gaudium consternatorum ; ô defensio in te confidentium , sanctissima domina Deipara;auxilium tuum mitte super nos.

Commotatio tribulatorum , liberatio infirmorum cum sis , ô Deipara Virgo, Salua animam tribulatam, pax eorum qui bellum sustinent;serenitas eorum , qui tempestate iactantur, ô vnicum fidelium præsidium.

In te spem meam reponam domina Deipara: ne excidam à salute. Salua me ex omnibus periculis, auxilio destitutum ; & aduersariorum meorum consilia dissipa;Tu enim es salus animæ meæ.



AD



AD MARIANVM NOMENCLATOREM OBSERVATIONES, Atque Glossarium.

OBSERVATIO PRIMA.

Quomodò tam multa B. Virginis nomina, si nomen Virginis Maria.

NON est sanè nisi vnicum, & singulare B. Virginis nomen, si de proprio, & simpliciter dicto nomine sit sermo. Id enim præcisè ferunt verba Lucæ, *& nomen virginis Maria.* Imo nec vllum eius cognomen est proditum, & quod S. Gertrudes vnum aliquod virginis cognomen insinuare videtur (nec enim apertè id tradit,) neminem habet astipulatorem, omnibus singulare illud Virginis nomen, reciso cognomine agnoscentibus; quasi fulgorem illustrissimi nominis, dedeceret societas ipsculæ lucis ab aduentitio cognomine. Si igitur vnicum reuera, & singularissimum est Deiparæ nomen *Maria*, vnde tot eius nomina obtrusimus? Imo vnde ea SS. Patres è quibus illa nos studiosè collegimus, deprompserunt?

Incurrens in hanc difficultatem S. Bernardinus Tom. 3. serm. 1. de Nomine Virginis, non secus in hac re contigisse ait, ac circa Deum quem variis omninò nominibus appellamus, singularum nostrarum de eo Nomenclationum ieiunitatem, & inadæquationem cum re nominata contestantes; eámque vtcunque explere aut sarcire sollicitis; vt attigit etiam S. Ambros. lib. de fide contra Arrianos cap. 6. optiméque Chrysost. homil. in illud Psal. 44. *Astitit Regina*, & alij adducti in Natur. Theol. dist. 5. n. 197. quod seruat etiam scriptura. Quamuis enim cùm omnes Dei perfectiones vna complexione volt denotatas, vsurpat nomen Dei in actu signato, tamen vt benè aduertit Ribera Oseæ 1. num. 20. sigillatim de vna aliqua perfectione loquendo, adhibet peculiare nomen hinc inde emendicatum, vtcumq; pluribus nominibus adæquatura, quod nullo singulari nomine adæquaret.

Non videtur tamen hoc S. Bernardini responsum, difficultati propositæ satis quadrare. Nam idcirco plura Dei nomina excogitauimus, quia nullum habemus proprium nomen Dei. Vt enim Trismegistus, apud Lactantium l. 1. c. 6. ratiocinatur [Deo nomen non est, quia solus est, nec opus est proprio vocabulo, nisi cùm discrimen exigit multitudo, vt vnamquamque personam sua nota, & appellatione designes.] Quæ item est sacra Iustini de hac re philosophia, in Parænesi. ac Cypriani l. de Idol. Vanit. necnon Minutij in Octauio, & perpulchrè Attali Lugdunensis Martyris apud Eusebium 5. histor. in epistola ad Asiaticos, qua ex Ruffini interpretatione, refertur sanctissimum Christi pugilem, rogatum quod sit Deo nomen, respondisse; [qui plures sunt, nominibus discernuntur; qui vnus est, non indiget nomine.] Cùm igitur nullum sit proprium Dei nomen; mirum non est, quod sit ad appellatiua confugiendum, eáq. multa sint vsurpanda, ad signandam diuinarum perfectionum (iuxta pingues conceptus nostros,) varietatem & multiplicitatem, quæ reuera in Deo nulla est, cùm sit vnica, & atoma perfectio, ne conceptu quidem præcisiuo dearticulabilis in plures, vt habet S. Anselmus cap. 16. Monol. cuius hac de re effatum, Thomas Valdensis lib. 1. doctr. artic. 1. cap. 2. *initio* [magnum & in tota Christi Ecclesia perueneraodum principium] appellat: & quod multo mirabilius est, idem agnouerunt Ethnici, nominatim Attidius Didymus in Alcinoo c. 9. & Plotinus Enneade 6. lib. 4. c. 14. & lib. 6. cap. 3. & lib. 7. cap. 1. & Enneade 5. lib. 1. cap. 4. quem locum retulit quoque S. Cyrillus lib. 8. in Iul. ad textum 3. Ea his ergo liquet, exemplum Dei, qui reuera est anonymus, si de proprio nomine sit sermo, non quadrare huic negotio; & responsionem difficultatis propositæ inde ductam, haudquaquam satisfacere.

Adhibere tamen optimè possumus exemplum Saluatoris, qui & vnum proprium nomen habet, (vocatum quippè est nomen eius IESVS;) & multa appellatiua, de quibus extat iustum volumen Vincentij de Flumaro, & multa etiam ex eis recenset Franciscus Georgius in Harmonia Cantico 2.

ex Patribus multus in hoc est S. Hier. ad cap. 46. Ezech & S. Dam carm. de cognominibus Saluatoris nec non Chrysost. hom. in illud Psal. 44. *Astitit Regina*. Greg. Nyss. l. de perfecta Christiani forma, aliique benè multi, quos adduco in proœmio ad tractationem de Christi attributis, hoc est iuxta antiquum loquendi modum *de nominibus*. Nā quod notauit Ochamus quodl. 3. q. 2. quæ postea vocata sunt *attributa*, olim vocabantur *nomina*. Vnde liber S. Dionys. de diuinis perfectionibus, maximè attributalibus, inscriptus est *de diuinis nominibus*. Sicut ergo vnum Christi proprium nomen, non excludit propè innumera Christi nomina appellatiua, è variis perfectionibus, vel multiplicibus in nos beneficiis petita, quibus vtcunque adæquamus nostras de Christo notiones, ita nihil vetat, quominùs præter vnum proprium Deiparæ nomen, aliis plerisque nominibus appelletur, qualia sunt quæ in Nomenclatore digesta habentur.

Passim in Scripturis multa similia haberi, notat in hunc modum S. Germ. Orat. de Nat. B Virginis. [Variis nominibus ipsam videas adumbratam, & passim in sacris literis clarè exhibitam, vt quoties loqui introducitur, ipsam nominet immaculatam, prophetissam, thalamum nuptialem, donum Dei, templum sanctum, aureum tabernaculum, sacram mensam, altare propitiatorium, thuribulum aureum, Sancta Sanctorum, Cherubim gloriæ, vrnam auream, tabulas Testamenti, virgam sacrosanctam, regni sceptrum, diadema pulchritudinis, cornu in quo vnguenti pigmentum, alabastrum, lucernam, vaporem, lampada exiguam, ellychnium, vehiculum, arbustum, petram, terram, hortum, tegmen, arcuum, fontem, agnam, guttam; Quæque S. Spiritus Ministri, hanc secundùm mysticam in symbolis inspectionem prænidendo nominant.] Appendit consequenter benè multas scripturas, quibus B. Virgo vocatur [rubus, virga, radix, terra sancta, terra desiderabilis, terra surgens, thronus, mons, oliua, arca, thronos, porta, mater, ferculum, lectus, caput, liber, volumen, forceps, Virgo, prophetissa, regina, proxima seu amica, soror, hortus, filia, sponsa, nubes, visio, electrum, dies & nox, cœlum, oriens, occasus, sol, ciuitas, later, locus, vellus, mulier B Maria.

Imò omnia pretiosæ cuiuslibet rei nomina in scripturis consignata, ad eam flecti iure possunt. Egregiè in hanc rem Autor sermonis tertij super Salue Regina apud Bernardum. [Non solum (inquit, cœlum, & firmamentum, Domina rerum intelligitur, (*vt sibi præmiserat*,) sed aliis nominibus conuenienter appellatur, & rerum vocabulis designatur. Ipsa tabernaculum Dei, ipsa templum, ipsa domus, ipsa atrium, ipsa cubiculum, ipsa thalamus, ipsa sponsa, ipsa filia, ipsa arca diluuij, arca Testamenti, vrna aurea. Ipsa manna, virga Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis, ciuitas Dei. Ipsa cœlum, ipsa terra, ipsa Sol, ipsa Luna, & Stella matutina, aurora ipsa, & lucerna, rubus, & mons, fons quoque hortorum, & lilium conuallium. Desertum ipsa, & terra repromissionis, lacte, & melle manans, Stella maris, nauis quoque, via in mari, lagena, vinea, ager, area, horreum, stabulum, præsepe, sabingale, apotheca, aula, turris, castra, acies, populus, regnum, sacerdotium. Ouis est, pascua est, paradisus est, palma est, rosa est, flumus est, porta est, columba est, columna est, vestis est, margarita est, candelabrum est, mensa est, corona est, sceptrum est, panis est, oleum est, vinum est, est, arbor est, virga est, cedrus est, cypressus est, platanus est, cinnamomum est, balsamum est, myrrha est, thus, est, oliua est, nardus est, crocus est, fistula, calamus, & storax est, soror, & mater est. Et vt breuiter concludam, de hac, & ob hanc, & propter hanc, omnis Scriptura facta est.]

OBSERVATIO II.

Nomina B.V. cur hic ex solis Patribus digesta.

HAud operosum fuisset, Nomenclatorem multo pluribus B. V. nominibus onerare. Sed placuit non nisi è Patribus, & cana vetustate venerandis Scriptoribus, qui Patrum suppares fuerint, in hoc sertum flores legere, quod rectos decent collaudatio, sicut Dei, ita etiam Matris Dei. Sunt apud Christianos quosdam Poëtas, florulenta de B.V. carmina, egregiis in eam epithetis vernantia. Sed iidem aliis chartis, nec adeò disiunctis, stercus impudicitiæ illinerunt: digni eadem propè actione percelli, quam Ennodius in profanum statuarum Palladis & Veneris consociatorem intentauit. Horum vocibus collaudare Deiparam puritatis Magistram, inopportunum & absonum fuerit. Extant apud Sectarios quosdam, luculenta Virginis encomia. Neque enim omnes in eam rabere ausi; pauci quidam, eam ornare voluerunt, nec in Synagoga malignantium infimi, quos vide apud Canisium l. 1. de Deip. cap. 3. & l. 5. cap. 29. & apud Crocium to. 1. l. 3. art. 1. *in fine*, & artic. 5 *in fine*. Num de lutulentis illis scrobibus Hortum Virginum rigare decuit, in tanta vbertate purorum laticum? Est apud Mahumetem (proh vim veritatis!) nec vna, nec tenuis laudatio B.V. Quis illam turpitudinum Camarinam, specie honoris, in Sanctitatis domicilium corriuatam velit? Itaque bellè huc cadunt illæ Damasceni voces carm. de Annunciat. [Tanquam animatam Dei arcam, tangat nequaquam manus non initiatorum. Labra autem fidelium, Deiparæ intactæ, voces Angelicas canant.] Sanctorum, inquam, Patrum qui antonomasticè fideles, & fidei syncerae propagatores sunt ac defensores, labra & voces, manúsque inscriptis, Deiparam celebrent Cæteri procul sunto.

Ita tamen vt accenseantur Patribus, veteres hymnorum vel rythmorum sacrorum in Ecclesia (saltem alicubi) receptorum Authores, etiamsi plerumque anonymi. Quos inter crebrò in Nomenclatore laudatur is, cuius est Hymnus Græcanicus à Ioanne Boccone Antoniano Latinè factus, & Florilegio orationum à Græcis petitarum insertus. Habetur Græcè is hymnus sub finem Horologij, sic enim appellant, quod nos *Diurnale*. Notatur que eo loco, hunc esse *hymnum Acathistum*: de qua voce cùm Iunius Sectarius fabulas Lectoribus obtruserit, rectè Gretserus ad Codinum l. 3. obseruat. cap. 7. & in notis ad orationem Germani Patriarchæ in primam ieiuniorum Dominicam, ad calcem Tomi secundi de Cruce, è Græcorum Triodio, (qui vnus est è Ritualibus Græcorum libris) eius vocis notionem eruit. Cum ergo coniunctis viribus Scythæ ac Persæ, vrbem Constantinopolitanam profecto in Persidem Heraclio Imperatore tentassent, & ciuitas à discrimine perparum abesset, factum est, vt interueniente Deipara, non modò vrbs seruata, sed etiam hostes magna clade fuerint affecti, ingenti planè miraculo. Vnde regressus ab hostium

cæde

eâdem populus, tota nocte, stando absque vlla intermissione, hymnum Deiparæ in gratiarum actionem decantauit, & quotannis eundem vsum religiosè repetiit. Quare & dies *Acathistus*, & hymnus eod. nomine est appellatus: *quòd tunc*, (vt in Triod. habetur,) *& populus & Clerus vniuersus, eod. ardore idem facerent nemine cessante, nemine à dominis laudibus conquiescente*, & nemine sedente: quod in illa Deiparæ æde sacra, cui nomen in Blachernis, sessione interdiceretur, vt ibidem mox additur. Quæ pietas multo facta est auctior, cum Agareni post septennem Constantinopolitanæ vrbis obsidionem, sub Constantino Pogonato, auspiciis B. Virginis omnes perierunt. ac rursus cum sub Leone Isauro, immensa eorundem Agarenorum classis Constantinopolitani imminent, interpellato B. Virginis præsidio, æquè est contrita. Eum igitur hymnum, & perlongum, & perpulchrum, & vt vides perantiquum, non secus ac opus Sancti alicuius Patris, crebrò adducimus in Nomenclatore: quem ad Patres compertos, & antiquos Virginis laudatores anonymos ab Ecclesia probatos consultò restrinximus, quia vt præmissum est, tales laudatores Virginem decent.

Nec dubium quin Spiritus sanctus qui has suas fistulas afflauit circa omnia Christianæ fidei mysteria, (vnde illa tanta in Dei Ecclesia erga SS. Patres reuerentia,) Sanctuarium suum per hos Ecclesiæ optimates sanctificari ac celebrari, instius duxerit; ideóque eos, & decorum Virginis peritiores esse voluerit, & ad alia dignè conuenienterque enuncianda, prouidentissimè mouerit. Ipsa item B. Virgo, depactas sibi à sanctis Dei hominibus laudes, vt est æqui ac recti scientissima & obseruantissima, pluris facit quàm prolatas aliunde, etiamsi lectioribus fortassè vocibus, & cortice speciosiore, qui Sanctis ferè, neglectui est, conuestitas. Nam quoad sensorum granditatem atque magnificentiam; præcisè negandum est, vllam vel fieri vel ferri debere contentionem, inter ea Deiparæ præconia longa, aut breuia, qualia sunt elogiola in Nomenclatore recensita, quæ è Patribus sunt petita; & ea quæ suppetere possunt ex inferioris notæ scriptoribus, præsertim nuperis, & remotioribus ab iis montibus qui pacem ac lucem populo primi suscepere: montibus inquam æternis, à quibus Deus mirabiliter illuminat, vt fert S. Augustini interpretatio in Psal. 75.

Accedit securitas (vt sic dicam) immunitatis à fermento doctrinæ reprobæ, quod nullus vnquam, in Patrum dictis quibus nemo ex aliis Patribus obstrepuerit, subnereatur: in aliorum autem de B. Virgine dictis ac scriptis, aut propalam carere, aut delitescere non tarò, in Diptychis Marianis testatum dedimus. Ac vt cætera nunc premantur, quibus auribus excipiet Christianus, quod non tam à Collyridiania hæreticis, à S. Epiphanio hær. 79. explosis, cum detestatione; sed à Catholicis, præ æstu affectus erga Dei matrem, iustæ laudationis metas prætergressis, B. Virgo *Dea* sit dicta? Nam quòd hoc cœnum veriùs quàm decus, B. Virgini à Petro Damiani serm. 2. de Natiuit. illitum dicunt, facilè est edito Damiani sermone illimem præstare tantum virum; eàmque labem in allegatorem infidum regerere, quam Petrus Damiani affricari sibi authori nulla ratione sustineat, nec ipsa Virgo, tam insulsi blandiloquij quomodocumque conditi auersatrix; admittat. Spurcus Hæreticus Nestorij patronus in disputat. de supposito c. 5. pag. 310. refert, Leonem decimum, Romanum Pontificem apud Bembum lib. 8. episto. 17. B. Virginem nuncupasse *Deam*. Hoc non dixit Leo Romanus Pontifex; sed Ioannes Medices, quanquam fidem allegantis, effrontissimè passim mentientis, non præsto. Nam in tribus Tomis epistolarum Bembi fidem allegantis desideraui. Iustus Lipsius humanioris literaturæ delicium, in Hallensis templi historia, Deiparam nomine *Dea* compellat, cum ait,

Eus Vespere
Videro visa specie honestæ fœminam,
Sola sui qua hac lege feceras copiam,
Si vota concepisses Hallensi Deæ.

Sed hoc necessitate metri adactus scripsit; nec eius viri authoritas in politiori literatura planè summa, eiusdem momenti est in re Theologica, Patribus præsertim & veteribus omnibus, refragantibus. Apud Apollinarem quidem; extrema ferè Tragœdia *Christus patiens*, habetur precatio ad Virginem, quæ compellatur *æternitatis pallio ornata, vt Dea habita*. Sed quod Apollinaris hæreticus necessitate fortè metri adactus sine temperatione per particulam diminuentem adhibita, audacius effutiuit, non fuit inconsideratè arripiendum, & recisa temperatione omninò necessaria; simpliciter seferendum inter Virginis decora, imo probra, quæ quantauis expurgatione apposita nunquam satis nitcant. Vt propterea ferendi non videantur, qui iisdem particularum non nisi comparationem sonantium fulcimentis adhibitis, fas sibi putant, vocare B.V. *quasi Deam, quadantenus Deam, Deam modò*. Apage titulos Virginis, qui nos hæreticis ridendos propinent, vt ferarias ad hoc ipsum benè monuit l. s. Litaneut. q. 13. Et laborandum sanè fuit Scriptoribus grauissimis, qui Catholicam fidem aduersus hæreticos sunt tutati, vt monstrarent eorum insulsitatem qui ad eum modum locuti referebantur, à sensu Catholicorum abhorrere. Videsis Bellarm. c. 8. Apol. contra Regem Britanniæ, & Suar. in eiusdem impugnatione, cum disputat. de cultu B.V. lib. illius operis 2. c. 7. n. 5. necnon Gretserum lib. 1. Apol. 2. pro vita S. Ignatij c. 7. vbi sex responsiones adhibet pro ea nomenclatione *Dea* Leoni X. afficta ab Hereticis. Apud probatos Patres nulli huiusmodi furfuracei B. V. tituli deprehenduntur: quos tamen minus erga eam benè animatos fuisse aut minus ingenio ad agnoscenda legitima Deip. decora valuisse, nemo sanus censuerit.

Itaque non nisi Patrum vocibus, in Nomenclatorem Virginis, qualicunque mea opera, affectu certè erga tantam matrem non exiguo, concinnatum admissis, securus contestabor illud Cæsarij Dial. 3. *sub initiũ*. [Non quædã propriè mea loquar proferam; sed quæcunq; clarorum beatorumq; Patrum prata peragrans, de illorum rosetis collegi. Quorum rosæ, aqua latere Dei ac Verbi quod carnem assumpsit, manante rigantur, & iugi sanguinis eodem orti riuo, rubro colore tinguntur, totumque mundum suaui odoris fragrantia replent. Qui & splendore suo, firmamenti luminaria vincunt, & vitæ sermonem continent. Quorum ellychnium nunquam decidit, & lucerna non comminuitur, & oleum non absumitur, & lampas non quassatur, & flamma non extinguitur. Nam crucem gestant pro virga, Euangelia pro pera, charitatem pro pedo ac fistula, quibus omnibus Christi gregem rationis participem pascunt.] Hæc ille, de suo in subregandis Patrum dictis studio: quæ quia non concinnè modò, sed prudenter etiam ac solide prolata sunt, mea sunto.

OBSERVATIO III.

Dicta Patrum de B. Virgine; ex fide, & cohærenter ad Patrum mentem; ac proinde non hausta nisi ex fontibus, referenda.

INuitus effero quod sequitur. Aliqui vt Deiparam Patrum vocibus celebrent, quasi non satis apud eos suppeteret verorum & quidem insignium Beatæ Virginis titulorum, affingunt ementitos; siue quod apud Patres nullum sit eorum vestigium, siue quod distorta Patrum sententia, tituli aliò planè pertinentes adscribantur Deiparæ, tanquam ex Patrum mente. Poterã suppositiis hisce B. Virginis ornamentis, multas omnino paginas complere. Sed perparcum specimen exhibuisse contentus, cætera Lectoris diligentiæ ac iudicio permittam.

Est qui ex S. Irenæo l. 3. cap. 28. Damasceno in carmine de Annunc. & Hildephonso lib. de virginit. S. Mariæ, cap. 6. hoc Virginis elogiolum referat: *Lapis abscissus absque manibus*. Is si SS. hos Patres consuluisset, nec de riuis, sed de fonte hausisset, citra vllam ambiguitatem perspexisset, eum titulum apud prædictos Patres non in B. Virginem, sed in Christum ex ea absque virili opere progenitum cadere: nec apex est apud prædictos Patres, & alios quos Feuard. ad caput illud S. Irenæi iisdem adiungit, qui insinuet, B. Virginem dicendam esse *lapidem absque manibus abscissum*, quamuis eam esse montem, è quo lapis sic abscissus est, plerique dixerint, tributa Christo ea denominatione lapidis. *Te*, (inquit Andreas Cret. orat. 2. de Assump. alloquens Virginem,) *prophetans vir ille desideriorum, magnum vocauit montem, & lapidem sine manibus, viri ex te sumptum, non excisum; ablatum, non diuisum assumptione nostra humanitatis.* Similia ex aliis plerisque refert o l. 3. de Christo sect. 3. c. 11. & omnia in Christum cadunt. Alius tanquam ex Damasceno Orat. 1. de Natiuit. B. Virginis, refert illud B. Virginis nomen, *Miraculum, omnium miraculorum maximè nouum*. Sed si Damasceni locus adeatur, perspicuum erit, hæc verba ad Virginem nequaquam pertinere, sed ad Verbi Dei humanationem, quod verè miraculum miraculorum fuit, super quod continuerunt Reges os suum. Alius tanquam ex Chrysologo serm. 143. refert Virgineum dici *gratiam quæ dedit cælis gloriam, terris Deum, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam.* Consulto tamen Chrysologo, euanescit hic Virginis titulus.

Sed nihil me magis hac in parte admiratione perculit, quàm titulus Deiparæ, quem ex Hesychio Orat. 2. passim celebrant, & longis arduisque commentariis illustrant; eo quod non videatur planum, qua ratione Hesychius B. Virginem, *complementum Trinitatis* denominarit, vt ipsi quidem referunt. Quid enim in S. Trinitate incomplementum? Aonuat lector vt machinationes eximiorum ingeniorum, sed vocantium ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, perpaucis referam. Vir vndecunque doctissimus, & inter primæ notæ sacros interpretes iure numerandus, in c. 8. Prouerb. à num. 300. professus hunc Virginis titulum accuratè scrutari & enucleare, tres eius profert interpretationes, quibus binas ex aliis addemus.

Primam esse ait, quod eatenus B. Virgo compleuisse dicatur Trinitatem, quatenus in Virgine, maximè exeruerunt vim suam diuina attributa, quorum nullibi tanta energia & efficacitas prodiit, quanta in Virgine: quæ proinde sub ea ratione, est complementum, si minus ipsiusmet Trinitatis, (quæ causa est cur prædicto Auctori hæc prima expositio minùs quadrare videatur verbis elogij propositi) at saltem attributorum Trinitatis.

Secundam interpretationem necdum satis exhaurientem sensum Hesychij, dicit esse, quod cum Pater æternus Verbum generet, Pater autem & Verbum producant Spiritum sanctum, quæ communicationes sunt infinitæ ac perfectè complentes Patrem & Filium; solus Spiritus sanctus, vt infœcundus, sic incompletus manere visus esset, nisi se Beatæ Virgini, ea communicatione cuius fallem Apostolus Corinthiis 2. ad eos epistolæ c. 13. apprecabatur, mirabiliter infudisset; ostendens in ea quantum ipse valeret, vt egregiè dixit Beda; & quod maximè ad rem facturum videtur, producendo in ea Filium, cuius conceptione ex Spiritu sancto, propulsata ab eo quantum fieri poterat infœcunditatis nota, videri posset. Sic enim Spiritus sanctus, atque adeò Trinitas, (quia is solus incompletus perstabat,) complementum à Virgine accepisse dici potest. Sequitur hanc expositionem Scipio Agnellus l. 5. de Cruce interna B. V. disc. 3.

Interpretatio tertia, quæ omnium maximè Auctori prædicto arridet, tribuitque Hieronymo à Florentina, non sine sannis in huius corniculam Auendanium, ea est; quod Verbo, Patris æterni naturali filio, ex Incarnatione, atque adeò per Virginem, accreuerit noua filiatio naturalis respiciens totam Trinitatem, cuius Christus est Filius. Vel vt idem autor philosophari mauult, respiciens Patrem, vt terminum filiationis secundæ naturalis, & Spiritum sanctum vt nodum insolubilem, Patrem simul ac Filium in tempore colligantem. Hanc ergo sanctissimæ Trinitatis capacitatem, vt supra relationes æternas, hos temporarios respectus acciperet; compleuit Beatissima Virgo, cum Verbum diuinum ex ea est procreatum; indéque dici ab Hesychio potuit, *complementum Trinitatis*. Concludit Salazarius num. 305. obsignans interpretationem hanc tertiam. *Quid cum grauitate, quid cum subtilitate, quid cum Virginis gloria, & splendore magis conforme, & coniunctum, dici & excogitari potuit? Profectò nihil.*

Supra has tres interpretationes, additur ab aliis quarta; quod scilicet B. Virgo compleuerit Trinitatem, complendo Filium qui ante Incarnationem non erat perfectus; iuxta doctrinam Hippolyti contra Noëtum. Poterat enim assumere humanitatem, & in ea subsistere, quod est personam illam extensiuè perfici. Hoc autem præstitum non est, nisi cum Verbum ex B. Virgine est humanatum, quod proinde ab ea completum dicitur, pérque Verbum, Trinitas in illo vno suo supposito eatenus incompleto, accepit complementum.

Denique alij quintò iuxta Hesychium B. Virginem complementum Trinitatis dictam contendunt, quia cum Patre Filio & Spiritu sancto suam contribuit operam ad compingendum Christum. Tota quippe Trinitas, interuenit ad Christi formationem; Pater, Filium mittendo, Filius, terminando humanitatem, Spiritus sanctus Virgini obumbrando, & supplendo creari Patris officium. In ratione ergo principij, ad dandũ Christo esse

interuenien

interuenientis, B. Virgo compleuit Trinitatem, quæ non nisi interueniente materno ministerio, conferre Christo esse, decreuerat. Quod vnum voluisse Hesychium, inde patere videtur, quod ad monstrandum illud in Virgine Trinitatis complementum, hanc proferat dicti sui rationem: *quandoquidem & Spiritus Sanctus adueniebat, & Pater obumbrabat.* Quò refert verba Angeli Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, en Spiritum sanctum, *& virtus altissimi* (hanc Hesychius cum plerisque Doctoribus, intelligit Patrem) *obumbrabit tibi, & quod nascetur ex te, vocabitur Filius Dei*, en personam Filij: atque adeò Virgo, interuenit ad Incarnationem cum tota Trinitate, eamque compleuit ad tanti operis executionem.

Has ego sententiæ Hesychij interpretationes è grauitate, subtilitate, & conformitate cum exquisita Virginis gloria commendari, facilè andiam, si titulus ille B. Virginis, *Complementum Trinitatis*, non vt ab Hesychio, & ex eius mente prolatus, sed vt seorsim ab eius oratione spectatus, & aliunde Virgini attributus proferretur. Nam vt ex Hesychij oratione desumptus, non est ad rem, cum Hesychius eum non proferat vt Virginis titulum, sed omnia alia spectet. Periculum autem est, ne alleganti ad eam mentem Hesychium, occinat quis illud S. Hilarij lib. 1. de Trinitat. [Optimus Lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs, quàm imponat; retulerit magis quàm attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.]

Vt perspicuum fiat id iure in hac Hesychij obtorsione occini posse, profero integrum Hesychij locum, cui prætensus B. Virginis apud eum titulus, implantatur. Ait Hesychius, varios Patres, variis per honorificis titulis decorasse B. Virginem, & in his aliquos vocasse eam, [Arcam, arca Noë latiorem, longiorem, illustriorem.] Huius dicti hanc causam subiicit Hesychius. [Illa (*arca Noëtica*) erat animalium arca, hæc autem arca vitæ. Illa corruptibilium animalium, ista verò vitæ incorruptibilis. Illa ipsum Noë, hæc verò ipsius Noë factorem portauit. Illa duas & tres contignationes & mansiones habebat, hæc autem vniuersum Trinitatis complementum. quandoquidem, & Spiritus sanctus adueniebat, atque hospitabatur, & Pater obumbrabat, & filius vtero gestatus inhabitabat. Spiritus enim sanctus (ait Gabriel) superueniat in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideóque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.] Non plura in hanc rem Hesychius.

Ex quibus nemini in mentem venire possit, vt creat illum Virginis titulum, *Trinitatis complementum*; nisi voces illas à corpore orationis Hesychij auulsas legat. Ex textu enim perspicuè apparet, non esse hunc Hesychij sensum, *B. Virgo est complementum Trinitatis*; sed istum potius; *B. Virgo habet complementum Trinitatis.* Quærebat enim analogias Virginis cum arca Noë, de qua dixerat, *illa habet tres contignationes, & mansiones*, subditque de Virgine, *hæc autem vniuersum Trinitatis complementum*: supple, *habet*, hoc est totam eius plenitudinem, totam sanctissimam Trinitatem tribus constantem personis. Græcè; αὕτη δὲ ὅλον τῆς τριάδος τὸ πλήρωμα. Hoc verè à se dici, seu Virginem verè habuisse totam Trinitatem, quod multò illustrius est, quam habere tres contignationes, inde probat Hesychius, quod Pater in Virgine fuerit obumbrans, Spiritus sanctus superueniens, Filius gestatus vtero. Quid hæc, ad Virginem honestandam titulo *complementi Trinitatis*? Potuit quidem inde erui titulus, *habentis in se totam & completam Trinitatem*, vel *habentis complementum Trinitatis*, sumpta voce *complementum*, in casu accusandi. Sed quia aliud est habere, aliud esse, vt benè ait Tertull. l. contra Prax. cap. 10. inferre inde non licuit, eum titulum in casu nominandi, *complementum Trinitatis*, siue non licuit inde inferre, *B. Virgo est complementum Trinitatis.* Nisi si ex eo quod Petrus & Paulus sic comparentur. *Petro sunt liberi multi, Paulo autem vnicus*, inferre quis velit, dictum esse, Paulum esse filium vnicum. Si vox Græca πλήρωμα, expressa ab interprete fuisset per vocem *plenitudo*, vt aptius certè fuisset, præclusa esset tam multiplex optimorum ingeniorum negotiatio circa Hesychij mentem, & hunc Virginis titulum.

OBSERVATIO IV.

Quomodo temperanda quædam Dei, & Christi nomina à SS. Patribus beatæ Virgini attributa.

NOn paucos esse titulos ex iis quos ex Patribus in Nomenclatore retulimus, qui videantur proprij esse Deo aut Christo, lectori, vel oscitanti perspicuum fuerit. Eiusmodi est quod B. V. dicatur *Mater gratiæ, causa salutis, radix gloriæ.* An non hæc propria Deo, de Dauid disertissimè pronunciauit, *gratiam & gloriam dabit Dominus?* Illi verò tituli videntur esse Christo proprij, *spes nostra, reconciliatio nostra mediator noster.* Nam mediator vnus est Christus, teste Apostolo. Ipseque solus est propitiatio nostra, vt idem Apostolus frequentissimè iterat. In eum spem defigimus, iuxta illud tantò ante à Propheta prænunciatum, & de Christo expositum ab Apostolo, *qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.* Quomodò igitur hæ velut characteristicæ Christi notæ, & incommunicabilia nomina, transferuntur ad Deiparam; nec hoc à rudibus, sed ab ipsis Patribus, quibus frequentissimas esse prædictas, & similes B. Virginis appellationes, notum est ex Nomenclatore.

Ringuntur ad has voces Hæretici, Idololatriam meram hanc esse, & abiecto Christo, Deam recentem confingi, expostulant. Lutherus, vt solet Monachos libenter mordere, hanc ait esse Monasticum Gnatonismum perditissimum, ad demerendas mulieres. Vah scelus! Num sic faciebas filiabus Israël, & illæ aggaudentes loquebantur tibi? Melancthon in locum Christi successisse Mariam flebiliter deplorat. Caluinus virulentissimè, de more, & malignissimè, non de sacrilegio tantùm, quod Christus de solio deiicitur, & ad subsellium redigitur, sed etiam de atroci in ipsam Virginem iniuria, per hos titulos irrogata litem mouet. *Atrocem enim (inquit) iniuriam Mariæ faciunt, quando eam mentitis tam laudibus deformant. Deo eripiunt quod suum est.* Ex scriptis variorum sectariorum, multos huiusmodi grunnitus proferunt Canisius l. 5. Marial. cap. 11. & Iodocus Coccius t. 1. Thesauri lib. 3. art. 5. *initio.* Sed quid scripta scrutamur, cum speluæ & haræ istiusmodi Satanæ emissariorum nullis aliis frequentiùs resonent clamoribus, quam quos ementitus zelus in hanc (vt obtendunt) impietatem, & idolomaniam extorquet.

Cæterum veneratio quam Sanctissimi Patres his titulis Deiparæ exhibent, tantum abest ab impietate & idololatria, quàntum Sectarii à sana mente; falsum quippe; imo falsissimum est, mentem Patrum fuisse, Dei aut Christi iuribus quoquomodo derogare, eorum delatione titulorum; Æquè falsum ac explodendum est, B. Virginem ex Patrum sensu pro Dea haberi, aut supra puræ creaturæ gradum extolli, vel deformari mentitis laudibus Quin potiùs vniuersus honor huiusmodi titulis Beatæ Virgini per Patres exhibitus, in Deum denique ac Christum adhibeatur Sensus enim verè, est B. Virginem impetrando à Deo, aut ratione producti Christi atque adeò non nisi mediatè & per Christum, hoc aut illud posse, quod esset alioqui Deo aut Christo proprium, V. g. tituli illi, *fons gratiæ*, *causa salutis*, *radix gloriæ*, sunt prærogatiuæ Dei propriæ; si formaliter, & immediatè ac independenter ab alio accipiantur: & hoc modo non attribuuntur Virgini ab vllo patrum. Si tamen habeatur ratio impetrationis, qua beata Virgo exorat nobis gratiam, & salutem, ac gloriam, aut si attendatur, quod per Christum quem produxit, eadem cœlestia munera assequimur, rectè iis titulis insignitur; nimirùm mediatè atque causaliter remotè, quo pacto non sunt Deo proprij. Similiter Christus iure peculiari, & incommunicabili, dicitur propitiatio, & reconciliatio nostra; nempe per seipsum, & in sanguine suo. Hi ipsi tituli aptantur aliquando Virgini à Patribus, ad significandum eam mediatè ac per Christum quem edidit, esse nostram cum Deo reconciliationem, quod est reuera fontem illius boni immediatum, & proximum statuere Christum, eique totum decus quo Virgo honestatur adscribere, Virginem autem non nisi Christi radiis collucentem exhibere. Ex quo liquet, omnem erga Deum, ac Christum iniuriam, exulare ab hoc negotio, de quo accuratius tractando titulum Christi redemptoris. De nomine *Mediatricis*, in quo hæretici magnam vim faciunt, minor reuera est difficultas, quam de prædictis nominibus. Neque enim sensus est, B. Virginem esse mediatricem nostram, ponendo manum suam in ambobus, quod fecit Christus satisfaciendo Patri pro humano genere, mediator in eo genere singularissimus, sed sensus est, B. Virginem esse mediatricem ad ipsummet mediatorem, precando, & sua merita allegando pro nobis. In quam rem plura tractando titulum Christi mediatoris, vbi nihil Christi iuribus decedere ex attributo Virgini per aliquos Patres nomine *Mediatricis*, liquidò monstratur, post Canisium lib. 5. Marial. cap. 12. & Salazarium lib. de concept. cap. 21. Quinimò vt rectè dixit S. Hildefonsus serm. 3. de Assump. [B. Virginis honor, & gloria, laus, & gratiarum actio est redemptoris.] & de hoc nulli esse dubium, contestatur author sermonis de Assumpt. ad Paulam, & Eustochium t. 9. Hieron.

Apparebit longè iniquissimam esse hanc Sectariorum de aliquibus Dei & Christi nominibus ad B. Virginem in sensu inferiore accommodatis expostulationem, si animaduertamus, præiuisse nobis exemplo Spiritum sanctum, qui per scriptores Canonicos illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est: & Christi nomen, ad quoscunque Christi imitatione vitam exigentes, diffudit. Notauit hoc optimè S. Nazianzenus orat. 21. exornans Athanasium, iis ad eum accommodatis quæ de Christo dicta erant ab Apostolo. [quid autem (inquit) vobis hominem describere attinet, quem Paulus anteuertens depinxit, cum Pontificem illum magnum qui cœlos penetrauit, deprædicat? Huc enim vsque progredi non dubitabit oratio, Christum viuunt, pro Christis agnoscat.] Excusat (vt vides) Nazianzenus, suam illam (vt videri poterat,) audaciorem aptationem verborum Pauli de Christo, ad Athanasium, quod scriptura ipsa, voces Christo proprias nobiscum communicet absque scrupulo per aliquam accommodationem, cum supremo, & inabdicabili ad eas Christi iure cohærentem. Id si erga alios valere potest, multo sanè magis valere debet erga Deiparam, quæ propiùs Christum contingit, & ei quàm vicinissimè, carnis & morum necessitudine iungitur.

Ob quam etiam causam, non deest, qui loca pleraque Scripturæ, de Christo apertè enarrata in sensu secundario intento à Spiritu sancto ita vt tantum sensus accommodatitius ex arbitrio, & applicatione voluntaria Ecclesiæ, huiusmodi loca de Christo prolata, Virgini aptantis in præcipuis celebritatibus eiusdem Virginis; Vt quæ ex cap. 8. Prouerb. & ex cap. 24. Eccles. de æterna sapientia, seu de Christo dicta, B. Virgini tribuuntur in festis Conceptionis, & Natiuitatis eiusdem: aliisvè nonnullis. Ita Alc. a. in cap. 12. Apocal. vers. 1. notat. 2. Sed nobis ea sensus accommodatitij profligatio, & transformatio in literalem tametsi minus præcipuum, necessaria non est: videturque euerti exemplo applicationis verborum Christi de Magdalena, *Optimam partem elegit sibi Maria*, ad B. Virginem Nemini quippè persuadendum puto, vt sensum, qui prout accommodatitius, est optimus, prout autem verbis illis tali Christi orationi implicatis subiectus, est planè distortus, & extra rem, velit esse à Spiritu sancto intentum, plusquam vt accommodatitium.

OBSERVATIO V.

Quis vsus Nomenclatoris, & accruationis tam multorum immaculatæ Virginis nominum.

OMnino multiplex fructus, isque haud exiguus, ex hac tot nominum B. Virginis addensatione, haberi potest. In primis enim constare hinc potest, quæ & quanta sit B. Virgo. Iuxta illud S. Epiphanii hær. 78. Ex nominibus epithetis, etiam virtutis signa eluxerunt. Dignitates enim appellationum acceperunt iusti, vnicuique decenter, & prout congruum fuit. Et Abraham quidem impositum est epitheton *amicus Dei*, & non dissoluetur. Iacob vero vt *Israel* vocetur, & non alterabitur. Et Apostolis *Boanerges*, & non relinquetur: & sanctæ Mariæ vox *Virgo*, & permansit sancta.] Igitur simile æstimandum tunc erit quanta sit Beata Virgo. Quæ æstimatio dici vix potest, quam vberes fructus idoneo æstimatori possit aduehere. Nam iudicium ritè concretum de eminentissima matris Dei dignitate, & pretio supra omne pretium, tam eximij operis diuinæ dexteræ; non potest non habere adiunctos incensos affectus amoris, & fiduciæ erga tantam Virginem, quibus affectibus nihil est fructuosiùs in vita hominibus. At non apparet, vnde conuenientius, ac solidiùs efformari queat iudicium, quod dixi de B. Virgine, quam si sensa summorum in Dei Ecclesia ingenio-

rum

sum perspiciantur, cum enim tantos viros non mentis præstantia defecerit, non copiosa Spiritus sancti illustratio, non vllum ex naturalibus, aut supernaturalibus adminiculis quæ suppetere possunt ad ritè pronunciandum de re aliqua, vix quisquam erit adeò rudis vt ei tot insignium Patrum sensa in nomenclatore expressa non sint satis superque ad insigne, & luculentum de B. Virginis exquisitissima dignitate, summáque eminentia, præiudicium. Vnde continget, vt eam ipse quoque in animo suo efformet tantæ matris notionem, quæ illam deceat, sitque solidum fundamentum eorum quos præmisi, & aliorum vtilissimorum affectuum.

Vsus deinde nec modicus, Nomenclatoris esse potest ad laudandam priuatim, vel inuocandam B. Virginem. Non enim quorumcunque est, B. Virginem laudare, iudice Basilio Seleuciæ orat. 39. *init.* sed duntaxat hominum perspicacissimorum, quique corpore & animo syncerè expurgati, necnon eminentione quadam diuinæ gratiæ affatim illuminati, debitam Dei matri laudationem plenè concinnent.] Hos vbi melius reperias, quàm inter SS. Patres? Itaque nihil opportuniùs, quàm eorum verbis magnæ matri laudes pangere, quæ quod à laudatis viris sint profectæ, meritò magni fiant, nec laudantis vilitate obsolescant. Ac ne quis causetur, deesse sibi facultatem panegyricum concionandi ex titulis in Nomenclatore descriptis, facilè occurritur, non quæri ad hanc rem dicendi facultatem. Nam nemo adeò rudis est, si legendi saltem non sit imperitus, quin possit aliquot ex iis titulis affectu laudandi B. Virginem, eximiam ei Doxologiam pangere: Essetque factu optimum, varios titulos pro varietate literarum initialium, dispertiri in varias occasiones, aut in varios dies: v. g. prima die recitando titulos quorum initium est ab elemento A. Die altera, eos quorum initialis litera est elementum sequens. Quod de priuata laudatione dixi, æquè locum habet circa inuocationem. Nam commutato casu nominandi, quo tituli inserti sunt Nomenclatori, in casum vocandi, (quanquam vt plurimùm idem est vocis exitus pro vtroque casu;) constructa habebitur ex cuiusvis literarij elementi serie, insignis formula litanentica. eiusdem verò formulæ, siue laudandi, siue inuocandi animo adhibitæ, percommodus esse vsus potest, inter recitandum Rosarium B. Virginis, subiungendo cuilibet decadi, seriem titulorum vnius literæ, eo modo, quo Nauarrus Miscell. 33. de Orat. piè docet à se factum, subiectis post singulas decades benedictionibus, ad quas varios Cœlitum ordines aduocaret. Hymni certè plerique, & orationes Græcorum, vt in florilegio Butconis, & apud Cosmam Hierosolymitanum, ac Damascenum videre est, vix aliud sunt quàm series huiusmodi titulorum.

Quis verò vsus esse possit Nomenclatoris, ad collaudandam publicè B. Virginem, siue sacra concio de ea sit habenda, siue inter eruditos ac pios de tantæ matris laudibus declamandum, nihil attinet exponere. Neminem enim latere potest hæc opportunitas. In sacris literis nuda nomina, fateor, esse opulentissima, præclarè tradunt Eusebius 18. histor. capite 4. Petrus Chrysol. serm. 154. & fusè ac egregiè S. Chrysostomus hom. 31. in epistola ad Rom. Deueniens enim ad calcem illius epistolæ, vbi Apostolus catalogum dontaxat nominum contexit, cum ab aliquibus ea pars Paulinæ epistolæ minoris fieret, quod nudam seriem nominum contineret, grauiter è contrariò S. Chrysostomus, contestatur hanc esse indignissimam iniuriam, & socordiam. Est enim (inquit) & in nudis hisce nominibus magnum inuenire thesaurum.] Proportione ergò seruata, in vna, vel paucis vocibus, quibus constant singuli tituli à SS. Patribus tributi B. Virgini, magnæ mystici auri massæ latent; magnum est inuenire thesaurum, quo eruto ditescat Orator, & sanctè locupletetur auditor. Eo autem facilius esse poterit, citra sacri Oratoris laborem, diffundere orationem, aut concionem in expositionem alicuius tituli in Nomenclatore propositi, quod non contenti nudum titulum apponere, & partem signare à quo sit adhibitus, locum quoque vnde depromptus est, annotauimus, & plerumque non vnius, sed plurium SS. Patrum; apud quos non rarò in tituli illius virginei causas & adiuncta excurritur, quæ est Oratori sacro copiosa seges ad publicè agendum, ac disserendum.

Extremum locum dabo illi vtilitati Nomenclatoris quæ tametsi non tam multorum est, ideóq; postrema proponitur, est tamen verè luculenta. Plerisque placent sacræ commentationes, & meditationes de Deipara: quam in rem libelli extant permulti; magis minúsvè instructi, pro Autorum opulentia aut paupertate. Habent hic Pij, totidem lectissima meditationum sacrarum argumenta de B. Virgine, quot eius titulos continet Nomenclator. Argumenta verò non ieiuna, & succi vacua, sed reficiendæ dulcissimo pabulo animæ valdè accommodata. Nihil porrò faciliùs, iis qui non prorsus rudes fuerint piè commentandi, ac meditandi res sacras, quàm ex huiusmodi titulis meditationem contexere, considerando primùm absolutè, tum comparatiuè, naturam & decus tituli qui meditandus proponitur: vnde eximia perfectionum B. Virginis æstimatio concipiatur, non sine complacentia, & gaudio, quod Deus sanctissimam Virginem sic honestarit, & adhibita gratiarum actione Deo pro Virgine eam ob causam. Descendendum inde ad nos ipsos, quantum ab ea Virginis prærogatiua absimus, imò è contrariò quantis scateamus defectibus, & vitiis, cum illa Virginis prærogatiua pugnantibus, considerandum in conspectu Dei, ac beatæ Virginis non absque confusione, & gemitu. Clausula apponenda, excusso robusto rectè deinceps viuendi, & vitam consentaneè ad Virginis perfectionem exigendi, proposito: quod quia absque suppetiis cœlestibus abiret in fumum, per socordiam nostram, & instabilitate, apprecandus ex animo est cœlestis afflatus per Virginis merita, & eximium Dei in illam amorem. Dedi specimen absolutæ meditationis de singulis titulis Beatæ Virginis in Nomenclatore propositis, vt proinde liquere videatur, hoc quoque commodum, præter anteriora, posse è Nomenclatore reportari.

GLOSSA

GLOSSARIVM

AD

NOMENCLATOREM.

MELIVS cum intellectu nostro actum iri, si res ipsæ nobiscum non per voces vicarias colloquerentur, Euripidis apud Stobæum serm. 82. de ea vocum vicariarum exclusione votum docet, & difficultas frequens circa voces aditu rerum intercludentes, restatissimum facit. Eapropter non externi modo, sed etiam nostri, operam circa voces, necessariam plerunque duxerunt: Aristoteles vestibulum Metaphysicæ, (sic enim Commentator de lib. 5. primæ philosophiæ pronunciat,) vocum deinceps vsurpandarum enucleationi addixit. Quanti id sit, Ruffus Ephesius initio tractationis de partibus humani corporis, pulchrè expressit. E nostris recte Anastasio Sinaita cap. 3. *ὁδηγοῦ sub finem*, Clemens iam olim in eam rem incubuit. Idem postea præstitere Athanasius libello definitionum Theologicarum, S. Aug. in libris locutionum, Eucherius in formulis intelligentiæ spiritualis, & tanto post quoad Scholastici minutiloquij voces ac formulas, Scotus l. de definitionibus ac Gerso p. 4. l de eisdem definit. hoc est de notione vocum Theol. abstrusiorum. Quod ergo Nomenclator Marianus nonnulla B. Virginis nomina elucidationis indiga contineat, visum est hanc remoram Lectori minus perito amouere, obscurioribus quibusque nominibus initialium elementorum ordine digestis in breue Glossarium, quod tametsi exile ac tenue, spes inijcitur non vacaturum fructu studiosorum Deiparæ, eoque pretio operæ, quod Virgo ipsa quomodocunque in eius elucidationem incumbentibus ostentauit.

Absolutio multorum delinquentium.

QVare *multorum*, & non *omnium*? Simile dubium mouit Chrisostomus de Christo Domino, expendens illud Pauli de Christo, *mortuus est ad multorum exhaurienda peccata*. Quidquid verò sit de Christo, de quo id latè expensum est tractando causam finalem Incarnationis, & agendo de titulo Redemptoris; quoad Deiparam, distinguendus est duplex sensus quò dici potuit *delinquentium absolutio*. Id enim dici de ea potuit, vel immediatè, ratione scilicet Impetrationis qua iuuat peccatores: vel mediatè, seu quoniam protulit Christum, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. In primo sensu, rectè dictum est Beatam Virginem esse absolutionem multorum delinquentium, quia multis impetrat à Deo conuersionem à peccato. Vt Theophilo illa de quo sæpè veteres; nominatim Petrus Damiani Anselmus, Ecbertus, Richardus à Sancto Laurentio, & passim alii decorum Virginis tractatores. Hac ratione non est necesse; Beatam Virginem esse absolutionem omnium omninò delinquentium; quia nihil est quod euincat, veram esse sententiam quæ omnem omninò hominis lapsi gratiam à Beatæ Virginis impetratione dimanare statuit. In secundo autem sensu, quamuis omnes delinquentes qui absoluuntur per Deiparam absoluantur, (neque enim est aliud nobis nomen sub cœlo datum in quo oporteat nos saluos fieri, quàm nomen Christi à Deipara editi:) vere tamen dicitur, beatam Virginem esse multorum delinquentium absolutionem, quia *omnes* sunt *multi*, nec nouum est, vt in Scriptura; *multi* idem sint quod *omnes*. Quamquam autem reipsa omnes omnino delinquentes non absoluantur hoc modo per Deiparam; tamen per eos solos stat. Deipara autem contulit quantum satis, imo infinities plusquàm satis est, vt omnes absoluantur si velint sibi beneficium absolutione in promptu positum adhibere.

Acerra spiritualium aromatum, qua spirituale sacrificium, Christus, compositum è Deitate simul & humanitate, in igne diuinitatis viuifica ipsius, ac spiritualis carnis, boni odoris inconfusè, indiuisè, ostendit.

INterpolatio aliqua obscuritatem offundens, in verbis hunc titulum compingentibus cernitur. Debita collocatio, hæc esse videtur *Acerra spirit. aromatum, qua Christus ex diuinitate, & humanitate cōpositum sacrificiū spirituale boni odoris in igne diuinitatis & viuifica sua ac spiritualis carnis, inconfusè ac indiuisè ostendit*. Dicitur B. Virgo, *acerra* siue *thuribulum*, aut *altare thymiamatis*, quia Christus in hac ara, primum suffitum suaueolentissimum ad Deum submisit in puncto Incarnationis, eandemque fragrantiam per nonimestre indidem diffudit. Imponuntur huic acerræ spiritualia aromata. Sic enim de Patrum sententia, Christus Dominus, & extrema è quibus compingitur, virtutésque quarum grato odore & suauitate cœlum & terras respersit, denominantur. Insigniter in eam

rem

rem differit S. Dionisius cap. 4. Eccles. Hier. parte 3. Videndus item S. Ambrosius l. 3. de Virg. *sub medium*, & S. Bernardus ser. 1. in capite ieiunij. Huic fragrantiæ & odoratissimo suffitui excitando, sunt pro igne, diuinitas Christi & humanitas. Nam Deus ignis consumens est. Et Christus ipse secundùm humanitatem se ignem dixit ea sententiola quam ab Euangelistis prætermissam, vt à Christo profectam, recitat Origenes homil. 3. in Ierem. [qui iuxta me est, iuxta ignem est] Eam fragrantiam exhibet Christus, inconfusè, indiuisè; quæ duo à Patribus Nestorium & Eutychetem subsecutis, nectı solent, vt hinc Eutychiana naturarum confusio, inde Nestoriana personarum disiunctio eliminetur. Hoc incenso, putor omnis orbem à prima conditione inficiens, abactus est, & Deus tam grato odore inhalato, conciliatus mortalibus. Acerra huius fragrantiæ fuit Deipara, cui grata vice S. Gerardus in Hungaria Episcopus, perenne thymiama, fundatione perpetua instituit.

Adiutorium Altissimi.

HOc titulo B. Virginem decorat Hugo Card. in Psalm. 90. quia iuuat Christum ad saluandum genus humanum. Intelligi autem potest B. Virgo Christum ea in parte iuuare multipliciter, ac nominatim precando, & impetrando nobis opportuna ad salutis assecutionem subsidia, tam temporalia, quàm spiritualia, quod præstare cumulatissimè B. Virginem, monstrat accuratè Amed. Lausan. homil. 8. & subiectis exemplis omnis generis, Ioann. Bonifac. in histor. Virginalis toto lib. 3. & 4. ac Spinelus de Throno Dei c. 36. à n. 24. ad 46.

Verùm Hugo alia ratione adiutorium illud Christo à B. Virgine exhibitum interpretatur, assumens ex cap. 2. Geneseos, fœminam viro coniunctam dici ab ipso Deo *adiutorium viri*. Nam fœminæ structuram moliens Deus dixit: *Non est bonum hominem esse solum faciamus ei adiutorium simile sibi*. Vnde de latere non de talo formata est; vt intelligeretur, ex sua conditione, fœminam seruam viri non esse, nec ad seruitium datam esse, vt ait Tertullianus l. 2. contra Marc. c. 11. sed ad adiutorium, tam ad procreationem, & educationem liberorum, quæ est S. Ambrosij de eo adiutorio sententia, l. de Parad. c. 10.) quàm ad rei domesticæ procurationem; in quo Dei insignem prouidentiam obseruat S. Chrysostomus hom. 22. ex variis in Matth. Desperat tamen Anastasius Sinaita, definitionem illam fœminæ, *adiutorium simile sibi*, de carnali vxore posse comprobari. Quomodo enim viri adiutorium, quæ viro prima fuit exitio? Quæ virum bicorporem sua ad eum adiunctione facit, vt dixerit Antiphon. apud Stobæum serm. 68. atque adeò duplici onere & cura necessariò grauat? Ac proinde verba illa Dei Genes. 2. in Ecclesia Christi sponsa, vera reperiri confirmat Anastasius, dicens hanc esse verè Christi viri adiutorium, adstipulanteque S. Chrysostomo, qui illud Psaltis, *intende in adiutorium meum. Domine Deus salutis meæ*, de Christo accipit, Ecclesiam sponsam suam Patri commendante, & vt ei prospiciat, inque eam intendat deprecante. Verùm quia iuxta Honorium in Sigillo B. Mariæ ad illud Cant. 1. *osculetur me*, &c. [Cuncta quæ de Ecclesia scribuntur, de Maria etiam satis congruè leguntur.] Meritò eundem locum Genes. 2. de B. Maria accipiunt, præter Hugonem iam adductum, S. Bernardus serm. in illud, *signũ magnum*. & Rich. à S. Laur. l. 2. Nec in spiritu dedecet, eandem esse matrem ac sponsam. Est porro idem, hoc sensu vocare B. Virginem *adiutorium altissimi*, ac eam nominare *matrem Christianorum*, quod faciunt quos circa eum titulum proferimus, & optimè Chrysol. serm. 146. & qui inde nostram cum Christo fraternitatem colligit Goffridus Vindoc. serm. 7.

Æmulatrix prima Virginitatis, & integritatis.

GVilelmus parisus (à quo est hoc Virginis elogium) refert illud ad virginitatis votum, primò, & ante omnes seu mares, seu fœminas à B. Virgine emissum, quam proinde ait dictam ascendere de deserto virginitatis, id est, de virginitate tùc deserta, & exosa, nec te consilij vt nunc est, sed maledicti propter illud, *Maledictus qui non fecerit semen in Israël*; quod tamen non diuinum coniugalis commercij edictum, sed carnei populi sensum exhibebat. Eodem sensu Honor. Augustod. in Sigillo B. Mariæ c. 4. vocat B. Mariam *primum exemplum Virginitatis*. Et fœminarum quidem in lege veteri, nullam prorsus professam esse virginitatem, pro comperto habet Gulielmus, nec agnoscit, quod Maria soror Mosis, virgo vixerit, vt aliqui sunt imaginati: quia eius coniugium nullibi in Scriptura proditur. Ita Cornelius in c. 15. Exod. ad vers. 20. fauente aliquatenus Nysseno l. de S. virginit. c. 19. Sed contrarium habet Iosephus, nec pauci alij. Imò Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 152. eam putat dici Mosis sororem, quia erat vxor Aaronis. Huiusmodi enim cognatus non Hebræis modò, sed Gallis que audire *sorores*, ex vsu est. Nulla igitur fœminarum ante beatam Virginem, professa est sanctam virginitatem; quin potiùs filia Iephte, quod se virginem morituram agnosceret, eam sensu, & iudicio illius tunc gentis maledictionem expiare nisa est luctu trimestri, vt habetur iudic. 11. E viris autem aliqui, & ij quidem paucissimi, virginitatem seruasse referuntur, *sed iussam magis* (inquit Gulielmus) *quàm sponte oblatam*: quo refert illud Ieremiæ cap. 16. diuinitùs indictum. *Non accipies tibi vxorem, & non erunt tibi filij, & filiæ in loco isto.* Aliqui igitur inter mares olim virginitatem seruarunt, sed citra votum: & qui hoc decus Eliæ vendicant, nullum firmum prærogatiuæ illius fundamentum proferunt. Nam Scripturæ planè silent. Patres autem tantum abest vt annuant, vt potiùs assertio illa de voto virginitatis ab Elia edito disertè pugnet cum doctrina plurimorum Patrum, quos ingenti planè numero addensat Sherlogus Tomo 2. in Cant. vestigat. 20. sectione 2. numero 36. & aliis quos produximus tractantes coniugium tantum B. Virginis. Meritò itaque Deipara, *æmulatrix prima Virginitatis, & integritatis* est dicta.

Æternitas Virginitatis.

ABstractum pro concreto, id est, Virgo æterna Virgo perpetua, Virgo in æternum, Esse hunc sensum S. Isidori, cuius est hoc Virginis attributum patet ex filo discursus Confert enim B. Virginem cum Angelis quos ait, virgines creatos ac integros; sed integritate illa ac puritate excidisse in Lucifero, eiusque partiariis: At B. Virgo nunquam ruit, sed semper purissima & integerrima

gerrima mansit ac in æternum manebit. Sicut ergo Imperatorum vanitas eò quandoque progressa est, vt ad emphasim maiorem adhibita insolenti grandiloquentia, suam ad posteros in omne æuum propagandam memoriam exprimeret titulo *æternitatis*; de seipsis enim in eo sensu loquentes; aiebant, *nostra æternitas*; id est, *nos æterni futuri in recordatione posterorum*, quam fœlicitatem Dauid iusto verè prænunciabat eo versiculo: *In memoria æterna erit iustus*, ita B. Virgo voce abstracta ad emphasim, & reuerentiam maiorem, vsurpata pro voce concreta eidem respondente, dicta est virginitatis æternitas, id est, *Virgo æterna*, *Virgo in æternum semper Virgo*. A S. Augustino sermone 22. de tempore in sensu adducto, vocatur *Virgo æterna*.

Agna.

IN Græco S. Germani contextu, habetur ἁγνάς. Itaque non est locus notioni huius tituli à defœcatione, & puritate quam sonaret vox Græca ἁγνός. Ex quo S. Augustinus serm. 101. de diuers. cap. 6. collaudans S. Agnetem adductus est, vt diceret, *Agnem* idem esse quod *Agnam*, siue castam, ac puram, & quidem exquisitè vt notauit Cassianus l.6. instit. cap.4. agens de nomine vocis ἁγνός. Cum ergo vox Græca quam S. Germanus adhibuit, non admittat eam notionem tituli propositi, dicendum est B. Virginem dici ἀμνάδα, *Agnam*, quia peperit agnum Dei cuius vellere amicimur, vt præclarè dicit S. Epiphanius hær. 78. opponens Euam, & Mariam, quarum illa quia nuditatem probrosam induisset vestes sensibiles edocta est contexere. Maria verò Agnum Dei peperit, è cuius nobis vellere indumentum immortalitatis conficeret.

Potuit quoque S. Germanus, Græcè licet scribens, alludere ad modum loquendi Hebræorum in Scriptura receptissimum, quo filij *agni*, filiæ verò *agnæ* dicuntur. Hebræi quippè, gens rei pecuniariæ addictissima, liberos suos præ teneritudine donabant agnorum, & agnarum nomine. Vnde illud *Ecce Agnus Dei*. Et illud *Domine Deus Agnus Dei, Filius Patris*. Eum loquendi modum in Scripturis receptissimum exprimentes prisci Christiani, Agnorum specie pingi, vel effingi adamabant, quod nominatim referunt de sancto Cassio Narniensi, & eius quondam vxore Fausta, expressis ad imam Crucem, agnorum specie, in crypta sancti Iuuenalis. Protulimus in hanc rem complura in tractatione de cereo Agno capite 8. præsertim ex Clemente Alexandrino lib. 1. pædago. capite 5 & ex hymno ad Christum, quem Pastorem *Agnorum Regalium*, hoc est adoptiuorum Dei Patris infantium scitè nominat, diserièque admonet capite illo sacram Scripturam, pueros, & infantes, agnos nominare. Ad eum ergo Hebræorum in Scripturis receptum loquendi morem respiciens sanctus Germanus, beatam Virginem singulari modo filiam Dei, vt sanctus Dionysius Alexandrinus dixit ad Paulum Samosaten. filiam vitæ, *Agnam* nominare meritò potuit multò iustius quàm sanctus Ephrem in Magni Basilij laudatione eum appellauit, *Cerenam Agnum matricis vitæ*.

Ara lucis adyti.

ADytum est diuinitas. Quid enim Deitate abstrusius, aut sanctius? Lux sanctissimi illius adyti, nostris oculis præ summa caligine inaccessi, Christus fuit. Nam *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*. Discussit ergo nobis tenebras illas Sol Christus, qui de seipso propterea verissimè dixit. *Ego sum Lux mundi*. Huius lucis altare est B. Virgo. Nam Christi vita vniuersa, quoddam veluti sacrificium continuum fuit, cuius consummatio incombustionem, (holocaustum quippè erat) aræ crucis reseruabatur. Beatissima itaque mater Virgo; siue Christum vtero gestaret, siue pusioni in sinu suo, ac vlnis abblandiretur, erat quasi ara Christi. Sanè ob hanc etiam causam, præter cæteras, dicta est *altare thymiamatis*, quia suauëolentissima fragrantia Christi (quem sanctus Cyrillus l. ad Reginas & l.9 in Genesim *sub finem*, bonum odorem Patris vocat) ex ea prodijt. Nec est verisimile eam *lucem adyti*, φέγγος ἀδύτου, referri ad ignem in altari thymiamatis positum. Nam quamuis altare illud non esset in Sanctis Sanctorum, sed in ea templi parte quæ *Sanctum* dicebatur: tamen quod ea pars omnibus promiscuè non pateret, participare potuit nomen adyti, quod etiam ad vniuersum templum ex vsu satis vulgato diffundi potest.

Quid si verò quandoquidem Suidas v. πυρεῖον, Pyræum Persicum quo sacer ignis in adytis asseruabatur, interpretatur *Thymiaterium*, ad aliud thymiaterium alluditur? Fortassis inquam Auctor hymni Græcanici, è quo elogium Virginis de quo agimus, depromptum est, non lucem qualemcunque, sed ignem, voce φέγγος vtrumque notare aptè signare voluerit, alluseritque ad sacrum ritum Persicum, vt sæpè aliàs à Græcis fieri, est extra dubium. Persæ ergo ignem sacrum qui illis pro numine erat, intra adyta quædam altari impositum, adhibitis perpetuis fomentis, asseruabant quàm diligentissimè, nec nisi moriente Rege extingui sinebant, vt notat Diodorus lib. 17. agens de funus Hephestioni per Alexandrum Persico ritu decretis. Eum ignem quem Curtius lib. 4. ob perpetuam pabuli subministrationem *æternum* nominabat, Strabo l. 15. ἄσβεστον πῦρ, adytis contineri solitum monstrant illa Claudiani, de laud. Stilicon.

penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis.

Nec altare deerat, quandoquidem illa etiam sacri huius ignis exigua portio (vt loquitur Ammianus l.23.) quæ vt fausta Asiaticis, id est, Persicis Regibus præibat, in altari præferebatur. Vnde illa Darij summa, & grauissima ad milites obtestatio *per æternum ignem, qui præfertur altaribus*. Sunt apud Ecclesiasticos Scriptores, nonnulla huius Persici ritus testimonia, vt apud Socratem l. 7. histor. c. 8. cum de Marutha, & apud Theodoretum l. 5. histor. c. 38. narrando factum Audæ Episcopi, ac etiam apud Euagrium l.5. c. 14. vbi de Victoria, quam Cura Scyta, Dux Tiberij contra Chosroëm obtinuit, & denique apud Zonaram in Heraclio, quem Ioan. Tzetzes Chiliade 3.c.66. hæc Persarum sacraria, & ignem inibi in aris asseruatum, disiecisse, cum laude memorat. Igitur B. V. allusione facta ad hunc Persicum ritum Græcis notissimum, potuit dici *ara ignis* verè sacri, verè adyti, & imperuij, verè Dei in cuius cultu timendum non sit sannis

illis

illis, quas Max. Tyrius dissert. 38. in Persas ob ignis cultum intorquet. Huius ignis ara est B. Virgo, eum quippè ignem de paternæ fornacis adyto prenium nobis exhibuit.

Arca nunquam quiescens.

MOnstrans Ioannes Geometra adductus in Catena Græcorum ad c. 1. Lucæ versu 36. præcipuos quosque veteris instrumenti typos in Deiparam concurrere, nominat eam præter cætera; *Arcam nunquam quiescentem*, nec vllo modo exponit, vel innuit, an ad arcam Noëticam alludat, an ad arcam fœderis.

Vix puto allusisse ad arcam Noëticam. Nam tametsi ea quoque arca fuit typus Deiparæ vt videre est in nostro syllabo, & optimè apud Hesychium Oratione secunda. Et apud Sanctum Bernardum sermone de B. Maria qui pulchrè expendunt arcæ Noëticæ varias correspondentias cum Beata Virgine tamen ægrè apparet, quomodo Deipara dicatur arca nunquam quiescens per comparationem ad Arcam Noëticam. Nisi si quis dicat, Arcam Noëticam denique mense septimo requieuisse super montes Armeniæ vt dicitur capite octauo, Genes. Deiparam autem, quæ non secus ac illa arca, in diluuio mystico, aquarum multarum nobis est saluti, nunquam quiescere, quia diluuium nostrum, mysticum descriptum à Sancto Ambrosio libro de Noë & arca capite decimo quarto, perpetuum est. Semper enim quamdiu hic viuimus cum fluctibus passionum intemperatarum colluctamur. Itaque Deipara arca nostra nunquam quiescit, motum nostrum semper affectans, vt opituletur, & præstans ne vorticibus fœdè inuoluamur. Valeant ista quantum possunt.

Verisimilius est allusisse Geometram ad arcam fœderis, cuius multiplex motus diuino aliquo opere insignis, Scriptura annotatur, Ac primùm is quo in deserto ad motum nubis tabernaculo incubantis, arca quoque mouebatur vt habetur. num. 9. vbi etiam cap. 10. additur, Mosem ad arcæ eleuationem inclamare solitum, iisdem ea parte verbis, quibus postea Dauid Psal. 67 *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*; qui scilicet peculiari modo In arca erat, dirigens populum & responsa edens. Vnde arca cum Deo iungitur Psal. 131. vbi Salomon exportans arcam in templum à se exædificatum ait; *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Æbræa habent, *arca fortitudinis* vt etiam legimus 2. Paral. 6. significaturque eo titulo, strages per arcam illata inimicis Dei; vt mox attingam. Primus ergo ille arcæ motus, bellè quadrat in Deiparam, quæ nobis per huius vitæ desertum procedentibus, semper adest comes, hostes Dei ac nostros dissipans & potenter auertens; Quia verò in hoc deserto nunquam est ibidem hærendum, contra quàm sæpè vltra mensem in deserto faciebant filij Israël, & arca cum eis; (in nostro namque per desertum itinere, non progredi regredi est, & via abire, vt præclare disserit Diuus Augustinus Tractatu de Cantico nouo c. 4.) propterea arca nostra mystica nunquam quiescit.

Alius motus arcæ fœderis, describitur Iosue 6. vbi circum Hiericontem vrbem munitissimam, circumducta est arca per septiduum, & quidem die septima, non semel tantùm, vt per sex primos dies sed septies, donec cecidere muri, & vrbs excisa est ac euersa funditus in typum rebellium luminis, quos cum alia sacra vastant, vt pulchrè prosequitur Prosp. 2 p. operis de promiss. cap. 15. tum nominatim Deipara per arcam præsignata, iuxta Stephani Cantuariensis, adducti in allegoriis Filmanni ad cap. 15. exodi, vbi beatam Virginem cum arca fœderis confert [Hæc est arca quæ circumferebatur, & corruerunt muri Hiericho: quia populus in laude B. Virginis gloriatur & quandoque per eius exemplum, & prædicationem de ea; muri, id est peccatores corruunt & conuertuntur ad Dominum.]

Motus tertius arcæ fœderis, penes quem denominata est vt supra retuli *arca fortitudinis*, & ad quem præsertim respexisse videtur Geometra, is est, quo arca apud Philistæos capta, primùm à lapide adiutorij ad Azotios, tum de communi Satraparum Philistæorum consilio, ad reliquas Palæstinorum ciuitates, initio à Gethæis facto, est circumlata magno omnium damno: Nam vt dicitur 1. Reg. 5. quocunque circumduceretur arca, *fiebat manus Domini per singulas ciuitates, interfectionis magnæ nimis, & percutiebat viros vniuscuiusque vrbis, à paruo vsque ad maiorem, & computrescebat prominentes extales eorum.* Et rursus. *Fiebat pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei Viri quoque qui mortui non fuerant percutiebantur in secretiori parte natium, & ascendebat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in cælum.* Leuis haberi possit præ hac demolitione, vt Scriptura vocat, idest quasi euersione, & destructione fabricæ, vastitas agris illata, ebullientibus vndecunque muribus. En quam caro steterit Philistæis arcam circumtulisse, quandoquidem intra septem menses quibus arca apud eos circumlata est, tantam subiuere stragem, vt propè sint exterminati. Haud aliter se habet Deipara erga Dei, & Ecclesiæ hostes. Eius namque precibus potissimum ac meritis, agnoscit Ecclesia, debere se iam à cunabulis, truculentiorum hostium apud quos velut captiua degebat, immensas strages. Ipsa caput serpentis contriuit, & omnes eius propagines fæliciter succidit. Sola cunctas hæreses interemit in vniuerso mundo. Et per omnem Christianorum sæculorum decursum, iudicauit in nationibus Deo rebellibus, impleuit ruinas, conquassauit capita in terra multorum. Nec id ita præstitit superioribus temporibus, vt deinceps desierit luculentissima suæ apud Deum gratiæ atque potentiæ specimina edere, in Ecclesiæ bonum, & fidelium salutem. Id quod etiam nunc fæliciter persstat, & vsque ad mundi clausulam porrò præstabit. Meritò igitur audit, *arca nunquam quiescens*, quandoquidem arca fœderis ex quo relata est in requiem suam, & circumferri per hostiles aras desiit, cessauit quoque cladibus vexare inimicos populi Dei. At Maria Deipara, eam beneficentiam semper Ecclesiæ continuat, auertens mala in eius inimicos, & in Dei veritate sibi desponsa, disperdens illos. Vt proinde irrequietam se eis perpetuò præbeat: & talem per omne tempus, qualis per septimestre fuit Philistæis arca Dei, cum apud ipsos circumduceretur, & quiete careret.

ARCA SANCTIFIcationis.

DAuid Psalm. 131. post constructum, (vt in Spiritu præsciebat, templum Domino) inuitat eum, vt cum arca res Hebræorum sanctissimas continente, & per quam sacrosancta reddere solebat oracula, dignetur templum illud subire, & ibi requiescere, velut in domo stabili, qui illhuc vsque in tabernaculo velut templo ambulatorio (vt Philo appellat) peregrinando ac sedem sæpè mutando habitauerat. Hoc etiam Dauidis votum verbis illis expressum, *Surge Domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tuæ*. In sensu tamen mystico. quia arca fœderis typus erat Deiparæ, vt plenè tradit Mendosa 1. Reg. 4. ann. 11. & ei idem Locus accommodatur B. Virgini non modo ab Hugone Cardinali, ibi, sed etiam à Iuuenale Hierosolimitano apud Glicam 3. p. Annal. & ab aliis antiquis nominatimque à Gregorio Neocæsariensi serm. 1. de Annunc. qui eum Psaltis locum sic glossat [*Surge Domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tua*. Verè enim arca est sanctissima Virgo intrinsecùs, & extrinsecùs deaurata, qua vniuersum sanctificationis Thesaurum suscepit *surge Domine in requiem tuam*. Surge Dñe ex sinu Patris, & collapsum primi parentis genus erigas.] Expressit Gregorius Hesychius homilia secunda de Deipara qui in eum Psaltis locum sic disserit. [*Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tua*; Surge vnde è sinu Patris non vt à Patre separeris; [Hoc enim dicere, vel cogitare, nefas est;] sed vt dispensationem peragas vel quidpiam è cœlis ante sæcula & ante generationes tibi præfinitum. Surge vt lapsos erigas, vt claudicantes rectà incedere facias, vt possessionem tuam recipias, quæ ab hoste ad hoc vsque tempus, tyrannico modo occupatur, &c. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tua*, quæ est haud dubiè Virgo Deipara. si enim tu es gemma meritò illa est arca] Concinit Chrysippus Præsbiter homilia de Deip. qui tamen ad finem durtiusculè loquitur & vt molliatur sudiendus est. [*Surge* (inquit) *Domine in requiem tu & arca sanctificationis tua*. Arca enim verè regia, arca pretiosissima est Virgo Deipara, arca quæ excepit totius sanctificationis thesaurum. Arca non ea in qua erant animalium omnium genera, quemadmodum in arca Noë, quæ fluctuantis vniuersi mundi naufragium non capit: arca, non ea in qua erant tabulæ lapideæ, quemadmodùm in arca quæ per totum desertum, vnà cum Israële perambulabat: Sed arca cuius architectus, & incola, gubernator, & mercator, comes viæ, & dux erat opifex omnium creaturarum, quas in seipso vniuersas portat, sed à cunctis ipse non comprehenditur. *Surge Domine in requiem tuam*, tua enim requies (inquit) est Virgo, & eius venter sua requies, quia tibi cubile efficitur, & habitatio. *Surge Domine*. Nam nisi tu exurgas è sinu paterno, genus nostrum quondam lapsum, non resurget. *Surge Domine*, quia etiamsi exurgas, non separaberis à gloria paterna, & versans in terra, non relinques cœlos, & licet appareas in carne, non imminues potestatem quam habes ante secula. *Tu & arca sanctificationis tua*. Cum enim tu inde surrexeris, sigillabis arcam sanctificationis tuæ, Tuncque arca cum omnibus exurget à lapsu in quo vel illam constituit Euæ cognatio. Talia proclamabat, & exorabat illius gratia; quæ ex eo germinare debebat. Imò verò totius generis humani nomine.]

Quod ait Chrysippus, Deiparam exurrectuiam à lapsu quem per Euæ cognationem incurrit, Ioannes Picus interpres, habuit pro explorata contra nitorem conceptionis sententia. Itaque margini illinit hoc Antidotum. *Hæc dicta sunt ab autore ante immaculatam Virginis conceptionem Concilio Æcumenico definitam, indubitate tenendam*. Respexit ad Concilium Basileense, quod supponit esse validum, Sed hallucinatur. Nam defectu confirmationis pontificiæ fuit inualidum. Præterquam quod concilium illud, qualecunque non tradidit Conceptionem putam beatæ Virginis, esse indubitatè tenendam, sed piè duntaxat, ac probabiliter. Itaque non fuit Chrysippus insimulandus hæresis materialis, etiamsi censuisset beatam Virginem contraxisse peccatum originale. Reipsa tamen hoc non asserit. Lapsus enim in quem Euæ cognatio deiecit mortales, non fuit solum originis peccatum actu contractum: sed debitum quoque illud contrahendi, item mortalitas ac exclusio à cœlo, donec per Christum recluderetur, aliásque varias pœnalitates quibus obnoxij non fuissemus, si ad primos parentes non attinuissemus. Appendices enim quædam peccati, quod Adamus ab Eua coniuge implanatus admisit, in bestam quoque Virginem, (etiamsi peccato Originis ex priuilegio, ipsa non contaminatam) exciderunt ob cognationem cum Eua peccatrice Adami in culpam actualem, per esum pomi vetiti. A talibus ergo fructibus peccati magni, quorum nos omnes fecit participes necessitudo cum Adamo, liberata est beata Virgo per Christi redemptionem, & ideircò dicitur *à lapsu exurrexisse per Christum*, tametsi non exurrexerit à prolapsione in peccatum originis, quò prostrata non fuerat Deipara, ex singularissimo priuilegio.

Aurora.

QVi hoc titulo Deiparam insignuierunt signati ex parte in nomenclatore; præsertim Petrus Damiani, & creditus Bernardus, latissiméque Richardus à Sancto Laurentio libro 7. de Deipara *à pagina quadringentesima sexagesima-tertia*, vix aliud spectarunt: quàm ortum Christi Solis ex Beata Virgine. Sicut enim aurora antecedit solem, & eum veluti parit, sicque diuidit lucem à tenebris, noctem finiens & diei aliquod initium præbens: sic Beata Virgo Christum Iustitiæ Solem producens & pariens, lucem legis gratiæ à tenebris antiquæ legis & densa Ethnicismi caligine diuisit. Illustrat egregiè hunc peritam Deiparæ cum autore comparationem Vincentius Richardus in notis ac Commentarium Matthæi Cantacuseni in capite sexto, Canticorum ad versiculum nonum Petri Damiani sermone 40. orato est in hanc rem luculenta. Tractans enim illud Canticorum 6 *Quæ est ista quæ egreditur sicut aurora consurgens*, sic scribit. [Quàm

[Quàm elegans, & clara similitudo, & ex illius disciplinis descendens qui summum sapientiæ fontem in Canticis affluenter inclusit? In meridiano luminum primus ille Parens creatus est, factus ad imaginem, & similitudinem conditoris? Quid enim clarius, quàm creatum creanti non esse dissimilem? *Faciamus*, inquit, *hominem ad Imaginem & similitudinem nostram.* Imaginem dedit ei in æternitate, similitudinem in moribus, vt sit similis creatori, si non identitate, similitudine tamen. Sed ille tanti priuilegij dignitate reiecta, Apostatæ spiritui falsa promissione delinitus inhæsit, & se cum posteritate sua, perpetuæ morti destinauit, & tenebris. Ab illa hora tenebræ factæ sunt super terram vniuersam vsque ad Virginem: nec inuentus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet, sed mundo crescente concurrit, & tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem, humanum genus nocte terribili sepeliuit. Hæc est illa nox solitaria nec laude digna, de qua scriptum est: *Posuisti tenebras, & facta est nox. In ipsa pertransierunt omnes bestiæ Syluæ*; quia crudeles, & indomiti Spiritus, dimotis repagulis, humanum genus totis viribus obtriuerunt. Sed ista Virgine surrexit aurora, quia Maria veri præuia luminis, natiuitate sua mane clarissimum serenauit. Hæc est Stella matutina in medio nebulæ; quæ in cœli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. hæc aurora quam sequitur, imò de qua nascitur Sol iustitiæ, solius Solis claritati succumbens, Hæc est aurora quā ille non vidit, qui vidit omne sublime: & orat B. Iob, vt ei multa suppressione claudatur, dicens: *Non videat ortum surgentis Auroræ*. Tuus est dies, Domine, in quo Adam est conditus; tua est nox, in qua Adam à die est eiectus, tu fabricatus es auroram (id est, Virginem matrem) & solem, solem videlicet iustitiæ, qui de virginali thalamo consurrexit. Nam sicut aurora terminum noctis, diei principium adesse testatur, sic & Virgo noctem expulit sempiternam, & de die diem, de terra suæ virginitatis exortum, terris infudit.]

Ex hoc auroræ exortu, & lucis solaris appulsu vt minutiùs expendit Richardus à sancto Laurentio loco allegato, secuti sunt in orbe, effectus proportionales iis qui auræ corporeæ exortum consequuntur. Vnde sicut in aurora diffugiunt fures iuxta illud Iob 24. *Si subitò apparuerit aurora arbitrantur vmbram mortis*, sicut item in aurora, finitur somnus, & excutitur sopor, & homo ad operationem suam exit vsque ad vesperum, vt propterea Angelus Geneseos 31. missionem à Iacobo petierit, allegato aduentu auroræ: sic adueniente hac mystica aurora, soli iustitiæ præcurrente, bestiæ syluæ, & latrones generis humani, in sua latibula se condiderunt: & audita est vox dicentis; *Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abiiciamus ergo opera tenebrarum.* Hoc sensu titulum Virginis in quo versamur, accepere (vt dixi) nonnulli, putantque insinuatum nobis Iobi 3. vbi de nocte peccati maledicta & omnibus telis verborum à Iobo proscissa dicitur, *expectet lucem, & non videat, & ortum surgentis auroræ.* Ibi *lucem* intelligunt Christum, qui se mundi lucem dixit; *surgentem* verò *auroram* accipiunt Deiparam, quam nox peccati non contigit, ne surgentem quidem, id est in primo conceptionis momento.

Hanc expositionem tituli propositi, nō repudio tametsi non censeo hærendum in variis vocis *aurora* notationibus, quas ad eius illustrationem addensat, & minutatim comminuit Richardus à S. Laurentio loco allegato, dicens, beatam Virginem vocari auroram *ab aure* puritatis, charitatis, sapientiæ, vel *quasi auream horam*, quia adduxit ætatem auream, id est tempus gratiæ, vel *ab aura Spiritus sancti*, qua afflata est, nosque refrigeramur, aut *ab aure* per quam Christus Virgini illapsus est, & in eius vtero conceptus, aut quasi *auium horam*, quia earum aperit ora, sicut apparente Virgine, aues cœli & astra matutina, simul laudarunt, & iubilarunt ex Iob 38. hæc omnia Richardus in beatam Virginem cecidisse ostendit, indéque concludit, eam verè fuisse auroram, quam Deus vna cum Sole sit fabricatus, vt habet Dauid Ps. 73 Non inquam censeo, vt primus ille tituli propositi sensus teneatur, habendum esse in prædictis vocis *Aurora* notationibus, quæ vanæ ac friuolæ videntur quamuis quod iis notationibus, subiicitur rectè tribuatur B. Virgini seorsim à tali quacumque vocis etimologia.

Alius huius tituli sensus minus obuius adducitur à Galatino libro tertio de arcanis, cap. 17. ex Mose Hardasan in Genesim, quem refert locum illum Psalmi 109. *ex vtero ante Luciferum genui te*, legisse hoc modo, Hebræum textum, *de matrice aurora, tibi ros natiuitatis tuæ.* Messias ibi, nec incongruè, *ros* appellatur, cum ob descensus similitudinem, ros enim clam è supernis defluit, verno tempore, quæ fuere adiuncta descensus Christi. Tum ob efficacitatem non absimilem roris, & Christi. Nam ros terram fœcundat, & inebriat, facitque germinare, fouens, & benignè reficiens, quod diuturna intemperies malè habuerat. Vt propterea Constantinopolitanam illam quæ duci Venetiarum nupserat fouendo corpori nimium quantum addictam, curasse sibi balneum de rore cœli, scribat Pet. Dam. opusc. 50. c. 11. quia (vt dixi) ros benignè souet ac reficit quæ perfundit, quæ omnia æquè præstat Christus: constat etiam, rorem substantiæ esse altipetæ, ob tenuitatem, & leuitatem, vt propterea ferant, ouum rore plenum, si ad solem applicetur imæ lanceæ, subuehendum esse sursum ad summam vsque lanceam, cum primum ros fuerit concalefactus à Sole: similiterque Christus, & animas ad cœlum euehit, & corporibus resurrectionem conferret, quia *ros lucis, ros eius*, vt est apud Isaiam, qui idcircò subdit gratulans, victurus electos, rediuiuos inquam electos veram vitam acturos, terram autem Gigantum, impiorum scil. corpora quibus per Christi merita obueniet resurrectio, detrahendam esse in ruinam æternam: quippè conflagrabunt eiusmodi miserorum stigmaticorum corpora: Alia veterum Rabbinorum loca quibus Christus *ros* dictus est, adducit supra Galatinus. Illustris præ cæteris est locus Oseæ c. 14. *Ero sicut ros: Israel germinabit sicut lilium*, vbi *Israel* iuxta illos Doctores, & Rich. à S. Laur. lib. 7. *pag.* 463. significat B. Mariam quæ excepto cœlico Verbi rore germinauit inaratum, & incultum humana opera lilium conuallium: Quia ergo ros per auroram decidit, estque aurora veluti mater roris, præsertim veris tempore, vt Meteorologici declarant: Merito B. Virgo quæ Christum rorem viuificum orbi affudit, auroræ nomen est sortita, potéstque etiam huc aptari quod Alman Lyricus, rorem aëris, & Lunæ filium dixit apud Macrobium 7. Satur. *in fine*. Nam aër Anastas. Sinait. est imago Dei:

Theophili Raynaudi Marialia.

Luna vero passim Beatæ Virgini confertur comparationem descensus Christi cum descensua roris illius, quem manna vocabant, egregiè exequitur Rupertus libro primo in Matth.

Huius Virginei tituli interpretationem, quatenus Psalmo 109. nixam quærere videtur, primo noua expositio lucis ex eo Psalmo 109. quam fusè persequitur Petrus Pichius libro primo de partu Virginis capite octauo. Ibi supposito, de ipsorum quoque veterum Rabbinorum sententia, Psalmo 109. sermonem de Christo haberi, addit exortum Christi de Virgine, expressum esse verbis illis, quæ ex Hebræo verti diximus, *de matrice aurora*, siue *à vulua aurora, tibi ros natiuitatis tuæ*. Quorum verborum hanc exhibet ecphrasim Natiuitas tua ô Christe, rori cadenti assimilata, veluti auroræ erit, & in auroræ similitudinem exorieris. Quomodo enim ortus auroræ splendidus est, & absque tenebris ac maculis; sic & tua natiuitas erit pura & splendida, & ab vtero purissimo, & splendidissimo exorieris. Quid enim splendidius, quàm matrem fieri, & manere impollutam, vtroque intactam. Quid splendidius & gloriosius, quàm fundere prolem nitentissimam absque virginei septi diffractione? Hic sensus præpositorum psaltis Verborum, inde ab Autore prædicto astruitur, quod sicut ad designandam violentam mortem, dicere ea vsu est, *iste mortuus est morte Abelis*, id est morte violenta illata innoxia, quali morte defunctus est Abel; Ita ad designandam purissimam natiuitatem, (cuiusmodi certè fuit Christi natiuitas,) rectè videatur dici, eum esse natum natiuitate auroræ, quali videlicet nascitur aurora; hoc est natiuitate splendida, pura, & luminosa. Vnde idem locus sic legi potest, *à vulua luminosa*, id est lucente, ac puta, *tibi ros natiuitatis tuæ*. Hac ratione aurora de qua Psalm 109. agitur non est Beata Virgo. Atque ita titulus Deiparæ propositus, quatenus nixus psalmo 109. planè euertitur. Quamuis autem parùm referat eum Virginis titulum quatenus vno certo loco Psaltis nixum concidere, & satis superque esse debeat, quod alia eius idonea fundamenta suppetant, qualia præmisimus: Tamen interpretatio hæc proposita, non videtur solida, quia in ea non assignatur *matrix*, seu *vulua aurorà* contraposita natiuitati, eiusque principium: quare tamen insinuat particulæ *de*, & *à* in illis verbis *de matrice aurora*, & *à vulua aurora*. Itaque retineo antiquum illorum verborum sensum quia auroram natiuitatis Christi principium statuit & Beatam Virginem apertè præfert.

Opponi secundo loco potest eundem locum ex Psalmo 109. cui hæc Virginis cum aurora roris patente comparatio inædificatur, aliter, apud aliquos ex Hebræo verti, hoc nimirum modo; *ante auroram* vel vt maluit S. Hieronymus, *ex aurora tibi ros adolescentiæ tuæ* quæ vox aptius cadere videtur in illam aliam Christi generationem, de qua Sancti Spiritus Actorum primo, eum Psaltis locum exposuit, nempe resurrectionem ex mortuis in qua Christus se prodidit adolescentem secundum, vt sapiens, interprete S. Ambrosio libro de Institut. Virginis cap 12.) Christum rediuiuum appellant. Apparuitque in rore adolescentię iuxta Hebraicam phrasim idem sonantem quod apud nos, cum quem dicimus esse in flore ætatis Verùm ibi Genebrardus eam lectionem *tibi ros adolescentiæ tuæ*, demonstrat recidere in vulgatam lect. *ex vtero ante luciferum genui te*: hæc verò non discrepat quo ad sensum, ab illa alia electione, *ex matrice aurora tibi ros natiuitatis tuæ*, cui sensus omnis de quo agimus inædificatur; Qui proinde saluus manet non obstante ea lectionum textus primigenij varietate, quoad corticem verborum. Deinde nihil vetat duos sensus literales eidem literæ implantari. Ac proinde ea adolescentia ex matrice auroræ, & de resurrectione Christi, & de prima natiuitate ex Virgine æquè potest accipi. Christus enim etiam cum ex vtero matris prodiit, non minus potuit denominari adolescens, quàm denominatus sit vir, iam ex ipso vtero, vt factum est à Hieremia cum de B. virgine Christum suis visceribus conclusum gestante dixit *fœmina circumdabit virum*, Nimirum plenus rationis vsus, quo iam tunc potiebatur Christus, fundamentum idoneum præbuit, illum iam tunc, & *virum* & *adolescentem* denominandi.

Autor reformationis intelligibilis.

Reformatur, quod priorem formam quam abiecerat postliminio recuperat. Nec sermo est de forma nisi accidentaria, quæ eadem est cum pulchritudine, vt Ioannes Nider. lib. 2. de Reformat. religios. cap. 1. post Vlricum de Argentina & alios disserit. Hæc enim est forma ad quam fit regressus, & quæ subiecto perstante eodem, abit & reuenit. Ea forma, in nobis est imago, ac similitudo Dei quam peccando exuêres, suscipimus formam belluinam, vt disserunt Nyssenus orat. 1. de homin. procreat. *sub finem*: S. Chrisostomus homil. 12. & 23. in Genes. Rich. Victor. l. 3. de erudit. inter homin. c. 2. & multi quos profero in Mar. dist. 4. à num. 398. & dist. 3. nu. 108. & 109. Est etiam similitudo Christi, cuius imaginis conformes, prædestinati sunt electi omnes iuxta Apostolum Rom. 8. eámque formam accipiunt quotquot Baptismo initiantur; ita vt deinde Christo nomina euadant in *Christos*, vt Nazianzenus dixit orat. 21. Galatas autem qui ea forma exciderant per recessum à fide, Apostolus noua sibi parturitione refindendos, donec in eis Christus formaretur pronunciauit ad Galat. 4. Hinc liquet cur B. Virgo dicatur *autor reformationis intelligibilis* Nam & vniuersaliter omnes, adepti per eam fuimus reformationem internam, edito nobis ab ea Christo, qui factus est omnibus reparatio & restitutio in integrum; & singulatim, magnæ parti eorum, qui ad cor redeunt, & internam pulchritudinem seu gratiam recuperant, B. Virgo suffragatione & interuentione sua, autor est pœnitentiæ verę qua forma illa interna renouatur in nobis, vt propterea B. Virgo dicta legatur *Ianua pœnitentiæ*, & *refugium peccatorum*, in quam rem plenè Rich à S. Laur. lib. 4. & alibi: & pulchrè varia adhibens Honor. Augustod. in sigilo B. Mariæ ad cap. 2. Cantic.

Beneplacitum Dei erga mortales.

Vox *beneplaciti*, ex vsu Scripturæ, quandoque sonat *reconciliationem* quandoque benignam & fauentem voluntatem. Sic enim S. Hieronymus Psal. 68. illud Dauidis, *tempus beneplaciti Deus* interpretatur tempus reconciliationis, secutus Symmachum, qui vertit καιρὸς διαλλαγῆς. Alij verò ad illud Psal. 105. *memento nostri Domine beneplacita populi tui*, beneplacitum exponunt fauorem, & amicam voluntatem.

Igitur B. Virgo, denominatur beneplacitum Dei erga homines, eodem modo quo alias ob editū

ex

ex ea Christum, deoominatur propitiatio, & reconciliatio mundi, nempè causaliter remotè, quia genoit eum à quo tanta bona obuenerunt mortalibus. Et potest etiam denominari *Beneplacitum*, eo modo quo Christus ipse eo loco Psalm. 105. iuxta plerosque interpretes nominatur *beneplacitum populi Dei*, auidissimè expetentis tantum ergà se Dei fauorem. Quo etiam sensu Ephes. 1. dicitur Deum posuisse in Christo beneplacitum suum, eam inquam εὐδοκίαν, booam, & optimam voluntatem, qua Deus prosecutus est ab æterno genus humanum. Illos enim bonæ voluntatis obiectum, est Christus Dominus, quem quia per B. Virginem habuimus, ideò ipsa quoque mediatè, & causaliter, siue vt via ad illud primarium Dei erga nos beneplacitum, eandem beneplaciti denominationem sortitur.

Et potest etiam attendi reconciliatio, & fauentia, quas B.V. absque ordine ad productionem Christi exorat mortalibus, per suas preces, & imgens diuinorum beneficiorum imbres, quos in genus nostrum intercessione sua deuocat, impetrando eam bonam Dei in nos voluntatem. Nam eo quoque ex capite potest denominari *beneplacitum Dei erga nos*.

Quo fortassis respexit Spiritus S. Virg. denominans beneplacitum, Cantic. 6. vbi nos legimus, *Pulchra es amica mea suauis*. quod plerique omnes Deiparæ accommodant, 70. legunt εὐδοκία, id est *beneplacitum*, & sensum esse volunt B.V. dici pulchram, vt beneplacitum, & rem acceptissimam, cuius amor, in omnia, cum ea vtcunque nexa, atque adeò in omnes mortales facilè refundatur.

Cathedra Cherubica.

ID est, *propitiatorium*. Nam quia Cherubim erant super arcam, & inter vtrimque locata, Deus sedere censebatur, inde se propitium præbere mortalibus, iuxta illud *qui sedes super Cherubim*, propterea Beata Virgo dicta est *Cathedra Cherubica*, quia est verum propitiatorium, vtrimque vallatum duorum Testamentorum Cherubinis, (plenitudine inquam antiquæ & nouæ scientiæ,) in quo Deus sedit corporaliter. Itaque non est sensus, B. Virginem esse Cherubim, in quo Deus vt in throno sederet, quod dixerunt qui formas Cherubinorum arcæ superpositorum, fecere geminas, virilem vnam quæ Christum, alteram fœminam, quæ B. Virginem referret. Ita Arias Montanus in Apparatu, & Bosius libro 9. de signis c. 6. num. 5. hoc commentitium est, meritòque improbatur à Thyr. S.I. de apparitionibus visibilib. capite 5. & à Villalpando in cap. 41. Ezech. libro 4. capite 45. Eo igitur commentitio *Cathedra Cherubica* sensu explosa, idcirco beata Virgo dicitur *Cathedra Cherubica*, quia luculentus eius typus fuit, illa Deisedes, quam vtrimque cingebant Cherubim. Est enimverò Thronus gratiæ Dei, ad quem accedentes propitiationem referunt, in tempore opportuno.

Charta magna, folium sanctimoniæ non scriptum.

CHarta magna, Epithetum est Deiparæ apud Sanctos, Epiphanium, Basilium, & alios, & depromptum ex cap. 8. Esaiæ vbi in editione volgata Propheta iubetur accipere *librum grandem*, *Theophili Raynaudi Marialia.*

& scribere in eo stylo hominis. Græca eo loco habent, *Tomum magnum nouum*. Singulæ voces scatent mysteriis.

Primam vocem, quæ ex vsu recepto sonat *volumen* nec exiguum, interpres antiquus Epiphanij, *frustum* vertit cortici vocabuli τόμος intentus. Non possum autem meliorem vocum illarum glossam, & accommodationem ad Deiparam proferre, quam si locum ipsum S. Epiphanij hic adscripsero ex hæresi 30. [Christi natiuitas, (inquit,) secundùm naturam quidem ex muliere Virgine Maria inchoationem habuit : præter naturam verò refecta est à consequentia secundum humanitatem. Velut etiam Iacob de se ipso dicit, *ex germine fili mi, prodiisti*. Et non dixit, *ex semine prodiisti*. Et hac de causa dicit S. Esaias Propheta, imò potiùs Dominus ipsi dicit, *Accipe tibi frustum Chartæ*, speciem consuetudinis significans, in qua omnia scribuntur filij hominum. velut etiam in 138. Psalm. dicit, *in librum tuum omnes scribentur, formabuntur, & nemo in ipsis*. Libro enim, assimilauit vterum.] Et paulò post. [Cæterùm per *librum*, *& frustum* vterus significatur. Et non dixit, *sume tibi ipsi Chartam*, sed *frustum* ob proprietatem, præter hominum consuetudinem, *Charta*, propter aptitudinem vteri, ad hoc vt inscribatur : *noua*, propter nouitatem Virginis, & impollutam integritatem : *Magna*, Magna enim reuera est, Maria S. Virgo, coram Domino, & hominibus. Quomodo enim non dicerimus hanc magnam, quæ incomprehensibilem concepit, quem cœlum, & terra capere non potest? Ipse autem cum incomprehensibilis sit, secundum proprium propositum ac voluntatem, volens comprehensus est, & non necessariò, nec coactus. Quapropter magnum est frustum, & nouum; Magnum propter miraculum, nouum : quia Virgo. *Et scribe* (inquit) *in ipsum stylo hominis*. Et non dixit, *scribe in ipsum quis stylo hominis* : Neque dixit, *scribes in ipsum homo*: vt ne prætextum reperiret Ebion. Si enim dixisset, *scribes in ipsum homo* : habuisset quod diceret, homo Ioseph seminauit, & ea semine viri genitus est Christus. Verùm Esaias ante 755. plus vel minus annos dixit, *scribe*, vt à tempore interualli, omnis veritas conspiciatur, quod nemo potuit ante 55. annos, seminare eum qui gigni deberet. Non igitur frustra dicit Propheta, *scribe?* Non, sed vt ostenderet Spiritum S. qui erat in Propheta, ipsum effectorem fieri conceptionis aduentus Christi in carnem, in veritate.] Addit, idcircò Prophetam statim subiunxisse accessisse ad Prophetissam, quam ait esse B. Virginem, Reliqua de hoc *libro*, *& calamo* quo inscriptus est, plenè lib. 2. de Christo sect. 5. c. 2.

Intelligitur hinc quoque, cur S. Germ. orat. de nat. B. V. eam appellet *folium sanctimoniæ non scriptum*. Scriptura enim illa, vt ex Epiphanio audisti, ad generationem humanam per virilem operam pertinet, quæ prorsus exulauit à Christi conceptione. Et idcirco sub alia metaphora, dicitur lapidis excisio sine manibus. Quod hic per exclusionem Scripturæ (nempè humanæ) dicitur; alibi eodem sensu vocibus aliis traditur, per exclusionem lectionis, cum B. Virgo, dicitur *liber signatus*, quem Ioseph nesciens literas, legere non potuerit; sic enim locum Prophetæ accipiunt Greg. Neocæs. & alij annotati capite illo 2.

Si tamen hoc Virginis epithetum seorsim à loco Esaiæ ad quem allusum est à prædictis Patribus spectare placeat, optimè dici posset eam non esse

humana manu ſcriptam, ſed à Deo, eodem ſenſu quo S. Dionyſius dictus eſt *Theocharaktos*, id eſt, inſcriptus non ab homine ſed à Deo, ſcilicet Deus docuit ſcientiam, ita vt fuerit verè *Theodidaktos*, quales per ſingularem fauorem præter S. Dyoniſium, nonnulli, ſed ſupra omnes Virgo ſanctiſſima, cuius intellectus adeò cœleſtibus luminibus eſt colluſtratus, vt nulla pura creatura ad eius illuſtrationes pertigerit.

Collectrix malè conſonantium, coniunctrix iam olim diſiunctorum.

HOc quod à Sancto Germano habemus Virginis decus, videtur referri primò poſſe ad reſtitutam Deum inter & homines, itemque homines inter ac Angelos, pacem. Virgo ſiquidem, per Chriſtum quem produxit, fœderauit omnia iſta iam olim diſiuncta, eademque malè conſonantia adunauit. Æquè poſſet ſecundò, decus hoc Virginis referri ad ſolutam legis maceriam, & gentes quæ priùs ab Hebræis diſſidebant, in vnum ouile, & vnum populum ſub vno paſtore congregatas. Præſtitit hæc omnia, Virgo per Chriſtum: & carenus, vt mediatrix & pacatrix, ita conciliatrix & collectrix diſiunctorum, & malè conſonantium audire potuit.

Germanus tamen ſenſus, eſſe potiùs videtur, vt Virgo dicatur collegiſſe malè conſonantia, & coniunxiſſe diſiuncta, quia in Incarnatione cuius ipſa ex parte artifex & officina fuit, coaluerunt quæ priùs diſiunctiſſima & diſſonantiſſima erant. Quid enim tempori & æternitati ante Chriſtum? Quid immenſitati & finitati? Quid opulentiæ inexhauſtibili, & egeſtati ſupra quàm dici poteſt attenuatæ? Omnia iſta nexuit Beata Virgo per Incarnationem, in qua nouitates inuſitatæ ſunt deprehenſæ. [Ibi, (ait Sanctus Bernardus homilia 2. ſuper *miſſus eſt*) agnoſcitur longitudo breuis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plena. Ibi agnoſcitur lux non lucens, Verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens. Videas ſi attendas, potentiam regi, ſapientiam inſtrui, virtutem ſuſtentari, Deum denique lactantem.] Egregio rythmo hæc & alia pugnantia, per inauditam à ſeculis ſizygiam conſociata in Incarnatione, per Virginem, expreſſit priſcus verſificator apud Richardum à S. Laurentio lib. 4. de Deipara *pag.* 147. quæ retulimus & aliis aliundè corrogatis locupletauimus libro primo de Chriſto S. Ioan. cap. 1.

Hæc collectio malè conſonantium, & iam olim diſiunctorum coniunctio facta per Virginem, à S. Germano propoſita, non latuit Apoſtolum, interprete Gregorio Niſſeno hom. 8. in Cant. Tractans enim illud ſponſæ dictum *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*, quod 70. dicunt *ekardiosas*, quaſi dicerent *cor animaſti*: ipſe Nyſſenus è contrario leg. *cordificaſti*, id eſt ſenſum & ſapientiam indidiſti, cuius ſymbolum eſt cor; vnde vir ſapiens dictus *cordatus*, & olim bullæ cordis ſpecie datæ pueris excedentibus ex ephebis, vt puerilitatem dediſcerent, & ſapientiam deinceps præferrent. Sponſa igitur ſacra, id eſt Eccleſia, ſicut abripuit cor cœleſtis militiæ, defigens eam ſtupore præ admirabilibus quæ illi exhibuit; ita cordificauit & ſapientia nouare placuit eandem. Hoc Nyſſenus ab Apoſtolo traditum obſeruat Eph. 3. vbi de ſe ait, *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo qui omnia creauit; vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſeculorum quam fecit in Chriſto IESV Domino noſtro.* [Reuera (inquit Nyſſenus) per Eccleſiam, portatur ad ſupra mundanas poteſtates varia & multiplex Dei ſapientia, quæ per contrarietates efficit magnas & admirabiles. Quomodo enim facta fuit vita per mortem, & per peccatum iuſtitia, & per maledictionem benedictio, & per ignominiam gloria, & virtus per imbecillitatem? Nam in prioribus temporibus ſolam ſimplicem & vniformem Dei ſapientiam nouerant ſupermundanæ poteſtates, congruenter ſuæ naturæ facientem miracula: nec in iis quæ cernebantur, erat quicquam varium in eo quod cum eſſet virtus ac poteſtas, natura diuina liberè omnem faceret creaturam, ſolo motu impulſu voluntatis; & rerum naturam deducens ad generationem, omnia faceret valdè pulchra, manantia ea fonte pulchritudinis. Varium autem hoc ac multiplex genus ſapientiæ, quod conſtat ex connexione cum contrariis, nunc apertè oſtenſum eſt per Eccleſiam. Nempè quemadmodum ſuo liquore, ſuiſque vlbicibus noſtra ſanauit vulnera; quemadmodùm imbecillitate crucis, vires expugnat aduerſarij; quemadmodùm in carne manifeſtatur id quod non cadit ſub aſpectum; quemadmodùm redimit captiuos, cum ipſe ſit qui emit, & ſit ipſe pretium; ſeipſum enim dedit pro nobis morti, pretium redemptionis: quemadmodùm & eſt in morte & à vita non recedit; quemadmodùm & miſcetur ſeruituti, & manet in regno. Nam cum hæc omnia & quæ ſunt huiuſmodi, cum ſint varia & multiplicia, per Eccleſiam didiciſſent amici ſponſi, cordificati ſunt, vt qui alium diuinæ ſapientiæ characterem animaduerterint in myſterio.] Hactenus Nyſſenus de multiformi Dei ſapientia prodita Incarnatione. In qua multiformitate cernitur illa diſſonantium collectio, & diſiunctorum coniunctio quam in Deipara celebrabat S. Germanus. Deipara quippè, per Chriſtum qui edidit, omnia illa adunauit.

Columba.

INſigniri *columbæ* nomine Deiparam in Canticis Canticorum, & ſæpè alibi, iuxta variorum Patrum interpretationem, tam notum eſt, quàm quod notiſſimum. Eius nomenclaturæ ratio iuxta pleroſque, è columbæ proprietatibus ducitur, quam in hanc rem accuratè expendit Philippus Abbas libro 6. in Cant. c. 8. Eadem ferè ſed multo breuiùs his verbis tradit Rupertus libro 3. in Cantica. [Columba ſine felle eſt, deinde nihil viuum comedit, pullos alienos nutrit, grana ſemper candidiora colligit, in petris nidificat, gemitum pro cantu habet, libenter iuxta fluenta reſidet, vt venientem accipitrem ex vmbra præcognitum, effugiat perniciter. Tu maximè ô miſericordiæ mater, ſine felle: nihil enim vnquam habuiſti iracundiæ, nihil odij quod familiare eſt rapacibus coruis. Nihil viuum columba comedit, & tu longè ab illis es, de quibus ſcriptum eſt, *qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis*. Pullos alienos Columba nutrit, & nos qui vocamur alieni ſecundùm carnem à genere tuo, ecce viuimus tuis meritis. Grana candidiora Columba colligit, & tu conferens in corde tuo teſtimonia de ſcripturis, creditum tibi conſeruabas ſecretum Dei. Columba in petris nidificat, & tu in ſolitudine fidei permanens, cauiſti

ſerpen

ſerpentis antiqui venena. Columbæ gemitum pro cantu habet,& tibi gemere dulce fuit, eo quod præ cunctis mortalibus mente vulnerata eſſes. Columba iuxta fluenta reſidet, tibi autem vel tuo pectori omne fluentum ſcripturarum, quàm contiguum eſt? Nunquam aduentus ſpiritualis accipitris tibi eſſe improuiſus, aut te conſequi, imo nec tibi appropinquare potuit.] Hæc piè & verè dici non inficior.

Profundior tamen & Virginis dignitati conuenientior nuncupationis prædictæ ratio inde petenda videtur, quod columba in ſacris literis ſymbolum ſit fidei coniugalis, & fœcunditatis perfectæ, cum ſummo nitore coniunctæ. Quin etiam externi quoque, pudicitiam columbæ,& ignota ei adulteria celebrant, vt apud Plinium videre eſt libro 10.cap.34. Ipſi Poëtæ, Cypriæ, Deorum coniugiis præfectæ, currum à columbis tractum, ſunt commenti. Eſt ergò columba, apud externos quoque, ſed maximè in ſacris literis, coniugalis amicitiæ, cum ſummo nitore ac fide coniunctæ, ſymbolum. Eam itaque maximè ob cauſam, Christus, Beatam Virginē ſponſam ſuam deſcribens, appellat nomine columbæ; *vna eſt* (inquit) *columba mea, perfecta mea.* Nam ſexaginta quidem ſunt Reginæ, & multò plures concubinæ, adoleſcentularum autem non eſt numerus; ſed primaria ſponſa & omnibus longo interuallo antepoſita, vna eſt Maria, cui & perfecta integritas virginalis, & inaudita conſociatione fœcunditas diuino munere obtigit. Peperit quippè intemerata & inuiolata Solem Iuſtitiæ, fuitque in ea comprobatum, quod fabuloſè de matre Augusti iactatum eſt; viſam ſcilicet coniugi, cum Augustum pareret, ſolem fundere, vt ſcribit Conſtantinus Manaſſes numero ſeptuageſimo ſecundo. Meritò proinde Chriſtiani veteres, diem nati è Virgine Christi, *ſolem nouum* nominabant, vt conſtat ex S. Auguſtino ſer. 61. de diuerſ. cap. 5. & ex S. Leone ſer. 5. de Natiu. *ſub finem*, ac ex S. Ambroſio ſer. de Natiu. *initio*, vt qua die veteres Ethnici feſtum noui ſolis celebrabant (vt docemur ex iiſdem Patribus) ipſi exortum ex Virgine lumen rectis corde, religioſè venerarentur. Eò huc ſpectat Romanus ritus, quo Pontifex quotannis ea nocte qua Christi natiuitatis memoria, feſta recurrit, priuſquàm ſacrificium incruentum celebret, multis ſacris ceremoniis adhibitis, conſecrat enſem aurea vagina, capuloque & baltheo aureo eximium, cuius mucroni imponitur galerus ex holoſerico molli ianthino conſutus & murium inalpinorum, vel muſtelarum cauuiis attextis clarus, faſcia aurea, & lectiſſimarum margaritarum adiectione diues? In eo galero, candida columba, & ſol cœlata viſuntur; quorum ſymbolorum priore, Spiritum ſanctum, altero Deum omnium conditorem exprimi, cenſet Aldrouandus libro 15. Ornithol cap 1. *ferè in fine.* Aptiùs tamen, & ad illius noctis myſterium congruentiùs dici poſſe videtur, ſignificari ea columba, ſponſam Spiritus ſancti Deiparam, ea nocte ſolem Christum edidiſſe: à quo myſterio gladius quem Christus venit in terram mittere, nequaquam abhorreret. Non eſt hic gladius columbæ, à facie cuius fugiendum mandabat Ieremias cap. 46. Babylonios ſignans, quorum Regina, Semiramis, vt eſt apud Diodorum Siculum lib. 3. cap. 3. *columba* nomine nuncupata eſt; vnde in Babyloniorum veſtillis columba, quo nomine mulier ſupra ſexum pugnaciſſima, & impotiſſima, pacique ſemper infeſta, minùs congruè donata eſt, quàm Beata Virgo, quæ paciferæ columbæ Noeticæ typo eſt denuntiata, vt Clyctouæus ſer. 3. de Purificat. obſeruauit. Deipara igitur fœcunda ſimul & Virgo, nomine *columba*, quæ perfecti ac puri amoris coniugalis ſymbolum eſt, conuenienter expreſſa.

Indidem verò eximius candor & nitor, omniſque illiuuie liberrimus Virginis decor, iure colligitur. Eſt amor munditiæ & puritatis, veluti natiuus columbæ: vt propterea, aquam vnde bibere & ſe lauare poſſint, mundam & puram eſſe oportere, admoneat Varro libro 3, cap. 7. ſunt enim (inquit) permundæ hæ volucres. Itaque belliſſimè conuenit cum ſummo Virginis nitore, & titulo ſponſæ Dei, nomen *columba*. Quia enim ſponſam Dei cum dixerit, immundam vel cogitare ſuſtineat? Et nomen quidem Hebræum *columba*, à radice impurum quid & graueolens ferente deductum eſt, quia indidem deriuatur vnde cœnum & lutum, vt Sancius in c. 2. Cant. n. 58. ratiocinatur. Ipſum tamen *columba* nomen, nihil niſi purum & illime præfert. Quod in rem noſtram perbellè cadit. Nam Beata Virgo, quamuis de cœnoſa & fœda radice parentum generis noſtri procreata, nihil tamen continet niſi ſanctum & purum; ita vt etiam ipſum eius primordium initium, fuerit nitentiſſimum & omni prorſus labe carens, quod Galatinus libro 7. de arcan. cap. 5. expreſſum putat eo Spiritus ſancti oraculo Cant. 2. *Columba mea in foraminibus petræ.* Nam *petram* ad principium generationis pertinere, patet ex Iſaiæ 55. vbi Hebræi iubentur attendere ad petram vnde exciſi erant; id eſt ad ſuæ generationis principium. In ipſis ergò petræ foraminibus, inque ipſo primo ortus ad vitam principio, puritas Virginis commendatur.

Columna.

EAm ignis & nubis columnam quæ populo ad terram promiſſam præuia fuit, B. Virginis imaginem fuiſſe, agnoſcunt varij de quibus V. *columna* & V. *nubes* dicei. Videſis hoc ſecundo loco Gloſſarium. Nunc ſola figura, & ratio columnæ conſideranda eſt.

Ac primùm vt expendit S. Cyrillus l. 3. de ador. columna maximam partem extat; Nec enim columna, niſi ima & minima ſui parte terram contingit, ac ferè vniuerſa ſurſum fertur: & quidem recta, abſque anfractibus. Hanc ob cauſam S. Gregorius 17. mor c. 14. columnas in Scriptura dici ubſeruat, eos qui in Dei opere recta intentione firmantur. & ita accipit illud Iobi *columnæ cœli contremiſcant.* Necnon illud Apocal. 3. *qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.* Hæc de B. Virgine, multo iuſtiùs quàm de vllo Sanctorum dici poſſunt, ac debent. Vix enim ima ſui parte, (ortu inquam & vita corporea,) terram contingens, ſurſum tota ferebatur; nec obliquè, ſed rectà, & ea cum firmitate quam nulla vnquam ſucceſſio commotione agitaret. Quo referri poteſt, quod *columna* apud veteres, ſymbolum ſemper fuit firmitatis mutabilitatem transgreſſæ, & æternitatem ac diuinam ſtabilitatem redolentis. Sic apud Clementem Alexandrinum 1. Strom. c. 13. priuſquàm mortalium vanitas ſimulachra excogitaſſet, non niſi columnæ Diis ſtatuebantur. Nominatimque Apollinis Delphici ſtatua, non niſi columna erat. Nec abhorrebat ab ea mente, quod Pythagoræi referente Origene l. 2. contra Celſum, columnam ponebant iis qui à philoſophia defeciſſent: poſitamque eſſe Hipparcho ob euulgata philoſophica arcana, ſcribit Clemen. Strom 5. ſignificabat ea columnæ erectio, ho-

minem desiisse in vinis esse, & morte functum, vltra mutabilitatis terminos esse transgressum, & aggregatum ad populum sempiternum. Itaque illud factum, tametsi ea Pythagoræorum mente probrosum, & cuiusdam quasi excommunicationis res esset, (vt dico in Tract. de Monitor. p. 2. c. 7. n. 6. tamen inadæquatè spectatum; hoc est, prout mortem, & consequentia ad eam, immutabilitatis & æternitatis attributa significabat; non est alienum ab expressione immutabilitatis & æternitatis: quibus dotibus B. Virgo circa bonum honestum egregiè colluxit; propterea que rectè capessa est *columna* appellatione. Nec ipsa tantùm in seipsa immotabilis & recta fuit, & quadantenus circa bonum honestum æterna; sed etiam aliis eandem firmitatem interpellata exorauit. Illustrissimum præter cætera in eam rem est, exemplum Andreæ Chij Trapezuntij, qui anno 1465. Turcicæ immanitatis pharetram per octiduum solidum discruciatus exhausit; eo vno cordis munimento adhibito, Virgo Maria Adiuua me. Et fortassis hoc præsertim nomine B. Virgo *columna* appellationem retulit, quemadmodum apud Græcos donata est *columna* nomine epistola S. Leonis de mysterio Incarnationis, quòd ei omnes firmiter inhærere par esset circa illud mysterium, nec circumferri alio vllo vento doctrinæ.

Commilito, adiutrix insuperabilis.

EXorauerat insignem victoriam Manuel Comnenus. Et vt grati erga Deiparam animi specimen ederet, voluit Deiparæ quam secum militasse & vicisse persuasum habebat, honorem victoriæ comparatæ rependi, iussa triumphare eius imagine, vt scribit Nicetas Choniates libro quinto, de rebus Manuel. numero tertio. Id quod etiam in euentu consimili factum fuisse à Calo Ioanne Comneno qui longè ante regnauit, scribit Baronius anno 1123. Ioannem Zemiscem Imperatorem, trecenta triginta millia barbarorum deleuisse, & loco suo imaginem Deiparæ triumphare voluisse, ex Curopalate prodit idem Baronius anno 971. Narsetem Deipara opitulante subegisse Gothos, scribit Euagrius l. 4. c. 23. Idque est quod B. Virgo denominatur *Commilito, adiutrix insuperabilis*, Sanè sicut Deus bellare & vincere in Martyribus dicitur, vt fusè prosequor in Opere de Martyr. p. 2. c. 3. num. 21. quia videlicet subministrabat vires quibus pugnarent & victoriam de Satana eiusque ministris assequerentur: ita B. Virgo exorans præliantibus subsidia quibus hostes visibiles expugnentur, & nobilis de eis obtineatur victoria, dici potest commilitare pugnantibus, & esse eorum adiutrix insuperabilis. Talem experti sunt præter prædictos quos idcirco triumphum illi decreuisse diximus, benè multi quovis propè Christiano seculo. Hymnus Acathistus (de quo obseruat. 2.) huiusmodi victorijs iam olim auspice Deipara obtentis astipulatur. Nec non victoria omninò insignis Pelagij de Saracenis anno 718. descripta à Roderico l. 4. histor. Hisp. c. 2. & alia per Alphonsum Regem parta, de qua idem Roder. l. 8. cap. 10. & magnam partem referenda sunt ad auxilium in bellis præstitum, quæ de honore ab Imperatoribus & Regibus ac Principibus Deiparæ impenso libauit vndecomque Ferreolus Locrius l. 1. Mariæ Augustæ c. 30. & 31. Et quæ toto l. 2. de regnis, prouincijs & oppidis, Deiparæ addictis recenset. Adunauit ea quoque Federicus Fornerus in dedicatione operis cuius titulus est, *Palma triumphalis miraculorum Ecclesiæ* inscripti Ferdinando. 2.

Quod subiicio recentioris est memoriæ. Agoussij in Insula Paro, Virginis imago asseruatur in primaria Græci ritus Ecclesia, quam miraculo illhuc per fluctus aduectam tempore Iconomachorum, habet antiquissima traditio. Eam in littore exceptam, Dux qui Insulæ per id tempus præerat, in arcem vrbi imminentem asportandam curauit, honorificè in sacello ad id exædificando collocandam. Sed irritus fuit conatus. Nam semel, iterum, ac tertio Angelicis manibus inde asportata est in eam ipsam ædem sacram in qua etiamnum religiosissimè colitur, & quotidianis omnium propè ciuium officiis frequentatur, crebris clara miraculis, & incorrupta, quamuis ligneus imaginis peribolus iam tertium tabefactus & mutatus fuerit. Vt verò alia eximia Deiparæ opera ad hanc imaginem perfecta taceam, ante annos circiter 25. Halli Bascha exercituum Turcicorum Generalis Præfectus, succensens Cycladum incolis, quod ad iniqua iussa morosos se præbuissent, primùm Insulam Syram Pariæ finitimam immensa clade sternit, Episcopum de infelici trabe suspendit cum primarijs quibusdam ciuibus, reliquos damnat ad scalmorum. Omnia cædibus & incendiis deformauit. Ad eius aduentantis rabiem Parij exterriti, magnis eiulatibus publicè priuatimque piam matrem interpellant. Nec frustra. Nam cum iam triremes essent ob oculos vrbi excidium illaturæ plebs vniuersa horrendo, sed pio ad Deiparam mugitu inclamante audita est Θεοτόκε παναγία φυλάξειμας. *Deipara tota sancta protege nos.* Ad eas voces subitò excitata tempestas valida, classem deiecit & procul ab Insula ablegauit, attonito supra modum Tyranno qui digitum Dei hîc esse ingenuè professus est. Sic Deipara commilito adiutrix insuperabilis erga clientes suos apparuit. Hæc omni fide perlata literis Nostri Iacobi Andegauensis, strenui in ea insula rei Christianæ curatoris deflorare placuit ad tituli propositi illustrationem.

Quod si spiritualium cum Satana præliorum, rationem habere placeat, suppetet vnde B. Virginem *commilitionem adiutricem insuperabilem*, dicamus omnino ad veritatem. Nam quod certius fortiúsque infra Christum, contra Satanam præsidium, protestatione B Mariæ? Meritò sanè S. Cyrillus homil. 6. contra Nestorium in Ephesino Concilio habita, inter cætera decora quibus B. Virginem honestat, ait per eam fugari Dæmones. Et certissimum est multisquè exemplis comprobatissimum, insignem esse aduersus truculentos hos hostes B. Virginis aduocationem atque tutelam. Multa in eam rem dabit Delrio lib. 6. Mag. c. 2. sect. 3. q. 3. *remedio sexto*. Sed illostre præter cætera est, quod habetur in Actis S. Ricardi Cistrensis Episcopi, qui sub mortem, cum acerrima est hominis & Satanæ dimicatio, quia agitur vtrimque de summa rerum, B. Virginem certaminis sui secundùm Christum præsidem delegit, corde simul & ore ad eam versus, mandansque Sacerdotibus qui morienti aderant, vt identidem ei suggererent & in aures insusurrarent verba illa rythmi Ecclesiastici, quibus compugnationem Deiparæ aduersùs Satanam mos est apprecari. *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ tu nos ab hoste protege & hora mortis suscipe.* Est apud Petrum Cluniacensem l. 1. mirac. c. 9. luculentum exemplum Carthusiani conuersi, viri omnino pij cui B. Virgo in forti cum Satana certamine

mirabi

mirabiliter affulc. Nimirùm inimicitiæ sunt à Deo positæ inter serpentem & mulierem cui dedit Deus caput serpentis conterere, quod de B. Virgine Satanam calcante, pulcherrimè accepi. Prudenter astipulantibus passim Patribus sicut ergo serpens in hora mortis, virus suum in hominem maximè exerit, ita mulier serpentis calcatrix, tunc maximè opportunam fauentiam suam exhibere non omittit.

Concha Margaritifera.

HVius tituli Deiparæ explicatio fusè proposita est li. 3. de Christo sect. 3. cap. 4. ex variis Patribus, quorum aliqui Christum margaritam pretiosissimam, intra concham Virgineam, formatam censent, adiunctione astrapæ siue fulgetræ cum oculis pinnæ biantis in mari rubro, & testas habentis apertas ad captandum nutrimentum. Ingressa enim in pinnam patentem astrapæ, coagulatur cum pinnæ oculis, eósque fulgore illustrat, & commutat in margaritas, quæ ex pinna egresse, procidunt ad maris rubri littua, vbi à piscatoribus colliguntur; vnde à S. Hieronymo in epist ad Demetriadem, margaritæ, dicuntur *rubri maris profunda testari*. Et in Epistola ad Principiam, vocantur *rubri maris grana*. Martialis *Erythræos lapillos, & gemmas Erythrais erutas vadis* nominat. Legesis Curacium co. nbseru. cap. 18. Comparationem concepti in Virgine verbi Dei cum margarita sic formata, latè prosequitur Athanas. Classe 3. q.q. ad Antiochum in 19. Sunt qui addant Christum componendum esse cum margarita; intra concham ex fulgetra & latice purpureo procreata. Ita S. Ephrem tractatu de margarita pretiosa.

In hac doctrina, non est exquirenda veritas narrationis de margaritæ productione ex oculis cum fulgetra coagulatis. Frequens enim est, vt Patres vulgatis narrationibus etiamsi falsis vtantur ad exponenda mysteria, consentaneè ad captum vulgi, vt constat de Phœnice, & Pelicano, de quibus Patres inter explicandum resurrectionem & mortem Christi, ea suppositione communi, aliqua referunt iuxta vulgi exstimationem; nihil morati veritatem narrationum popularium Est tamen hæc comparatio provt proposita est, minùs congruens mysterio, cum Christus non exciderit ex Deiparæ oculis. Aptius S. Basilius serm. de lib. arbitrio, describens Magdalenæ pœnitentiam, & fluentes ex oculis eius lachrymas, eam comparationem adhibuit sic exclamans [O pretiosas illas lacrymas, instar margaritarum de beatis illius oculis defluentes.] Pulchrè enim & appositè dolor Magdalenæ, ex diuina luce & fulguratione conceptus, diffluens per oculos, margaritis ad modum prædictum, iuxta plebeium errorem formatis componi potuit: Non item Christus in Virgine conceptus, cuius formatio non fuit in oculis Deiparæ. Si tamen ob alia analogiæ capita quæ Athanasius proposuit, placeat eam comparationem retinere, dicendum erit, eatenus Christum margaritam, videri excidisse ex oculis Deiparæ, quia Christus expetitus ab ea, & multis ad Deum profusis lacrymis in salutem pereuntis humani generis exoratus, videri potest filius lachrymarum eius.

Commodiùs rem explicat ratio alia exponendi conceptum margaritæ intra concham, ex fulgetra & purporeo liquore. Sed quia hæc est confusio & permistio indebita concharum, (alia enim est concha margaritifera, alia est qua color purpureus quæritur de qua Cassiodorus 1. var. epistola 1. & Plinius libro 9. à cap 36.) persequamur potiùs illam aliam ab eodem Plinio traditam margaritarum effectionem, ait enim lib nono cap. 36 conchas vbi genitalis anni stimulauerit hora, pandentes sese quadam oscitatione, impleri roscido conceptu, grauidas postea eniti, & partum earum esse margaritas. Similiter enim Beata Virgo, superueniente in eam Spiritu Sancto concepit; & quamuis nulla de cœlo sit suppeditata materia ad Christi compactionem, tamen analogia cum rore in concham delapso, sumenda est penes actiuitatem roris; Est enim ros viuificum quid, & idcircò vis suscitans corpora, apud Isaiam, confertur cum rore; vbi dicitur, *ros lucis, ros tuus*. Psalmo item 109. vbi vulgata editio habet, *ex vtero ante luciferum genui te*, Hebraizantes vertunt, *ex aurora tibi ros adolescentia tua*, (vt dixi cum de Virgine collata cum aurora. Et constat eum locum iuxta varias interpretationes, ad Christi ex Virgine conceptum, aut resurrectionem ex sepulchro pertinere, cui vtrique generationi illustrandæ, vis roris viuifica, est accommodata. Et accedit exclusio commistionis conchæ cum vllo compare, sicut Virgo absque viri opera concepit.

Omnium optima ratio, componendi Virginem cum concha margaritifera, est quæ nititur veræ productioni margaritarum, quas verior sententia latè ab Anselmo Brod, Rondeletio, Aldrouando de Testacei, & aliis discussa, & iam olim tradita ab Androsthene apud Athenæum lib 3. fert, procreari intra ostreum, seu concham, non secus ac grandinem in suibus; ita vt quod Tertullianus libro de habitu muliebri cap. 6. tradit, concha margaritas intrinsecùs postulet, nullo de foris immisso principio. Similiter ergo Beata Virgo, exclusa quacumque patris creati efficacitate, produxit Christum de sua substantia sola.

Existimauit Erasmus hanc fuisse S. Hieronymi mentem Epist. 22. vbi incidens in illud Esaiæ 11. *Egredietur virga de radice Iesse*, ait; [Virga mater est Domini, simplex, pura, syncera, nullo extrinsecùs germine cohærente, & ad similitudinem, Dei vnione fœcunda.] Erasmus censet legendum, *ad conchæ similitudinem vnione fœcunda*, idest Christo qui velut vnio innatus sit conchæ margaritiferæ. Reclamare tamen omnia exemplaria admonet ibi Marianus Victorius. Itaque sensus S. Hieronymi non spectat ad hunc locum. Vult enim significare, B. Virginem nullo mortalis viri interuentu concepisse de Spiritu Sancto, ad similitudinem mulierum concipientium de viro. Ea enim Dei cum ipsa coniunctio excluso mortali viro, fecit vt Deus dicatur ipsi obumbrasse, eamque sua vnione fœcundasse.

Concilium Verbi.

SIc lego apud S. Hildefonsum sermone tertio de Assumptione Deiparæ, vbi alij legunt *consilium Verbi*, quod postea ægrè extricant. Quis enim consiliarius Verbi fuit? Nec difficultatem tollit, quod ait incedens in hunc Sancti Hildefonsi locum Scipio Agnellus Episcopus Casalensis libro primo de cruce interna Deiparæ discursu 2. Ita quippe Hildefonsum exponit, vt sensus sit, Beatam Virginem interfuisse & consiliariæ munus obiisse in temporali consilio de Incarnatione eiúsque effectibus quamuis non in consilio æterno. Secernit enim duo hæc consilia, circa Incarnationem & effectus eius habita; Primum ab æternó quo Sanctissima Trinitas

nitas de orbe redimendo deliberauit: cuius magni consilij & concepti in eo decreti Angelus, Christus fuit, vt est apud Isaiam c. 9. iuxta 70. vel vt vulgata habet Christus qua Verbum fuit consiliarius in eo consilio: consiliarius inquam, non qualiscumque, sed admirabilis, ita enim eum appellat Isaias. Alterum consilium quod in tempore initum est, statuit prædictus autor, consilium matris, quatenus B.V ab ineunte Christi vita, Christum animauit & confortauit, ad redemptionem orbis exequendam, & Satanæ regnum conterendum. Neque id Christum dedecuit. Si enim Angelus de cœlo apparuit confortans Christum ad extremum agonem, quidni mater quæ Angelorum Regina est, Filio adesse consiliis suis suggestionibus, ad eundem modum potuerit? non quidem docendo Christum, quod neque Angelus fecit; sed explicando rationes Christo non ignotas, quibus incenderetur ad perficiendum opus redemptionis nostræ. Ea enim explicatio rationum, consilium est; Et qui sic eas suggerit, nomen *consiliarij* sortiri potest, vel *consilij* iuxta vulgarem loquendi modum, quo de quopiam dicimus, *esse consilium alterius*; quod de patrono causarum respectu clientis, est quotidianum. Hoc itaque modo, Sanctum Hildefonsum interpretatur Autor prædictus, quoad nomenclationem illam, *consilium verbi*, quam tribuit Deiparæ.

Nihilominus, ea expositio & frigidiuscula est, & cum Sancti Hildefonsi scopo non cohæret. Nam *consilium* si rectè loquendum est, non præbetur nisi de re ambigua, circa quam instituitur deliberatio, vt constat ex 1. 2. At nunquam à Christo deliberatum est, an esset redempturus orbem. Id enim à Patre ante tempora secularia deliberatum est, & Christo intimatum in primo momento sui esse: statimque citra omnem agitationem rationum pro alterutra parte facientium, acceptatum, vt Christus ipse apud Psaltem Psalm. 39. ingrediens mundum interprete Apostolo hebr. 10. est professus. Neque suggestio illa externa rationum inducentium ad lubentem mortis perpessionem, facta Christo per Angelum cohortatorem, fuit reuera exhibitio consilij, sed tantùm fuit extrinseca propositio rationum Christo non ignotarum vt dictum est libro 4. de Christo: vbi etiam notatum est, iuxta S. Epiphanium, eam confortationem aliud non fuisse, quàm gratulationem tantæ fortitudinis, & collaudationem eximiæ Christi charitatis, ad patiendum se accingentis: quæ omnia longè absunt à ratione *consilij* propriè dicti. Quare friget in primis (vt dicebam,) ea expositio verborum Sancti Hildefonsi. Deinde S. Hildefonsus non agebat de passione Christi, in qua habere locum potuit ea qualiscumque Christi animatio per suggestiones Beatæ Virginis: sed agebat de primo Christi ingressu in mundum, quo Deus in Virginem nouo illapsus est sacramento, cum primùm Virgo Gabrieli paranympho assensum præstitit per ea verba, Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. [Quam vocem, (ait Sanctus Hildefonsus,) mox secutus est effectus. Fit itaque grauida mox Beata Virgo, fitque sacrarium Spiritus Sancti, & consilium verbi.] En, apertè agitur de Christi conceptione in vtero materno, ad quam mater nullum Christo consilium præbuit, aut suggessit, vt est perspicuum. Commodiùs diceretur, Patris simul, ac Verbi, & Spiritus Sancti consilium in temporali conceptione Christi Domini, esse Beatam Virginem; quatenus executio decreti æterni de corporando Verbo Dei, non est facta nisi exquisito assensu Deiparæ, & ea in consilium quasi adhibita: hoc inquam commodiùs diceretur, quam quod prædictus Autor commentabatur circa titulum propositum. Nec hoc tamen satisfacit: quia Beata Virgo non est dicta *consilium de verbo*, supple *incarnando*, sed *consilium verbi*.

Vera ergò interpretatio mentis Sancti Hildefonsi, petenda est ex emendata lectione illius loci; nempe legendo, non *consilium Verbi* per S vt fecit prædictus Autor, sed per C *Concilium Verbi*, iuxta quam lectionem sensus Beati Hildefonsi est, Beatam Virginem fuisse sacrum Verbi conditorium atque sacrarium. Hoc vt intelligatur, recolendum est, nomen *concilij* apud Autores Ecclesiasticos, accipi interdum pro loco in quo reliquiæ Sanctorum sunt conditæ. Sic enim in Romano Martyrologio 23. Iunij, Sanctus Ioannes Presbyter à Beato concordio *iuxta martyrum concilia* sepultus dicitur: Quod Molanus & Baronius ibi, de loco in quo Martyres tumulati essent, accipiendum docent. Eodem facit, quod S. Gaudentius, sermonem in dedicatione sepulchreti Sanctorum Martyrum, inscripsit, *Sermonem in dedicatione Basilica concily Martyrum.* Sed & S. Hieronymus scribens ad Heliodorum, laudat Nepotianum quod Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula, diuersis floribus & arborum comis, vitiúmque pampinis obumbrasset. Quod item in libro de Romanis Pontificibus, corruptè legitur Sanctum Damasum *conchylia & sepulchra Martyrum* versibus exornasse, germana lectio habet *concilia*. Et quia monasterium est veluti conditorium sacrarum personarum seculo defunctarum, non dubitauit S. Ambrosius scribens aduersùs Symmachum, collegium Sanctarum Virginum nominare *Concilium Virginitatis*. Hinc manifestum est, Beatam Virginem dictam esse *Concilium Verbi*, quia Verbum per conceptionem Christi, in ea quieuit, tanquam in sacrario. Nec refugienda est vox *sacri conditorij* aut *tumuli*. Christum enim in vtero Deiparæ fuisse sicut in tumulo, & plerasque egregias analogias inter tumulum quo Christus mortuus est conditus, & vterum Virginis, interuenisse, præclarè prosequitur S. Maximus hom. 2. & 3. de Passione & Cruce Domini. Attigitque etiam Chrysologus serm. 76.

Corona Virginitatis.

QVidlibet in aliquo genere vndecumque perfectum, & planè consummatum, *corona* nomine donari, receptissimum est. Sic Ecclesiastici 1. *Timor Domini*, vocatur *corona sapientia*, id est, consummata & absoluta sapientia. Et eodem sensu Siracides ibidem cap. 25. *multam peritiam*, siue prudentiam multiplici experimento longóque vsu collectam, (Græcè πολυπειρία,) ait esse *coronam senum*, id est summam eorum perfectionem; quæ Prouerb. 17. dicitur sita in numerosa propagine posterorum: *Corona senum, filij filiorum*, Illustrat eam coronæ notionem benè multis Carolus Paschalius lib. 1. de Coronis, cap. 1. Quia igitur nullius Virginis puritas, ad puritatem ac nitorem exquisitissimum B. Virginis accessit, meritò à S. Cyrillo dicta est, *corona virginitatis*; id est perfectissima & ad supremum vsque nitoris verticem prouecta Virgo; abstractum, de more, concreti vice adhibito.

Coronaria certantium.

QVas Græci στεφανηπλόκους, vel στεφανοπλόκους, Latini *mulieres coronarias* nominauerunt, quod coronas plecterent. *Corona opifices*, vocauit Flaccus l. 3. Carm. Pleraque de his coronariis mulieribus erudite collegit Paschalius lib. 2. de Coron. cap. 12. Beata igitur Virgo, coronaria certantium dicta est, quia hic in vitæ scammate viriliter se gerentibus, plectit coronas; impertiando illis vires ac robur, vt superiores euadant, sicque pertingant ad coronam. Sanè à D. Bonauent. in Litaniis quæ leguntur t. 1. Opusc. parte 2. salutatur *Confortatrix Martyrum*; & apud S. Brigittam in serm. Angelico cap. 19. Angelus ait, etiam fuisse sicut Magistram Apostolorum, & Doctricem Confessorum, ita *Consolatricem Martyrum*. Id quod illustrissimè micuit in martyrio SS. Theodori ac Theophanis fratrum, sub Leone Armeno, quod Surius mense Decembri repræsentauit ex Metaphraste: & recentiore memoria, hoc est 1465. Andreas Chius omne Turcicum ingenium in tormentis, faciente B. Virgine, omnino mirabiliter exhausit, vt scripsit Trapezutius in historia huius Andreæ.

Quòd si pacem Ecclesiæ attendamus, eáque certamina quibus semper in hac etiamsi in speciem vmbratica vita locus est, vt S. Cyprianus egregiè prosequitur initio libri de mortalit. & Rich. Victor. tract. 1. de statu inter. hom. omnium grauissima certamina sunt prælia castitatis, iudice S. Augustino l. de honest. mul. cap. 2. & Cassiano lib. 6. de instit. cap. 1. At præsentissimam in hoc genere Reginæ Virginum tutelam quæ apud Bonifacium lib. 4. hist. Virg. cap. item 4. leguntur, aliáque & antiqua & hodierna exempla absque numero vbiuis prostantia contestantur. Ex eis namque manifestissimè liquet, rectè omnino S. Germanum Orat. de Præsent. Deip. dixisse B. Virginem esse rorem æstus nobis inexistentis, & guttas cœlestes frigidæ, igni nobis natiuo affusæ. Eodémque sensu, tametsi sub contraria planè metaphora, Ioannes Geometra hym. 1. dixit B. Virginem esse igni ignem. Impuros quippe & profanos ignes nostros, admoto cœlesti igne profligat. Experta hoc est S. Iustina, cum eius pudicitia per flammas a Cypriano tunc Mago excitatas, periclitaretur. Ex quo enim B. Virginem interpellauit, refrigerium sensit, vt scribit Naz. orat. 18. num. 19. Sanctam Eugeniam in castitatis apud Melanthiam grauissimo discrimine, persensisse in media fornace Babylonica, quasi ventum roris flantem, opera B. Virginis, cuius se clientelæ commiserat, scribit in eius rebus gestis Metaphrastes mense Decembri: consulendus quoque mense Ianuario in Actis Sanctiss. Iuliani, & Basilissæ quorum exquisito nitori Beata Virgo tutela fuit. Igitur Beata Virgo fauore suo ac precibus est bonorum certantium coronaria. Præterquam quod per Christum robur lassis omnibus atque certantibus contulit. Et hanc ob causam Honorius Augustod. in sigillo sub initium, tractans cur in festo Deiparæ Assumptæ Epistola ad sacra legatur ex libro Ecclesiastici, accommodans Virgini illud, *quasi palma exaltata sum in Cades* ait [Palma datur victoribus; & hoc *Cades*, id est, *sanctificatis*, quibus Virgo alma extat sanctificationis palma, dum per eius generosam sobolem, nanciscuntur victoriam & sanctificationem] Itaque præter Agonothetem, quem Christianis certaminibus præficiebat Tertullianus l. ad mart. cap. 3. Deum viuum, & eundem Epistatem Christum Iesum, ac Xystarchen Spiritum sanctum, habemus Coronariam Deiparam: cuius interuentione speranda *corona æternitatis, brauium Angelicæ substantiæ, politia in cœlis, gloria in secula seculorum*, vt ibidem loquitur Tertullianus.

Creditrix Dei.

SVppeditat hunc Virginis titulum S. Methodius Or. 1. de Hypapante, sic alloquens illam. [Tu vestis absque macula, eius qui induit lumen sicut vestimentum. Deo nullius alioqui indigenti, quam ante non habuerat carnem fœnerata, qua omnipotens ille Deus quod ipsi decretum fuerat, homo appareret. Quid hoc splendidius? Quid hoc sublimius? Qui cœlum terrámque implet, cuius sunt omnes rerum possessiones, sui indigus efficitur, quippè cum fœnerata ei sis Deo diuinam Incarnationem, quam non habebat. Tu armasti potentem illum, decora corporis armatura, per quam oculis nostris conspicuus redditur; vtque duoi libero deinceps accessu, mihi intueri liceat, concedit vtique etiam armatura, omnia Mali ignita tela extinguentur. Euge, euge mater Dei atque ancilla. Euge, euge, quæ tibi obnoxium habes illum omnium fœneratorem; Omnes namque Deo debitores cum simus, tibi ipse est debitor.

Feruntur ista perspicuè, B. Virginem, respectu Dei, esse creditricem, & Deum illi esse obæratum, atque obnoxium. Debitor enim habet pro correlatiuo creditorem, vt notum est: atque adeò si Deus est debitor B. Virgini perspicuè sequitur B. Virginem esse Dei creditricem.

Est hoc decus admodum singulare. Nam nemo alios, Deum sibi obstringere, & debitorem statuere ea ratione potuit. Ac summum enim Deus alijs Sanctis obstringitur vi suæ promissionis, qua hoc vel illud operantibus, retributionem talis præmij spopondit. Iuxta illud D. Augustini in Psalmum 83. *fere in fine.* [Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur redde quod accepisti, sed redde quod promisisti.] Similia habet serm. 16. de verbis Apostoli, & in Psalm. 109. Annuit S. Fulgentius in Præfatione librorum ad Monimum. Et scitè idem tradit Rabbi Leui Bengersoin apud Genebrardum l. 3. de Trinit. ad vers. 43. Symboli Athanasiani, qui hanc obligationem Dei erga Sanctos ritè operatos, agnoscit esse veræ Iustitiæ: in quo habet consentientes Argentinam in 4 d. 46. artic. 1. ad 2. Bellarminum 5. de Iustific. c. 16. Suarez Opusc. de Iust. Dei sect. 2. & l. 12. de grat. cap 30. Rebellum in prælud de Iust. q. 4. Valentium 1. p d. q. 21. p. 1. Cornelium a Lap. in 2. Timo 4. ad illud *corona iustitiæ*, repugnantibus tamen aliis vt Vasquez 1. p d. 1. 85. & 86. ac Lessio l. 13 de diu. perfect. cap. 2. post Durandum in 2. d. 27. q. 2. & Gregorium in 1. d. 17. artic. 2. conclus. 2. quorum lis est fortassis de nomine. Certum quippè est, & vtrimque ratum, hanc obligationem à Deo contractam, supponere diuinam promissionem vltrò à Deo factam; sine qua repugnaret eminentissimo Dei dominio, vt cuiquam astringeretur seu debitor fieret, vt notaui in Theol. Naturali dist. 7. n. 154. Vnde tametsi supposita adimpletione conditionis onerosæ in promissione impositæ, exurgit obligatio Iustitiæ, vt sonant illa Rom. 4. *Ei qui operatur, merces imputatur non secundùm gratiam, sed secundùm debitum*: significatúrque à S. Augustino 4. contra Iulian. c. 3. Tamen ea vniuersa obligatio

gatio radicitùs spectata, exurgit à gratia & misericordia; eiusque expletio redolet fidelitatem, etiam si non nudam. Id quòd R. Leui loco allegato concisione eruit ex Michea 7. vbi dicitur, *dabis veritatem Iacob*, ob præcedentem scilicet promissionem ano Abraham factam, *misericordiam Abraham* ad quem misericorditer facta est promissio. Sic se habet Deus ad alios quoque Sanctos, cum illis dicitur debitor; & ipsi statuuntur Dei creditores.

At B. Virgo longe sublimiori ratione est Dei creditrix. Hominem quippè Deum tanquam vera parens produxit; & attenta natura Christi humana, prior dedit illi, ita vt non ratione vltrò emissæ sponsionis & pollicitationis, quod de aliis Sanctis diximus, sed antecedenter ad omnem humanam huius hominis voluntatem, verissimum sit eum obstringi Matri, quia ab illa accepit esse humanum quo potitur: Vnde non potest non exurgere ex natura rei obligatio in accipiente, habens correspondentem beneficientiam in conferente. Esto hic homo siue hæc persona, in alia æquè sua natura, non abstringatur matri nisi debito, ad eius merita compensanda profectò ex misericordia; & in hac ipsa natura in qua contrahit debitum sublimius erga illam, verè asseratur obtulisse matrem beneficiis omnino ingentibus quibus matrem sibi vicissim obæratuerit supra omnem mensuram. Immensa quippe aliquatenus sunt dona gratiæ, ex Christi meritis collata B. Virgini. Indéque Beata Virgo filio obstringitur, & debitrix statuitur longè auctiùs quàm filius Matri; ita vt liceat huc transferre longam disputationem qua Seneca lib. de benef. à c. 29. confirmat accidere posse vt filius paternam erga se beneficentiam superet, sitque auctior patris ad filium obligatio, quàm filij ad patrem ob collatum ei esse naturale. Hæc omnia valere in Christo prout homine ad Deiparam comparato, fatemur. Tamen semper manet quod diximus, personam Christi in sua humana natura, obstrictam esse matri suæ sublimiùs quàm Deus vlli Sancto obstringatur: quia ob esse naturale Christo ab ea collatum, antecedenter ad omnem Christi hominis consensum, constituitur Dei creditrix: quod alij Sancti non habent, nisi supposita promissione, vt præmisi. Idque vnum voluit S. Methodius.

Dabir in quo diuini Sanctæ Ecclesiæ mystagogi, Iudicum tenentes sedem, diuinarum reuelationum futura prædixerunt.

GRæca paulo pleniùs habent τὸ Θεῖον ὄντως Δάβιρ ἐν ᾧ &c. *Idest diuinum Dabir, eius qui est, in quo &c.* Fuisse Dabir Academiam Palestinæ, priusquàm ab Othoniele expugnaretur, obseruauit Adricomius. Dicebatur Othonielis aduentum, *Cariathsepher, seu ciuitas literarum.* In quam rem sic philosophatur Origenes homil. 20. in Iosue *sub fin.* [Nomen erat Dabir, priùs, *ciuitas literarum.* Dabir interpretatur *loquela*. Sed nomen Dabir, priùs ciuitas literarum. Igitur ciuitatem literarum intellige omne Testamenti veteris instrumentum. Idest & hanc ipsam quam nunc edisserere conamur Scripturam, intelligamus esse ciuitatem literarum; quæ postmodùm efficiatur Dabir, quod est *loquela*. Hæc enim quæ priùs in literis erat, & secundùm literam intelligebatur, modò in Ecclesijs, Christo Domino reuelante, loquela effecta est, loquentibus & differentibus primò SS. Apostolis, & remouentibus superficiem literæ: proferentibus verò de ea spiritualem loquelam. Sed & singuli quique Doctores Ecclesiarum, literam legis, loquelam & disputationem Euangelicam faciunt.] Meritò igitur B. Virgo, audit *Dabir* siue *loquela diuina*, enucleans quod abditum latebat sub literæ veteris cortice. Per Deiparam quippè, SS Doctores Ecclesiæ, cum antiqui tùm posteriores, assecuti sint quod inuolucro veterum scripturarum tegebatur: Ita vt ex hoc sacræ spiritualis intelligentiæ emporio, Doctores omnes sacri, cathedram Christi tenentes, & diiudicantes quæ ad fidem pertinent, doctrinæ mercibus ditati, coaceruarint abundè, quæ ad instruendam plebem Dei, erant necessaria. Fuit enim B. Virgo, vt S. Anselmus scitè dixit, l. de quatuor Virtut. B. Mariæ c. 3. *Apostolorum Apostola, Euangelistarum Euangelista.* Adde etiam *Magistrorum quorumcunque posteriorum Magistra.*

Declaratio occultorum diuinæ incomprehensibilitatis.

SEnsus maximè genuinus esse videtur, quod B. Virgo sit declaratio occultorum Dei, quia mysterium à seculis absconditum, & illa incerta ac occulta diuinæ sapientiæ, quæ Angelos quoque latuerant, exorto de Virgine Christo, atque adeò per Virginem, innotuerunt, non hominibus modò, sed etiam Principatibus & potestatibus cœlestibus per Ecclesiam, vt Apostolus docet. Quid si etiam B. Virgo appellata est declaratio occultorum Dei, quia quatenus sit Deus, (quod est hominibus occultissimum,) ex nulla pura creatura tam benè manifestatum est iuxta illud Chrysologi serm. 140. [Quatenus sit Deus, satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur.]

Delubrum sacrum Christi, qui solus in adytis Sanctisque Sanctorum, secundùm ordinem Melchisedec, sacrificauit.

SI binæ huius tituli partes sumerentur vt concomitanter tantùm coniunctæ, non esset laborandum in illius explicatione. Sensus enim esset, Beatam Virginem esse templum Christi, & Christum fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec. Quorum vtrumque perspicuum est. Sed quia videtur certum, partes has duas prædicti tituli, sumendas esse vt coniunctas & nexas, quærendum superest quomodò Christus in templo Virgineo sacrificauerit, nec quomodolibet, sed secundùm ordinem Melchisedec.

Hoc addo, quia si S. Germanus à quo hic titulus Virginis depromptus est, tantùm diceret, Christum in Beata Virgine sacrificasse, facile esset recurrere ad illud sinmet sacrificium, quo Christus, vt in capite libri scriptum est, animaduerso Patris circa legalia sacrificia fastidio, seipsum obtulit oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, in primo momento sui esse: de quo Christi intra Matris vterum sacrificio incruento, plenè alibi. At quia S. Germanus, ait Christum in Virginis templo tanquam in adyto & Sancto Sanctorum sacrificasse secundùm ordinem Melchisedec, aliò recurrendum est.

Nimirum ad sacrificium Eucharistiæ, quod solum est secundùm ordinem Melchisedec. Tametsi enim Christus reipsa non confecit sacrificium Eucharistiæ in Matris vtero, vt per se liquet: tamen

destina

destinatione & voto, ad Deum, ex primo momento vitæ intra matris vterum fuso, iam tunc illud confecit. Christum sanè vouisse confectionem sacramenti Eucharistiæ, ad impetrandam à Patre liberationem ex obiectis dictæ mortis cruciatibus, non obscurè colligitur ex Psalm. 21. vbi post descriptos passionis Christi cruciatus, additur: *Apud te laus mea in Ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum, edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi. Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.*] Quo loco sermonem esse de Eucharistia, nemo non videt. Hæc enim sunt vota quæ Christus in conspectu timentium Deum reddidit, iuxta doctrinam Diui Augustini in Psalm. 21. quem Glossæ sequuntur, & insinuatur in S. Hieronymi commentario. Disertè verò & multis adhibitis coniecturis idem firmat Suares libro 3. de voto c. 8. n. 5. & 6. Effectus item illi qui assignantur his votis, manifestè monstrant ea cadere in Eucharistiam, cuius proprium est humiles & spiritu pauperes edentes eam, saturare; & vita donare. Propterea enim Punici, teste Diuo Augustino libro primo de pecc. merit. cap. 24. sicut baptismum *salutem*, ita Eucharistiam vocabant *vitam*. Eadem reminiscentiam inducit, & conuersionem ad Dominum, & à pinguibus terræ manducatur & adoratur.

Christus igitur materna aluo conclusus, inibi tanquam in sacro delubro, & verè Sanctis Sanctorum, sacrificauit secundùm ordinem Melchisedec, quatenus iam tunc destinauit animo, imò & vouit, hoc sacrificium instituere, celebrandum in Ecclesia, vsque ad mundi finem: quæ est verè laus magna & perpetua, non in synagoga finibus Iudææ conclusa, sed in Catholica Ecclesia toto orbe diffusa. Nec tantùm est laus Dei perpetua, quia hoc sacrificium nunquam desinet in mundo vsque ad finem sæculorum, sed etiam quia Christus, extra sacrificij actum quotidianum, est perpetuò in statu agni viuentium mactari & sacrificari; vt nulla sanè laus perpetua Luxouiensium, aut Acœmetarum, conferri possit cum laude quam Christus in sacris ciboriis asseruatus, Deo reddit indesinenter & absque cessatione.

Diarium vnicum, Domini creatura.

AMbiguum esse potest, an Græci Hymnographi, cuius est id Virginis elogium sensus fuerit, B. Virginem fuisse diarium Domini creaturarum, an verò fuisse & esse diarium creaturæ, ad Deum plena subiectione pertinentis. In vtroque sensu, rectè in B. Virginem cadit hic titulus. Fuit quippè B. Virgo diarium Christi, Domini creaturæ, cùm eum sola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno. Est enim diarium, victus & cibus quotidianus, iuxta illud Martialis.

Sed lupus vsuram, puerique diaria poscunt.

Nos quoque in hac miseriarum valle, pressi fame vniuersos mortales vrgente, ab hac muliere forti prædam & cibaria accipimus; cum ratione Christi, qui est panis vitæ, quem hæc mulier in farinæ satis tribus fermentauit & coxit, nobisque edendum apposuit, iuxta præclaram S. Bernardi disputationem serm. de tribus mixturis, tum ratione aliorum piæ animæ eduliorum, quæ B. Virgo veluti diurnum demensum, piè ad eam accurrentibus suppeditat.

Est verò alia *Diarij* notio, pro libello in quo signata habentur gesta quotidiana. Et hac ratione B. Virgo fuit diarium vnicum Christi, Domini creaturæ. Quidquid enim circa Christi conceptionem, Natiuitatem, infantiam, pueritiam, & reliquam eius ætatem, vsque ad initam prædicationem nouimus, manauit à B. Virgine, quæ conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Studiosè inquam adnotabat, omnia ad eas Dei pusillitates pertinentia. Vnde postea sacri Euangelistæ, (præsertim Lucas, vt notat Tol. in cap. 1. Lucæ annot. 6.) cæterique fideles ea didicerunt.

Est insuper hoc pacto B. Virgo diarium nostrum, qui sumus autonomasticè *creatura Domini*. Norma enim ad quam vitam quotidianam exigere debemus, Deipara est. Erant Diaria Christiana complura, quibus pij Christiani per singulos dies congrua acta signantur. Sed nullum exquisitius ac dignius est, Virgine ipsa, quam *formam virtutis*, rectè vocauit S. Ambros. l. 2. de Virg.

Diopetra perspectiua, per quam illustrati qui in tenebris erant.

DIoptra definit Suidas, instrumentum Mechanicum, per quod Geometræ ex interuallo dimensionem propugnaculorum accuratè colligebant. Quo refert dictum Pisidæ, *ταῦτα πρὸς πολλῶ διάπτρα σὺ βλέπεις. Hæc multo antequàm accidant, dioptra tua cernis.* Eiusmodi est, qui dicitur quadrans Geometricus, vel Iacobi baculus, quibus altitudines explorantur. Vnde nescio satis commodè Iacobus Pontanus, præfatione ad Philippi Solitarij dioptram, existimauit, vim Græcæ huius vocis abunde rectè expressam voce *amussis*, ac *regula*. Congruè igitur B. Virgo dicitur dioptra: quia eius beneficio ad procul perspicienda cùm futura; tum anteriora, Christo per eam nobis communicato, edocti sumus. Exorat quoque nobis temporalium & fluxarum rerum neglectum, discussis tenebris, quibus à prospectione bonorum æternorum prohiberemur. Sic illustramur per hanc dioptram ad procul contuendum, qui in tenebris iacebamus, iuxta Andream Cretensem à quo habemus hunc Virginis titulum: Et idem affirmat de S. Tiro in eius encomio. Sic enim præter cæteras appellationes illustres ei tribuit, quod asset, [Mystica fidei dioptra; repercussis radiorum fulgoribus, aduersariorum pupillas verberans.

Pereruditus interpres ad c. 8. Prou. n. 298 & 299. aliter hoc Deiparæ elogiolum accepit, putans seorsum Andr. esse, quod Prophetæ, omnia quæ circa redemptionem & salutem hominum prænouerunt, à longè prospexerint per B. V. quæ aditum ad omnia illa bona reserauit. Sed hoc est planè alienum à sensu Andr. A veritate autem alienum censeo, vt in Diptychis ostendi, quod mox idem Autor de suo addit, monstrans B. V. factã esse ipsi Deo dioptram prædestinatorum, quos Deus tam à longè prospexit per B. Mariam, primò à Deo secundum Christũ in serie electorum præcognitam; & ita quidem, vt nec alij nisi per eam sint præcogniti, etiam quoad gradus meritorum & sanctitatis quos aliquando erant adepturi. Hoc decus Virginis non esse solidum, ostensum est prædicto loco. Quanquã non me latent, quæ ex Rabbinicis cimeliis in eam rem profert Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 2.

Egressus diuinus seruatorum.

COnclusum erat genus humanum teterrimo carcere, vbi sub durissima captiuitate gemebat. Inde omnes per Christum, (atque adeò mediatè per Deiparam,) educti sumus, atque seruati, quo ex capite B. Virginem, *diuinum egressum nostrum* agnoscere obstringimur. Vt nominatim factum ab illis vinctis spei, olim detentis in lacu in quo non est aqua. Suam enim per Euam alienam, hoc est, per Virginem à diuturna illa captiuitate liberationem celebrantes inducuntur à variis Patribus, Christi de inferno spolia opima describentibus.

Et possunt etiam attendi, qui nondum prætergressi vitæ metas, captiui apud hostes, implorata sanctissimæ Dei matris tutela, liberati sunt. Insignia exempla in hanc rem collegit Ioan. Bonif. lib. 3. histor. Virgin. cap. 10. Sed illustrissima sunt quæ recolebant ij qui hymnum acathistum concinebant, è quo titulus iste Virginis depromptus est. Legesis obseruationem a.

Euangelista.

CVm D. Hildefonsus serm. 2. de Assumpt. B. Virginem nominasset *Prophetissam*, dictum suum veluti corrigens, addit vocandam potiùs esse *Euangelistam*; quod non aliter confirmat quàm monstrando quæ B. Virgo in suo Cantico de sua inter omnes generationes celebritate prædixerat, impleta exactè fuisse. Et æquè addere poterat, quæ ibidem habet de gentium humilium allectione, & superborum Iudæorum reiectione. Nam hæc anteriùs pronunciata, ad prophetiam propriè dictam pertinuisse, notat S. Chrysostom. proœmio 1. in Psalmos. Videtur autem S. Hildefonsus, pro eodem habere vtrumque illum titulum *Propheta* & *Euangelista*, quandoquidem commune vtrisque est, moueri à Spiritu sancto, & fundere verbum, quod non humanum verbum est, sed reuera est Verbum Dei. Quia tamen lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, cui B. Virgo per aliquod tempus superstes fuit, satius visum est S. Hildefonso, B. Virginem, Euangelistæ, quàm Prophetissæ nomine donare.

Abstrahendo autem à S. Hildefonsi mente, à quo id nomen Virgini inditum, potuit sanè B. Virgo alia ratione, fortassis magis accommodata vocis cortici, dici *Euangelista* Nam & Pastoribus ac Magis euangelizauit Christum. & post Christi obitum, erga varios à quibus adibatur, Euangelistæ partes impleuit, vt monstratum est in Diptychis, ac nominatim sanctos Euangelistas de plerisque edocuit; quod præsertim de S. Luca, haud vanus rumor vulgauit. Videndus qui id cum de aliis Euangelistis, tum nominatim de S. Luca fusè prosequitur Benzonius lib. 1. in Canticum Deip. cap. 14. Itaque non est quod quis occasione huius tituli, in cogitationem veniat, affícti Deiparæ à S. Hildefonso alicuius Pseudo Euangelij; qualia olim plurima per Hæreticos conficta, & Christi ipsius & variorum Apostolorum nomine falsò inscripta, circumferebantur, de quibus plenè in Opere de iusta confixione librorum, partic. 1. Erotem. 10. Quæ enim ratio effecit, vt B. Virgo in testem resurrectionis Christi non sit allegata ab Euangelistis;) quod scilicet testimonium maternum, exceptionem apud externos admisisset;) eadem ratio multò magis euincit, non expediuisse conscribi à B. Virgine Euangelium; & Deum qui omnia decenter & secundùm ordinem facit, alios gestorum Christi sui scribas meritò prouidisse demonstrat.

Exultatio olei vnctionis,

OLeum vnctionis, gratia diuina est. Qua ratione S. Athanas. orat. 2. contra Arrianos, habitualem Christi gratiam purè creatam, eruit ex eo quod Ps. 44. dicatur vnctus oleo lætitiæ. Nec aliter S. Cyrillus epist. ad solitar. accepit quod 1. Ioan. 2. dicimur vnctionem habere à sancto. Aliàs vero, oleum vnctionis designat ipsummet Spiritum sanctum, quod pulcherrimè docet S. Ambros. li. 1. de Spiritu sancto cap. 8. & S. Chrysostom. in Psal. 44.

Si oleum vnctionis sumatur in priore sensu; quod B. Virgo dicitur exultatio olei vnctionis, Prosopopœiam concinet, qua rei inanimæ attribuitur exultatio, vt non semel à Dauide factum, colles exultantes, flumina plaudentia, valles hymnum dicentes, describente. Sensus itaque est, B. Virginem, gratiæ, antequàm ipsa beatum terræ suæ fructum ederet per humanam socordiam velut marcenti, ac obstipæ, contra suam naturam actuosam & viuidam, attulisse gaudium; indito tunc hominibus spiritu ardoris flagrantissimo, & ad eum animi feruorem deductis frigidissimis antea pectoribus, vt quod Isaias prænunciarat, aquæ arderent igni. Si enim gratia esset capax exultationis, exultaret haud dubiè, cùm ad actuositatem naturæ suæ conuenientem reducitur, quod habuit per B. Virginem. Et gratiam sumo completè, hoc est prout instructam virtutum infusarum et subiunctarum satellitio: & prout munitam motionibus & auxiliis: quæ omnia quantum est ex ipsis, actuosa sunt & negotiosa. Vnde cum per hominis vecordiam non prodeunt in actum, dici possunt quasi mœrere: eo modo quo Apostolus, omnem creaturam vsque adhuc ingemiscere dixit, cum non vsurpatur iuxta finem in quem creata est.

At si oleum vnctionis sumatur pro Spiritu sancto, non est obscurum, quantoperè B. Virgo Spiritum sanctum exhilarauerit, & vitæ sanctissimæ accuratione quæ Deo est summa gaudij materia, & tam multorum ad veram vitam reuocatione, vnde non modo Angelis, sed Deo etiam exultatio.

Fibula Seraphica mystici anthracis.

CArbunculum gemmam pretiosissimam, & carbonis specie flammeam, Græci *ἄνθρακα* nominant. Huius gemmæ specie Verbum Dei exhibet Anastas. Sinaita lib. 8. Hexaëm. & Virginem ac humanitatem ex ea decerptam, ait fuisse huius carbunculi forcipem; alludens ad Isaiæ forcipem ex gemina huiusmodi fibula compactum. Hícque fortassis est sensus Andreæ Cretensis, à quo hunc Virginis titulum habemus. Nam adiunctum illud *Seraphyca*, insinuat allusionem ad Isaiæ Seraphinum.

Quod si vulgatam fibulæ notionem retinere placeat, rectè omnino dixerit Andr. Christum de B. V. in vterò pependisse, vt carbunculum de fibola cui consertus appenditur. Nam siue gemmæ pretiositatem, siue pulchritudinem, siue flammeam speciem spectemus, nihil Christo matri per venam vmbilicarem

licatem veluti fibulam appenso pretiosius, nihil coram Deo & Angelis pulchrius, nihil inflammatius. Angeli quidem vt S. Gregorius Neocæsar. orat. 2. de Annunc. animaduerterunt, circùm Virginis vterum, è quo mysticus hic anthrax dependebat stupentes diuitias diuinæ in eo bonitatis, & misericordiæ opulentiam, hærebant; teporis sese ac rigoris damnantes, præ incendio inde emicante charitatis; cum ex Christo, tum etiam ex matre: cuius per tempus illud ardores, nemo satis assequatur. Nam si B. Elzearij matrem grauidam, tantus Dei amor, tanta terrenorum despectio diuinitùs occupasse dicitur, vt ægrè cohiberi potuerit, quominus mundo valediceret, séque intra cœnobium includeret; Deo in prolis quam alebat gratiam, & futuræ sanctimoniæ præsignificationem, hanc prærogatiuam tribuente; quis dubitet in affectum charitatis transiisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ Deus est, charitas, corporaliter quiescebat? Erat planè tunc virgo fibula Seraphica. Tantumne? Imo supra quosvis Seraphinos, diuinis æstibus flagrantior.

Sed & iam fusum vtero benedictum Dei pusionem, siue è matris collo pendentem, siue per papillas matri adhærentem, & pretiosissimum ex eis nectar sugentem, non secus ac carbunculum per fibulam de pectore matris dependentem, spectare licebat. Verùm hæc Christi, tanquam carbunculi è matris pectore dependentia, perpetua non erat: sed illa, qua spiritualiter per affectum ei cohærebat. Fœminas olim patona Euangelia de collo dependentia monilium specie gestasse, autor est Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 150. Id quòd etiam habet S. Chrysost hom. 19. ad pop. & 73. in Matth. ac homil. 43. in 1. Corinth. Videsis quæ de eo vsu differit Gretserus l. 2. Cruce cap 29. excutiens difficilem in eam rem S. Hieronymi locum. Ornamentum id erat & religiosum, & decorum, in quod malè grunnit Autor Imperf. in Matth. hom. 43. Sed nihil hæc ad Christum, inexplicabile paradisi monile de matris pectore, fibula sanctissimorum affectuum dependentem. Hæc erat veritas ipsa Dei, & Deus verus, non secus ad Deiparæ pectus appensa perpetuò, quàm olim de pectore Iudicis Ægyptij apud Diodorum lib. 2. cap. 3. pendebat *veritas*, signum variis insigne pretiosis lapidibus.

Fictirium noui ortus.

AB Amphilochio hanc Deiparæ nomenclationem habemus, Latinè quàm Græcè obscuriorem. Nam Græcè est *χαῖρε καὶ μήτηρ καὶ νεογενείας πλαστήριον*. Vox hæc Græca quam Interpres vertit *fictirium*, propriè sonat officinam figuli qui è luto configit vasa fictilia. Spectat autè hæc figulatio nouæ seu noui ortus, conceptionē & formationē Christi è luto nostro compacti nouo vtique modo. Nam nouus quidem fuit eius ortus, cum nemo purorum hominum Adami posterorum, sic nascatur immediatè fictus à plaste Deo, sed omnes ex maris & fœminæ commercio fiunt efformati. Solus Adam qui fuit forma Christi iuxta Apostolum, in mundi principio absque virili semine, conflatus est ipsiusmet Dei manibus è luto, vt si enim fictoris manus attolleret, deijceret materiæ vilitas. Propterea que S. Paulinus Epistola 1. *in fine*. [Amamus (inquit) vasa fictilia, quia & secundùm Adam cognata nobis sunt; & Domini thesaurum in talibus vasis commissum habemus.] Vocat cognata nobis vasa secundùm Adam protoplastum, quia ipse fuit propriè vas fictile è luto figulatum; vnde spectata primordiali origine, dicimur nos quoque ab Apostolo vasa fictilia, vel potiùs ob summam fragilitatem quia nullo negotio vt vasa fragilia conterimur; siue vita corporea spectetur, quam S. Augustinus fragiliorem pronunciat vitro, quippè quod si absit allisio vel collisio, durat per secula; cum vita nostra per seipsam absque externa violentia, perbreui pereat. Ita ille serm. 1. de verb. Dom. & hom. 18. ex 50. siue attendatur vita gratiæ, qua nihil fragilius in nobis, vt propterea baptismus in Apoc. dicatur mare vitreum, quia perfacilè gratia in eo parta excidimus iuxta Bracharium Epistolæ ad Ianuarium pro duobus lapsis. Ex omnibus igitur hominibus Adamo posterioribus, solus Christus similem ei ortum habuit; Cui proinde fuit ortus nouus, quatenus non ex seminibus coniugum, vt alij omnes ex Adamo sati, sed solius Dei opera sicut Adam, efformatus est. Vnde B Virgo è qua Spiritus sanctus materiam efformando Christo accepit, passim à Patribus, confertur cum terra illa Virgine è qua Adamus diuina manu est figulatus. Meritò enim terra illa è qua plasmatus est Adamus, *virgo* appellatur, quia necdum proscissa vomere, & per culturam subacta, imbribusque compluta fuerat; sed integra, & inuiolata, ac sicca perstabat, vt Tertullianus philosophatur. Similiter autem B Virgo iuxta Guerricum serm. 2. de Annunc. terra fuit benedicta; quæ omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cœli, Saluatorem germinauit, fecit vt secundus Adam esset nobiscum, & inhabitaret gloria in terra nostra.

Quod si ortum nouum cuius B. Virgo *fictirium* dicta est, placeat ad filios Dei adoptiuos extendere, inueniemus quoque, quomodo Deiparam ortus nostri figlinam dicere liceat. Ortum sanè illum quo filij Dei adoptiui procreantur, nouum ortum in scripturis appellari neminem latet. Inde enim est quod annunciandа dicitur Domino generatio ventura & populus qui nascetur quem fecit Dominus. Non alius illum fecit quàm Dominus: non enim ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, (sic dicta mulier ob mollitudinem interprete D. Augustino tract. 2.) neque ex voluntate viri; sed ex Deo natus est. Ac proinde est hæc natiuitas planè noua, & longè discrepans à quotidiana per quam iam olim homines creuerunt, súntque multiplicati. Correspondet autem conceptioni Christi ex matre de Spiritu Sancto; quia vtraque, spectata radice sua est absque meritis, de Spiritu Sancto: id est absque operatione hominis, vt S. Fulgentius notauit l. de Incarn. cap. 20. Cum hac tantùm differentia, (vt idem B. Fulgentius ibidem cap. 6. insigniter aduertit,) quod Christus primùm de Deo Patre naturaliter est natus, tum de homine matre per gratiam: nos è contrario primùm concipimur ac nascimur naturaliter de homine, tum secundò per gratiam ex Deo generamur. Et quidem vt Adam ex luto; propterea enim S Chrysostomus in Catechesi ad illuminandos, refert ad baptizatos illud Psalm. 2 1. *Et tanquam vas figuli conteres eos.*

Huius ergo noui ortus nostri fictitium est B. Virgo, quæ multo potiore iure quàm Sara respectu Israëlitici populi, dici potest cauerna laci è qua educti sumus quoad esse spirituale & Christianum. Ipsa enim est Euæ antitypa & vera mater omnium viuentium iuxta egregiam S. Epiphanij allegoriam hæresi septuagesima-octaua, Pereleganter verò

ac fusè in eandem sententiam differit, & maternitatem B. Mariæ respectu omnium nostrum aperit Guerricus serm. 1. de Assumpt.

Fides eorum quibus opus est silentio.

MYsteriis quibusuis Christianis, & omnib. diuinis rebus opus est silentio, vt ipsum *mysterij* nomen docet, ab eo quod est *μύειν*. Inde caligo silentij, in mystica Theologia c. 1. à S. Dion. celebrata: & tanta cura seruandi silentio dignitatem suam rebus diuinis, apud primos Fidei satores, vt S. Basil. fusè differit l. de Spir. Sancto c. 27. Idq; etiã agnouisse Gentiles, S. Chrysostom. hom. 2. in 1. ad Timoth. in mor. colligit ex inscriptio superne, templa eorum, *silentio*. Verùm tametsi omnibus mysteriis nostris, silentio potiùs quàm discussione opus est; tamen mysterium præsertim Incarnati in Virgine Verbi, silentium deposcit. Id quod Cyrus Panoplites ex præfecto Prætorio, Iudificante fortona, Smyrnæorum Antistites, ea concione de Natali Domini qua suos Smyrnenses placauit, egregriè attigit apud Nicephorum lib. 12. c. 36. dicens, puerperium Virginis silentio esse colendum; quandoquidem auditu solo in sanctissima Virgine conceptum esset Dei Verbum. Idque cum Maximo in Mystag. Eccles. cap. 5. *in fine*, rectè dicere possumus, *loquax & vocalissimum silentium*, in tanta Dei Verbi taciturnitate.

Merito itaque B. Virgo dicta est *fides eorum quibus opus est silentio*; sumpta *fidei* voce, obiectiuè; quia attendendo Christum in ea conceptum, nec nisi vnum eum ea facientem, est obiectum fidei nostræ circa mysteria abditissima. Et ideo B. Virginem laudandam esse silente lingua carnis, pulchrè tradit Fulbertus serm. de Assumpt. Potest quoque B. Virgo causaliter dici *fides mysteriorum*, quia eam plerisque Deo aspirante immisit, aut exorauit. Testis Gregorius Neocæsar. vt in eius vita scribit Gregorius Nyssenus. Testis item Catharina, olim Rachel puellula Hebræa, de qua Cantipratanus li. 2. Apum, c. 29. n. 20.

Fideiussio diuinæ reconciliationis.

ERat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, iuxta Apostolum. Expetierant olim hanc reconciliationem ardentissimis votis Prophetæ & iusti, déque ea post Christi aduentum perficienda, diuinum oraculum acceperant. Ideò enim ab eis Christus, *pax* est appellatus, & pacem fore in terra nostra eum venisset, contestati sunt, attendentes ad pacem cum Deo obuenturam hominibus, per interuentum mediatoris ponentis manum suam in ambobus. Huius pacis & reconciliationis fideiussio, Beatissima Virgo fuit. Vnde tanta Patrum in limbo præstolantium exultatio, renunciato eius aduentu in mundum. Agnoscebant enim hac veluti fideiussione, firmari toties iteratas diuinas voces de aduentu Christi, qui non erat vltra diu differendus orta iam matre. Sicut neque post Auroram Soli præcurrentem, diu differtur exortus Solis.

Hæc quæ ad propositi tituli expositionem protulimus, non inuerisimiliter dicta videri poterunt, si ipse per se titulus attendatur. At si spectetur prout depromptus, ex Andrea Cretensi, non dubito, quin aliò sit referendus. Hoc vt intelligatur, recolendum est ex Græcorum synaxario Feriæ quintæ Dominicæ quintæ Quadragesimæ, qua officium Magni Canonis decantabatur, eodem Andrea Cretensi autore, lucubrationem Sophronij Patriarchæ Hierosolimitani de vita S. Mariæ Ægyptiacæ, fuisse conscriptam eo ipso tempore quo Andreas conscribebat magnum Canonem; eandemque lucubrationem Sophronij ab ipso Andrea primùm fuisse perlatam Constantinopolim, cum illuc esset à Theodoro Sophronij successore ablegatus, ad 6. Synodum. In ea porrò lucubratione, narratur, S. Mariam Ægyptiacam in atrio templi Hierosolimitani hærentem, post frustra tentatam subitionem in templum, diuinitùs collustratam, & edoctam suæ à templo repulsæ causam, confugisse ad Deiparam, eamque sibi apud Deum optasse fideiussorem, quod Deinceps, conciliatæ sibi diuinæ gratiæ tenacissimè inhæreret. Hoc ergo est quod Andreas ad eam historiam alludens, Deiparam vocauit *fideiussorem diuinæ, reconciliationis*.

Filia vitæ.

COntra profanam impietatem Pauli Samosateni, qui Christum affirmabat esse purum hominem, sic disputat S. Dyonisius Alexandrinus Epistola contra eum, *ferè initio*. [Verbum, caro factum est secundùm Scripturas, non diuisum in carnem & Verbum, quasi in homine habitet Verbum: Hæc enim fuga generationis est. Siquidem iam inde habitat, in quibus multæ reperiuntur matres. Vna autem & sola Virgo filia vitæ, genuit Verbum viuens, & per se subsistens, increatum, & creatorem.] Concinnè S. Mariam vocat *filiam vitæ*, quia nec concepta est in peccato, nec mortis quicquam in se admisit vnquam; sed semper sana & sancta fuit, contra quàm nobis contingit, qui natura filij iræ existentes, subinde filij mortis sumus. Factum est ex B. Maria, Verbum caro. Itaque decebat, vt quæ Verbum viuens ipsamque vitam editura erat, esset filia vitæ. Negat porrò S. Dyonisius, habitasse in ea Verbum vitam: vtique ad sensum Samosateni, qui habitationem trahebat ad personarum in Christo multiplicitatẽ; quæ est fuga & eliminatio generationis Christi. Sic enim Christus, ex plerisque matribus generatus esset, ac subinde generaretur: Nimirum ex omnibus qui Deo se per affectum coniungentes, & facientes voluntatem Patris, audirent matres Christi, iuxta Christi oraculum Matth. 12. Verè tamen Verbum viuens, in vna illa matre filia vitæ, habitauit caro factum, salua naturarum diuersitate, cum personæ identitate. Ioannes quippè cap. 1. disertè agnoscit huiusmodi habitationem Verbi in nobis. Et Apostolus Coloss. 2. ait, plenitudinem diuinitatis habitasse in Christo corporaliter, hoc est hypostaticè, & non secundùm solam habitudinem, vt exponit S. Cyrillus l. 1. Pentabibli ca. 1. & 8. Quod autem Mariam Deiparam, à S. Dyonisio dictam filiam vitæ, accepi de sanctitate qua colluxit iam à primo conceptu, ita vt ne ad momentum quidem fuerit filia mortis, bellè cohæret cum eo quod de eadem Epistola S. Dionysius; nimirum quod *à capite ad pedes fuerit semper incontaminata*, Quid enim est *à capite ad pedes*, nisi ab initio primo vitæ ad finem vsque, Virginem fuisse prorsus nitentem & absque macula?

Finis Testamentorum quæ nobis fecit Deus.

SCriptura sacra, *Testamenti* nomine donatur, quod pactiones Dei cum humano genere initas contineat, vt D. Hieronymus notauit in cap. 3. ad Galat. & pleniùs edisserunt Serarius in prolegom. Bibl. c. 26. & Iosephus à Costa l. 1. de Christo reuel. c. 12. & 13. qui ibidem cap. 1. rectè præmiserat, vniuersæ scripturæ atque adeò omnium Dei testamentorum scopum, esse Christum Dominum. Et quia B. Virgo vnum quid moraliter cum Christo facit, ratione inclusi intra eam Christi; haud absurdè, sicut Christus, sic & ipsa, finis Testamenti vtriusque dicta est à S. Germano: concinerèque videtur Autor sermonis tertij super *Salue Regina*, adscripti S. Bernardo. Ait enim de B. Virgine, [De hac, & ob hanc, & propter hanc, omnis scriptura facta est.] Quod addit, *propter hanc totus mundus factus est*, excussum est in Diptychia.

Firmamentum dogmatum Christi.

EAtenus B. V. dicitur firmamentum nostrorum dogmatum, quatenus aduersus ingruentes hæreses Ecclesiam firmat interuentione sua & precibus, ac exoratione idoneorum operariorum qui velut columnæ, labentem, siue ab hæresibus, siue à corruptis moribus in hæreses denique degenerantibus, fatiscentem Dei domum suffulciant. Quod præstare nauiter B. Virginem, sæpè compertum est. Sed luculenter patuit ex eo viso quod recitat Theodoricus de Apoldia lib. 1. de vita S. Dominici c. 2. iuncto alio quo persuasum Innocentium tertium, S. Francisco annuente, scribit S. Bonauentura. Ex eo verò opportuna suppetiatione aduersus hæreses, & hæreseon plantaria, quibus infœliciter subolescentibus dogmata Christiana exarescerent, datus est B. Virgini titulus *interemptricis cunctarum hæreseon in vniuerso mundo*, vt dictum est sub finem Diptychorum, ex nonnullis Patribus, quibus addendus est creditus Hieronymus sermone de Assumpt. ad Paulam & Eustochium. Eodemque recidit nomen *firmamenti dogmatum Christi*.

Possumus id illustrare ex doctrina, quam latè, & admodum speciosè confirmat eruditus quidam interpres in cap. 12. Apocal. ad vers. 1. vbi præfatus mulierem ibi Ioanni obuersatam sole amictam, & lunam sub pedibus habentem, esse Ecclesiam; ait lunam illi esse sub pedibus, eo quod lunæ tanquam firmamento, & basi innitatur. Esse autem lunam præclarum symbolum B. Mariæ, prosequitur plenissimè idem autor Notat. 2. ad eum textum: & benè idem monstrant. Petr. Damiani sermone de Assumpt. & serm. 2. de Natiu. B. V. ac Innoc. III. serm. 2. de Assum. & Rich. à S. Laur. l. 7. Egregiè item cum luna, sed plena, Deiparam confert Anastas. Sinaita 4. Hexaëm. Bellissimè verò nomen *Reginæ cœli* quod apud Ieremiam cap. 7. Lunæ tribuitur, cadit in B. Virginem, cuius est apud Patres & sacros tractatores vulgatissima appellatio. Lunam item esse virginitatis symbolum, pulchrè docet Autor Tractatus de passione Domini apud Bernardum capite trigesimo primo. Quin etiam Lunam de Ethnicorum sententia, fœcunditatis nexæ cum pudicitia symbolum habitam esse, docemur ex nummo Cornuchæ Augustæ apud Pierium lib. 44. quod bellissimè quoque cadit in Virginem. Cui denique optimè tribuatur, quod de luna scriptum est à Plinio l. 2. cap. 9. eam fuisse omnium quæ in cœlo pernosci potuerunt, Magistram. Hæc igitur mystica luna, subiacet Ecclesiæ pedibus, vt sit ius basis & firmamentum: multo potiore iure quam Apostoli, de quibus SS. Hieronymus & Gregorius interpretantur bases terræ, quarum mentio est apud Iobum cap. 38.

Firmamentum porrò est Ecclesiæ B. Virgo, firmando dogmata eidem à Christo tradita: & ne qua vi, vel fraude hostili conuellantur, aut quatiantur, protectione sua ac precibus, obstando. Facit ad hanc mentem quod Beda in cap. 1. Genes. aquas ab aquis per firmamentum diuisas, exponit Catholica dogmata ab hæreticorum erroribus discreta per Ecclesiam; atque adeò iuxta doctrinam Honorij initio sigilli B. Mariæ, per ipsam S. Virginem. Quanquam aliter quoque eam rationem firmamenti facti in medio aquarum, B. Virgini adaptat Autor sermonis tertij super *Salue Regina*, apud Bernardum; ac aliter etiam Rutilius Benzonius in Psalm. 86. c. 8. Nec difficile est reuoluitur, quod Anastas. Sinaita l. 1. in Hexaëm. firmamentum interpretatus ipsum Christum; ait medium aquarum in quo tale firmamentum est positum, esse B. Virginem.

Fœmina, concipiendo Virgo reddita.

NOn est sensus, B. Mariam ante conceptum Christum fuisse corruptam. (apage blasphemiam:) ipsa autem Christi de Spiritu sancto conceptione, fuisse restitutam integritati, vt lauatione in aquis Canathi fluuij quotannis accidisse Iunoni, virginitatem suam sic reparanti, fabulati sunt Ethnici. Quinetiam inter Christianos aliqui id naturaliter fieri posse per herbam viuam, commenti sunt, vt habetur in Gener. hist. plant. l. 18. cap. 143. Ac ne quid fingatur ridiculum quod suffragatore vacet, Leonardus de Vtino Tract. de sanguine Christi cap. 21. dub. 7. affirmat, Magdalenam ante corpore corruptam, nec vltra virginem, diuinitus, etiam corpore Virginem redditam: quod si Deo placet, vult traditum esse à S. Thoma. Sed est merum commentum, quamuis posset quæ corrupta fuerit, diuinitùs reparari corpore, quod vnum asserit D. Thomas, & contra prætensam D. Hieronymi contrariam sententiam, fusè prosequutus est Petrus Damiani Opusc. 36. & D. Hieronymum expendentes Rupertus lib. de læs. virginit. cap. 11. Petr. Cellensis lib. 6. ep. 23. ac Aug. Anconit. lect. 17. super *Missus est*. q. 5.

Igitur S. Hildefonsus qui B. Mariam conceptione redditam Virginem dixit l. de virginit. B. Mariæ cap. 10. noluit eam priùs corruptam insinuare, cùm toto opere tam strenuè pugnet pro æternitate (vt loquitur,) virginitatis S. Mariæ; id est, vt ostendat, eam & ante partum, & in partu, ac post illum fuisse Virginem. Sed sensus S. Hildefonsi est, B. Virginem, conceptu & partu suo, factam esse nitentiorem, tantúmque abesse, vt quod aliis accidit mulieribus, concipiendo & pariendo amisent virginitatem, vt potiùs retenta illibatissima corporis integritate, valdè auxerit animæ, corpus per gratiam sanctificantis puritatem; & corporis quoque nitor ita munitus sit, & quasi sigillatus eo concepto, vt loquuntur Hesychius hom. 2. & Petrus Damian. sermone vndecimo vt deuouerit omnino; Deum deinceps permittere vlla carnis fœculentia infici sic sanctificatum tabernaculum; quod est Virginem concipiendo accepisse confirmationem

in dono virginitatis, & factam esse *Virginiorem*, vt loquitur voce nouata, sed rem bellè exprimente, Aned. Lausan. homil. 4. Pulchrè item S. Augustinus serm. 10. de tempo. sic loquitur de B Virgine. [Sancta credidit, sancta concepit, sanctior efficitur post partum.] Et paulo post. [Virgo auribus impraegnabatur. Audiat omnis aetas quod nunquam audiuit. Virgo partu suo nupsit, virginitatem, dum pareret, duplicauit.] Item Pet. Chrysol. ser. 142. [In tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas.] Hac de re pleniùs in Diptychis, tractando B. Virginis puerperium.

Forma Dei,

EO sermone qui perperam D. Augustino inscriptus est, numero 35. de sanctis, estque reuera Fulberti (nam Augustini esse non potest, cum allleget Isidorum tanto posteriorem l. de vita & obitu sanctorum;) Autor sic affatur B. Virginem. [Quid dicam pauper ingenio, cum de te quicquid dixero, minor laus est quàm dignitas tua meretur? Si coelum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, praecedis. Si formam Dei appellem, digna existis, &c.] Quae verbatim item habentur apud S. Hildefonsum serm. 8. de Assumpt. Quo sensu Fulbertus *formam Dei*, appellet B. Virginem, ambigi potest. Neque enim cadit in Virginem notio *forma Dei*, quae ponitur ab Apostolo Philipp. 2. exprimitque diuinitatem: de qua etiam Rupertus lib. 11. de victor. Verbi Dei cap. 27. accipit illud Psalmi, *Speciosus forma prae filiis hominum*. Putat enim *formam* ibi idem esse quod *Deitatem*.

Vir apprimè doctus in Opere pro immacul. conceptione cap. 3. à num. 15. duplici de causa censet B. Virginem dictam esse *formam*, siue (quod ipse eodem recidere, & idem sonare putat,) *Ideam Dei*. Causa prima spectat humanitatem assumptam, secunda diuinitatem. Potest ergo B. Virgo dici *forma & Idea Dei*, quia filij vt plurimùm matrizant, iuxta Iurisperitos ac Medicos, id est, matrem moribus, & genio ac ingenio solent referre. Videsis Tiraquellum ad leg. 2. connub. num. 73. Christus ergo matris mores exactè referebat, ita vt nihil eluxisset perfectionis in matre praedelineatum, quod in filio, & quidem multo expressius, non exhiberetur. Quod est B. Virginem esse formam & ideam Dei, non quidem causalitate actiua matris in Filium, sed imitatione passiua virtutum matris, per virtutes filij, intra gradum quo erant commensae: quamuis in Filio, haberent insuper grande incrementum. Qua ratione 1. Petri 5. Pastores monentur fieri *forma gregis ex animo*. Et proportione seruata, instrumentum quo res, materialis, certo quodam modo effingitur, *forma* appellatur, vt notum est de forma calcei in sutrina: fiscellas item in quibus caseus exprimitur, *formas* appellant, iuxta illud Columellae l. 7. c. 8. *liquor in formas transferendus est*. Per imitationem ergo passiuam maternarum virtutum in Christo Deo homine conspicuam, B. V. dicta videtur *forma Dei*; iuxta doctorem quem referebam. Potest secundò iuxta eundem Autorem, B. Virgo dici *idea & forma Dei*, quatenùs in Virgine, plusquàm in vlla creatura, elucet magnitudo Dei: & quia, eo modo quo Deus fieri potuit eóque excellentissimo modo quo fieri potuit, ex Virgine & per Virginem factus est. Ac denique quia B. Virgo, in se vtcunque repraesentauit diuinas processiones, cùm Trinitas iuxta Nazianzenum carm. de laude Virginit. sit *prima Virgo*: & Pater ex Nysseno l. de Virginit. cap. 2. *absque affectu*, id est non per voluntatem, sed per intellectum, filium genuerit, generatione à voluptate, & quouis adiuncto impuritatis elongatissima. Hoc sensu B. Virginem, dictam formam & ideam Dei, affirmat praedictus Autor.

Sed simpliciùs & haud dubiè germaniùs, ac sensui Fulberti cohaerentiùs, dicemus, B. Virginem non per respectum ad Christum, & tanquam ideam morum eius; nec per respectum ad magnitudinem Dei agnitam ex Virgine; aut ob effectionem Dei hominis ex Virgine; nec denique ob diuinas internas processiones in ea adumbratas, dictam esse formam Dei. Ac primùm remouenda est causalitas quaecunque idealis à B. Virgine manans, siue in virtutes & mores Christi, siue in Deum. Idea quippe est vera causa, atque adeò non potest destitui influxu & causalitate in rem cuius idea dicitur. Eam verò causalitatem morum & virtutum B. Virginis in Christi mores ac virtutes, admittere non possumus; cum Christus quoad mores & sanctitatem sit, fons fluminis sui, vt de Deo aiebat Pasch. li. 2. de Sp. S. c. 7. atque adeò nullius personae creatae causalitatem admittat ea in parte. Deus multò minùs est capax ideae vel formae, quem S. August. scitè appellat *Formam non formatam* lib. 15. de Trinit. cap. 16. & concinnè quoque S. Fulgent. lib. de Trinit. vocat *formam infabricatam, à qua formata sunt vniuersa*. Nec si factus est homo, verum est ea ratione Deitati tribui posse Deo Ideam & formam. Nam quidquid ibi effectum est atque causatum, extra diuinitatem est. Aliqualis autem expressio, seu veriùs rudis adumbratio vnius duntaxat processionis internae, non potest dici ad Deum vt Trinum se habere vt Idea ac forma. Itaque ingeniosa illa subtilitas, circa modum quo B. Virgo dicta est forma Dei, exacuta videtur.

Est ergo B. Virgo *forma Dei*, quia imaginem & formam Dei, quae in omnibus iustis cernitur, praecellentissimè habuit; gratiam inquam & sanctitatem, propter cuius excellentiam, ad Deum accessit proximiùs quàm vlla pura creatura: ita vt iuxta S. Bernardum serm. de Verbis Apocal. *signum magnum*, [quantum sine personali vnione, creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa:] non absque adiuncto luci, calore proportionato charitatis, quam gratia & Dei imago ac forma, assectatur, velut essentia proprietatem connaturalem. In hoc sensu S. Dionysius, vel quisquis fuit Autor Epistolae nomine Dionysij ad B. Paulum conscriptae, B. Virginem vocat *Deiformem*, gratulans sibi supra quàm dici potest, quod à B. Ioanne deductus esset *ad Deiformem praesentiam altissimae Virginis*. Sicut ergo B. Virgo eximiam omnino ac praecellentem sanctitatem supra omnes puras creaturas adepta est, ita singularissimo modo & antonomasticè potuit dici *forma*, id est, *imago Dei*, ratione tam eminentis gratiae tamquam exquisitae sanctitatis. Ab Andrea Cretensi orat. 2. de Assumpt. hoc ipso sensu dicitur, *Rectè descripta diuini archetypi imago*. Et concinit Ioan. Geomet. hym. 3. cum ait, *Gaude Virgo decus naturae, pulchraque imago, quae summi genium continet artificis*.

Fornax Babylonica.

NOn videtur B. Virgini admodum consentaneus hic titulus. Quid enim commune loco ad impietatis & atrocissimae crudelitatis exprom-
ptionem

pribnem destinato, cum sede totius sanctimoniæ, & pietatis? Quid Tyranno immanissimo, & ministris truculentissimis fornacem ad Sanctorum carnificinam incendentibus, cum Spiritu sancto & beatis Angelis circa B.V. distentis ad testandam abyssum diuinæ erga genus humanum charitatis? Nihilominùs non desunt Patres, quibus placuit B. Virginem cum fornace Babilonica conferre. Anastasius Sinaita lib. 4. Hexaëm. tractans quaternarij prærogatiuas, hoc disertè tradit. Cosmas Hierosolymitanus carm. in Theogoniam sic habet.] Miraculi supernaturalis rorem fundens, figurabat fornax, figuram, non enim quos suscepit, vssit iuuenes, Sicut neque ignis diuinitatis, Virginis quem ingressus est ventrem.] Damascenus non dissimiliter carmine de eodem argumento. [Matricem adumbrant Virginis iuuenculi, Quos nihil volutos in rogo, læsit rogus; namque illa, mitè Virgo dum parit, manet. Vnoque faciens hæc duo, miraculo, Gentes ad hymnos gratia omnes excitat.] Idem orat. 1. de Assumpt. alloquens Deiparam [Quid? An non te fornax illa designauit, quæ ignem simul, & refrigerantem & inflammantem ostendebat, diuinique illius ignis in te habitantis typum gerebat?] In Canticis Ecclesiasticis Græcorum, quæ Billius suæ Damasceni operum editioni adiunxit, Canone Anastasino 1. Ode 7. sic legitur. [Te Deipara, intellectualem fornacem fideles scimus. Summus enim Deus qui tres pueros conseruauit, totum mundum in tuo sacro vtero renouauit.] Idem satis apertè habet Anastasius iam citato lib. 4. hexaëm. Nam ignem, de diuinitate Verbi, conserta carni nostræ interpretatus, ait eum pios refrigerasse, non læsisse, impios perdidisse, quæ est allusio ad ignem fornacis Babylonicæ: atque adeò B. Virgo, intra quam ignis ille consociatus est materiæ nostræ, cum fornace Babylonica ab eo componitur. Et idem habetur in Menæis 16. Ianuarij Ode 7. præter correspondentias verò à prædictis Patribus tactas, addi potest visum esse in ea fornace quartum similem filio Dei, qui cum pueris descendit in tribulationem, quod est luculentum symbolum Christi ad necessitates & miserias nostras releuandas demissi in vterum B. Virginis. Itaque comparatio B. Virginis cum Babylonica fornace, est satis accommodata.

Difficultas quæ mouebatur ea scelere incendentium Babylonicam fornacem, & sanctorum carnificina in ea officina crudelitatis, euanescet, si recolatur doctrina D. Augustini lib. 22. contra Faust. cap. 83. ac Petri Blesensis in inuectiua contra deprauatorem suorum operum *in fine*, quam variè illustrant Sancius in cap. 1. Oseæ n. 18. & Sbertlogus in Cant. Anteloq. sect. 2. num. 14. nimirum quod ea quoque in Scripturis ad bona significanda adhibeantur, quæ mala sunt. Sicut è contrariò, interdùm bona sunt ad contrariorum adumbrationem vsurpantur. Sic plerumque (ait S. Gregorius 3. Moral. cap. 21. res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa, sicut aliquando res gesta, in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis.] Non me latet quibus sannis hac doctrinam excipiat Gul. Paris. l. de legibus cap. 27. sed apud nos, supra omnem comparationem pluris est S. Gregorius, cui alij Patres apertè suffragantur, saltem quoad bonorum adumbrationem per res malas quod satis est ad astruendum propositam B.V. cum fornace Babylonica contentionem, rectè habere, etiam si fornax illa esset officina crudelitatis, & nequitiæ instrumentum.

Nec dissimiliter Petr. Dam. opusc. 11. c. 18. religiosum statum quem pro viribus celebrat, confornace Babylonica in qua vt ait; [Sancti pueri furentis incendij vires orationibus reprimunt, & ardore fidei, crepitantium contra se flammarum globos extinguunt, vbi & nexus vruntur, & ardorem membra non sentiunt, quia & peccata soluuntur, & in hymnum diuinæ laudis anima pronuncatur.] Sanctus Cyrillus Alex. homilia habita, Ephesi priusquam comprehenderetur (habetur 16. edit. Pel. c. 12.) ait, fornacem Babylonicam esse Ecclesiæ figuram, quæ sanctos habet, nec homines duntaxat, sed etiam Angelos collaudantes Deum in angustiis.

Genitrix filij temporis sinus æterni.

SIc exprimo verba Ioannis Geometræ hymno 2. do B. Virgine χρόνου γενέτου γενέτειρα, ἀπείρου κόλπε [uncertain reading]; voce γενέτου pro filio vsurpata; vt factum à Sophocle obseruat Budeus quamuis Geometræ interpres γενέτην acceperit pro patre vt aliquando accipitur, verteritque; *Salue temporis ô genetrix patris, & sinus aui*: qua ratione sensus esset, B. Virginem genuisse Deum, temporis & temporalium Patrem & eiusdem nulla duratione conclusi sinum esse χρόνος enim ἄπειρος, non *auum*, sed *immensè durantem* sonat. Sed quanquam hic sensus est Virgini admodum honorificus tamen sensus quem proposui, & Græcis verbis est cohærentior, & concinior, Contraponitur enim duplex Christi attributum; æternitas nimirum ratione Deitatis; & duratio temporaria ratione humanitatis. Ratione huius durationis aliquando inchoatæ, & aliquando finitæ, Christus fuit filius temporis; cuius sub eo respectu, genitrix fuit B. Virgo; quæ item in sinu suo excepit æternum Deum, nullis temporum finibus conclusum. Quidam serm. de Purif. discursu 3. allegans hunc Sancti (vt ait) Ioannis Geometræ locum, sic eum refert. *Maria genitrix temporum, sinus seculorum*: quod refert ad fœlicia & aurea tempora per Virginem orbi adducta. Sed Canonismus Ioannis Geometræ, quo hic Autor, & alij eiusdem farinæ cum donarunt, vocantes *Sanctum*, nullius siue Latini, siue Græci Calendarij aut historici, suffragatione fultus, non est admittendus. Illa verò verborum eius interpretatio quam adhibent excoriatio potiùs est quàm versio, nec vlla ratione quadrat menti Geometræ.

Gutta.

GRæcè στάγων Potest in primis hæc *gutta* tametsi generale nomen, & quiduis stillatitium ac guttatim manans designet, restringi ad eam notionem in qua sumitur Psalm. 44. vbi dicitur; *myrrha, & gutta, & casia a vestimentis tuis.* S. Hieronymus pro *gutta*, legit *stacten*: quo nomine Dioscorides ac Plinius, sudorem guttatim ex myrrhæ arbuscula non incisa defluentem intelligunt, contra quàm Theophrastus, qui stacten ait è myrrha, & cinnamomo incisis defluere [Ex cinnamomo (inquit, & smyrna contusa oleum manat. *Stacte* autem appellatur, quia paulatim, & guttatim fluit.] Is verò arbuscularum odoratarum stillaticius fluor, est flagrantissimus, præsertim cum vltrò defluit iuxta illud, *& quasi libanus non*

incisus vaporaui habitationem meam. Vt propterea apud Comicum in Curculione, in congerie rerum odoratarum, stacte, seu gutta de qua agimus, primum locum teneat cũ ait, [tu stacte, tu cinnamomum, tu rosa tu crocum, & casia es.] fouendo cordi, ac cerebro percommodã esse eam fragantiã, habetur ex Aebeoreo l. vlt. dyp. c. 14. & 15. monstratq; vsus Hebræorum, apud quos mulieres teserum huiusmodi liquore vasculum ad pectus dependens gestabant, cui Isaiæ 3. nomen est *olfactoriolo*. Græcè *ναρδοφυλάκιον* habetur; Hebræi *domum animæ*, à proposito affectu appellabant.

Nihil facilius, quam hæc omnia ad Deiparam accommodare, eámque in sensu prædicto vocare *guttam*. Est enim Liban. non incisus ea Beda Cant. 4. Apposite item Matthæus Cantacuzenus tractans illud Canticorum, *Fasciculus Myrrhæ*, ipse legit, *fasciculus guttæ, δεσμὸς τῆς σταχτῆς* Fasciculus (inquit) est ex virginalibus sanguinibus post abstracta præter leges naturæ. Re enim vera omni ea parte, inculpata Virgo, vocabulo *Gutta* prædicta est, quæ tanquam flos emanat è radice Iesse, omnesque fideles fragrantia replet. Data enim fuit ei virtus ex alto, & S. Spiritus gratia eam obnubrauit. Fusè de fragrantissimis virtutum Deiparæ odoribus, Richardus à S. Laurentio l. 12 de Deip. *pag.* 775. His odoribus, speciosissima hæc puella, ferociens olim Dei verbum velut vnicornem, in sinum suum placidè cum quietutum attraxit, iuxta ea quæ de vnicornis cicuratione, per obiectam speciosissimam, & fragrantissimam virginem tradunt S. Gregorius 31. Moral. c. 13. & S. Isidorus l. 12. c. 2. quæ B. Virgini Deum olim vltionum mitiganti accommodat Cantipratanus libro 2. Apum cap 29. n. 13.

Quadrare potest in Deiparam alia *Gutta* notio, insinuata à S. Hieronymo in Psalm. 44. Eaponit eam ex Scaligero exerc. 196. num. 4. vbi tradit, Chameleontem venenatorum serpentum hostem acerrimum, vbi iacentem conspicatus serpentem fuerit, conscensa imminente eis arbore, filum ex ore demittere araneorum more, in cuius fili extremo, guttula est margaritæ splendore. Quid si ramus minus ad amussim respondeat loco inferiore in quo cubat serpens, nec possit filum demitti ad perpendiculum, ea sagacitate adhibitis anterioribus pedibus versuta bestiola filum corrigit, eiusque tractum temperat, vt ad lineam quasi catheton descendat. Eius guttæ allapsu tactus in vertice serpens, illicò emoritur. Frustra monstrarem, quantæ sint inter serpentem, & mulierem, hanc sanctam inimicitiæ, cum ea ipsius Dei denunciatione sint competissimæ, de sententia omnium Patrum qui illud *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ipsa conteret caput tuum*, de B. Virgine accipiunt, nequicquam frendentibus, & ex aduerso sibilantibus serpentinis geniminibus sectatiorum, pessimè in B. Virginem animatorum, quos validè repellunt Delrio ac Cornelius Genes. 3. v. 15. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 12. & omninò accuratè Delrio in digressione subiecta Adagio 6. Veter. Testam. confert serpentis sibi exosi caput hæc antonomasticè mulier, & verè adiutorium viri Christi, demissa in caput illud noxium gutta margaritifera, hoc est per Christum quem de castissimis visceribus procreauit.

Est tertia guttæ notio facilè aptanda Deiparæ, quam suggerit Cantinius l. de locis Noui Testam. cap. 6. & 13. Exponens enim Ethymologiam nominis *Mariæ*, ait, id nomen Hebraicè dici *Miriam*, Verùm Syriacè dici *Mariam*. Quemadmodum Syriæ oppidum quod Hebraicè *Migdal* appellatur, Syriacè *Madal* dicitur, & ab Herodoto vulgarem Syrorum vocem retinente *Μάγδαλον*. Et qui Hebraicè dicitur *Ribbon*, Syriacè *Rabbon* vocatur: vnde illud Magdalenæ Christum rediuiuum Syriacè compellantis, *Rabboni, Domine mi*, vel *Magister mi*. Ad eundem ergo modum, quæ Hebraicè Exodi 15. *Miriam* dicitur Syriacè (quo idiomate Christus, & SS. Apostoli locuti sunt,) *Mariam* nominatur. *Mariam* autem siue *Miriam*, nomen est bisyllabum cuius posterior portio, *iam* signat *mare*. Prior verò syllaba *mir*, siue *mar*, guttam, vel stillam sonat: & quidem sublimem, siue enectam, & excelsam. Nam illud *Mem* quod verticem syllabæ prædictæ occupat, est heemanticum à radice *ram*, habens in medio Iod quiescens, quo io derivatis ab huiusmodi themate, mouetur. Vnde à *ram* existit *riam*, & addito *Mem*, *Miriam*, siue *Mariam*, quod significat *guttam maris excelsam*, vel *guttam maris eleuatam*. Hæc gutta notioù quam belle in Virginem cadat exponam V. *Vapor*. Nec vana suspicio est, qui diactunt nomen *Maria*, sonare *stellam maris*, stillam, siue guttam, vertisse in stellam, ita vt quæ dicenda erat *stilla maris*, hoc est gutta è mari educta, & eleuata, dicta ob vocis affinitatem imperitè sit, *stella*. Nam tametsi reipsa B. Virgo est *stella maris*, & Cynosura ad quam in hoc naufragoso Oceano nauigantes cursum dirigere oporteat, si naufragio eximi velint, quod pulcherrimè, ac piissimè tradit S. Bernardus homil. 2. super *Missus est*. Tamen si habeatur ratio notionis subiectæ voci Hebraicæ *Miriam*, non est accommodata vox *Stella*, sed adhibenda vox *stilla*.

Alia ratio denominandi B. Virginem guttam, inde peti potest, quod S. Dionysius Areopagita, ab Oeco dictus est, *Gutta amentiam excauans*. Notum adagium, quod Naso à Tibullo, hic à Lucretio, hic rursus à Choerilo Græco Poëta est mutuatus, *Gutta cauat lapidem*, aut vt est apud apud Iobum c. 14. *lapides excauant aquæ*, quod ibi Polychronius exponit de aqua guttatim cadente, & vel saxa peredente. Similiter ergo dura, & lapidea corda ingi, & assiduo, tametsi leni allapsu influxuum quos Deipara benignè tangit peccatores excauantur, ita vt denique cedant & pertondantur. Vulgatæ sunt narrationes multorum qui in peccatis veluti lapiduerant, & ope Deiparæ sunt emolliti.

Hortus refugij.

CErtum est, ex Autoris Ioannis Geometræ mente, hunc esse antiquum aliquem B. Virginis, potissimè, & illibato prorsus pudoris virginei flore concipientis ac parientis typum. Nam eo loco vnde hic Virginis titulus depromptus est, hoc est ad cap. 1. Lucæ vers. 36. vt in catena Corderij videre est, addensat Geometra typos antiquos puri conceptus, & partus B. Virginis à Patribus expositos, quos inter recenset istum, *Hortus refugij*. At in veteri Testamento, legimus sanè ciuitates refugij: Hortus tamen refugij nunquam comparet. Quia deficit nos Græcus Codex, ad quem liceat proprietatem Latinæ interpretationis admetiri, cogimur dicere, hortum refugij videri illummet *hortum* esse, qui *conclusus* appellatur. Cant. 1. Locus enim conclusus, & obseptus, metus est; ibique meritò perfugium captat, qui sibi à vi externa metuit. Certè quamuis varij variè de eo Horto eiusq; clausura pronunciarint, vt videre est apud Delrium

ibi

ibi in explicatione literæ, iuncto adag. 547. Tomi secundi. Tamen admodum protrita expositio est, dictum esse *hortum conclusum*, quem velut claustrum validum arcendis feris ac furibus structum communiret. Huiusmodi verò hortum benè obseptum benéque munitum, liquet aptè dici posse *hortum refugij*, in quo summa iucunditate, visendi flores & fructibus vescendi, cum summa securitate à Tartareis lupis & humanam faciem præferentibus feris, perfrui liceat.

Interemptrix vniuersæ hæreticæ prauitatis.

TRibuunt hoc decus B. Virgini, graues DD. nominatim Rupertus l.1. in Cantica, verbis illis. [Ante nos dictum est, tu sola es Virgo quæ vniuersam hæreticam prauitatem interemisti.] Similiter S. Bernardus serm. in illud, *signum magnum*. [Maria est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem.] Apud Sophronium serm. de Assumpt. Virg. æquè habetur [Hæc est virgo quæ sola interemit vniuersam hæreticam prauitatem.] Ipsa Ecclesia ratum habet hunc Virginis titulum canens dicens, [Gaude Maria Virgo, quæ cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.]

Verum duo sunt quæ circa hunc titulum difficultatem faciunt. Primum quod B. Virgo dicatur excidisse vniuersam hæreticam prauitatem. Secundum quod sola id præstitisse affirmetur. Si enim ageretur de aliqua duntaxat hæresi quæ in iura Deiparæ præsertim incurreret, cuiusmodi erat Nestoriana abrogans ei maternitatem Dei verisimiliter diceretur decus illius hæreseos extirpatæ ad B. Virginem esse referendum. Quod agnouit S. Cyrillus hom. de Deip. habita in Concilio Ephesino vocans ob hanc causam B. Virginem, *Sceptrum fidei*. Et Paulus Emesenus aliique in eodem Concilio prolati in homilijs aut epistolis cóscriptis post damnatum Nestorium, eius cladem & fidei contra eum tutelam tribuunt B. Virgini. Videtur porrò S. Bernardus eo sensu intellexisse quod dixit de interemptione vniuersæ hæreticæ prauitatis per Deiparam. Nam post verba quæ ex eo retulimus, exponens quæ sit vniuersa illa hæretica prauitas per Deiparam extirpata, addit. [Alius non de substantia carnis suæ, Christum edidisse dogmatizabat alius paruulum non peperisse, sed reperisse sibilabat. Alius vel post partum viro cognitam blasphemabat: alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen *Theotócos* impiissimè sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & Beatam eam dicunt omnes generationes.] In has omnes hæreses quod peculiariter incurrerent in Virginem, eiúsque decus aliquod vellent imminutum aut excisum, insurrexisse Virginem tanquam bellatricem fortem, easque contriuisse, verisimillimè dicitur. Sunt tamen aliæ præterea innumeræ hæreses quæ nullo modo cum Deiparæ iuribus colliduntur, Quid enim hæresi abroganti liberum arbitrium aut neganti sacras indulgentias; cum Deipara? Et tamen in propositis Patrum testimonijs B. Virgo dicitur excidisse vniuersam hæreticam prauitatem, vel cunctas hæreses: Et quidem *sola*, quasi fidei autor & consummator atque adeò primarius defensor non sit Christus, Aut quasi defuerint strenui pugnatores quorum interuentu, (vt notauit Gregorius Nyssenus Orat. in Basilium), Deus hæreses debellauit, prouisis cum primùm acies aliquæ è Tartaro emerserunt, opportunis suppetijs in castris Ecclesiæ quibus hæretici comprimerentur, & fides perstaret inuiolata. Et quanquam quod ad Christum attinet, hic titulus Deiparæ nihil eius iuribus officiat, vt benè notauit Canisius l. 5. de Deip. c. 9. *sub finem* eo quod qui lunam aëris illuminatricem celebrat, nihil soli derogat à quo vniuersa lunæ illuminantis claritas manat: Tamen quod ad Sanctos attinet, videtur illis omne decus in hæreseon extinctione negari, si sola Deipara hæreses vniuersas interemit. Et tamen de S. Basil. Amphilochius orat. in Circumcis. affirmat quod omnes hæreses eradicarit. Et idem habent de alijs Patribus, alij.

Multus in huius nodi expeditione est F. Paulus Rysthius Ord. Prædic. l. 3. Monomachiæ hominis & serpentis cap. 6. & 7. qui sensum tituli propositi legitimum esse putat, quod B. Virgo sola Christum genuerit qui omnes errores extinxit, Addit etiam Apostolos, Euangelistas è quorum pharetris petuntur tela quibus hostes veritatis feriantur instructos fuisse, & munitos à B. Virgine; sin minùs sola, at saltem vt primaria suppeditatrice cuius operæ tanti sit, vt præ ea reliqui vix quicquam Apostolis, ac per eos sacris Doctoribus, ad fidei perennem tutelam aduersus subinde exurgentes hæreses contulisse videantur. Ad hunc item modum exposuit hunc titulum Deiparæ, Suarez t. 2. 3. p. d. 19. c. 2. *in fin.* & l. 2. contra Iacobum cap. 7. num. 17. & Angelus Rocca l. de cruce sacrarij Apostolici cap. 3. Sint hæc omnia, & pia, & verisimilia.

Sed verisimiliùs (certè simpliciùs) dici potest, B. Virginem quo amore Ecclesiam Catholicam extra quam non est salus flagrantissimè prosequitur, eodem suis apud Filium suffragationibus satagere, vt fides quæ est Ecclesiæ veluti anima, perseueret illæsa, & sana. Ideóque quoties noua hæresis emergit fidem pessundatura, eius maximè precibus, & plusquam materna sollicitudine effici, vt non præualeat homo tantámque esse Deiparæ hac in parte curam, vt præ ea quod cæteri ad fidei conseruationem conferunt, vix vllo loco esse videatur. Sicut quamuis Mardochæus, & plerique eius administri nauassent operam in hostibus Iudæorum comprimendis, tamen si quis dixisset solam Estherem consilia Amanis disturbasse, & omnes Iudæorum hostes in Assueri regno euertisse, locutus ad veritatem visus esset, eo quod Esther, plus citra comparationem contulisset in cladem Amanis, & administrorum eius, quàm simul alij omnes.

Vniuersalem hanc, & summam protectionis Deiparæ efficacitatem aduersus omnes hæreses, agnouit Ioannes Zonaras in Canone de sanctissima Virgine matre Domini, quem Genebrard. Interpres obseruat decantari solitum in magna hebdomada, & respondisse Pontificiæ Bullæ in Cœna Domini, eo quod vtrobique proscribantur sigillatim præcipuæ hæreses nimirùm Arrij, Sabellij, Macedonij, Apollinaris, Nestorij, Marcionis, Eunomij, Eutychetis, Origenis, Didymi, Euagrij, Nouati, Encratitarum, Messalianorum, Aërij, Pauli Samosatani, Apellis, Leonis Isaurici, & Bogomilorum,

lorum, quibus annectendus esset ipse Zonaras ob subiunctos prædictis hæreticis Latinos, tanquam assertores processionis Spiritus sancti à Patre, & Filio: quasi verò Latini essent eam ob causam Hæretici. Tot Orientalis hydræ capitum succisionem, in Deiparam refert Zonaras, nec aliam referendi causam insinuat, quàm susceptam à Virgine tutelam Catholicæ fidei, ac sollicitudinem ne portæ inferi præualeant aduersùs Ecclesiam, extra quam animæ pro quibus Christus filius eius mortem oppetiit, æterno exitio subiacerent.

Ius dirimens lites.

Habentur hæc verba Hym. 4 Ioannis Geometræ de B. Virgine, vbi sic illam affatur. Χαῖρε δικαζομένων δίκη Est qui serm. de Annunc disc. 8. has voces referendas censeat ad lites Deum inter & Angelos ex vna parte, homines verò ex altera, feliciter tandem sedatas & compositas per B. Virginis partum, quo pacificata sunt, & quæ in cœlis & quę in terris, iuxta Apostolum. Verum huius sensus ne pilus quidem subest verbis Geometræ. Vt neque alterius quem idem Autor subiicit; putans B. Virginem à Geometra dictam *ius*, id est, legem eo quod sicut lex gnaros æquè ac ignaros docet, ita Beata Virgo non homines modò rudes sed etiam supremos Cherubinos docet vnde ab Hesychio appellatur *Cathedra Cherubrica*, metonymicè sumpto nomine *Cathedra*, pro persona ex ea doctrinam spargente. Hæc omnia sunt planè extra rem, & qui in sensus à mente Autorum adeò extraneos allegant eorum dicta, lanij potiùs quàm allegatores Autorum audire debent Beata enim Virgo, non est dicta *ius*, eo quod commoueat, & doceat, sicut lex facit, vt mox dicam. Neque est dicta *Cathedra Cherubica*, ex eo quod doceat Cherubinos, sed ex eo quod sit proportionaliter arca Testamenti, in qua Deus sedebat super Cherubim.

Æquè congruentur, (idest planè quoque extra rem,) alius in Iuditha figurata numero 17. Virginem à Geometra censuit dictam, *ius dirimens lites*, quia est ius ciuile, seu viua lex, secundùm quàm Iudex filius humanas lites misericorditer dirimit: Ita vt intercessio B. Virginis videatur ius nostrum, secundùm quod à Christo iudicamur. Sicut Iudices, secundùm leges Imperatorum dirimunt lites. Ex quo sequitur, vt non sit timendum causæ eius, qui Dei matris intercessionem sibi asciscit, & Aduocatam illam nactus est: quam sanctus Bernardinus Tomo 1. sermone 52. *curialissimam salutis nostræ promotricem* apud Filium sanctus Bernardus sermone 1. de Assumpt. *Aduocatam salutis nostræ negotia efficaciter pertractantem*, appellauit. Et idem esse putat hic Autor quod beata Virgo *negotiatio nostra* apud Deum nominetur, cum toties in Conciliis dicitur *Theotocos*. Hæc nullo modo quadrant Geometræ, vt statim dicam. Nec satis etiam inter se cohærent. Quomodò enim si Virgo dicitur ius & lex secundùm quam iudicamur, eo ipso dicitur Aduocata, & negotiatrix? Num Aduocati negotiatio, lex est? Quod verò nomen Θεοτόκος in Conciliis Ephesino, & Calcedonensi approbatum, deriuatur à quæstu sine negotiatione Virginis in causis nostris, detorsio est non probanda, quia in sensum extraneum vsurpat grauissimam fidei definitionem, vt subtilitatem prodat in vocabulo.

Genuinus itaque sensus huius tituli, ex ipso Geometra autore eruendus est. Multa ille in multos B. Virginis beneficia eo loco enumerat; victorias in bello partas, repulsos à mœnibus hostes, euersas moles horrificas aduersariorum muros quatientium, auersa naufragia, monstratum in salebris iter, solutos compedibus captiuos. Tum subdit, eos quoque quibus sunt lites, habere præsidium in B. Virgine, quæ versipellium Causidicorum, ius aduersæ partis nequiter impetentium technas dissoluat & Iudicibus adsit, ne innoxium opprimi, iure-ve suo deturbari sinant. Hinc liquet de vero Geometræ sensu, qui non alius est, quàm quod B. Virgo sit ius quoddam animatum, (vt de Christo dixit S. Petrus apud Clementem Alex. 1. Strom. & de quouis iusto Philo lib. de Abraham,) curans vt cuique obtingat quod suum est, & iniquum iudicium auertatur, si eo cum finem ab eo penes quem ius est, interpelletur.

Lata.

Hoc nomine Deiparam appellauit Sathan, vt refert Petrus Binsfeldius l. de Confess. maleficatum prælud. 6. Testatur enim infelicem mulierem è pago soli Treuirensis seductam à Satana ad abnegandum Deum & Deiparam, non audiuisse à Sathana *citra Mariam* sed *citra latam*, quasi *lata* esset proprium Deiparæ nomen. Idem est quod Sprengerus in Malleo malef. p. 2. q. 1. cap. 2. & Stapletonus orat. 1. Academ. testantur, Satanam vel ipso Mariæ nomine perculsum vocare Deiparam, *Extensam mulierem*. Magnos idem facere nec nisi *ruffam*, *latam*, *extensam*, vocare, ait Delrio 2. Mag. q. 4. Solemne id est Sathanæ, vt nolit esse memor nominis proprij Sanctorum per labia sua, sed loco proprij nominis adhibeat circumlocutionem aliquam, haud ita remotam à communi sensu, nec difficile insinuantem personam sanctam de qua agitur. Sic Ioannes Molinetus in Chronico Belgij anno 1490. scribit dæmones non semel expostulasse de matre misericordiæ & de Gigante pusionis baiulo, ac de turris & rotæ gestatricibus, à quibus multas sibi animarum manubias iniuria (scilicet) eripi querebantur. Primo nomine Deiparam, secundo B. Christophorum, aliis duobus BB. Barbaram & Catharinam designabant. S. Franciscum à Paula per Energumenos Satan senem barbatum, pannosum, radicibus victitantem, presso eius nomine appellabat, vt est in vita Sancti viri l. 1. cap. 11. In euentu proposito Satanas B. Virginem vocauit *latam* absque alio addito quasi id esset proprium illius nomen. Quod quorsum à Sathana factum, quæri potest. Nam tametsi dæmon est mendacij pater, eo tamen gloriosius est Deiparæ mendacem deprehendi in eius causa, fructificare veritati.

Num igitur Satan *lata* nomine expressit B. Virginem, quia fuit mulier circundans virum, ita vt magno miraculo & verè nouo super terram, complexa sit intra se eum quem cœli cœlorum capere non poterant? Suspiciebat hanc tantam Virginis, latitudinem & amplissimam capacitatem Proclus homil. de Christi Natiu. t. 6. Concilij Ephes. c. 7. & benè quoque Epiphanius in Deiparæ laudatione, sic exclamans. [O vterum impollutum, habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehensum, in te verò comprehensum, portasti. O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti! O vterum cœlis sublimiorem atque latiorem!] Similia passim prostant apud Patres. Hinc ergo ingens omnino latitudo B. Virginis deprehendi videtur. Et

Beatus quidem Chrysostom. homil. 32. in ad Rom. *sub finem*, summam omnino fuisse B. Paulo cordis latitudinem affirmat quandoquidem mondum totum intra se concludebat. At totius mundi vastitas, quanta quanta est, non aliter præ Deo funditur, quàm parons culex præ immenso sēte, vt Gulielmus Parisiensis ratiocinatur. Itaque ex hoc capite, latitudo quædam immensa in Deipara cogitatione depingi debet.

A capacitate donorum, atque gratiarum, potuisse Deiparam denominari *latam*, ostendi potest, tum quia congregationes aquarum Deus appellauit *Maria*, quod de Deipara accipit Petrus Chrysologus sermone 146. tum quia cor nostrum ex capacitate recipiendi plurima, censetur amplissimum, & vastissimum, S. Macarius homil. 45. ait in eo esse esse omnia, tametsi pusillum mole videatur. Et hom. 15. confert illud eam ob causam, cum palatio. Origenes perpulchrè homil. 21. in Lucam. [Magnum est cor hominis, & spaciosum, & capax, si tamen mundum fuerit. Vis eius magnitudinem latitudinémque cognoscere? Vide quantam diuinorum sensuum magnitudinem capiat. Ipse ait? Dedit mihi eorum, quæ sunt notitiam, rationem mundi scire, & opera elementorum, principium, & finem. & medietatem seculorum, temporum varietates, & translationem mensium, annorum circulos, & syderum sedes, naturas animalium, & furores bestiarum, spirituum violentias, & cogitationes hominum, diuersitates arborum, & vim radicum. Vides non paruum esse cor hominis, quod tanta capiat. Neque in corporis quantitate, sed in fortitudine eius, intellige quæ tantam scientiam capiat veritatis. Vt autem, & simplices quoque ad credendum quotidianis exemplis adducam, quam grande sit cor hominis videamus. Quascunque vrbes transimus, habemus illas in animo, & qualitates. & situs platearum, murorumque, & ædificiorum in corde nostro versantur Viam quam ingressi sumus in memoriæ pictura, ac descriptione retinemus: mare quod nauigamus, tacita cogitatione amplectimur. Non est paruum (vt dixi) cor hominis, quod potest tanta capere.] Si cor nostrum ex capacitate recipiendi intentionaliter & intelligibiliter tam multa, amplissimum & latissimum censetur, quidni Deiparam pronunciemus, non latam modò. sed & latissimam, in quam tota numerositas cœlestium munerum, & plenitudo gratiarum ac benedictionum confluxit?

Suppeditat aliam rationem exponendæ eximiæ latitudinis in Deipara, Sanctus Ambrosius serm. 6. in Psal. 118. ad vers. 5. circa illa Psaltis verba, *& ambulabam in latitudine quia mandata tua exquisiui*. Sic enim scribit. [Qui secundùm mandata angustam, & arctam gradiunt viam, ambulat in latitudine. Vnde legimus. *In tribulatione dilatasti mihi.* Et alibi. *In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine.* Sapiens enim in cordis sui ambulat innocentis, & de eius fonte superfluunt aquæ super eius plateas qui mentem suam non intra corporalia & terrena concludit, sed dirigit ad cœlestia, vt conuersatio eius in cœlis sit. Audi illas angustias sentientem. Pressuram (loquit) patimur, sed non angustiamur. Et quomodò coangustari poterat cuius os semper patebat, ne credentes coarctarentur? Ipse exponat quid sit *ingredi in latitudinem.* Dicit enim, quia etsi corpus angustum est, *cor nostrum dilatatum est: non angustiamini in nobis: coarctamini autem in visceribus vestris.* Coangustari in Paulo non poterant, in quo erat altitudo sapientiæ & fidei latitudo. Quomodò enim poterant coarctari in eo, qui erat vas electionis æternæ? Sed coarctabantur in semetipsis, quia improbus in seipso coarctatur, malitiæ suæ laqueis strangulatus. Constitue mihi auarum, villarum quotidie terminos proferentem, excludentem vicinos; vtrum is tibi dilatari, an coangustari videtur, quem terra ipsa non capit? Quantacunque spatia domus suæ porrexerit, claudunt angustiis opinionis suæ finibus, cui quod habet non est satis. Sed non talis est, qui potest dicere. *Et ingrediebar in latitudine.* Addit etiam causam; *quia testimonia (inquit) tua exquisiui.*] Quantùm ergo B. Virgo exquisiuit Dei mandata, tantum lata & ampla fuit. Quantum abfuit à malitiis, & culpa, tantum abfuere ab ea angustiæ. Exquisiuit autem omnia quantumuis minuta Dei præcepta, supra omnem puram creaturam; fuitque omnibus & Angelis & puris hominibus à culpa remotior. Fuit igitur lata & ampla, imo latissima & amplissima, ex hoc item capite.

Cui verò ista versanti animo non occurrat verisimillima ratio denominandi Deiparam, *latam*, à charitate cuius est in ea summum decus? Hoc vt perspiciatur, attingenda obiter est latitudo charitatis cum Petro Cellensi Epist. 53. vbi sic exclamat. [O excessus charitas! O excedens charitas? Sola in omni genere virtutum excedendo non excedis, ascendendo non corruis, descendendo ascendis. Ad modum proprium cohibetur humilitas, terminos suos habet castitas, ad malum non laxamus obedientiæ habenas, ad fines suos nec extra extendit largitas, ad fines mendacij non accedit veritas. Sic deinque, & aliæ virtutes cursus metàm suos excurrere, sed non transcurrere debent Constituti sunt eis termini qui præteriri non poterunt. At charitas vsque ad cœlum, imo & supra cœlum, velut cui lex non est posita, conscendit. Vsque ad infernum, & etiam in inferno ipso, aliquando descendit. Amicos amplectitur, nec ab inimicis secetur.] Indidem charitatis latitudinem duxit Sanctus Ambrosius serm. 12. in Psalm. 118. ad vers. 8. circa illa verba *Latum mandatum tuum nimis.* Multa enim prælocutus de latitudine iustorum, subdit. [Est latum mandatum sapientiæ quæ in exitu canitur, in amplis autem fiducialiter agit, πλάτος enim Græci sermonis est, quæ Latinè dicitur *latitudo*. Dilatemus igitur cor nostrum, vt recipiamus Apostolicæ vim sententiæ, quæ ait, *Capite nos.* Recipiamus ergo eius sermones in cor nostrum, induamus viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam. O homo quàm latus es, si ad amplitudinem præceptorum cœlestium, sinum tuæ mentis expandas! Quàm latum mandatum est charitatis! *Diligite* (inquit) *inimicos vestros.* Omnes vtique affectu charitatis inclusit, qui non exclusit inimicos.] Addit in eandem sententiam plusculа. Subscribit S. Gregorius hom 14. in Ezech. ad illud, *& mensus est latitudinem ædificij calamo vno.* [Latitudo (inquit) ædificij ad charitatē pertinet, de qua Psalmista dicit, *latum mandatum tuum nimis.* Nihil enim latius, quàm omnes in suos motis recipere, & nullas odij angustias sustinere. Sic quippe lata est charitas, vt in amplitudine dilectionis suæ, capere etiam inimicos possit. Vnde & præcipitur; diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.] Subdit latitudinem propriè ad charitatem proximi pertinere, eamque calamo vno mensurari æquè ac altitudinem quæ pertinet ad Dei cognitionem cum intellectualem, tum affectiuam;

quia

quia tantum quisque in Dei notitia & amore exaltatur, quantum per charitatem erga proximos dilatatur.

His ita de charitatis latitudine constitutis, perspicua esse debet B. Virginis latitudo, & quàm non mendaciter spiritus mendax eam indigitauerit *latam*. Quàm enim lata ac propè immensa est, cuius charitas ad omnes patet, & neminem excludit, quantumuis alienum & inimicum? Habet inimicos B. Virgo, omnes filij hostes. Quo enim telo filium petunt, eodem matrem filio coniunctissimam violant. Itaque inimici Deiparæ sunt omnes Christo rebelles, omnes exleges, omnes peccatores. Iidem tamen beneficia Deiparæ & profusam charitatem experiuntur, cum interuentu eius exorant veniam, & æterno exitio quo alioqui inuoluendi fuissent, subducuntur. Testes Theophilus Oeconomus, Cyprianus Magus, Maria Ægyptiaca, Musa puella apud S. Gregorium 4. Dialog cap. 17. Et in dies, innumeri. Quis porrò ægrotus corpore, aut animo ad Deiparam supplex accessit & repulsus est? An non in ea semper, omnes egeni, promptuarium patens, vt inde necessaria sibi eruerent, reperetunt? Nec expectat, vt plurimum ad se adeuntes, opitulatura duntaxat si interpelletur; sed etiam præuenit in maturitate, & anteoccupat miserorum postulata, qua flagrat in nos charitate. Potest sanè Deipara, iustiùs quàm Paulus, se profiteri, *os nostrum patet ad vos: cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis.*

Ad extremum proferri potest, & ad Virginem adaptari notio *Latitudinis* perfamiliaris Hebræis. Solent enim Hebræi angustias, & latitudinem opponere. Intelligunt autem per latitudinem cor lætum, liberale magnanimum, atque munificum: per angustias verò omnia contraria, id est cor triste, parcum deiectum, atque auarum. Quod quantum ad latitudinem attinet, satis insinuatur 3. Reg. 4. vbi Deus dicitur elargitus Salomoni latitudinem cordis, velut arenam quæ est in littore maris. Id est cor magnificum, & magnanimum, nec angustum, sed amplum, & certans de magnitudine, & amplitudine cum arena, vt benè attigit Pineda l. 6. de Salom. c. 9. n. 2. tametsi paulò aliter eam phrasim accipit l. 3. eiusdem operis cap. 9. num. 5. & 6. Hæc latitudinis notio quàm benè quadret Deiparæ, nemo non videt. Est enim magnificentiæ & magnanimitatis idæa, vt dictum est in tractatione de eius virtutibus, & experientia quotidiana testatum facit, in tam multis cœlitibus muneribus quæ orbe vniuerso variis locis Deiparæ consecratis, abundantissimè conferuntur. Quid quod S. Germanus Orat. de Assumpt. omnia in nobis diuina dona supernaturalia, ad Deiparam referenda esse confirmat, tanquam ad sequestram, qua mediante obueniant? Cum autem eas partes obeat Deipara, non modo liberè, sed etiam lubenti, & propenso animo, non potest inde non erui luculentum munificentiæ, & magnanimitatis, ac excelsitatis animi plusquam Regij argumentum.

Lectulus Dei.

QVò hæc B. Virginis denominatio spectet, non est obscurum. Quia enim qui creauit ipsam, requieuit in tabernaculo eius, proptereà non immeritò denominatur Dei lectulus. Et appositè *lectulus* potiùs quàm *lectus*, quia nihil æquè Deo in Deipara placuit, quam quod esset in oculis suis paruula. Idque fuisse fontem vberrimum copiosæ sanctificationis in Deipara, inde colligit Richardus Victor. suo cap. 26. in Cant. quod hanc virtutem perfectè & totam possederit: humilitas autem locus sit gratiæ Dei, adeò vt tantùm gratiæ capax sit aliquis, quantùm humilitate niruerit. Nam iuxta D. Augustini doctrinam, emittuntur fontes in conuallibus, inter medium montium pertranseunt aquæ. Id est, gratia Dei non peruadit in editos montes superbiæ, sed defluit ad ima vallium, & ibi requiescit. Ita Diuus Augustinus in Psalm. 103. concione 2. Prosper ibidem ad versum 10. & S Gregorius hom. 19. in Ezech. Fuit ergo Deipara lectus paruulus, in quo requieuit qui creauit ipsam. Verè lectulus floridus, vt scitè notauit Gulielmus Paruus in cap. 1. Cant. quia per nouem menses Deus Verbum, in ea, inter fragrantiam omnium florum, fulms florum amœnitate, & malis odoratissimis stipatus, requieuit. Planè hic requieuit Deus fessus robore, id est iuxta glossam Sancti Gregorij lib. 4. moral. cap. 39. charitate quæ spiritus fortitudo est, ad lassitudinem, illum vrgente.

Ex eo porrò quod Deipara sit lectulus Verbi in quo sabbatizauerit & quieuerit, piè inmuit Petrus Damiani Opusc. 33. cap. 4. haud abs re sabbathum fuisse peculiariter additum cultui B. Virginis. [Sabbathum (inquit,) quod *requies* interpretatur, quo videlicet die Deus requieuisse legitur, satis congruè Beatissimæ Virgini dedicatur. Quam nimirum sibi sapientia domum ædificauit, atque in ea per humilitatis assumptæ mysterium, velut in sacratissimo lectulo requieuit.

Scio alias plerasque rationes, addicti Deiparæ Sabbathi, congeri à Gulielmo Durando in Rationali lib. 4 cap. 1. à num. 31. ad 36. sed nulla est aptior, quàm ea quæ adducta est ex Petro Damiani. V. G. ratio quam Durandus petit ex miraculo reductionis veli oppaci imagini B. Virginis; quæ reductio fiebat quot Sabbathis; supponit quod quæritur, cur nimirum Sabbatho potiùs quàm aliis hebdomadæ diebus, velum Angelico ministerio reducerent, vt tota imago pateret sicut fieri in festo assolet. Præterea fidem miraculi illius circa velum ea duntaxat die reductum, in speciem fluuij sabbathici, ea tãtùm die profluuio abstinentis, liquet vacillaturam apud non paucos, cum nusquam ea narratio apud probatos scriptores compareat.

Altera ratio quod Sabbathum sit peculiariter addictum Deip. quia ipsa sola in Sabbatho, mortis Christi, fidem seruauit, habetur apud creditum Bernardum, lib. de passione Dom. sub allegoria vitis capite secundo, vbi aptans ad Christum crucifixum, *illud derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos*, quia viris dilapsis, solus sexus mollis, & infirmus, nec nisi loquacitate pollens, Christo adhæsit, addit, mente & animo Christum ab omni, & viro, & muliere relictum esse; omnes enim ab eo mortaliter fugerunt; [Præter illam quæ sola per illud triste Sabbathum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola: propter quod aptissimè tota Ecclesia in laudem, & gloriam eiusdem Virginis, diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare consueuit.] Nihilominùs hæc ratio nititur fundamento ruinoso. Ratum quippè est apud Doctores, Ecclesiam eo tempore non mansisse in sola Deipara, atque adeò aliquos præter ipsam retinuisse fidem. Ita rectè Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 17. Canus 4. de locis capite 5. & libro 6. cap. vltimo. Hieronymus à Rua controuersia septima, Scolast. Suares Tractatu de fide disputatione 9.

cap.

cap.3.num.7.Duuallius tract. de Pontif.p.4.q.6. & passim recentiores.

Æquè labat alia ratio ex eo petita, quod Christus in Virginis vtero requieuerit, eodem modo quo Sabbatho parasceuen consequente, requieuit in sepulchro Est enim magna affinitas, sepulchrum inter ac vterum Virginis, vt S. Max. egregiè est prosecutus hom.2.de pass. Dom. & plenè Spin. tract. de Throno Dei c.29.à n. 19. Hæc inquam ratio labat. Nam Christus in rigore loquendo, non quieuit in sepulchro, sicut quieuit in vtero Deiparæ: quia in sepulchro solum eius corpus iacuit, non autem totus Christus, qui tunc non erat. Mitto inquirere in alias rationes, addicti peculiariter Deip. Sabbathi: quia reuera etiamsi aliquæ ab acumine laudari possint, nulla tamen est quæ plenè satisfaciat, aut congruentior videri possit, quam ea quæ ex Petro Damiani prolata.

Cùm autem P.Dam. disertè agnouerit Sabbathum esse peculiariter addictum Deip. perspicuum est, hallucinatos esse, qui dixerunt Vrban. 2. in Conc. Claromont. fuisse eius instituti autorem. Nam Concilium illud celebratum est anno 1095. cum Petr. Dam. ann. 1072. è vita excessisset, & proinde multò ante illud Concilium, scripsisset Sabbathum esse peculiariter addictum B.V. Firmauit quidem, & ad plures extendit in eo Concilio Vrb. vsum Officij B. V. apud Gamugenses Monachos ex P. Dam. institutione antea inductum, vt Baron. anno 1056. & 1095. obseruauit. Addictio tamen Sabbathi in cultum Deip. & Vrban. & Petr. Dam. anterior fuit. Nec tantùm à S. Gerad. Canadiensi Episcopo qui anno 1042. pro Christo est passus, sed etiam à S. Ildefonso qui sub annum Christi 660. floruit, exactum peculiari in Deip. religione diem Sabbathi, notarunt qui eorum acta conscripserunt.

Degenerauit hic Sabbathi cultus apud simplices alienos in superstitionem; Non de iis dico, qui spiritu Iudaico Sabbathi relig. instaurabant tempore S.Greg. vt videre apud eum est lib. 11. reg. epist. 3. & habetur *c. peruenit* de consecr. dist. 3. necnon apud Nicolaum 1. ad Consulta Bulgaro. c. 10. sed dico de simplici plebecula; quæ per ἐθελοθρησκείαν cum diebus ab Ecclesia indictis egestatem obtendat ad laborandum, ipsumque etiam diem Dominicum operosa exigat, Sabbatho tamen ne vrgente quidem præcepto maiorum ad Iudaici ritus peruersum vsum præcludendum, induci potest ad laborandum, prætexens honorem Deiparæ. Aduersus quam capitositatem specie pietatis obductã, in Matisconensi ora strenuè annis superioribus perspicientem memini Illustrissimum Antistitem Ludouicum Dinetum.

Lucerna oris expers, quæ à seipsa ardet.

DVplex huius tituli sensus occurrit. Prior, quod lux seu flamma è B. Virgine emicans, non ei aduenerit deforis. Lucis nomine donari prolem, monstrat illud, *volunt extinguere scintillam meam.* Qui verò frequentius magisve protritum, quàm vt parentes prolem denominent *lux mea, lumen meum,* aliisque aliis mellitis nominibus quæ S. Hieronymus robusto pectori auersanda docet? Nihil enim gratius & charius lumine, & nihil parentes cum filiorum amore componant. Igitur B. Virgo, lumen suum & micantem ex ea ignem; sobolem inquam, ab ea, vitaì lampada, (vt Lucretius loquitur;) accipientem; non habuit ab extrinseco principio, materiæ partem suppeditante ac ingerente, vt aliis matribus accidit; sed à seipsa, nullius viri creati interuentu mater est facta? perinde ac si lampas aliqua, carens ore quo infunditur oleum ad ignis fomentum; arderet tamen, & ab intrinseco flammam foueret. Latina Pici interpretatio, addit aduerbium *iugiter*, quod nonnihil hunc sensum interturbat. Sed in Græco Hesychij contextu habetur tantum quod nos expressimus ἄστομος λύχνος, ἀφ' ἑαυτῆς ἀνάπτουσα.

Posterior eiusdem elogij sensus, peti potest ex doctrina D. Augustini tract. 23. in Ioan. vbi omnes homines, lucernas esse contestatur. Quod tametsi verum est ratione vitæ vegetatiuæ, quæ est permansio animæ in calido & humido; & ratione vitæ sentientis, vt habetur ex Isidoro Pelus. lib. 2. epist. 112. visum cum lampade, (post Christum ipsum quem refert,) componente; ac denique etiamsi verum quoque est, ratione vitæ rationalis, iuxta illud Ambros. serm. 14. in Psalm. 118. ad vers. 1. *Lucerna & nos sumus, testo operti corpore, vix aliquid exiguum habentes Vnde lucere possimus:* Est tamen maximè verum ratione vitæ supernaturalis, de qua agebat loco citato D. August. qui ait, lucernas Dei *cum sapiunt lucere, & spiritu feruere. Nam si ardebant & extincta sunt etiam putent.* Laudem tamen inextinctionis earum, repetit S.D. à gratia. *Permanserunt enim serui Dei lucernæ, ex oleo misericordiæ illius, non ex viribus suis. Gratia quippe Dei gratuita, illa oleum lucernarum est.* Et quia oleum & ignis, lucernis extrinsecùs aduenit, ideircò accendi & extingui possunt, vt D. Augustinus ibidem animaduertit, & Venantius Fortunatus in expositione orationis Dominicæ. *ad petitionem tertiam*, impugnans Semipelagianos.

B. igitur Virgo fuit lucerna, singulari quodammodo. Arsit enim à seipsa, quatenus deforis nec ignẽ nec oleum accepit; non quod à se haberet gratiam, sed quod titulo maternitatis (quæ aliquid ei intrinsecum erat,) & ratione Christi intra eam concepti, euecta est, & prędestinata à Deo, ad tam sublimem gratiam; quæ *sicut lucerna splendens super candelabrum S. sic & mulieris bonæ species, in ornamentum domus eius.*

Luna.

NIhil vulgatiùs, quàm Christum cum sole, B. V. cum luna componi. Quo passim aptatur illud Cant.6. *Pulchra vt luna*, ad quem locum Rupertus Deiparam in natiuitate consurrexisse, vt Auroram, tradit, in Christi autem conceptione, fuisse vt lunam non luce sibi natiua, sed ex sole concepta fulgentem; in Assumptione autem fuisse electam, vt solem. Et videtur idem sensisse Philippus Abbas quoad comparationem B. Mariæ concipientis & parientis Christum, cum luna: Sic enim canit initio Comment. in Cant.

Vnam vos veteres nostis tantummodò lunam;
Temporibus nostris, altera maior adest.
Sol pridem solus, maiore stupet claritate,
Solem namque parit luna nouella nouum.
Quem vel qua, melius si vultis nosse reflexam,
Christus Sol oritur, luna Maria parit.

At Petrus Damiani serm de Assump. Deiparam potat lunam dictam, quod velut inter stellas luna minores emicat, easque præstinguit ita B. Virgo, in quouis statu vitæ suæ, spectata, & hominibus, & Angelis excellentior apparuerit. Tractans enim illud *Pulchra vt luna*, & ad Deip. accommodans; ait [Quid luna pulchrius, cum stellis coruscantibus in signifero limite, reliquorum] syderum

splendorem excedit! Considera quàm stellaris, & terrena vibratio, quàm luminosus fulgor circularem orbem tanti syderis superfundat, vt ad eorum luminum claritatem non mediocriter offuscet; sic & Virgo inter animas SS. & Angelorum choros, supereminens, & euecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ luceant; Luna tamen, & magnitudine præeminet, & splendore. Sic vtramque naturam Virgo singularis exsuperat, & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum.] Non exigo ad rigorem physicum quod ait Petr. Dam. de magnitudine lunæ præ stellis. Contrarium enim est extra contr. apud peritos. Sufficit tamen ad Petri institutum, quod luna respectu visus nostri, appareat talis, etiamsi (dempto Mercurio,) minor sit cæteris stellis.

Optima denique ratio Deip. cum luna conferendi, dici potest ex multis ac miris effectibus lunæ in hæc inferiora, qui & per se noti sunt quotidiano experimento, & concinnè à D. Ambr. exprimuntur l. 4 hexaëm. c. 7. & 8. At influxus B. M. in omnes fideles totámque Ecclesiam, notior est, quàm vt expositione egeat, cùm non modò mediatè, atque per Filium, omnem benedictionem spiritualem in cœlestibus conciliauerit orbi terrarum, sed etiam immediatè per seipsum, tanquam pia mater foueat bonos, auertat à perditionis statu malos, iuuet infirmos, fortes permoueat, omni denique præsidio atq; subsidio sit in quacunque demum necessitate.

Aptè igitur B. V. in cœlo mystico tenet locum lunæ, & luna denominatur. Neque refert quod Apoc. 12. mulieri Sole amictæ, quam S. Bernard. & pleriq; alij aiunt esse Deip. luna sub pedibus statuatur. Hoc enim quia eadem res potest esse symbolum multiplex pertinet ad remouendam à Deip. mutabilitatē in bono, & instabilitatem cuius symbolum est luna, ob insignem huius astri in tam multas formas trāsmutationem, de qua scitè Plinius l. 2. c. 9. & S. Ambr. 4. hexaëm. c. 8. Virgo enim non sicut nos, vicissitudinis obumbrationem persensit; sed bono constanter adhæsit, semper sancta, semper intemerata, & cuicumque Satanæ ictui impetet, rata. Item habuit sub pedibus lunam, id est caduca omnia, quorum æquè symbolum luna: vt propterea præter alias rationes quas addensat Iacobus Nic. Loensis l. 4. Miscel. c. 25. luna in calceis apud Rom. signum esset nobilitatis, ad monendos mortales ne de tam instabili bono quam vsus illius causam, præter cæteras affert Plutarchus in qq Rom DD hunc titulum recolentes quæ supra dixi Mag. V. firmamentum dogm.

Magnes Cœli.

Si attendatur scopus S. Birgittæ à qua hunc Virginis titulum hausimus, perspicuum est quorsum B. Virgo dicta sit *magnes cœli*. Sic enim scribit S. Birgitta lib. 5. Reuelationum cap. 32. [Mater loquitur ad sponsam, dicens. Quidam quærens lapides reperit magnetem, quem eleuans manu propria, custodiuit in thesauro suo, & per eum deduxit nauem ad portum suum. Sic filius meus multos quærens lapides Sanctorum, me specialiter elegit in matrem sibi, vt per me homines reducerentur ad portum cœli. Ergo sicut magnes attrahit sibi ferrum, Sic ego attraho Deo dura corda] Vides duplicem causam tituli propositi; nempe quod B. Virgo talia proportione operetur in mortalium pectoribus, qualia magnes terrenus operatur in his inferioribus, iuuans secundam nauigationem, per acus cui affrictus fuerit, obuersionem ad polum & attrahens ferrum. Similiter B. Virgo iuuat ad assequendum vitæ portum, dirigens mortales ad polum suum, hoc est ad Deum. Ea quippè præsertim ex causa, dicitur quoque *stella cœli*, quia ad modum stellæ polaris, dirigit nauigantes & laborantes in huius maris secularis fluctibus, per noctis nostræ caliginem & densissimas tenebras. Videndi in hanc rem Petrus Damiani sermone de Epiph. Goffridus Vindoc. serm. 4. de Natiuit. Domin. & Galfridus in Allegoriis Tilmanni ad cap. 24. Numer. Præterea Beata Virgo ferreos peccatorum animos attrahit ad se, vt Christo coniungat, quod docent exempla innumerabilia. Vnum sanè stupendum recitat Cæsar. lib. 7. cap. 36. Beatricis nimirum, monialis ordinis Cisterciensis, quæ cum ianuæ monasterij præfecta esset, & ab impuro Clerico cum quo familiarius ac licētius agebat, emollita tandem & instructa esset ad scelus & apostasiam; digressa est è Cœnobio, & per ann. 15. in prostibulo quæstum corpore fecit. Munitu denique B. Virginis quæ eius in monasterio partes sub eius persona, per totū illud tempus obiuit, reuersa ad cor, vixit deinceps, obiitque sanctissimè. Videsis alia in eam rem V. *Mater gratiæ*. Hæc igitur ad exponendum titulum Beatæ Virginis in quo versamur, consentaneè ad mentem Sanctæ Brigittæ à qua suppeditatus est, videntur sufficere.

Addere verò possumus, non tantum dura peccatorum corda, ab hoc sacro magnete ad Deum attrahi, sed omnia planè, ita vt secundariò & mediatè, ac subordinatè ad Christū, sicut omnis qui trahitur à Patre, per Christum trahitur; ita & per Virginem, idem cuiuis mortalium, etiamsi iusto & Sancto obtingat beneficium, & non peccatoribus duntaxat. Nec tantum Virgo ad se mortales attrahit per beneficia supernaturalia, sed etiam per bona ordinis naturæ, quæ amantissima generis nostri, mater Domini, nobis promeretur & exorat, cum res fert; & ea largitas ad verum nostrum bonum potest conducere Ferri, per immissum in aquam imam lignum, extractio, symbolum fuit omnibus per Christum incommodis liberati, & omnibus bonis ditati generis humani, iudice S. Iren. l. 6. c. 17. ac S. Greg. l. 22, c. 5. & P. Cell. lib de panib. c. 17. similiter ergo attractio ferri nostri ad Deiparā, idem proportione signare potest, indeque existit vis illa ad sui amorem pelliciens in B. V. ratione cuius facultatis ad amorem pellectricis, Christum quoque magneti egregiè his verbis componit Saluian. l. 4. de prouid. *suo med.* [Ipse Saluator, ideò vt ait Apostolus, moriendo pro nobis commendare voluit omnibus charitatem suam, vt nos ad reddendam pietatem tanta vicissitudine pietatis suæ traheret sicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propius admotæ durissimum licet chalybem, affectu quasi spirante suspendunt: ita etiam ille, id est summa, & clarissima negotiorum cœlestium gemma, hoc scilicet voluit, vt dum se licet durissimis nobis, descēdens de cœlo propius adiungeret, affectu suo nos quasi amoris sui manibus admoneret, vt agnoscentes vtique dona sua, ac beneficia, intelligeremus quid nos pro Domino tam bono facere conueniret, cum ille pro malis seruis tanta fecisset.]

Cernitur etiam in ea attractione magnetica, modus quo B. Virgo ad se & Christum, iustos, æquè ac peccatores attrahit. Nam vt pulchrè disserit Theodoretus libro 5. contra Græcos *initio*, gratia vocationis Christianæ, est lapis magneticus alumnos fidei ab inferiori loco nullius terrenæ felicitatis solatio eleuatos tenens, absque eo quod quicquam

apparet

apparent, vnde à superiori loco deuincti dependeant: non tamen vi, vt magnes ferrum, sed voluntate eorum qui andirum se conferunt. Quod ille vniuersè dixit de gratia Christianæ vocationis, spirante, vbi vult spiritu; etiamsi nesciamus vnde veniat, aut quò vadat, blandè simul & fortiter, tametsi eluctabiliter immissa, in dubiéque homines sustollente ad cœlum; dicamus nos itidem proportione seruata, de B. Virginis immissionibus erga mortales.

Manna.

ITa Beatam Virginem denominat S. Maximus serm. de Dominica in ramis Palm. qui sui dicti causam haoc profert, tractans illud, *Ego sum vermis & non homo.* [Cur totius Dominus creaturæ, vermiculo se voluerit comparari? Possumus hoc quidem humilitati primitùs assignare, quæ Sanctorum virtus est maxima, sicut Sanctus Moyses ante Deum, animal se irrationabile profitetur; Dauid pulicem se sæpè commemorat, sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola & pura terra procreatur. Ideò illum comparatum Domino, quoniam & ipse Saluator de sola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moysi de manna vermiculos procreatos: digna planè & iusta comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de Virgine procreatur, quin potiùs ipsam Mariam *manna* dixerim; quia est subtilis, splendida, suauis & Virgo, quæ velut cœlitùs veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere, ac manducare neglexerit; vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait; *Nisi quis manducauerit meam carnem, & biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso;* sed potiùs ipse cibus in iudicium conuertetur, sicut Apostolus dicit, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat.* Quod filiis Israël subtiliter prophetatum est in veteri Testamento. Manna enim illis contra diuina præcepta tractantibus, vermes effecti sunt, id est, contumaciæ vltores & iudices. Quæ similitudo Christum indicat Dominum: quem qui suauem cibum & dulcem potum haurire neglexerit, iudicem patietur, sicut ipse ait, *Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.*] Viderint qui obfirmati in sceleribus, de B. Virginis dulcedine & in peccatores benignitate sibi abblandiuntur. Hoc manna, (vt vides) aduersùs contumaces, vermem gignit, à quo caedantur & pereant.

Opportunè hîc adiungam egregiam disputationem Ruperti lib. 1. in Matth. circa illud, *Pariet autem filium.* Nam quamuis Beatam Virginem, non *manna* vt fecit S. Maximus, sed mannæ mystici, causam statuat, tamen nexa est hæc denominatio, cum ea quam S. Maximus proposuit. Ait ergo Rupertus. [Solemne est & illud hîc perpendere cum dicit. *Pariet autem filium*, quia Beata Maria cœlum illud est, de quo fuerat perscriptum; *Et ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum.* Si enim cuiuslibet iusti anima cœlum est, quanto magis hæc singularis Dei habitatio vel sedes? Quot autem vel quæ sunt ianuæ huius cœli, quas Dominus Deus aperuit? Duæ; altera mentis, altera ventris. Ianuam mentis Deus aperuit, quia beata hæc credidit quæ dicta sunt ei: Ianuã ventris aperuit, quia sine viro Virgo cõcepit, Virgo peperit, & post partum Virgo permãsit. Quis enim alius, nisi Deus ianuam ventris sic aperiret, vt & pareret & Virgo permaneret?] Et post pleraque in eandem sententiam. [igitur quando factum est, quod dixit Angelus, *pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum*, tunc Ianuas cœli Dominus aperuit, & pluit nobis manna ad manducandum, panem cœli, panẽ Angelorum. Secundum similitudinem illius facti, quod ita scriptum est; *Mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum; cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, appellauitque* (ait Scriptura) *domus Israel, nomen eius, Man.* Secundùm similitudinem, inquam, illius signi, factum est hîc. Spiritus Sanctus superuenit in B. Virginem, qui in Sanctis Scripturis per *rorem* solet significari. Et hoc fuit vtique rorem iacere in solitudine, visceribus infundi Virginis solitariæ, nulliqne viro peruiæ. Ille vterum virgineum cœlitus irrorauit, non de sua substantia, sed de naturali humore ipsius incorruptæ carnis. In quo mira & magna distantia est, ab omni conceptu vniuersæ carnis, quia vim sementinam sacri corporis, non vir extrinsecùs accedens, sed Spiritus S. intus operans excitauit. Tunc in eadem solitudine apparere minutum, hoc fuit adesse in eodem secreto verbum subtilissimum atque fortissimum, quod eidem se humori miscuit tanquam coagulum. Vnde sicut filij Israël dixerunt adinuicem *manhu*, ita nos, & multo magis nos, dicamus, *quid est hoc?* Dicamus etiam propter hoc, *benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*, quia videlicet mulier omnis concipiens de amore viri concipit: tu Sola, de amore Dei, id est de Spiritu Sancto concepisti. Hoc appellamus nos domus Israël *Man*, gustusque eius nobis quasi simile cum melle, quo epulamur quotidie, tam auditu cœlestia doctrinæ, quàm perceptione sacræ Eucharistiæ.] Consona sunt quæ de eodem pane sine semine ex terra inarata producto in populi Dei cibationem, disserit eleganter Nyssenus libro de vita Mosis.

Mater Alma.

DE solo adiuncto *alma*, potest esse dubitatio. Est qui illud censeat & Latinum & Hebræum esse vocabulum. Ita Iodocus Lorichius in Triumpho Virginis c. 9 & Couar. selec. in c. *Alma Mater* 2. *parte* Et Hebraicè quidem, Iodocus, ait *alma* significare Virginem absconditam magnaque diligentia custoditam, atque adeò purissimam, iuxta doctrinam S. Hieron. in qq. Hebraicis in Genes. & in c. 7. Isaiæ, vt passim interpretea, nec non Canisius lib. 2. Mar. c. 6. Petrus Pichius lib. 3. de Partu Virginis c. 1. & 2. & reliquo ferè libro, & lib. 2. c. 12. & Galatinus lib. 7. De arcanis cap. 15. Quod enim eo Isaiæ loco, vulgarus interpres vertit, *Ecce Virgo concipiet*, Hebraicè est *alma* vel potiùs cum articulo *haalma*: vt significaretur illa eximia Virgo, illa Virginum Phœnix. Qua ratione *mater alma*, idem sonat quod *mater Virgo*. Affine est quod Seruius in Eclogam octauam, *diem almam* interpretatur clarissimam & purissimam. Et Festus *almam* pro *sanctam* accipit: consonsque Martialis de Natali Domitiani agens, lib. 4. cum ait.

Cæsaris alma dies, & luce sacratior illa,
Conscia Dyctæum qua tulit Ida Iouem.

En *Almam diem* pro *sancta*, quam notationem vocis *Alma* apud Latinos, obseruauit S. Hieronym. Isaiæ 7. descriptus à Richardo de Sancto Victore in calce prologi ad opus de Emmanuele. Puritas autem & sanctitas rectè cohæret cum virginitate,

Cæterum verisimile non est, ea Hebræa & Latina dictione conicatum esse à Latinis hoc Virginis elogium: nec id simplicitatem Ecclesiasticam redoleret, sed saperet mixturam ethrogeneorum, in Scripturis non semel damnatam.

Germana nunc vocis *alma*, ea est qua idem sonat quod *Altrix* & correspondet *alumno*. Est enim nomen ab *alendo* deductum. Vt Seruius notat ad illud X. Æneid. *Alma Parens Idæa Deum* Ea qua fit, vt omnino, *Alma* tribui soleat Telluri tanquam parenti optimæ, non secus erga nos affectæ, quàm bona nutrix afficiatur erga nutritium & alumnum suum. Vnde & *θρεπτήρ* dicta est; quod ea variis, sed Plinio præsertim ac Philone, latè monstratur in scalis à visibili creatura ad Deum gradu 5. §. *Seorsum de terra*. Et hac de causa ob analogicam nutricationem, idem nomen *alma matris*, datur Ecclesiæ, in capite *Alma mater* de secrent Eacon. in 6. Eandem quoque ob causam, idem titulus *almæ*, solet dari Academiæ, ingeniorum altrici, per quam doctrinæ lac suppeditatur alũnis. Itaque B.V. dicta dicta est *alma mater*, in primis respectu Christi Dñi, quem aluit, & fouit, omnibúsque optimæ nutricis siue altricis officiis est prosecuta. Et video ferè semper in hymnis Ecclesiasticis in quibus Beata Virgo hoc Epitheto donatur, spectari officia erga Christum, vt in hymno sacro *Aue Maris stella. Dei mater alma*. Et alibi. *Alma Redemptoris mater*. Nec desideratur analogia cum terra, quæ *alma mater* est dicta, iuxta Plinium. Nam terra, *mater Deorum* est habita, simulque Virgo. In quam rem plenè li. 2. de Christo sect. 5. c. 6. Nihil præterea vetat quominus B. Virgo dicatur, *Alma mater*, respectu nostri, quos tanquam alumnos fouet, & omni officij materni genere demeretur; & quibus pretiosissimum lac in quo crescamus in salutem suppeditauit.

Mater gentium.

CVr hæc appellatio, Deiparæ sit tributa ab Augustino & Hildefonso, rationem petere licet ex Ruperto, qui lib. 7. in Cant. *ferè initio*, tractans illud Cant. 7. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ*, sic affatur B. Virginem, probans eam esse piæ animæ matrem. [An non tu mater eius, quæ vitam & salutem peperisti? An non filia tua hæc est, videlicet imitatione fidei? Si Abraham pater Gentium, & Sara mater Gentium rectè dicitur & est, videlicet propter fidem, quantò magis tu ô fidelissima fidelium mater, mater es omnium nostrum? propterea dicit ista valdè attonita, propter auditum supradictũ magna gaudij multitudine *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ?* Fratrem suum dicit dilectum suum, & describit eum dulci descriptione, sugentem (inquiens) vbera matris meæ? Cuius matris meæ, nisi Virginis Mariæ?] Extollit paulò post, eius fidem, ea qua Saram celebrauit. Saram cum B. V. peeleganter confert S. Ephrem, Tomo 3. serm. de Abraham & Isaac. Quod si Apostolus Hebr. 11. Saram à fide collaudat, eâque ratione sicut Abraham *Pater multarum*, imò *omnium gentium* dictus est; ita & Sara mater omnium gentium dici potuit, quia vterque fide sua vitia promeruit ex se gigni Christum quo gentes omnes sunt ad vitam renatæ; multò magis B. Deip. quę credidit, mater omnium gentium dicenda erit.

Mater omnium viuentium.

TItulus Deip. proximè expositus, ducebatur ex eius comparatione cum Sara. Qui nunc adducitur, repetendus est ex Deip. comparatione cum Eua. De hac enim Genes. 3. refertur vocatam esse ab Adamo *Euam, eo quod esset mater cunctorum viuentium*. Vbi præteritum pro futuro positum in Hebræo notauit Delrio, ita vt perinde fuerit ac si dixisset, *eo quod esset futura mater cunctorum viuentium*. vt Hug. Vict. obseruauit. Chaldæus peraccommodè sensum expressit, sic reddens ea verba, *eo quod esset mater omnium filiorum hominis*. Omnium enim hominum, non autem aliorum animalium viuentiũ mater Eua appellatur, quia nullus post eam natus est homo absque muliere, etiamsi natus sit non aliquis homo absque viro, vt rectè aduertit ad hunc locum Lipomanus in Catena, minutè expendens nominis *Eua* notationem, id quod etiam fecit Delrio in eundem locum. Sicut ergo Eua mater dicta est omnium posterorum Adami, ita Deip. quia per Christum mater fuit omnium filiorum Adami secundi rectè denominatur *mater omnium viuentium*, quare eius titulum ductum ex analogia disquiparantiæ cum Eua præclarè enucleat S. Epiphan. hær. 78. vbi præfatus Euã per ænigma dictã esse omniũ viuentium matrẽ quia in ea adumbrabatur B.V. subdit, [sed & aliud de his cogitare admirabile est, de Eua inquam, & Maria. Eua enim mortis causa facta est hominibus, per ipsam enim ingressa est mors in mundum, & vbi redundauit peccatum, ibi superabundauit gratia & vnde facta est mors, illhinc processit vita, vt vita pro morte fieret; & qui per mulierem vita nobis factus est, mortem ex muliere inductam excluderet, & quandoquidem illhic quidem Eua dum adhuc Virgo esset, in transgressione inobedientiæ fuit, rursus per Virginem obedientia gratię facta est, annunciato aduentu in carne de cœlo, & vita æterna. Illhic enim dicit ad serpentem, *Inimicitias ponam inter te & ipsam, & inter semen tuum, & semen ipsius*. Nusquam autem reperitur semẽ mulieris, verùm secundùm ænigma de Eua accipitur inimicitia aduersus ea quæ ab ipsa gignuntur, ipsius serpentis, & diaboli qui in serpente fuit, & inuidiæ. Proinde perfectissimè non potest totum in ipsa impleri. Implebitur autem reuera in semine sancto, eximio solo; quod à Maria solum inuentum est, & non ex coniugio viri. Hic enim venit, vt tolleret potestatem draconis, & obliqui serpentis.]

In eandem sententiam egregiè disserit Chrysol. serm. 99. accommodans B.V. tanquam antistrophæ prioris Virg. quę nos fermento iniquitatis deprauauit, parabolicam Euangelicam mulieris fermentantis farinæ sata 3. Præter cætera vero hic habet elucidãdo huic tit. Deip. percõmoda. [Mulier accepit à Deo fermentum fidei, quæ acceperat à diabolo perfidiæ fermentum. Abscondit in mensuris tribus, hoc est in 3. homin. tempor. quod est ad Adam vsque ad Noë, à Noë vsque ad Mosem, à Mose vsq; ad Christum; vt mulier quę corruperat fermento mortis in Adam, totã massam generis humani fermẽto resurrectionis totã carnis nostræ massam redintegraret in Christo: vt mulier quæ confecerat panẽ gemitus, & sudoris, panem vitæ coqueret, & salutis, & esset omnium viuentium mater vera per Christum, quæ erat in Adã mater omnium mortuorum. Ob hoc namq; Christus nasci voluit, vt sicut per Euã venit ad omnes mors, ita per Mariã rediret omnib. vita. Quæ Mariæ huius fermenti implet typũ, similitudinẽ pręfert, consignat figuram, dum de supernis suscepit fermentum verbi, & humanam carnẽ in aluo Virg. imò in aluo Virg. cœlestem totam conspersit in massam.] Varios PP. Euam, & Deip. dissimiliter componentes, a non oro V. *Virgo nona, Virgo facunda*. Ex S. Iren. & aliis PP. fusissimè hoc illustrat Petr. Altoia ad opera Iren. c. 28. & 29. Videndus item Casipr. l. 2. apum c. 1. o. 20. vbi adducit illos vers. Ioan. cognomento tunc Varleti qui erat seruus B.V. addictissimus eius obsequio.

Felix

Felix mater quæ qua mundus soluitur à væ:
Quæ genuisses Eua, væ facis esse breue.

Adduxit alij piam intulsitatem Cornelio non improbatam in cap. 3 Genes. ad v. 10. nimirùm quod Euæ nomen à Deipara muratum, alludat ad eiulationem paruulorum eius posset tum, quorum masculi nascendo eiulantes dicant A quasi in Adamum sua mala quæ prænunciant referentes. Fœminæ verò dicunt E, Verum cum nulla omnium à solo Adamo sint deriuata decuit etiam fœminas A dicere.

Mater Christi, velox ad audiendum.

SVppeditauit hunc Deip. tit. Græca inscriptio imaginis S. Mariæ de litera apud Messanes ses: Sic enim ibi habetur. Μήτηρ Χριςῦ ταχυήκοος. Ea audiendi velocitas matri Christi attributa, duobus modis accipi potest.

Priorem suppeditauit Christianus Orator tractans etiam Christi conceptionem quæ præter morem humanum facta est quam citissimè ad matris auditum. Aliorum namque fœtuum conceptio lenta & tarda est. At Christi conceptio longè aliter habuit. Qui a enim de Spiritu Sancto tarda molimina nesciente concipiebatur, quàm velocissimè est conceptus, itavt eius conceptio non sit vulgaribus humanorum conceptuum moris ac terminis definienda, quod S. Ambros. in Instit Virg. c. 16. expressum ait diuino illo iusso Exodi 9. *non coques agnum in lacte matris suæ.* Nam enim (vt ibidem præmiserat) inoperato cato Christi, id est non eras viril opera moram deposcente formata, sed ad simplicem Virginis Angelo obaudientis, & consensum Deo præstantis obedientiam minimè tardam, compacta, & animata. Vnde consequens est, vt esset mater Christi velox ad audiendum; Idque festinanter ab ea & quam citissimè fieri, non dilata vlterius auditione vniuerso generi humano tam necessaria vrgebat peteleganti prosopopeia S. Bernardus hom. 4. super *Missus est.*

Alter sensus atque genuinus propositi tit. Deipæ est, Matrem Christi esse velocem ad audiendum omnes eius patrocinium implorantes. Non sum bis sollicitus de audientia quam Deip. præstat omnibus inuocantibus eam. Est enim veluti *emporium*, vt Amed. Laus. hom. 8. de ea affirmat, aut vt proclus dixit, *panegyris salutaris reconciliationis*, in qua prostant omnia misceris quibuscunque necessaria. Hoc S. Bern serm. de verbis Apoc. *signum magnum*, his paucis pul hrè expressit. [Maria affectu compatiendi, & subueniendi abundat effectu. Innocentibus eam hic... vniuersis. Denique omnibus omnia facta est, o... ibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolation em, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij persona c rnis humanæ substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius. Omnibus sese exorabilem, omnibus clemen tissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseretur affectu.] Exemplis particularibus in omni genere m. lorum curandorum, & bonorum expetendorum, id illustrat Ioann. Bonifac. l. 3. & 4. Histor Virginalis. Sed de hoc (vt dixi) non sum nunc sollicitus.

Illud verò duntaxat nunc attendo, quod B.V. ad audiendum circa hæc bona sit velox. Hoc est non diù differat petitionis exhibitæ effectum, sed mox vt porrecta fuerit, exaudiat postulantem. Redolet enim filij g... q... velox fuit ad audiendum: nec... illud S. ... in. de viduis ad ægrum spiris,

Theophili Reynaudi Marialia.

talem: [Ne verearе moram aliquam sanitatis. Nescit induciamentum qui sanatur à Christo, oportet vt remedium adhibeas quod acceperis. Simul enim vt præceptum dederit cæcus videt, paralyticus ambulat, mutus loquitur, surdus audit, febriens ministrat, lunaticus liberatur. Et tu igitur quæcunque indecorè alicuius tet cupiditate langueseis, obsecra Dominum, fidem defer, nec vllam timeas moram, vbi adest orano adest verbum, fugatur cupiditas, libido discedit.] En quàm promptè Christus opitulator, & Energetes adest. Mater ergò Filium geniti belle exprimens, & quàm simillimus cum eo pro conditione sua moribus; prompta item & velox est ad benefaciendum. Nam quamuis hic deficit vulgare effatum Iuristarum, *mores sequuntur vterum*, quia Christus promitates supernaturales (cuiusmodi est ista velocitas inuandi ex charitate mortales) non hausit ex matre: tamen Spiritus S. matrem Christi primariam sponsam suam, iisdem quibus Christum donauerat moribus, debita proportione seruata decorauit à primo conceptæ Virginis momento Et Christus iam editus (cum res tulit) iuxta suæ sapientiæ regulas, superpondium, & cumulum adiecit, quo matrem sibi magis ac magis efficeret conformem. Itaque non incongruè proportionales in matre motes agnoscimus iis qui in Christo emicuerunt; quos intereest benefaciendi celeritas, quæ est veluti flos beneficentiæ, vt fusè prosequor in Tractatione de laude breuitatis sect. 8. puncto 16. & in opere de virtutibus lib. 4. n. 210.

Exprimit præterea Deipara in hac audiendi velocitate morem quem Deus erga ipsam seruat. Adeò enim gratiosa est apud Deum B. Virgo, vt quicquid oraueit illicò exoret. Quo ex capite Georg. Nicomed. orat in SS. Cosmam, & Damianu vrget eos ad audiendum promptè supplices, exemplo B. Mariæ, quæ facillimè auditur, & audit. [Habetis (inquit) cum verbis tum rebus ipsis sane, tem largitatis magistram, ac creatorum Reginam, intercessionis illam exauditu facilem, fœminam inquam vti gloria mi compatabili, ita & supplicationum efficacitate, fessoris à materni mentibus omnibus, Deique famulis prælatam, quæque ab ipso datore acceperit, vt eius preces nunquam incassum cedant: per quam infinitum hominum genus, ac postquam verè bonam valetudinem amisisset sanitatem recepit, morborumque aduatorum depascentia cohibita est, per quam morbos inferens inobedientia cessauit, terrenumque humanum genus satis obedientiæ virtutibus potitur; per quam lethiferum peccatum à malis connectendis impeditum est, ac iustitiæ copia in hominibus abundant, per quam vetus mortis tyrannis profligata est, mortuique dissoluti à sæculo, postea Filij eius virtute coaptatis membris ad nesciam senij vitam fuerunt euocati, quæ sola vitæ immortalis porta per quam transitus non patet, appellata sit, per quam incorruptionis pœnas patiuntur, atque mortales immortalitatis diuitiis ancti fiunt: per quam primorum parentum fluentes copia lachrymæ repressæ sint, gaudiique flumina tum illos, tum eorum posteros eius magnalia intelligentes, à sæculo irrigauerunt. Angelorum inquam honorificentiam, incessabilem eorum glorificationem, humani generis plenam lætitiæ gloriam. Eius gratia eorum propitia precibus f. uenisq; in necessitatibus cum ita tempus exigit orant.] Compotes estis tit. exorantiu eam facilè auditionem Dei circa petitiones à Deip. propositas ἐν ταχινοῖς ἀκροάσεσιν dixit Græcè Georgius.

Hinc benefaciendi celeritatem Richardus à S. Laurentio l. 4. de laud. B. Mariæ cum de eius misericordia

tiopidia celebratam in matre sua à sponso, & filio affirmat Cantic. 4. ea allocutione. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Quem locum sic glossat Richardus: [Duo vbera B. Mariæ Virginis de quibus velut lac piæ subuentionis dulcedo fugitur, sunt affectus pietatis, & misericordiæ qui velut capreæ acuto lumine considerant quis, & quanta indigeat ope, & per talem considerationem accurrunt velociter vt hinnuli, & propter varios subuentionum modos, per hinnulos signantur, qui pulchra sunt varietate distincti.]

En velociter audientem Mariam, quandoquidem ad modum hinnulorum quorum summa est agilitas atque ad cursum celeritas, accurrit opitulatrix cum aduocatur, & audit interpellantes eius opem, Tantumnè? Imò etiam non vocata sæpènumero prospicit, vt audiat gemitus miserorum, & perspecta necessitate præuenit petitionem, quæ est eximia beneficentiæ ratio familiaris Spiritui S. præuenienti misericorditer eos qui nisi præuenti, ne aduocare quidem Medicum possent. Christus verò cuius genio, & moribus quàm conformem fuisse Deiparam diximus, anteoccupabat plerumque petitiones eorum in quos erogabat beneficium. Idipsum factitat frequentissimè Deipara: cuius rei exemplum luculentum prostat in Euangelica historia de nuptiis in Cana Galileæ, vbi Deipara non interpellata præuenit operiendos confusione sponsos, vt insigniter obseruat S. Bernardus serm. 1. in dominicam 1. post Epiphaniam.

Mater Matrum.

HEbraismus est, quo ad denotandam rei cuiuscunque præcellentiam, & dignitatem vtuntur ea congeminatione. Sic Canticum præcellentissimum Salomonis inscribitur, *Canticum Canticorum Salomonis.* Eodem sensu apud Hebræos *Rex Regum, & Dominus dominantium* dicitur, qui est Rex magnus, ac Dominus præcellens. Iidemque *sabbathum sabbathorum*, appellant Sabbathum sanctissimum, & quæ maximè sacra habebatur templi pars, nominata est *Sanctum Sanctorum.* Notauit hunc Hebraismum S. Greg. hom. 22. in Euang. rationem reddens cur dixisset Pacha esse *solemnitatem solemnitatum.* Eadem igitur Hebraica loquendi formula *Mater Matrum*, dicta est, quæ fuit præstantissima mater. Nam quæ est mater, vndecunque matris præstantia spectetur, & siue conceptus absque concupiscentia, & grauiditas absque grauamine ac partus absque dolore, & sordibus attendatur, siue proles edita consideretur, cum hac matre conferri potest, & non ab ea infinitis propè parasangis remouetur? Ob has causas, B. Maria, sicut dicitur *Virgo Virginum*, quia supra omnem comparationem antecellit quibusuis Virginibus, ita *Mater Matrũ* dicitur quia supra omnes matres extollitur.

Mater honorificata.

DOnat hoc tit. B. Virginem S. Ildefonsus serm. 1. de Assumpt. & S. Bonau. in Psalterio Virginis. Sensus per se obuius esse videtur, B. Virginem & Christi Dei ac hominis, & nostrum omnium in Christo matrem, omnibus honoribus in cœlo & in terra esse decoratam, & eatenus iure dici *Matrem honorificatam.* In quem sensum plenè disserit Rich. à S. Laur. l. 4. de Deip. Et nonnulla in eandem rem dicta sunt in Diptychis Marianis p. 2. puncto 10. num. 23. & seq. Nec est opus longis ratiocinationibus, vt constet B. V. curante filio omnibus honoribus cumulatam esse in cœlo, & in terra. Rectè enim S. Methodius orat. de hypap. [Qui dixit, *honora Patrem, & Matrem*, vt decretum à se promulgatum obseruaret, omnem gratiam matri, & honorem impendit.]

Præter hunc verò tituli propositi sensum per se obuium, alius est penitior; cui illustrando prætermittendum est, è pluribus olim eiusdem viri vxoribus, vnam fuisse Primariam quæ per comparationem ad virum qui *Paterfamilias* appellabatur, *Materfamilias* dicebatur. Cæteræ vel *Concubinæ*, vel vxores simpliciter nominabantur. Nam vox *Concubina*, vt notauit Turrian. l. 1. contra Magd. c. 13. & Espenc in opere de Contin. olim, (etiam in Scripturis) non designabat mulierem ad turpem duntaxat vsum absque nuptiali fœdere adhibitam, sed denotabat legitimam coniugem, at absque solemnitate ductam, & domi inglorium, præ illa primaria, quæ *Materfamilias* denominabatur. Huic dispensatio totius familiæ, & omnium Apothecarum præfectura, per traditionem clauium conferebatur. Erant enim in quauis primaria domo, variæ cellæ, & thesauri quibus condebantur pretiosa quæque, non in rigore tantùm notionis subiectæ voci *Thesaurus*, quæ fert depositionem veteris pecuniæ, sed latè sumpto vocabulo, pro quacomque asseruatione. Quo sensu thesauri Ezechiæ 4. Reg. 20. complectebantur *domum aromatum, & domum vasorum:* Itémque (vt habetur Isaiæ 39.) *cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas supellectilis suæ.* Prima huiusmodi cellarum erat cella vinaria: quæ quod esset vsus quotidiani, erat veluti cæterarum ianua. Cæteræ autem penitiores erant, præsertim quibus continebantur res minùs vsuariæ. Et quia ad eas penetrabatur per cellam vinariam, aliquando omnes simul cellæ, & hypogæa, vel cryptoporticus subterraneæ, reperiuntur denominatæ *Regiones vini.* Sic 1. Paral. 27. septuaginta quod in Hebræo est, *erat super thesauros vini*, verterunt ἐπὶ τῶν θησαυρῶν, τῶν δὲ τοῖς χωρίοις τοῦ οἴνου. Erat super thesauros qui sunt in regionibus vini, quæ vulgatus sic expressit *præerat cellis vinariis*; nomine primæ cellæ subterraneæ, ad cæteras omnes consequenter diffuso. Harum igitur omnium cellarum dispensatio, primariæ vxori (quæ *Mater familias* præcellentissima erat,) credebatur, vel si aliquarum cellarum cura, penes aliquam inferiorum vxorum, aliorumvè domesticorum erat ad primariam illam matronam, quam propterea omnes aliæ, & coniuges, & domesticæ personæ, obseruabant tanquam Patri familias amantissimam; per quam, siue ad cuius nutum facienda esset ab aliis dispensatio. Et ideircò hæc primaria totius domus fœmina, Ecclesiast. 23. vocatur *Mater honorificata:* Est enim mater, (vt Pineda benè notauit Iob. 21. vers. 13. num. 9.) non per comparationem ad prolem, sed per comparationem ad virum, qui *Pater familias* denominabatur, sicut primaria hæc sponsa nuncupabatur *Mater familias.* Est præterea *Honorificata* vtique ab omnibus aliis, siue coniugibus, siue domesticis ob concreditam illi totius domus præfecturam, & omnium bonorum in variis apothecis asseruatorum dispensationem.

Ex his eruitur penitior ille sensus, quo dicebam, Deiparam in duoo Dei denominatam esse *matrem honorificatam.* Nam ... primaria Patris familias sponsa, & vera *mater familias*, omnibus a... sponsis

sponsis, (lectissimis inquam animabus,) antepofita; & super omnes thesauros Dei, eorúmque dispensationem constituta. Sunt inquam in domo Dei varia Charismata, siue bonum corporis siue bonum animæ spectantia; quorum omnium secundùm Christum, præfectura penes Deiparam est: ita vt quamuis aliquibus inferioribus cœlitibus, aliquas ex eiusmodi gratiis gratis datis erogandas videatur concessa, vt plenè monstratur in Opere de *pietate speciali erga virum aliquem sanctum præ aliis:* Tamen hi (si fas est dicere) minorum gentium & inferioris subsellij cœlites, Deiparæ ea in parte subordinantur; tanquam ei per quam Deus omnia ad nos bona sua deriuata voluit, vt S. Germanus & S.Bernardus asseruerunt: quo interprete, eandem ob causam, alicubi virgo comparatur collo, per quod vniuersus influxus à capite in reliquum corpus promanans demittitur.

Mater gratiæ.

PRotritus huius elogij sensus est, B. Virginem diuina gratia & miseratione egentibus, gratiam exorare: nec peccatores ad eam aspirantes vnquam repellere, sed fouere ac iuuare. In quem sensum benè de hoc titulo disserit Rich. à S. Lauren. l. 1. de B.V. nec est longa expensione opus, cùm exempla antiqua & noua, abundè confirment hanc B. Virginis erga peccatores quantumcumque in profundum venerint, benignitatem; & viscera plusquàm materna. Richardo supra, & sæpè alibi, nec non Ecberto initio deprecationis ad B. Virginem, itémque Fulberto serm. 1. de Natiu. B. Virginis, & Petro Damiani serm. item 1. eiusdem argumenti; item Goffrido Vindocinensi serm. 8. & plerisque aliis antiquis frequens in hanc rem est, exemplum Theophili illius qui ope B. Virginis à desperatione reuocatus est, & syngrapham qua se Diabolo obstrinxerat, recuperauit. Affinéque est exemplum fœminæ immania ausæ, nec dissimiliter chirographaria adscriptione obstrictæ Diabolo, liberatæ interuentu Beatæ Virginis, vt narrat Ioannes Brugmanus in Actis B. Liduuinæ. Videsis alia peccatorum per Virginem ad cor reuersorum exempla apud Bonifacium in Historia Virg. l. 4. cap. 5. & 11. Hic igitur est protritus, nec incommodus sensus elogioli Parthenici, in quo versamur.

Sed est alia insuper eius notio, cum voce *matris* non minùs cohærens, qua B. Virgo *mater gratiæ* dicta intelligitur, quia est mater Christi. Quod enim benè attigit S. Hieronymus in c. 1. ad Titum, expendens illa verba, *apparuit gratia*, Christus Dominus est gratia substantialis: quia non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, nec ex ipsiusmet Christi, vt S. Augustinus sæpè disputat, vllo merito; sed per meram Dei gratiam datus est nobis: qua de re plenius lib. 5. de Christo sect. 1. cap. 7. nec malè Rich. à S.Laur. lib. 6. pag. 397. adducens illud, *vt gratia Dei*, hoc est Christus, vt ipse exponit *pro omnibus gustaret mortem.* Huius ergo gratiæ mater, est B. Virgo. Nec minuet veritatem huius tituli, additamentum frequens ad eum; quo non simpliciter *Mater gratiæ*, sed *mater diuinæ gratiæ* nũcupatur: quasi quia Christus est verus Deus, non possit dici *gratia diuina*, cum adiunctione nominis huius adiectiui, sonantis accidentalitatem. Hoc inquam non obest. Illa quippe vox *diuina*, non semper fert accidentalem habitudinem ad Deum, vt ex eo patet, quod *essentia* & *persona*, in Deo dicantur *diuinæ*.

Mater Lucis.

DEus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, iuxta Ioannem. Itaque *Mater Lucis* idem sonat atque *Deipara* vel *Mater Dei.* Vsi sunt hoc B.Virginis titulo, iam olim Patres. Sic Hesychius oratione 2. de Deip. *initio*, varias B. Virginis nomenclationes à Patribus delatas referens, hanc non omisit, à Gabrielis imitatoribus, in Virgine Salutanda grati animi linguam exerentibus, adhibitam. [Iste (inquit) cognominat eam *matrem lucis*, Ille *stellam vitæ*; alius *Dei Thronum* appellat, alius *templum maius cœlo* &c.] Apud S Georgium Decapoliten in sermone historico, Sacerdos Christian. agens cum Patruele Ametumnis syriæ, postea Pachumio Monacho, tunc autem Saraceno; & exponens ei præcipua quæque fidei capita, post expositum mysterium diuinissimæ Trinitatis, addit; [Credimus quoque, Mariam semper virginem, *Lucis matrem*, quæ peperit nobis fœtum vitæ.] Syri teste Canisio l. 5. de Deipara c. 13. inter alios florulentos titulos quibus B. Virginem honestant, hunc adhibent. Sunt quidem alij filij lucis. Nam omnes communiter Christianos, Apostolus verbis illis hortabatur Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Attamen filius lucis primarius, est solus Christus; atque adeò B. Virgo per excellentiam *mater lucis* appellatur. Neque tamen reijcio alium secundarium sensum, quo B. Virgo dici potest *mater lucis*, quia lucem infert clientum suorum mentibus & offucias à Satana inductas, vel è caliginosa nostra conceptione existentes dispellit deprecatione sua & suffragatione; quod multorum exemplis est testatissimum, vt Mariæ Ægyptiacæ, Theophili Œconomi, & aliorum innumerabilium. Sed notio primaria tituli propositi, est de maternitate Dei, præ quo titulo, quid est Deiparæ, esse matrem iustorum ac verorum Christianorum eisque effici fontem lucis? vocat Deiparam *fontem lucis* per respectum ad Christum, Gregorius N. ocæsar. Orat. 1. de Annunc. quod idem est ac si dixisset, *matrem lucis.*

Mater Misericordiæ.

HOc se nomine insigniuit ipsa Deipara apparens per visum cuidam ex latrone Monacho, grauiter decumbenti, & instantem post triduum felicem mortem, ac subsecuturam beatitatem prænuncians. Quo viso de Monachi ore percepto, S. Odo B. Virginem non alio deinceps nomine quàm *matris misericordiæ* appellauit, vt retuli in Tractatione de S.Latrone c. 15. n. 10. Denominationis huius ratio duplex proferri potest: Fuit enim B. Virgo mater Christi, qui nostra misericordia est, iuxta illud *Deus meus misericordia mea.* Est item misericordia Dei, (vtique erga nos,) iuxta illud, *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, quod de Christo accipit S. Bernardus serm. 1. de Purific. Sed maximè genuina ratio denominandi B.Virginem *matrem misericordiæ*, ducenda videtur ex phrasi Scripturæ quæ pro more Hebræorum, vocauit Deum, *patrem misericordiarum*, quia est valdè misericors. Proportione ergo seruata, B. Virgo dicta est *mater misericordiæ* à magna misericordia qua vtitur erga omnes miseros. In quam sententiam piè admodùm ac fusè disserit Richardus Victorinus suo cap. 23. in Cant. ex quo ad huius

Nn 4 tituli

tituli illustrationem nonnulla decerpere iuuat, [Quid mirum (inquit,) si B. Virgo, & peccatoribus reconciliationis, & piis gratiæ lac fundit, quæ mundum reconciliauit, & ipsam gratiam peperit; imo ipsum fontem gratiæ qui distenditur per mundum, & extenditur vsque ad mundi terminum: Est enim B. Virgo Paradisus, de qua egreditur fons iste, qui deinde diuiditur in quatuor capita; quia de corpore Christi quod de ipsa processit, profluxit fons sanguinis, qui sacramentaliter inde fluxit in quatuor mundi partes ad abluendum pariter à peccatis, & infundendam gratiam suis. Meritò ergo misericordia eius, cursui hinnulorum comparatur, & per mundum currit, mundum irrigat & infundit. Hinnulorum velocitati comparatur, quia velocius occurrit eius pietas, quàm inuocetur, & causas miserorum anticipat. Hinnulis verò comparatur, quia dulcedinem bonitatis quam impendit, ipsa desuper sugit. Hæc autem sunt vbera tua ô Beata; id est pietas qua miseros lactas, dum misericordiam eis impetras. Lactas miseros, & ab ipsa misericordia lactaris; ab ipsa percipis, quod refundis. Prærogatiuam singularis gratiæ meruisti, quia priuilegiata es præ mulieribus; vt non mulierum, sed virgineo lacte aluetis, nec hominem purum sed Deum. Vnde quàm singulare hoc, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem? Meritò ergo tantum posse, quantum Angeli sancti & animæ Sanctorum iudicatis, & vtrisque comparatis. Ad te ergo matrem misericordiæ matrẽ miserorum, clamant exules filii Euæ, clamant ipsæ miseriæ. (Habet enim miseria clamorem,) & vallis hæc lachrymarum. Vallis est enim lachrymarum, adeò vt si ipsi miseri non clament, ista auribus tuis insonet. Non possunt hæc ante se silere, nec auditum tuum latere, eo quod aures audiendi miserias habeas, & te has scire; sit eas audire. Sicut enim vbicunque fuerit corpus, congregantur & aquilæ, ita vbicunque fuerit miseria, tua currit & succurrit misericordia. Adeò pietate replentur vbera tua, vt alicuius miseriæ notitia tacta, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subuenire. Et quid mirum, si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti Carnalia in te Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent. Cum enim misericordiam lactasti; ab eadem, misericordiæ vbera accepisti. Et sicut carnem nostram in te sumpsit, ita & Spiritum Sanctum suum nobis dedit. Cum materiale lac ex te Deus suxit, spirituale pariter filius Dei per te fluere cœpit. Ex eo miserorum mater facta es, & miseros alere misericordiæ lacte cœpisti. Et cum misericordia Dei sit ab æterno, amplior esse cœpit ex tempore. Et cum ex te cœpit initium, eius quoque largitas, per te sumpsit augmentum. In te ergo concreuit lac diuinæ misericordiæ, & ex te nobis profluxit. Ipsa priùs repleta es, & [illegible] te nobis descendit hæc abundantia.]

Sed [illegible] erga quoscunque miseros abundet Magnæ matris misericordia, erga peccatores tamen est abundantissima & vberrima. Quod experimento Religiosus quidam, vt scribit qui hominem audiuit Cantipratanus l. 2. Apum cap. 19. num. 17. mente excedens Deo, quasi vnus de stultis hominibus locutus est, cum in collatione Sanctorum de præcellentibus Virginis donibus, ausus est in hæc verba prorumpere. [Et [illegible] meam dicam sententiam de Maria. Nihil illa st[illegible] in creaturis omnibus inuenitur. An ignor[illegible], quod omnes ferè totaliter peccatores, vbi post lapsum surgere cœperint, Deum vltorem & vniuersitatis Dominum formidantes, ad matrem eius quasi [illegible] totũ confugiunt, & eam vt veræ reconciliatricem charius amplectuntur? Nec mirum, qui [illegible] circa frequens ministerium satagere non desistit, donec prodigos filios reconci[illegible] Patri vitæ. At [illegible] clementissimum Patrem super se pœniten[illegible] [illegible] derint cum Angelis exultantem, fere postmodum suæ reconciliatricis obliti, tenerrimè [illegible] pii Patris oscula per dulces lachrymas resoluuntur.] Hinc ille stultissimè, Deiparæ stultitiam inferebat, cum potius summa eluceat sapientia in eo studio, erga peccatores; vt remittentes de studio erga conuersionis administram, effectum vniuersum in Deum transferant. Itaque a[illegible] ex quo ista sunt prolata, comprobam[illegible]. Spectauit enim expressionem misericordiarum Deiparæ in peccatores: verba verò ipsa [illegible] inducenda, quantumuis Cantipratanus eam (vt vocat) piam temeritatem, mollire, & ad rectum sensum adducere conetur.

De magnis & multiplicibus Deiparæ misericordiis erga quodcunque genus miserorum, extat libellus admodùm pii scriptoris capitum vicena comprehensus, ad decus B. Virginis à misericordia: quo titulo honestatur peruetustum sacellum in [illegible] migenia Christianarum Galliæ ædium [illegible], cui à *monte martyrum* nomen est. Sed vt [illegible] nulla misericordiarum Deiparæ luculentior est, quàm quæ ab ea, expromitur in peccatores. Eóque semper ex capite, tantam Virginem celebrauit Ecclesia & Patres, à quibus idcirco eam ob causam insignitur cum hoc de quo agimus, tum aliis æquiualentibus nominibus, qualia illa apud Mataphrastem in Oratione de pœnitentia Theophili 4. Febr. [Maria est hominibus porta ad Deum, spes eorum qui spem abiecerunt, refugium eorum qui sunt vexati quæ humanæ naturæ sustulit maledictum. Vera porta quam peccatores pulsamus & sæpè aperitur, & offert preces nostras Deo nostro qui ex ipsa natus est, & accipit peccatorum nostrorum remissionem.] Egregiam & omnino piam formulam ex qua peccator Sanctissimæ matris misericordiam interpellare possit, concinnauit Gulielmus Paris. in Rethorica diuina toto capite 18.

Non dubium quin recidat in hunc titulum Deiparæ ille alius quo denominatur *mater* aut *Virgo dulcissima*. Quam nomen [illegible] turam præ tan[illegible] misericordiæ dulcedine multo potiore iure [illegible] bet Deipara, quàm olim apud Cretenses Diana, cuius cognomentum fuit Ͻρυδικαρτις id est *Virgo dulcis* vt scribit Solinus cap. 17. polyhistoris, affirmans tantam fuisse eius venerationem, vt n[illegible] præterquàm nudus vestigia, licitò ingrederetur [illegible] ctam eius ædem.

Mediatrix cœli & terræ, quæ vnionem naturaliter peregit.

HVnc Virginis titulum è S. Epiphanio propositum, sunt qui exponãt de cau[illegible] [illegible] & [illegible] conciliatione pacis inter mortales, iuxta il[illegible] od[illegible]. Constantinopolitanæ Epistola [illegible] Id. [illegible]. [Ecce intercessione Sanctissimæ Virginis quæ olim fuerant membra diuisa per Spiritus Sancti gratiam, ad vnitatem & charitatem [illegible] sunt redacta.] Itaque sensum Epiphanii ce[illegible] esse quod Beata Virgo [illegible] tanquam cen[illegible] [illegible] itam modo vocatur a Chrysostomo, tota [illegible] propen

propensione, omnes ad vnitatem & cōcordiā attrahat. Ita Celada in Iudith figurata à n. 45. Sed hæc ne pilum quidem sententiæ Epiphanij continent.

Legi qui hunc Epiphanij locum accipiunt de efficientia vnionis inter Verbum & humanitatem; quæ est vnio non accidentalis sed substantialis, & eatenus naturalis. Ita vt significetur, Beatam Virginem esse matrem Christi, qui est Deus substantialiter, per naturalem & substantialem humanitatis à Deipara acceptæ, vnionem cum Verbo. Nestorius enim qui huiusmodi naturalem Verbi & humanitatis vnionem est inficiatus, nec nisi accidentariam inter duo illa extrema coniunctionem admisit, tanquam impius ab Ecclesia eiectus est. Haud incongruè igitur sensisse videri possunt, qui his S. Epiphanij verbis inædificarunt sententiam de physico influxu Beatæ Virginis in vnionem hypostaticam. Potuisse namque modale illud vinculum, vi diuina à Beata Virgine obedientialiter eleuata coëffici, grauium Doctorum est sententia, quam tametsi Medina 3. p. q. 31. art. 4. & Palacius in 3. & pauci alij Neoterici seuerè reprobant, tamen veritas est, contradictione liberari, atque adeò subesse diuinæ potentiæ, cui nihil subducitur nisi contradictionem inuoluat, vt in se habeat cur effici non possit. Quòd verè multò obscurius videri potest, fuerunt qui de facto, vittam illam verè auream humanitatis & Verbi, à Beata Virgine fuisse coëffectam affirmant. Fauétque Diuus Bernardus libro quinto de consid. cap. 10. & videtur etiam fauere S. Epiphan. in verbis quæ excutimus.

Vera tamen S. Epiphanij mens, est longè alia, vt intelligetur ex integra eius sententia. [Lætabantur Angeli, (inquit) tanquam ipsi duntaxat Deum haberent, quibus Sanctissima Virgo superior nata, Deum habitantem in cœlis; concepit in terra; vt hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & versaretur cum hominibus. Ipsa enim est cœli & terræ mediatrix, quæ vnionem naturaliter peregit.] Hæc postrema, rationem continent eorum quæ præcesserunt. Græca habent *αὐτὴ γὰρ ἡ οὐρανοῦ καὶ γῆς μεσίτης, τῇ φύσει ἑνότητα ποιήσασα.*) En, ratio cur exercitus Angelorum trahendus sit per Beatam Virginem in terram, & cum hominibus versaturus, à quibus ante abiungebatur; illa à S. Epiphanio assignatur, quod Virgo naturaliter genuerit, & vt naturalis mater vnionem procreauerit. (Id enim fert verbum Græcum, *τῇ φύσει ποιήσασα*) vbi Christus ipse vocatur *vnio*, quia fecit vtraque vnum. Eo ipso namque, quòd Beata Virgo, vt vera & naturalis mater, causa fuit physicæ vnionis inter partes humanitatis Christi, corpus inquam eius & animam, qualem vnionem partium physicarum producunt naturaliter in prole sua aliæ matres, fuit vera & naturalis Christi mater, iuxta illud S. Maximi in Collatione cum Theodosio Cæsareæ. [Qui non dicit, Dominam nostram super laudabilem, sanctissimam, intemeratam, & omni naturæ intellectuali venerandam, naturalem veraciter matrem Dei effectam, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, sit anathema, & catathema, à Patre & Filio, & Spiritu Sancto, consubstantiali Trinitate, ac omni super cœlesti virtute, atque à choro Sanctorum Apostolorum, Prophetarum, & infinita plebe Sanctorum Martyrum; omnique spiritu in iustitia consummato, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.]

Potuit etiam Christus dici *vnio*, & B. Virgo dici genuisse naturaliter vnionem, quia Christum genuit filium suum vnicum. Apud S. Hieronymum hic modus loquendi familiarissimus est: quod variis eius locis signatis monstrauit Henricus Grauius ad S. Hieronymi Epistolam 25. vbi S. D. tractans cum locum Isaiæ *Exit virga de radice Iesse*, sic habet de Deipara. [Virga, mater est Domini, simplex, pura, syncera, nullo extrinsecùs germine cohærente, & ad similitudinem Dei, vnione fœcunda.] Idem ad Principiam. [Vnum quotidie concipis, parturis, generas, vnione fœcundum, maiestate multiplicem;] Et in c. 13. Oleæ. [Desertum intelligimus S. Mariæ vterum virginalem, quod absque semine humano, nullo frutice pullulauerit, sed virga simplex atque purissima, & vnione fœcunda, ediderit cum florem qui dicit in Cantico Canticorum, *Ego flos campi.*] Sed & apud Tertullianum l. aduersùs Praxeam, eodem modo sumitur *vnio*, cum ait. [Multitudinem falsorum Deorum, vnio diuinitatis expellat.] Igitur B. Virgo naturaliter vnionem genuit, idest Christum filium suum vnigenitum. Neque enim alios præter Christum edidit liberos; & qui Christi fratres in Euangelio dicuntur, vt S. Hieronymus aduersus Heluidium; rectè interpretatur, cognati sunt, non eodem fusi vtero liberi.

Mundus Spiritualis.

SVppeditat hoc Beatæ Virginis elogium S. Bernardus Sermone de Beata Maria, è quo item facilè est petere enucleationem siue accommodationem eiusdem elogij, sic enim scribit. [Altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creauit, quam in iustitia & sanctitate coram ipso fundaret, & fluentis sapientiæ irrigaret, & cœlestibus desideriis (instar scilicet aëris) sublimaret, & igne dilectionis accendendo illustraret. Hinc in eius mente tanquam in quodam firmamento solem posuit rationis, & lunam scientiæ, & virtutes tanquam stellas speciei omnimodæ. Solem, qui lucem diuinæ cognitionis faceret: lunam, quæ cum stellis noctem actionis splendidam redderet: & meritò Domini est terra, quia sic super maria fundauit eam.]

Hæc si parciùs dicta videntur, adiungo vice Commentarij, locum longiusculum, sed eximium ex sermone Angelico Sanctæ Birgittæ cap. 5. [Mundo, (inquit) & creaturis omnibus, præter solum hominem perfectis, & diuino aspectui cum pulchritudine tenerentur assistentibus, adhuc vnus minor mundus coram Deo cum omni venustate Increatus adstabat, à quo maior gloria Deo, & Angelis maior lætitia, atque omni homini eius bonitate frui volenti maior vtilitas, quam de hoc maiori mundo prouenire debebat. O prædulcis domina Virgo Maria, omnibus amabilis, omnibus vtilis per hunc minorem mundum non incongruè tu intelligeris. Ex Scriptura etiam colligitur, quod placuit Deo lumen à tenebris in hoc maiori mundo diuisisse, sed verè illa lucis, ac tenebrarum diuisio, quæ in te post tuam creationem fieri debebat, multo magis ei placuit, quando scilicet interioris infantiæ ignorantia, quæ tenebris comparatur, à te penitus debebat abscedere, & Dei cognitio cum voluntate, & intelligentia, viuendi secundum eius velle, quæ luci assimilatur, cum feruentissima charitate in te debebant plenissimè remanere. Conuenienter itaque teneritudo illa infantiæ tenebris similatur, quia Deus non agnoscitur, & quid agendum sit nulla ratione discernitur. Hanc vtique ætatis infantiæ teneritudinem, tu ô virgo

omnis

omnis peccati expers innocentissimè transegisti; Deinde quemadmodum Deus duo luminaria simul cum stellis, huic mundo necessaria creauit, vnum vt præesset diei, & alterum vt præesset nocti. Ita & in te alia duo luminaria clariora fieri præuidit. Primum namque erat tua diuina obedientia quæ instar solis coram Angelis in Cœlo, & bonis hominibus in mundo, quibus verè Deus sempiternus dies est, lucidissimè radiaret. Secundum verò luminare erat tua constantissima fides, qua multi nocturno tempore, hoc est ab hora illa, qua Creator in carne pro creatura pati debebat, vsque ad ad eius Resurrectionem in tenebris desperationis, & perfidiæ miserè permanentes, veluti quodam luminari iubare ad veritatis agnitionem deducendi erant. Stellis quoque cogitationes tui cordis in hoc similes apparebant, quod à tempore illo, quo primo Dei cognitionem habuisti, ita feruens in diuina charitate vsque ad mortem permansisti, quod Dei, atque Angelorum aspectui omnes cogitationes tuæ, nitidiores quàm stellæ humano visui apparebant. Volucrum itaque diuersi generis sublimes volatus, & dulcisoni concentus, omnia verba tuorum labiorum figurabant, quæ à tuo terreno corpore, vsque ad aures sedentis in throno maiestatis, ad summam Angelorum exultationem cum omni suauitate conscendere debebant. Præterea toti terræ similis extitisti, quod sicuti omnia in hoc maiori mundo terrenum corpus habentia, ex terræ fructibus debebant enutriri, ita omnia illa non solum nutrimentum, Imo & ipsam vitam ex tuo fructo debebant obtinere. Florigeris verò ac fructiferis arboribus meritò comparari possunt opera tua, nam cum tanta charitate ea facturа eras, quod plus omnium horum pulchritudine & fructuum suauitate, Deum atque Angelos delectare debebant. Præsertim cum sine omni ambiguitate credendum sit, Deum in te, ante tuam creationem plures virtutes præuidisse, quàm in omnibus herbarum, florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum, seu metallorum generibus, quæ inueniri possent in totius orbis amplitudine. Vnde non mirum si Deus in te, ô minor munde, qui adhuc creandus eras, magis delectabatur quàm de hoc maiori mundo. Nam licet ante te mundus creatus extitit, periturus tamen erat, cum omnibus quæ in eo essent: Tu tamen in tua immarcescibili pulchritudine, iuxta æternam Dei præordinationem in ipsius amantissima dilectione inseparabiliter permanere debebas. In nullo enim maior ille mundus meruit, nec mereri potuit, vt sempiternus fieret; sicut tu ô felix Maria virtutum plenissima, post tuam creationem diuina opitulante gratia, omnia quæ tecum Deus facere dignatus est, cum omni virtutum perfectione, dignissimè meruisti.] Horum postremorum verborum sententia, optimè consentit cum merito primæ gratiæ sanctificantis, in primo momento collatæ Beatæ Virgini; de quo placito, Virgini decentiore, alibi actum.

Non pauca ad huius tituli illustrationem peti possunt ex iis quæ diximus tractantes attributum illud Christi *magnus Deus*, vbi monstrauimus, sanctos viros esse mundos spirituales, quorum ignis est prudentia, aër fortitudo, temperantia aqua, iustitia terra, ait S. Maximus cent. 5. ex variis c. 95. quæ omnia maximè in Virgine valere, nemo dubitat. Ecclesiam quoque, persæpè sub imagine mundi mystici proponi in Scripturis, & Patribus, neminem latet. Hic enim est orbis terræ futurus, quem Angelis commissum negat Apostolus Hebr. 2. Deus ipse per Esaiam cap. 51. se posuisse Christum contestatur, vt cœlos plantet & fundet terram; id est vt constituat Ecclesiam, quæ cœlo & terra atque adeò etiam Intermediis maioris mundi partibus eo loco designatur. Idque se facere, Christus apud eundem Isaiam cap. 60. profitetur cum ait, *ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam.* Et quia Ecclesia in die Pentecostes constituta est, S. Macarius homil. 6. factum ea die mundum nouum, scitè affirmauit. Videndus Anastasius Sinaita libro 5. Hexaëm. *sub initium*; & pulchrè libro 7. *paulo post proœmium.* Hæc de mundi mystici nomine tributo Ecclesiæ, æquè accommodari possunt Beatæ Virgini, iuxta doctrinam Honorij Augustodunensis *initio sigilli*, vbi quæ de Ecclesia dicuntur, aptè & congruenter quadrare Beatæ Virgini, obseruauit.

Mystis arcani consilij.

OMnibus olim mysteriis silentij fidem adhibitam, Tertullianus in Apologet. cap. 7. & pulchrè contra Valentin. cap. 1. demonstrat; additque de dilato diù aditu ad sacra illa, silentio magno, & sola taciturnitate, cœlestia. Qui tandem ad ea admittebantur, & initiatis accensebantur *mystæ* dicti, ac *mystici*. Vnde illud apud Clementem Alexandrinum in Protrept. & Iulium Firmicum de errore profan. relig. cap. 19. signum Eleusiniorum. *Ieiunaui, potum confectum bibi, de cista accepi, factus sum mysticus.* Hoc est, *initiatus sum, & donatus iure admissionis ad sacra*, quibus profani quique, id est, omnes non initiati arcebantur. *Mystis* ergo *arcani consilij*, dicta est B. Virgo, quia occultissimum illud, & à seculis absconditum Dei consilium, quod volucres quoque cœli latebat, cum B. Virgine communicatum est: quandoquidem non nisi posito eius assensu libero, erat perficiendum. Quàm penitissimè in hæc adyta sit admissa B. Virgo, dicendum plenè alio loco.

Nebula Solis animata.

VErbum Dei pro nobis carne obductum, est quasi Sol nube contectus, quo aliqua extra literæ seriem trahunt illud apud Prophetam, *Solem nube tegam*: Aptiùs autem proferrent illud. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem*: quod SS. Cyrillus & Hieronymus, Isaiæ 19. de B. Virgine interpretantur, suffragante S. Ambrosio in exhortat. ad Virg. & libro de Institutione Virginis; eo quod Christus in sacris vlnis B. Virginis, delatus sit in Ægyptum, & simulachra ibi euerterit, quod est eo loco Isaiæ prophetandi argumentum. Iidem tamen Hieronymus ac Cyrillus, nec non Eusebius lib. 2. de demonstr. c. 4. & Theodoretus ac Procopius, aliique signati à Leone Castr. in c. 19. Esaiæ, *nubem leuem*; aut vt Aquila vertit, *crassitudinem leuem*, interpretantur de corpore opera Spiritus sancti concepto ex B. Virgine: quo corpore Verbum Dei cõtectum est, vt nostris lusciosis oculis attemperaretur. Optiméque quadrat comparatio; siue principia nubis materialia, nempe spiritus & vapor admistis siue effectiua, cœlestis scilicet calor attrahens; siue finalis spargendi pluuias, & arentem terram inebriandi, ac fœcundandi, considerentur. Nam Christi humanitas ex purissima Virginis substantia cœlesti Spiritus sancti igne excocta, ad perfundendos cœlesti doctrina homines, est producta. Vtraque Isaiæ interpretatio, in

idem

idem recidit. Nam quia corpus quod Verbi solem in Christo contexit, de B. Virgine sumptum est, eiúsque pars fuit; perinde est dicere humanitatem Christi fuisse nebulam animatam obducentem nobisque attemperantem solem Verbi, diuini, atque dicere, Beatam Virginem esse eam nebulam animatam diuini Solis, vt habet elogium quod excutimus.

Negotium omnium seculorum.

A Sancto Bernardo serm. 2. de Pentecoste habemus hunc Virginis titulum. Ait enim, ad Virginem tanquam ad medium & ad negotium omnium seculorum respicere omnia secula.

Non nemo hoc traxit ad finalem causalitatem Deiparæ, (saltem ratione Christi,) in omnia secula, & quæ per eorum decursum sunt conditæ. Tamen quia ea causalitas non potest satis fundari, quærenda est alia expositio tituli propositi: quam erit qui petat ex verbis Damasceni orat. 1. de natiuitate Virg. [Certabant inter se secula, quodnam ortu tuo gloriaretur, ô Virgo. Verùm eorum contentionem, Dei consilium diremit.] Prosopopeia est, qua seculis affingitur facultas contendendi atque certandi pro ortu felicissimo Beatæ Virginis, quæ proinde eatenus videtur dici potuisse *negotium omnium seculorum*, quatenus negotiosa circa eam fuerunt omnia secula, vnoquoque eorum illam sibi peroptante.

Verùm simplicissimus S. Bernardi sensus fuit, Beatam Virginem ideò esse, quæ non eius modo seculi quo vixit, sed etiam omnium seculorum, & antecedentium, & consequentium maximè interfuerit. Nam ratione Christi quem produxit, respiciunt ad eam omnia secula; id est omnes, & maiores, & æquales, & posteri nostri. Sic enim est fons gratiæ & salutis, ac negotium omnium seculorum, vt ait Petrus Chrysol. serm. 143. & commune orbis terræ propitiatorium, vt loquitur Andreas Cretensis; sua item intercessione & suffragatione, omnibus seculis est vtilissima. Agitur ergo in ea negotium seculorum omnium ad eum sensum, agendo de vero negotio, quod refertur ad Dei erga nos propitiationem. Accedit quæstus ex vera nostra negotiatione & seriis negotiis nostris. Ita loquor. Nam tametsi cæci mortales, occupationem puerorum vocant *nugas*, maiorum verò nugas, vocant *negotia*, vt expostulat S. Augustinus lib. 1. confess. cap. 9. tamen vera quæque negotia nostra, spectant duntaxat quæ non videntur, & spiritualia sunt ac æterna. Hoc igitur verum ac serium negotium seculorum omnium, è quo vnicum verum lucrum nostrum existit, & ratione cuius dictum est omnibus, *negotiamini dum venio*, per Beatam Virginem obimus mediatè & causaliter; nempè ratione gratiæ quam per Christum suppeditat, aut sua intercessione exorat: & eatenus rectè dicta est *omnium seculorum negotium*, & *causa rerum*, vt ibidem loquitur Sanctus Bernardus. Nam quia *rerum* nomine apud Deum & cœlites, non veniunt mundana; & temporalia quæque apud eos habentur quasi non sint; *rerum* autem nomine in cœlesti lexico donantur tantùm spiritualia, & pertinentia ad gratiæ adeptionem vel augmentum, quorum omnium mediatè causa est Beata Virgo, iure denominata est sicut *negotium omnium seculorum*, ita etiam *causa rerum*.

Est qui Beatam Virginem, à negotiatione humanæ salutis, non modò *negotium seculorum omnium*, vt hactenus vidimus, sed etiam *negotiationem Dei* dictam esse contendat. In quam rem profert Concilium Chalcedonense cuius definitione sancitum est, Beatam Virginem esse Θεοτόκον, quod idem sonare ait, ac *negotiationem Dei*. Ita habetur in Iuditha figurata c. 37. Verum, hoc acumen omni pistillo retusius est. Neque enim vox Græca τόκος significat negotiationem sed fructum negotiationis. Et quamuis vox græca τόκος pateretur acumen illud quod in ea fundatur; tamen nullo modo arridere potest, quod euacuetur grauissima fidei definitio, præter Concilij mentem; non Chalcedonensis tantùm, sed etiam anteriùs Ephesini, & aliorum plurimorum. Euacuatur autem, dicendo sensum illius definitionis *quod B. Virgo sit Deipara, & vera parens non hominis puri, sed Dei*, fuisse, quod Beata Virgo sit nostræ salutis negotiatio per suam intercessionem. Quis verò ferret eum qui pari iure argumentetur & diceret, sensum definitionis Concilij Niceni contra Arium, esse quod Verbum sit ὁμοούσιον Patri, quia ambo simul pro substantia siue indiuisa possessione habent orbem terræ? Aut quod ambo ex communi societate quæstuosa lucrentur animas quarum saluti prospiciunt? Nemo non videt eam detorsionem grauissimæ definitionis ludicrum acumen, reprehensione non vacaturum, etiamsi verum sit, orbem terræ esse indiuisam Patris ac Filij possessionem; & ambos communi impensa & studio satagere pro salute animarum. Similiter itaque, quamuis verum esse possit, quod B. Virgo sit negotiatio Dei, ferendum tamen non videtur, vt dicatur is esse sensus definitionis qua maternitas Dei est stabilita in Ephesino Concilio, & confirmata in Chalcedonensi, damnato post Nestorium Eutichete.

Nubes diei.

QVam Dauid Psal. 77. appellat *nubem diei*, Scriptura alibi *columnam nubis*, ac etiam *columnam ignis* appellat: non quod essent duæ columnæ ex diuersis materiis confectæ, sed quod vna & eadem columna ex ignea materia, de die quidem ob solis fulgorem nubes videretur; noctu autem, quod erat, hoc est ignea appareret, vt rectè affirmat Franc. Aguilon. l. 5. optic. disp. ad propos. 56. videtúrque apertè haberi ex cap. 14. Exodi, vbi sic habetur. *Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem.* Nec ita multo post *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum columnam nubis & ignis, interfecit exercitum eorum.* Clem. Alex. 1. Strom. simile quiddã Thrasybulo exules reducenti factũ narrãs; columnam igneam nubis specie se exhibentem, refert ad expressionem diuinitatis, transeuntis per terram, & in cœlum rursus recurrentis per lignum. Nam etiam columna prædicta Hebræis, quiescente populo stabat, insistens tabernaculo, quod basi sua operiebat, cùm verò excedendum erat, conspicuè in altum sublata ferebatur per aërem præcedens, vel subtegens populum, prout ferebat opportunitas. Drogo de sacram. dom. pass. *post medium*, columnam igneam Dei nube contectã, interpretatur Eucharistiam, de qua relucet nobis semita humilitatis, omniúmque virtutum in summa Dei dilectione & incensissimo erga nos amore. Hieronymus in Psal. 77. ad Virginem retulit: quam scitè obseruat, vocatam *nubem diei*, quia *nunquam fuit in nocte, sed semper in luce*. Has ego voces, tanquam apertè nitentem ac purum Virginis conceptum præferentes, exosculor.

Com

Cum autem hæc ipsa *nubes Dei*, ignea columna esset, vt præmisimus; liquet quid sibi voluerint, qui B. Virginem vocarunt columnam flammeam deducentem genus humanum ad supernam vitam, transito mari. Respexerunt enim ad hanc igneam nubem, populi Dei deductricem, per mare huius vitæ, insequentibus hostibus, quos malè mulctat & perdit, populo Dei erepto incolumi. Et aptè sanè B. Virgo, quæ in suis oculis nubes erat, & quidem [pusilla, carnalem animam non habens, nec aliquam peccati grauitatem, & idcircò in aëra eleuabatur; & sua leuitate in alta dirigebatur.] (*Verba sunt Origenis homil. 3. in diuers.*) simul dicimus columna flammea ob amoris altipeti inconcussam stabilitatem qua ignescebat, & viantibus prælucebat exemplis vitæ sanctissimæ, sicut hodiéque prælucet.

Nympha Dei.

DOnat hoc nomine B. Virginem, Theophanes hymno de Annunc. & consentiunt quotquot Græci ex interprete, vocant B. Virginem, *Dei sponsam*. Nam Græca vox Θεονύμφη: quam interpres reddidit *Nympha Dei*, æquè potuisset Latinis *sponsa Dei* vocibus reddi. Frequentissimè Patres B. Virginem Spiritus sancti sponsam; nonnulli sponsam filij, vt diximus v. *Adiutoriam altissimi*; alij totius sanctissimæ Trinitatis sponsam nominant. Omnes rectè. Nam connubium immaculatum, quo anima per gratiam Deo nubit, æquè ad totam sanctissimam Trinitatem, aut ad singulas quasque eius personas refertur, ac ad personam Spiritus sancti; quamuis huic tertiæ personæ, peculiariter & frequentiùs competat, denominari *sponsum virginum*; quia ei appropriantur opera gratiæ, vnde Christus de Spiritu sancto conceptus dicitur; quæ potest esse specialis ratio denominandi potiùs Virginem Spiritus sancti sponsam: sicut reuera tota Cantica Canticorum Salomonis, de multorum Patrum sententiis, ex speciali Spiritus sancti intentione, sponsæ nomine (non exclusis aliis prætereà idoneis sensibus, quos Patres & probati Interpretes assignant,) designantur B. Virgo sponsa Spiritus sancti. Petrus Damiani serm. de Assumpt. *Sancto Spiritui specialiter coniugatam*, nominauit. Quod Giselbertus c. 19. Altercationis Synag & Eccles. B. Virginem *Regis æterni sponsam vnicam* dixit, non pertinet ad excludendas cæteras animas ab illo æquè sancto ac felici connubio, si non succedat adulterium, vt Tertullianus *l.* de Anima c. 41. optimè dixit: sed tantum pertinet ad significandam huius sponsæ supra omnes alias præcellentiam.

Opus solum Incarnationis filij Dei.

ITa loquitur S. Hildefonsus libro de virginitate Beatæ Mariæ capite 10. *initio*. [Venio ad te (inquit,) sola Virgo Mater Dei. Procido coram te, solum opus Incarnationis Dei mei. Humilior coram te, sola inuenta mater Domini mei.] Verba illa *solum opus*, alij codices legunt hoc modo, *sola opus*, quæ discrepantia sensum non immutat.

Obscurum autem videri potest, quid sibi ea nomenclatione voluerit S. Hildefonsus. An enim sola Virgo redempta est, aut sola bonorum, Christi aduentu & Verbi Incarnatione paratorum facta est particeps? hoc nemo quantumuis rerum Christianarum rudis effutiuerit. Constat enim, & luce clarius apud omnes constat, Christum pro omnibus natum, ac mortuum esse; ac proinde omnes æquè Christi factura & opus sumus, producti & creati, in eo in operibus bonis quæ præparauit Deus. Dixit quidem S. Ambrosius ad illa Angeli verba Lucæ primo, *Ecce ancilla Domini*, Christum aggredientem ad mundi redemptionem, operationem suam à matre inchoasse, vt per quam salus omnibus parabatur, ea prima fructum salutis hauriret ex pignore: quod verum est, spectata gratia quam Verbum assumpta carne contulit, ratione præsentiæ suæ. Alij item primatum quendam prædestinationis adscripserunt Beatæ Virgini, atque adeò gratiam eiante omnes decretam statuerunt, de quo placito alibi actum. Vt autem sola Beata Virgo sit Christi redemptoris opus, sola per eum sit refecta, sola ad esse supernaturale euecta, atque adeò sola sit eius opus, in eo sensu nemo dicere ausit.

Genuinus ergò sensus S. Hildefonsi idem est qui Dionysij Alexandrini insignibus illis verbis in epistola contra Paulum Samosatenum. [Vna & sola Virgo, filia vitæ, genuit Verbum viuens.] Quod his verbis planè & expeditè dictum est à Dionysio Alexandrino, subobscuriùs pro more expressum est à S. Hildefonso, per metonymiam, qua effectus ponitur pro causa & contentum pro continente, vel effectus pro loco in quo efficitur adhibitis verbis illis, *sola es opus Incarnationis*. Id est per te solam inter homines, facta est Incarnatio. Qui videri potest idiotismus ei Gallismo similis, quo monstrato agro vnde triticum suum quis colligit, dicit, *hoc est totum & solum meum triticum*. Id est locus vnde totum meum triticum habeo, sic igitur dicitur Virgini, *tu es solum opus Incarnationis*, id est sola es locus in quo peracta est Incarnatio; vel certè tu sola per suppeditatam Christo substantiam, eadem quadamtenus ea cum Christo, & opere quod Incarnationem terminauit. Ipsa figlina & fictrix Christi, sola ex hominibus fuisti, quia autem locus est in quo conflatur; quod de te sola, valet in hoc negotio, vt scitè quoque de Beata Virgine dixit Richardus Victor. in Psalm. 71.

Intelligimus hanc fuisse S. Hildefonsi mentem, ex iis quæ mox subiicit. [Concedas mihi (inquit alloquens Virginem,) adhærere Deo & tibi, seruire filio tuo & tibi &c. Illi sicut redemptori meo, tibi sicut operi redemptionis meæ. Quod enim in mea redemptione est operatus, in tuæ personæ veritate formauit. Quod mihi redemptor factus est, tibi filius fuit. Quod pretium emptionis meæ factus est, ex carne tua eius incarnatio fuit, in qua vulnera mea sanauit. Ex carne tua vulnerandum corpus exhibuit, in quo mortem meam tolleret. A mortalitatis tuæ corpore mortale corpus attraxit, in quo mea deleret peccata. Quod tulit à te corpus, sine peccato suscepit: naturam meam, quam in se præcessore mihi ad regnum suum, in gloria paternæ sedis super Angelos collocauit ex veritate corporis tui (humiliatus) assumpsit.]

Longè aliter hunc Deiparæ titulum è S. Hildefonso depromptum interpretatus est Salazarius l. de concept. c. 24 §. 14. Censet enim sensum esse eiusmodi fuisse B. Virginem, vt cum Christus ad eam redimendam venit, præfari eum oportuerit, *Hoc opus, hic labor est*; eo quod cum redemptio cæterorum, propè lusus fuerit, Christo; redemptio tamen Virginis, fuerit dignum opus in quod perficiendum, infinitum redemptionis Christi pretium, decorè admodùm impenderetur, vt potè quæ sola tantis

conati

conatibus dignum opus fuit. Et sola splendore suo reliquorum redemptionem quasi contexit, sicut lux solis stellas præstinguit: quæ est Petri Damiani comparatio, cum Virginem docet, eam ob rem nominari, electam vt Solem. Additur alia eiusdem tituli glossa; nimirùm quod Virgo dicatur *sola opus Incarnationis*, quia talis ac tanta est, vt sola ipsa sufficientem Incarnationis finem, & sufficientem redemptionis materiam exhiberet, ita vt suspicari liceat, propter solam ipsam sublatis aliis, perficiendam fore Incarnationem, & redemptionem dignissimè suscipiendā. Et verò Incarnatio, passio, & mors Christi, plus detulit vni Virgini quàm omnibus aliis creaturis simul sumptis. Item Virgo dignior causa est, vt propter illam Deus carnem assumeret, quàm propter omnea simul creaturas. Præterea sola Virgo est opus Incarnationis, quia munus ipsum creationis, obtigit Virgini soli per Christi merita; cum cæterorum omnium productio, sit beneficium ordinis naturæ, nullum habens nexum cum Incarnatione. Et alij quidem per Christum refecti & recreati sunt, Virgo autem facta & creata est Christi meritis; ita vt ad eius solius effectionem primam efficacitas Incarnationis & meritorum Christi pertigerit. Placuit sensum non vnum tituli propositi ex hoc Autore attingere, vt compositi cum eo quem proposuimus, monstrent maiorem eius verisimilitudinem. Certè quod hic postremo loco dictum est, reuictum alibi est falsitatis. In anterioribus partim meras phrases deprehendo; vt quod de conatu in redimenda Virgine est adductum; partim coniecturas & suspiciones non satis solidè substrxas, vt quod soli Virgini plus fructuosa fuerit Incarnatio quàm omnibus aliis simul sumptis quodque ob Virginem solam deficientibus aliis omnibus, æquè Incarnandum esset Verbum, & venturus Christus.

Oratio pulchra Hymnographorum.

HOc est, decorum & illustre argumentum, de quo insignes quique hymnographi, concinat hymnos. Quæ enim conuenientior hymnorum materia, quàm Mater Dei? Est quidem *hymnus* iuxta arctam huius vocis notionem à D. Augustino traditam in Psal. 72. *cantus continens laudem Dei.* Tamen paulo laxiùs vsurpata voce quodlibet sacrum poëma, illustre aliquod Dei opificiū celebrans, nomine *hymni* venire solet. Quod autem Dei opus purè creatum, illustrius Maria? Præterquàm quod eius laudatio, semper redundat in Dei laudem; vt proinde etiam secundum arctissimam vocis notionem, carmen quodvis de Deipara, dicatur *hymnus*. Panxere huiusmodi hymnos, sancti innumeri. Præter Angelos quos per singulas acies, hymnos Deiparæ pangere ait S Athanas. serm. de Sanctis. Deipara *in fine* monstrauerunt quod diai, vertices illi Theologorum, quos ad collaudandam sacris hymnodiis B.V. conuenisse, testatur S. Dionysius cap. 3. de diu. nom. celebrans in primis in eo munere, secundùm Apostolos, Hierotheum. Tentauit eorum hymnos exprimere Andr. Cretens. orat. 2. de Assump. Secuti deinceps omnibus Christianis seculis, Græci Latinique complures. Nam inter Græcos, Nazianzeni carmina laudes B.V non rarò pangunt. Easdem Damascenus, Cosmas Hierosolymitanus, Theophanes, Theodorus Studita, Theosterictus, Io. Geometra, & quotquot hymnos Græcanicos scripserunt, studiosissimè celebrant. Imo quibusuis sacris hymnis de alio argumento, subtexi apud eos solet *Theoto-*

Theophili Raynaudi Marialia.

chion, quod spectat Deiparam: quasi non congrueret Deum ex aliis capitibus laudare, hoc prætermisso. Sicut agente S. Bonauentura, constitutum est in Latina Ecclesia, vt certis anni temporibus, hymnis sacris, etiamsi de alio argumento editis, subiungatur; *Gloria tibi Domine qui natus es de Virgine.* At ea Theotochij subiunctio, Græcis perpetua est, vt Borco testatur *pag.* 14. Florilegij precum Græcanicarum.

Latinos Poëtas sacros, Prudentium, Fortunatum, Sedulium, Bonauenturam, Adamum de S. Victore, Herm. Contractum, & recentiorum examina, laudes Magnæ Matris, versibus, aut rythmis versificatoriis expressisse, frustra docerem Sedulij autem peculiare decus est, quod Ecclesia in sacris Officiis, carmina eius de B. V. vsurpari sanxerit; Sedulij quippe sunt illa, *Salue sancta parens enixa puerpera Regem, qui cœlum terrámque tenet per secula.* Et mox illa. *Gaudia matris habens cum Virginitatis honore. Nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.* Nec non hymnus præclarus, cuius singulis Distichis, vltimæ voces recurrunt in primas hoc initio: *Cantemus socij.* & aliter item hymnus planè egregius de Virginis puerperio, cuius initium est. *A Solis ortus cardine.* Quin etiam B.V. cum cœlitibus pedissequis S. Dunstano apparens, versus Sedulij gratos sibi esse testatum fecit; auditas enim ex primùm adducto Sedulij hymno, laudatores præsentem & fauentem Deiparam, cœlites tympanistrias simul apparentes, habent S. Dunstani Acta. Itaque B. Virgo, cœlestium & terrestrium, omniúsque linguæ hymnographorum, *Oratio pulchra*, dignissimúmque argumentum, iure habetur eodem sensu quo Andronicus senior Imperator, à Nicephoro Gregora in Næniа quam intexuit lib. 10. historiæ, appellatur *inanis omnium linguarum narratio & commemoratio.*

Os Ecclesia, os Apostolorum.

QVi reliquo cœtui præeminent, quia eorum partes sunt, si se det occasio loqui pro cæteris, & nomine totius cœtus proloqui, aut respondere, dicuntur os illius cœtus. Sic S. Petrus *os discipulorum* dictus est à Chrysostomo hom. 20. ex variis in Matth. locis, & à S. Athanasio hom. de S. Andr. dictus est *interrogatorum lingua discipulorum.* Qui item alios docent, & quid eloqui possint, tradunt, *ora* eorum appellantur. Sic Basilius, ab Hesychio centur. 1. cap. 65. dicitur *os Christi, columna Ecclesiæ, magnus Pater noster, Basilius.* Quo loquendi modo significare volebat, Deum per S. Basil. tanquam ex Ecclesiæ primoribus, præcellentibusque DD. vnum, fudisse oracula plebi Christianæ. B. igitur Virgo rectè dicta est *os Ecclesiæ*, quia quoties cœtus nostri apud Deum causa agenda est, interpellat pro nobis, & nomine ac loco nostro, loquitur Deo pro nobis. In quam rem suppetunt è probatis historiis exempla permulta, quibus deprehendum est, B. V. os esse miserorum sibi addictorum. Eximium est quod recitat Ioan. Moschus c. 75. Limonatij, de matre, & filis per maritum peregrè profectum commissis tutelæ B. Virginis, à qua in apertissimo discrimine à manu truculenti mancipij, mirabiliter sunt ereptæ. Insigne & illud quod de Augustana ciuitate, precibus à S. Vdalrico ad B. V. fusis, liberata ab immanitate Hunnorum, scribit Berno Augiensis in S. illius Autistitis rebus gestis. Sed quid singularium in hanc rem exemplorū spicas colligo, cum prostet vbius plena messis? Hinc perspicimr cur B.V. dicta sit os Eccles.

Os autem Apostolorum dicta videtur, quia eos docuit, præsertim post Christi hinc abscessum; vt optimè tradit Rupert. lib. 2. in Matth. qui eandem ob causam li. 1. & 5. in Cant docet eam fuisse *Magistram Magistrorum.* Quid si verò etiam addamus, Deiparam os *Apostolorum* dictã esse, quia assiduè eam in ore habebant; non modò quatenus de Verbo ex matre Virgine incarnato agere non poterant, quin Deiparam ingererent, sed etiam quia argumentum prædicationum Apostolicarum secundùm Christum, principale erat B. Maria quod de se profitetur S. Paulus in Menæis Græcor. 15. Aug. vbi ad Virginem morti proxima accessisse propiùs, & sic eam affatus dicitur. [Vale ô genitrix vitæ vitæ; Vale primaria, prædicationis meæ materia; Licet enim Christum in hac vita degentem non viderim, tamen tuus affectus, abundè mihi repræsentabat.] Quomodò inducatur Paulus, dicens se Christum in terra degentem non vidisse, natus vno aut altero post Christum anno & conuersus anno Christi 35. per vnum duntaxat mensem inchoato, vt Massutius lib. 1. c. 2. vitæ S. Pauli subduxit, nunc non moror.

παναγία.

DE hoc Virginis titulo Græcanico, varietas est sententiarum. Supponendum enim est esse Virginis titulum. Nam quod Iunius sectarios, Panagiam dixit esse vocem barbaram, ex Latino *panis* & Græco *ἅγιος* concinnatam ad significandum panem, more Gallicano à sacerdotibus benedictum, fabulositatis reuincitur à Gretsero ad orationem Germani Patriarchæ; qui ait esse Virginis Deiparæ epithetum ad panem translatum ob diuinitùs oblatam visionem, de qua in Græcorum horologio habetur caput, hoc præfixo titulo; *De exaltatione Panagia, quomodò facta sit, & quare.* Mentio item est Panagiæ in Euchologio *pag.* 812. & apud Curopalatam, cum agit de Domestico rei domesticæ, sublata mensa, afferente Imperatori pangiam in panagistrio. Ortum huius ritus repetunt ex vsu Apostolorum, qui priusquàm digrederentur ad prædicandum mensæ accumbentes, relicto vacuo loco, puluinar in eo collocabant, & super puluinar partẽ panis vsuarij Christo ipsi delatam. Quoad panis fragmentum in partem Domini sepositum, post sublatam mensam, precantes & gratias agentes, eleuabant, dicentes *Gloria tibi Deus noster, gloria tibi, gloria Patri & Filio & Spiritui sancto Christus resurrexit.* Post Ascensionem verò, loco horum verborum, *Christus resurrexit*, aiebant, *Magnum nomen S. Trinitatis, Domine Iesu Christe, adiuua me.* Hunc ritum panem eleuandi quisque Apostolorum, postquàm ad prædicandum sunt digressi, retinuit & religiosè vsurpauit: donec ad Deip. obitum vndecumque euocati iustis ei persolutis die 3. post eiusdem Deiparæ tumulationem, cum cibum sumpsissent, & panem more solito exultassent, apparuit Virgo choris Angelorum supra, protectionem suam cœtui Apostolico spondens, & plurima salute eum impertiens. Stupefacti viso Apostoli, loco illius versiculo *Domine Iesu Christe, adiuua nos*; exclamarunt, *Panagia Deipara, adiuua nos.* Et adito sepulchro cum vacuum corpore reperissent, persuasi sunt, eam die tertia, instar Filij, surrexisse, & cœlis illatam cum insigni triumpho fuisse. Hæc est ratio denominandi panem mysticum *panagiam*, denominatione refusa à Deiparæ inuocatione, inter sublime extollendam, religiosa ceremonia, panem Christo sepositum.

Cur autem ipsa B.V. dicatur *παναγία*, notius est quàm vt exponi oporteat, si certi insistamus. Verè enim Deipara est tota sancta, tota pulchra & nitens absque macula tam corporis quàm animi. Tota item eius vita, fuit sancta. Nam conceptio prima, fuit prorsus immaculata ob inditam eo ipso primo momento gratiam sanctificantem; peccatum, quod alioqui obrepsisset, auertentem. Reliquos vitæ decursus, auctiore semper sanctitate colluxit. Atque ita Deipara vndecunque sancta, meritò dicta est *Panagia*; idque est quod amictus eius in Apocalipsi depingitur candidissimus & fulgentissimus; [cuius omnia (inquit S. Bernardus serm. de signo magno) tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed ne obscurum quidem, aut minùs lucidum liceat suspicari;] de Virginis omnimoda sanctitate, concionem plenam subministrabit Mendoça p. 2. in Reg. amor. 11. l. 2. Sanctam Deiparæ imaginem *Sanctam Sanctorum* vocandam decernit Damascenus orat. 2. de Imag. Quid de prototypo diceret? Accedit ad *Panagia* nomen; appellatio *Panagea* tributa Dianæ, eo quod Poëtæ, Dianam oberrantem & hac illhac vagantem exhibeant, nunc apud superos, nunc apud inferos agentem. Vnde adagiale scomma in hominẽ errabũdum & nulla certa sede consistentẽ, ἡ παναγία ἄρτεμις. Detersum Ethnica fuligine & instabilitatis labe nomen, rectè ad veram Dianam nostram accommodaretur, quod quaquauersum discurrat & sanctè oberret opitulatrix, vbicumq; opis indigentia erit manifesta, & opportuna, subleuatio.

Panegyris salutaris reconciliationis.

ITa expressit Peltanus, quod Proclus dixit, ἡ πανήγυρις τοῦ σωτηρίου συναλλάγματος. *Panegyrim* definit S. Chrysostomus orat. de S. Philogonio, copiosam & vberem multitudinẽ. Nam tractans quod de Angelorum frequentia, Græcè *panegyri*, ab Apostolo dictum est Hebr. 12. ait, cœtum cœlestiũ virtutum, ab Apostolo dictum esse panegyrim, non solùm ob earum multitudinem, sed etiam ob iuge gaudium & lætitiam, omniumque bonorum abundantiam. [Nec enim (inquit) alia res facere solet panegyrim, quàm mercium venalium copia, cum triticum, hordeum, & omni iuges fructuum species, ouium greges, boum armenta, vestes, aliaque id genus plurima, importantur: aliis quidem ementibus, aliis verò commercantibus.] Synallagma verò quid sit, exponit Vlpianus l. 19. ff. de verbor. signif. docens, idem esse quod contractum, siue obligationem vltrò citróque susceptam; veluti emptionem, venditionem, locationem, conductionem, societatem. Aristot. 5. Ethic. c. 3. synallagma vsurpat pro commercio: quod quia olim in ciuili societate per commutationem peragebatur, datis ab vno calceis, alio, tela vel panno, idem l. 9. *initio*, hoc ipsum appellat συμβίλαιον; quę vox permutationem designat. Vt proinde synallagma, idem esse videatur quod emptio vel permutatio, vt disertè habet S. Chrys. ho. 74. in Matth. agens de eo qui perinde habet vxorem ducere, ac emere quippiam vel permutare, in foro rerum venalium, aut commutabilium.

Ex his intelligi potest, quid Proclus voluerit, vocans B. Virginem, panegyrim σωτηρίου συναλλάγματος. Sensus enim esse posse videtur, B. Virginem esse veluti nundinas spirituales omni mercium genere abundantes, ad quas omnes vndecumque confluant,

flaant, curaturi & paraturi sibi necessaria. Similiter enim B. Virgo (iuxta Amedeum Lausanensem id mellitissimè de more prosequentem homil. 8.) ast veluti bonorum omnium temporalium ac spiritualium emporium; vbi quisquis aliqua Dei satgitate eget; (& egent ad vnam omnes,) inuenit absque vlla commutatione quicquid capetere potest ad satisfaciendum suæ necessitati. Hanc ob causam, eadem Deipara iuxta Bernardum serm. 2. de Pentec. est medium terræ, ad quam omni bonorum genere instructissimam, omnes populi auidissimè concurrunt, prouisuri sibi per eam, quæ ad salutem spectant. Egregiè idem Bernardus serm. in illud *signum magnum*, veluti forum (vt sic dicam,) in quo prosteot omnia miseris mortalibus necessaria, aut quasi locum nundinatum pietatis & misericordiæ, B. Virginem describit. [Omnibus (inquit) omnia facta est, sapientibus & insipientibus, copiosissima charitate debitricem se fecit; omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi; captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam; vt non sit qui se abscondat à calore eius.] En verè panegyrim, nundinas, mercatum spiritualium bonorum. Itaque vertendum potiùs videbatur, *panegyris salutaris commercij*, quàm *panegyris, salutaris reconciliationis*. Nec refert, quòd hic non exerceatur synallagma illud, quo vltrò citroque obligatio suscipitur; & vnus contrahentium vnum quid accipit, alter vicissim alterum. Hoc inquam non refert. Nam vt notaui lib. 3. de virtut. n. 169. Aristoteles quoque interdum nomine *synallagmatis*, designat obligationem ea alterutra tantùm parte susceptam. Et nihilominus vtcumque dicitur commutatio & emptio, quia Deipara æquè ac Deus, bonam hominis ad ipsam accurrentis voluntatem gratiæ afflatu adiutam, habet pro pretio mercis capetitæ, seu boni capessiti iuxta illud. *Venite & emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac*. Hic elogij ex Proclo propositi sensus, non est incommodus; sed cum Latina interpretatione ea Peltano tradita minimè cohæret.

Videtur ergo doctus ille interpres, introspexisse alium verborum Procli sensum, qui ea eiusdem dem Procli antecedentibus & consequentibus verbis insinuatur. Sic enim ait ibi Proclus, de B. Virgine. *Hæc vnitarum inter se naturam Officina; hæc salutaris reconciliationis panegyris; hæc thalamus in quo Verbum humanam carnem sibi despensauit*. Manifestum videtur, medium illud elogium, eodem pertinere quo duo extrema vtrimque illud medium cingentia, & ad eandem Verbi in vtero Deiparæ, cum carne nostra coniunctionem spectantia. Seorsus ergo illius medij elogij, quo Virgo dicitur *panegyris synallagmatis*, esse videtur; in B. Virgine, tanquam in officina mercatoria instructissima, vel tanquam in foro & nundinis omni mercium genere confertissimis; conuectas esse ex parte Dei merces pretiosissimas: diuinitatem nimirum, & omnia eius attributa, ac Verbi personam; ea parte verò nostra, carnem & pauperiem nostram, omniaque consectaria mortalitatis: Deum verò nobiscum negotiantem, admiranda planè commutatione, (vt inferiùs eadem homilia loquitur Proclus,) accepisse quidem à nobis carnem, & connaturalia eius adiuncta absque peccato, vt loquitur Apostolus; dedisse autem pro carne spiritum; Verbum inquam suum diuinitatem. Hanc negotiationem ple-nè illustro lib. 2. de Christo sect. 5. cap. 10. quod totum est de Verbo negotiante, & de expressione Incarnationis, per symbolum negotiationis ac commercij Dei nobiscum. Quia verò hæc negotiatio vniuersa, retendit ad hominis ac Dei reconciliationem, ideò interpres Procli, neglecto vocis cortice, quam poterat commutationem, aut negotiationem, vel commercium dicere, vocauit *reconciliationem*. Nisi si in corruptum codicem incidit, & pro synallagmate quod *commercium* sonat, legit *antallagma*, vel *κατάλλαγμα*, quod idem est ac *reconciliatio*. Vnde Eccles. 44. Noë dicitur factus *reconciliatio*, Græcè *ἀντάλλαγμα*.

Pinguedo omnis sacrificij.

AGit S. Methodius, (cuius est hoc Virginis elogium,) de sacrificiis tantùm Christianis. Quāuis enim in lege noua vnicum supersit singularissimum sacrificium, & vnica oblatio, omnes (vt S. Leo dixit,) antiquas sacrificiorum varietates adimplens; tamen multa præterea translatitiè dicta sacrificia recensentur à Patribus, nominatim à S. Chrysostomo: qui in Psal. 95. professus vnicam esse veram hostiam antiquas illas tam multiplices complentem, quod est (vt ait,) *cæleste summéque venerandum sacrificium mystica mensa*; addaique in Psal. 140. hoc esse in primis reuerendum summáque ratione dignum sacrificium quod lingua suscipimus, vnde turpiloquij cuiusuis insignem detestationem eruit: hæc inquam de vnico propriè dicto inter Christianos nunc superstite sacrificio professus eo Psal. 95. S. Chrysost. subiungit; nihilominus esse pleraque alia *sacrificia decentia Euangelicam gratiam*, nimirum martyrij, deprecationis, iubilationis, iustitiæ, eleemosynæ, laudis, compunctionis; humilitatis, prædicationis, siue beneficentiæ in egenos; quæ omnia, dici sacrificia, confirmat ex multis scripturis.

Hæc sacrificia metaphorica, & latè dicta, ad quæ vides omne ferè bonorum operum genus reuocari, interdum pinguia sunt & medullata, interdum macilenta, & minùs accepta Deo. Nam sicut olim pinguedo hostiæ, quia erat argumentum voluntatis bonæ non offerentis debile Domino, sed quod habebat optimum, censebatur nota sacrificij Deo accepissimi, iuxta illud, *sicut in millibus agnorum pinguium* & iuxta illud, *holocaustum tuum pingue fiat*, id est, sit Deo gratissimum, vt cum offertur Deo hostia pinguissima: Ita in lege noua est aliqua prædictorum metaphoricorum sacrificiorum sua bonorum operum pinguedo, per quam Deo maximè placent. S. Ambrosius l. 2. de Cain capite 5. annuente ferè S. Bernardo serm. 1. in Natali Domini, fidei & deuotioni, vberique alimoniæ Verbi cælestis, eam operum bonorum veluti saginam & pinguedinem tribuit. S. Gregorius homil. 20. in Ezech. tribuit lachrymis cordis contriti, ex amore & desiderio boni puri, quod Deus est. His accedentibus, sacrificium est valdè acceptum Deo, quippe *adipale*, vt alicubi loquitur S. Ambrosius; valetque de eo quod habetur c. 35. *Eccles. oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi*. Vnde verò nobis hæc saginatio hostiarum nostrarum? Vnde pinguedo deuotionis & contritionis, ex amore puro? Sanè non aliunde expeditiùs aut vberiùs, quàm ex B.V. quæ & Christum mundo aduexit, qui longè veriùs quàm Dauid fuit velut adeps separatus à carne; & fidem, deuotionem, amorem, passim nobis interpellatione

sua exorat. Hic primus sensus verborum S. Methodij

Occurrit altes, pentus ex nexu Deiparæ cum Eucharistia. Si cenim Virginem alloqnitur S. Methodins. *Tu verè omnis sacrificij pinguedo; Tu animarum panis istius vita altare. Omne sacrificium* accipi potest quoduis sacrum. Nimirum tametsi sacrificium Christianum quoad rem oblatam est planè vnicum tamen quoad actionem sacrificandi incruentè, multiplicatur numero pro numerica varietate sacrorum. Videtur etiam Eucharistiæ sacrificium absolutè sumptum, posse dici *omne sacrificium*: Nam sicut apud Psalrem, manna vocatur *omnis esca*, cùm ait, *omnem escam, abominata est anima eorum*, quia manna erat quasi omnis cibus complectens omnem saporem; sic Eucharistia, *omne sacrificium* est, quia numerositatem sacrificiorum antiquorum, eminenter continet. Huius vnius, & simul omnis sacrificij adeps, quam incendi moris erat de Origenis sententia homil. 3. in Leuitic. humanitas est, quæ sola est combusta igni; alio Christi extremo; hoc est diuino supposito, planè illæso. Quia ergo humanitas quæ est pinguedo sacrificij Eucharistici, & adeps frumenti electorum, à B. V. prodiit, & eius prima substantia, portio fuit corporis Virginei; dici posse videmur, B.V. in sua sobole esse esse pinguedinem sacramenti ac sacrificij Eucharistiæ; ad quam respexisse Methodium, insinuant sequentia verba quæ retulimus. *Tu animarum panis istius vita altare.* Notandum & expendendum pronomen illud *istius*: videtur enim indicare, hæc verba proloquentem Methodium, versum esse ad altare in quo sacrum Christi corpus asseruabatur; cuius altare pretiosius ac dignius, (quippe animatum) fuisset olim in alia eius specie B. Virgo. Qua etiam ratione Naz. orat. 4. describens festa Christiana non in comessationibus, obuertit se ad sacram altaris mensam. Item Theudotus Ancyranus homil. de Natali saluat. 6. Conc. Ephes. append. 5. cap. 2. agens de præsepi saluatoris, obuertit orationem, manúmque intendit in sacram mensam, in qua Eucharistia asseruabatur. [*Illud namque præsepe*, (inquit,) *mater factum est huius mensa. Propterea in illo est positus, vt in ista comedatur, & fidelibus fiat salutis cibus. Sed præsepe quidem claram hanc mensam designauit. Virgo autem, choros istos virginum germinauit.*] Eadem ac etiam luculentius, Theodoretus orat. 10. de Prouid. *sub medium.*

Pretium pretiorum.

HOc nomine S. German duo significare potuit; primùm esse Virg. rem preciosissimã. Est enim Idiotismus, Hebræorum in Scripturis frequentissimus, vt adhibita ea loquendi formula rem denotẽt in suo genere præcellentem. Sic *Canticum Canticorum* dicitur, quod est Canticorum omnium excellẽtissimum, & *Sancta Sanctorum*, quæ erat pars totius templi sanctissima. Idem liquet de similibus aliis, vt *Rex Regum, Sabbathum sabathorum, Virgo Virginum* Quin etiam simplex congeminatio vt *dilecti dilecti, barba barba*, præcellentiam signat ex Hebraico idiotismo. Quia igitur Beata Virgo res fuit pretiosissima iure dici potuit *pretium pretiorum*, abstracta *pretij* voce, vsurpata pro voce concreta *pretiosa*. Fuisse planè B.V. rem pretiosissimam, frustra probandum vel etiam exponendum susciplam; cum & nemo de hoc ambigat, & Spiritus Sanctus de muliere forti (ita enim expressa est, quam egregiam fœminam *braue femme* vulgò dicimus,) prodiderit prouerb. 31. *procul esse & de vltimis finibus pretium eius.* Idest, esse rem valdè pretiosam, quales sunt margaritæ & aliæ exoticæ merces, quibus pretium conciliat raritas, eo quod de remotissimis locis petantur. Sanè si B. V. decora spectentur non perfunctoriè, perspicuum erit, eam esse veluti adunationem pretiosorum omnium. Nec æquiparari eidem potuisse Lolliam illam, quæ tot gemmis vesti attextis ornata erat, vt vna gemma videretur. Videsis Plinium lib. 9. c. 35. De hac B. V. pretiositate, & quod omnis ponderatio non sit digna continentis huius animæ, quódque de vltimis finibus sit pretium eius, latè agit Rich. à S. Laur. lib. 4. de Deip. *à pag.* 224. & lib. 6. *à p.* 418.

Sensus alius, quo S. Germanus Beatam Virginem nomine *pretij pretiorum* donare potuit, is est quo spectamt inclusum in ea pretium infinitum, & litrum redemptionis nostræ. Metonymicè quippè Beata Virgo potuit denominari *pretium redemptionis nostræ*, quia in ea tanquàm in crumena aut sacculo continebatur pecunia ad eam redemptionem necessaria. Scitè S. Bernardus sermone de aquæductu, [Redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam.] Legesis præterea in eam rem Richardum à S. Laurentio libro primo de Deipara *pag.* 41. Fuit sanè Christus ea pecunia, & pretium omnium nostrum. Tamen quia Christus fuit intra B. V. repositus diuinitùs, potuit Beata Virgo metonymicè vt aiebant, & contentum vsurpando pro vase continente, denominari *pretium* hominum. Sicut Zona dicitur continere pecuniam, vnde interdictum euangelicum habendi in Zonis pecuniam, quia pecunia reponebatur in crumena quæ Zonæ alligabatur. Ex qua obseruatione saluus æquè Beatæ Virgini manare potest titulus propositus hoc secundo modo acceptus, etiamsi corpus Christi, aut Christus, dicatur sacculus continens pecuniam & pretium nostrum, vt loquitur Sanctus Bernardus serm. 1. de natiu. Domini *in fine.* Nam sicut Zona dicitur habere pecuniam quam non oi. simediatè habet; nempè per crumenam ex ea pendentem; sic, etiamsi Christus dicatur sacculus continens pretium nostrum, Beata Virgo poterit dici illud continere, aut esse; nempè metonymicè, & causaliter, ratione Christi ab ea pendentis in generatione temporali.

Promptuarium Prouidentiæ.

HIc Virginis titulus, potest accipi vel immanenter ad eam, vel transeunter. Priore modo sensus est, erga Beatam Virginem planè extraordinariam Dei prouidentiam eluxisse; ita vt suppetiæ omnes, & auxilia ac remotiones impedimentorum quibus prouidentia electos ad præstitutum finem perducit, in ea præcellentissimè locum habuerint. De quo dubitare non licet, attento fine sanctitatis & gloriæ ad quem Deus Virginem destinarat, supra omnes cum Angelos cum homines. Nam prouidentia, ei finis intentioni commensa est. Quid verò ab huius tituli autore, habita etiam sit ratio prouidentiæ illius, id est, circumspectionis & attentionis circa seipsam, quæ in Virgine erat planè eximia, vt Ambrosius l. 2. de virg. huius Reginæ Virginum decora enumerans annotauit? Non enim tametsi à Deo tam exquisitis gratiæ donis præueniebatur, omittebat conferre studium suum, & inuigilare, ne qua ex parte deesset gratiæ Dei; quod nunquam, benignissimè semper iuuante Deo, euenturum sibi certa erat. Sed ea certitudo, circumspectionem

spectionem & diligentiam gratiæ cooperantem, non excludit. Vtrouis ex his modis sumatur prouidentia, B. Virgo in priore sensu proposito, rectè denominari potuit *prouidentiæ promptuarium*, æquè ac apud Isidorum Pelusiotam lib. 1. epist. 108. Zozimus Presbyter, quod esset omnium scelerum sentina, nominatur *vitij promptuarium*, & *impudentiæ thesaurus*.

Iam si hic Virginis titulus spectetur transeunter ad eam, sensus illius erit, Deum omne genus prouidentiæ erga electos exhibentem, vti Virgine administra, dando precibus eius ac meritis, auxilia & munera, quæ subministrat iis qui hæreditatem capiunt salutis. Quod maximè valet iuxta doctrinam S.Germani orat.de Assumpt. plerisque recentioribus probatam,& in Diptychis discussam; quod scilicet nullum gratiæ stillicidium ad quemquam deueniat, nisi immediatè ac formaliter per Virginē. Vt vt verò se habeat ea sententia, tanta est vbertas bonorum spiritualium, & temporalium pro vt spiritualibus nexorum, quam Deus per B.Virginem suppeditat hominibus, vt meritò promptuarium prouidentiæ erga eos, audire possit. Sicut eo nomine à Richardo à S. Laurentio lib. 1. & 5. de Deip.*collum Ecclesiæ* per quod à capite in membra reliqua deriuatur influxus; ab aliis *aquæductum*, vt à S.Bernardo serm. de Natiu. B. Virginis,& Richardo à S.Laurentio lib. 9. denique ab aliis, vt à Raymundo Iordano in prologo, *Thesaurarius gratiarum Dei* denominata est. Praxim verò huius prouidentiæ, lectissimis exemplis testatam, legere est apud Bonifacium lib. 3. & 4. historiæ, & apud Spinellum de Throno Dei cap.36.

Proœmium bonæ voluntatis Dei ergà mortales.

QVæ sit illa antonomasticè dicta *bona Dei voluntas* erga homines, intelligitur ex Lucæ 2. vbi audita est multitudo militiæ cælestis, cuius illud erat Canticum, *Gloria in altissimis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Græcè est εὐδοκία, in casu nominandi. Quam vocem vulgatus interpres, nunc *propositum Dei*, nunc *beneplacitum*, nunc *bonam voluntatem* interpretatur; sempérque eius vocis notio in Christum reuoluitur, qui est bona Dei voluntas; quatenus est obiectum primarium æterni propositi, ac beneplaciti, seu beneuolæ voluntatis, qua Deus prosecutus est genus humanum, largiens illi secum pacem per Christum. Hæc est illa *pax bonæ voluntatis*: vtique diuinæ erga homines,& quod eodem recidit, *illa bona Dei voluntas*, ex qua pax hominibus est collata, de qua Angeli Deum laudabant. Benè eam interpretationem loci prædicti, confirmat ad eum Franc. Lucas, & annuunt Euseb.l.4. de demonstr.cap.10. Gregorius Nyssen.orat.de Christi Natiu. Epiph.hær. 30. Euthymius ac Theophylactus ad eum Lucæ locum.

Huius bonæ voluntatis Dei erga homines, in Christo & per Christum exhibitæ, proœmium fuisse dicitur B. Virgo, quia Christo præuia fuit, & per eam velut per aditum, aduentum est ad Christum. Aditus autem habet analogiam cum proœmio, vt intelligitur ex Philone sub initium libri de congressu quærendæ eruditionis gratia. Ait enim, Musicam & Logicam præire sapientiæ, vt famulas; quia sicut in domibus vestibula sunt ante ianuam,& vrbes, habent sua suburbia per quæ adeuntur,& magnis argumentia magna sunt proœmia ita ante virtutem præmittuntur artes liberales. Erit hæc proœmij cum Virgine analogia, multò illustrior, si Christus spectetur per modum libri atque tractatus à Spiritu sancto conscripti; in quam rem plurima congessimus lib. 2. de Christo sect. 5. cap.1. Eius libri atque tractatus præambulum, siue proœmium immediatè præcedens & disponens ad librum, fuit B.Virgo.

Prophetissa.

TRiplicem huius tituli notionem proferre licet. Primam, vt Beata Virgo simpliciter sumpta voce, vt fert eius cortex, dicatur *Prophetissa*, quia prænunciauit futura, & prænouit anteriora, reuelante Deo, quorum vtrumque ad propriè dictam prophetiam pertinet. Vendicatum Beatæ Virgini est hoc decus, in dyptichis parte secunda, puncto 8. Et in hoc sensu *Prophetissam* vocant Beatam Virginem, ex eius Cantico id comprobantes, S.Basilius ad illud Isaiæ 8. *accessi ad Prophetissam*, & ad eundem locum S.Hieronymus, dicens id non esse dubium. Nec non S.Augustinus 17.Ciuit cap. 14. Ad eius enim canticum respexit, cum dixit, Beatam Virginem in Scripturis noui Testamenti, reperiri prophetasse ante Ioannem, tametsi prophetasse in Cantico suo, non dicat in actu signato. Alia multa ad hanc prærogatiuam Beatæ Virgini vendicandam adducit Suares tom.1.7 partis d.10 sect.1.

Notio altera *prophetiæ* est, qua Propheta dicitur, qui de rebus diuinis disserit. Qua ratione sæpè apud Apostolum sumitur vox *prophetia*, & verbum *prophetandi*. Et hac ratione quoq; Virgo fuit Prophetissa. Nā etsi non dicebat publicè ad populum fungens munere concionatoris, ne exemplum statueretur fœmineo sexui, loquendi publicè in Ecclesia, tamen priuatim, incredibiliter promouebat negotium fidei, instruens indoctos, firmans imbecilles, nutantes releuans,& omni genere sedulitatis dans operam disseminationi Christianæ fidei, vt in Diptychis monstratum est. Vt taceam prædicationem ac prophetiam huiusmodi per exempla vitæ sanctissimæ. Quo prophetandi genere præcelluisse Deiparam, tradit his verbis Rupertus libro 3. in Cant. ad illud, *sicut fragmen mali punici genæ tuæ.* [Tua verecundia quid est, nisi religiositas summa? Et hæc virtus sine dubio, malo punico debuit assimilari, quia gratiosa est intuentium oculis, & interdum suo silentio non minùs ædificat, quàm sermo prædicationis. Vnde in tunica Pontificis, deorsùm ad pedes eiusdem tunicæ, *facies* (inquit, Dominus ad Moysem) *per circuitum, quasi mala punica ex hyacintho, purpura & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita vt tintinnabulum sit aureum, & malum punicum, rursúmque tintinnabulum aureum, & aliud malum Punicum: & vestietur ea Aaron in officio ministerij, vt audiatur sonus, quando ingreditur & egreditur sanctuarium, in conspectu Domini & non moriatur.* Malum quippè Punicum in medio tintinnabulorum, religiosum atque operosum est silentium, maximè sexus fœminei, in societate fidei, vel doctrinæ prædicatorum qualis tu præcipuè fuisti Virgo Virginum in adiutorio, vel etiam regimine prædicantium Apostolorum, cuius etsi verba non loquuntur, vel audiuntur, vbi prædicauerunt; opera tamen vel merita non ignorantur, non minora imo maiora tinnitu prædicantium.] Hoc prædicandi modo, vti solitum Beatum Franciscum, scribit in eius vita S.Bonauent.

Postremam Prophetiæ notitionem innexit idem Rupertus libro 1. de oper. Spiritus Sancti c. 9. appellans *prophetam*, quemcunque afflatum Spiritus sancti, & eius præsentiam in aliquo. Quo enim Prophetæ, non de corde suo, sed Spiritu sancto intùs agitante ac præsente locuti sunt: quæcumque Spiritus sancti præsentia, etiamsi non ad enunciandum futura vel præterita, conuenit ratione generica cum prophetia, & aliquatenos *prophetia* dici potest. Qua ratione, is quem dixi Rupertus, Virginem à substantiali Dei potentia & Spiritus Sancti inexistentia, ob immeationem, & indiuulsionem personarum substantialem, præcellentissimam omnium prophetarum appellat. Eius verba sunt. [Spiritus sanctus superueniens in eam, per apertas fide Ianuas sese infudit. Quo autem sese infudit? Nimirum priùs in sacrarium pudici pectoris, deinde in templum sacri & incorrupti vteri. In domum pectoris, vt Prophetissam faceret; in vterum vt matrem faceret. Nam hæc est prophetissa de qua gratulabundus loquitur, Propheta Sanctus Esaias, *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium.* Non autem istum solum ad hanc Prophetissam accessisse putamus, aut quomodo accedere potuerit miramur. Imò Sanctos omnes Prophetas, primúmque Moysem ad hanc prophetissam accessisse non dubitamus. Omnes omninò ad illam conuenerunt, Omnium enim & singulorum diuisiuæ gratiæ & particulares prophetiæ, in istam prophetissam simul conuenerunt, simul Spiritu sancto superueniente concurrerunt. Et beatum se Esaias, imo beatos se omnes prophetæ sancti non immeritò crediderunt, quod hoc modo ad istam prophetissam accessuros se esse nouerunt; quod ad istud Dei templum, ad istud Spiritus sancti sacrarium, quippiam verbi boni sese afferre cognouerunt. Neque enim hæc Beata Virgo, particularem vt singuli illorum, verbi gratiam: sed vniuersam isto Spiritu sancto superueniente suscepit Et Prophetissa singularis facta est, ex eo verbi Dei substantiam, & plenam Spiritus sancti gratiam suscipiens; totum Dei verbum, Deum verum, priùs mente quàm ventre suscipiens.]

Propitiatorium, Propitiatio.

NOn est sensus, B. Virginem esse positam à Deo propitiationem. Id enim Christo tribuit Apostolus. Et quanquam si id de Virgine dictum esset, facilè exponeretur eo modo, quo exponuntur plerique similes tituli, qui à Christo cuius sunt proprij, ad B. Virginem per ordinem ad Christum cum ea nexum accommodantur, vt dictum est Obseruatione 4. Tamen in hoc negotio, nihil est necesse ad eam doctrinam recurrere. Alluditur enim ad arcam fœderis, in cuius propitiatorio, super siue inter Cherubim, sedere Deus dicebatur. Quia ergo similiter Deus Verbum sedit in Virgine, & inde fudit nobis oracula; propterea B. Virgo, nunc *arca fœderis*, nunc *propitiatorium* dicitur. Quam Virginis denominationem benè elucidat S. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 14. § 4. Eandem plenissimè inter recentiores prosecutus est Mendoza Tomo 2. in lib. Regum. Ad hanc arcam per Philistæos circunductam, & magnas vbique strages Dei hostium edentem, respexisse videtur Ioan. Geometra in Catena Corderij ad cap. 1. Lucæ vers. 56. cum Virginem vocauit, *arcam nunquam quiescentem.*

Recuperatio mundi.

DOnat hoc nomine Deiparam, Theophanes Ceramæus homil. 62. nec est difficultas in legitimo eius sensu. Nam quod mundus per Adæ inobedientiam; & peccata multorum actualia pessum iisset, & à Deo abalienatus ac perditus esset, per Christum recuperatus est. Quia verò Christum accepimus interuentu Deiparæ, idcirco causaliter Deipara dicitur *recuperatio mundi.* Eam Theophanis orationem, quod possit esse veluti paradigma ad orandum in necessitate aliqua graui, iuuat hic adscribere. Cœlum factum erat aëneum. Itaque Theophanes ea homil. qua ad suos per tempus illius calamitatis habuit, sic eos hortatur.

Præ cœteris cœlitibus sanctissimam Dominam eligamus, velox & inexpugnabile præsidium; prouoluamur eius genibus cum lacrymis deprecantes; Domina nostra, quæ verbum Deum in vtero tuo supra naturæ rationem cœpisti, quæ naturam nostram tuo partu Deificasti, quæ inter Deum & hominem tua prole sequestra es; miserere populo tuo & hæreditati tuæ: Flecte viscera misericordiæ tuæ erga hanc ciuitatem in tuo nomine gloriantem; Intercede pro nobis indignis seruis tuis, pacem exposce; & exora vnigenitum filium tuum, vt tolleret peccata nostra, & hanc contra nos iustè concitatam iracundiam ponat; Imperet nubibus, vt consuetam nobis pluuiam mittant, & squalorem hunc eximant, & irrigent terræ adustionem. Etiam Domina, *Mundi recuperatio*, miserere lactentes infantes, senes defatiscentes, pauperes tabescentes. Ne sinas nos nostris criminibus interire. Peccauimus, iniustè egimus, Puram Baptismi vestem commaculauimus, Domini præcepta contempsimus. Verùm etsi prolapsi sumus alium tamen non cognoscimus Deum, nisi vnigenitum tuum, qui cum Patre & Spiritu sancto glorificatur in secula seculorum. Amen.]

Reductrix contrariorum ad idem.

QVantæ inimicitiæ Deum inter & homines extitissent ante Christi ex Deipara aduentum, Apostolus sæpè docet. Angeli item ad partes Dei se adiungentes, aduersabantur homini, Inter homines ipsos, erant dissidia & pugnæ; gentes enim vno tramite, contrario Hebræi incedebant. Gentes ipsæ, innumeris inter se contentionibus scindebantur. Et quod deterrimum erat, cùm tantis molibus malorum omnes vbique gentes opprimerentur, tanta mala improuidi mortales, dummodò feriatio esset ab externorum bellorum tumultibus, pacem putabant, vt Sapiens expostulat. Omnia hæc contraria, B. Virgo per Christum ventris sui fructum ad idem reduxit. Deus & homo conciliati, consecuraque Angelorum cum mortalibus fœderatio; diremptus paries Hebræos & gentes dirimens; pax vbique & malacia inducta. Prosequor id plenissimè lib. 5. de Christo agens de Christo Rege p. cis, & pace nostra.

Regina misericordia.

EX vsu Hebræorum deriuatum ad nos videtur, vt quam Reginam admodum piam & misericordem diceremus, *Reginam misericordia*, dicamus. Donat hoc nomine Beatam Virginem, Hermannus

Contra

Contractus, eo celeberrimo Cantico, cuius initium est *Salua Regina*: nam quòd nunc interponitur vos *mater* aduentitium est, & lectio antiqua aliter habet, vt videre est apud Bernard. in sermonibus, & meditatione super *Salue Regina*. Sic enim semper ibi legitur, *Salue Regina misericordia, vita dulcedo*, &c. Huius tituli rationem vestigans, is quem retuli Author apud Bernardum serm. 1. mota dubitatione quomodo B. Virgo dici possit *Regina misericordia*, quandoquidem misericordia non est aliquid idoneum subiici regno, sicut sunt cœlum, & terra, quorum idcircò B. Virgo dicitur Regina, subdit metonymicè B. Virginem dici Reginam misericordiæ accipiendo efficientem causam pro effectu, atque adeò plus misericordiæ, pro misericordia quæ reparauit genus humanum. Verùm hac ratione B. Virgo diceretur Regina Dei, cuius pietas, & misericordia saluos nos fecit: vel Regina Christi, qui ad eum finem misericordiæ humano generi impertiendæ, productus est, & idcircò dictus est à Dauide, misericordia Domini in medio templi suscepta, vt egregiè prosequitur S. Bernard. sermone 1. de purificatione, Addit item Autor, B. Virginem dici item posse Reginam misericordiæ, quia est ad regnum euecta, non suis meritis, spectando radicem primam tantæ dignitatis; sed per diuinam misericordiam, vt idem sit *Reginam misericordia*, ac Regina per misericordiam sublimata in regnum. Postremò addit, estque simplicissimus, & germanissimus sensus, recidens in eum quem ipsi dedimus, B. Virginem dici Reginam misericordiæ, *quia diuina pietatis abyssum, cui vult, & quando, ac quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum, patrocinij sui suffragia præstat*. Nam vt habetur in Meditatione de hoc Cantico apud Bernardum, *qui sunt misericordia subditi, nisi miseri?* (Miserti sunt autem peccatores.) *Multum as sollicita de miseris*, (pia Virgo,) *hos in tuos filios adoptasti, hos regera Domina voluisti, & idao Regina misericordia vocaris*. Plenè etiam de hoc B. Virginis titulo sanctus Antoninus 4. part. titulo 15. capite 20. § 13.

Resonantia Prophetarum.

HOc idem est, ac si B. Virgo dicta esset *Echo Prophetarum*, quod potest dupliciter accipi; nimirùm, 1. ita vt sensus sit, Deo ad prophetas loquente, extremum sonum reflexum, ex ea locutione ab ipsis auditum, fuisse B. Virginem. 2. ita vt sensus sit, prophetas locutos esse, & sonum reflexum locutionis eorum ab audientibus exceptæ, fuisse B. Virginem. Vterque sensus veritatem continet. Neque enim Prophetæ, vt plurimùm, plenitudinem (vt sic dicam) diuinæ vocis excipiebant; sed duntaxat eius extrema, nisi si quando ob meliorem subiecti dispositionem, & vberiorem Dei largitatem, plena eis loquentis vox reddebatur, vt fit in quibusdam Echonibus materialibus, versum prolatum integrè reddentibus, vt de Bassiani hypodromo ad vrbem Romam scribit Philand. ad 3. Vitru. cap. 8. & de Echone Tolosana Loyerius l. 1. de spectr. cap. 7. Similiter ergo aliqui prophetæ plenè excipiebant quæ dicebantur. Vt plurimùm autem, non nisi quasi extremam partem. Nec directè, & immediatè penetrabant ad Dei sensa, sed reflexè tantùm, vt faciunt quibus duntaxat auditur Echo loquentis. Antiqui quoque cum Prophetas audiebant, fundentes quæ Deus inspirabat, non percipiebant quæ dicebantur nisi valdè imperfectè, ac per reflexionem, & circuitum, atque adeò Echonem potiùs audiebant, quàm plenam vocem.

Huius Prophetarum Echonis, siue quæ ad eos, siue quæ ab eis fiebat obiectum propè perpetuum erat B Virgo, Nihil enim crebrius ac studiosius ab eis insonabat, quam aduentus Christi per Virginem. Quod fusè & in particulari prosequitur Andr. Cret orat. 2 de Assumpt. Nec illa analogia in hac re desideratur, qua Echo plerunque Echonem progignit. Vt in illis Turribus Cyzicenis & Porticu Olympica de quibus Plinius lib. 5. cap. 45. & in illo propè Mediolanum Palatio, in quo vigesies repeti eundem sonum scribit Daudinus 2. Animæ digress. 44. necnon in Aula Ticinensi de qua Maiolus tom. 1. collo quæst. 14. in qua tot redduntur voces, quot sunt fenestrarum spiracula. Similiter enim dies diei verbum eructauit, & nox nocti scientiam. Prophetæ alumnos habebant ad quos referebant quæ audierant, vt constat de filiis Prophetarum, Eliam & Elisæum assectatis. Hi verò vicissim referebant ad alios maioréque miraculo quam in illa porticu ret idem verbum remittente, vt est apud Pausaniam in Corinthiacis, vox ad Prophetam aliquem de Virgine diuinitùs emissa, à tot sacris præconibus redditur innumeris propè locis ac temporibus, sine diminutione.

Est igitur B Virgo, mystica Echo, aëris & linguæ filia, vt Ausonium de Echone dixit epigr. 10. simulque auditionis reciprocæ & verbi reflexè exauditi mater Aërem cum Deo egregiè confert Anastas. lib. 1. Hexaëmeri, lingua diuini verbi symbolum manifestum. Itaque B. Virgo eadem Dei filia & parens, eadem nati sui genitrix & genita. accedit ad Echonem, magno Pani studiosè adamata. Quem dicam magnum Pana, habetur ex Eusebio lib. 5. de præpar. c. 9. Hic igitur magnus Pan, hanc Prophetarum Echonem adamauit, sicut ille olim Pan, quod in vocalis resonantiæ naturam & causas diligentem contulisset operam, dictus est Echonem amasse, vt scribit alex. 1. probl. q. 134.

Rosa.

HOc titulo Beatam Virginem à Beato Hermanno, postea *Iosepho* fuisse honestatam, narrant eius Acta cap. 21. apud Surium 7. Aprilis. Sed & S. Anselmus libro decem Meditationum in 10. vocauit Deiparam, *rosam cœlita amœnitatis*, Multiplex autem eius tituli ratio potest assignari.

At primum vulgare est, vt Sanctæ Virgines, & Sancti Martyres, *Rosa* nomine insigniantur. Sic Philippus Abbas in vita Sanctæ Valdetrudis c. 4. eam vocat *Rosam vernantissimam*, Nimirum ob nitentissimam puritatem, cuius rosa est symbolum. Idcirco enim à Columella lib. 10. vocatur *flos plenus puducitia*. Vniuersè de piis Virginibus, idem habet S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus. Sanctus verò Hilarius Arelatensis in S. Honorati laudatione. floribus Ecclesiæ nec rosas, nec lilia deesse dixit; per *rosas*, Sanctos Martyres designans præueneratque idem S. Ambros. in c. 12 Lucæ ad illud, *considerate lilia agri*. Qua item ex causa Adrianus primus, epistola ad Episcopos Hispaniæ vocauit Beatum Paulum, *mundi lilium, & rosam Ecclesia pulcherrimam*. Et B. Maria de Oegnies lib. 1 vitæ c. 10. refertur solita vocare S. Stephanum *Rosarium*. At in Beatam Virginé decora & Martyrum & Virginum eximio quodammodo concurrère, neminem latet. Potuit igitur hac de causa denominari *Rosa*. Hanc

causam Beatam Virginem denominandi *Rosam*, prosequitur Richardus à Sancto Laurentio lib. 12. pag. 809.

Præter hanc generalem, & plerisque Sanctorum æquè competentem causam, denominandi Beatam Virginem *Rosam*, occurrit alia quæ admodùm faucet nitori omnimodo, & innocentiæ absolutissimæ beatæ Virginis. Exprimo hanc causam verbis grauium aliquot scriptorum antiquorum, Sedulius libro secundo paschali.

Et veluti spinis, mollis rosa surgit acutis
Nil quod lædat habens, matremque obscurat honore;
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiqua, vt facinus noua Virgo piaret.

Fulbertus Carnot. in Carminibus.

Ad nutum Domini, nostrum ditantis honorem.
Sicut spina Rosam, genuit Iudæa Mariam.
Vt vitium virtus operiret gratia culpam.

Medium versiculum Hugo Victorinus illustrauit, addicto ei toto serm. 65.

S. Ioannis Damasc. orat. 1. de Natiuitate Virg. alloquitur his verbis Deiparam. [O rosa quæ ea spinis, hoc est Iudæis orta es, ac diuina fragrantia, cuncta perfudisti.] Andreas Cretensis orat. in salutat. Angel. quærens cur Gabriel missus esset Nazaret, respondet [vt gratiosissimum virginitatis decus, veluti rosam suaueolentem ea loco spinoso sibi Omnipotens eligeret.]

Adam de Sancto Victore in prosa de Assumpt.

Salue Verbi sacra parens,
Flos de spinis spina carens,
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spina nescia.

S. Bernardus sermone de beata Maria *sub finem*, ait eius symbolum fuisse arcam Testamenti, confectam de lignis *setim*, quæ vox sonat *spinas*. Similiter enim B. Virgo de spinoso, & horrente Iudæorum populo, absque spinis est procreata. Et post multa in eam sententiam. [Eua ergo spina fuit, Maria Rosa extitit. Eua spina vulnerando, Maria Rosa, omnium affectus mulcendo. Eua spina infigens omnibus mortem, Maria Rosa, reddens salutiferam omnibus sortem. De liquore spinei corticis fit encaustum, vnde scribitur; de carnali mente tua fluxus nascitur concupiscentiæ, qui in ipsa & in Adam peccatum actuale, in posteris originale transfudit. De hac verò Apostolus ita clamat: *littera occidit, Spiritus autem viuificat*, ac si diceret; *Per vnum hominem mors, & per vnum hominem resurrectio mortuorum; sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.* Maria autem Rosa fuit, candida per virginitatem, rubicunda per charitatem; candida carne, rubicunda mente, candida virtutem sectando, rubicunda vitia calcando, candida affectum purificando, rubicunda actum carnalem mortificando, candida Deum diligendo, rubicunda proximo compatiendo.]

Tandem Chrysippus oratione de Beata Maria, tractans illud Psalmi 44. *obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui.* Rationem indictæ Virgini, obliuionis paternæ domus, hanc ait esse, [Populus enim à quo cognationem contraxisti, nequam est, ignorationem tibi affert populus imprudens tibi irreprehensæ, natiua propaginis familiaritate iunctus est, & cultura spinarum ferax, rosam tuam producit.]

Video præter Patres hactenus in rem propositam adductos, esse præterea qui astipulentur rationi in qua versamur, *rosam* denominandi B. Virginem, ex peculiari fundamento in Scriptura. Nam locum ex Cantic. 2. quo Salomon ex sponsi persona, sponsam ait esse *sicut lilium inter spinas*, quàm multi ad Deiparam accommodent, notius est quàm vt probari oporteat. At eum locum, non de lilio vulgari, sed de rosa esse accipiendum, contendunt Sanctes, Pagninus, ac Vatablus, eo quod vox Hebræa, *rosam* sonet, non quod vulgò lilium dicitur. Hoc enim non enascitur inter spinas, sicut enascitur rosa. Neque tamen sugillatur idcircò vulgata editio quæ lilium inter spinas enascens confert cum sponsa ad cæteras filias comparata, quia lilium quoque Rosa est, & ab Apuleio l. de herbis cap. 167. *Iunonis Rosa* denominatur, Passim sanè graues scriptores *lilij* nomen omnibus floribus commune faciunt, quanto magis rosæ florum Principi? Iulius Pollux l. 6. cap. 19. suffragatur, Ait enim. [Homerus quidem, omnes flores *lilia* nominauit: Narcissum verò Theomen actus, *lilium* dixit.] Aptè igitur, quod sponsa inter filias dicitur esse sicut lilium inter spinas, de rosa accipitur, cum qua componatur Deipara ad spinas cæterarum, etiamsi filiarum comparata. Et quia lilium conuallium in ipsa Scriptura celebre est, meritò Menæa Græcor. 15. Ian. ode 3. de S. Ioanne Calybita, sic canunt de Virgine. [Te integer ille ac purus, ô vndique intaminata, tanquam rosam instar vnguenti fragrantem, in conuallibus reperit, atque habitans in medio tui, totum genus humanum, fragrantia suaui repleuit.]

Ex his omnibus testimoniis, apertum est, beatam Virginem dici optimè posse *rosam*, quia tametsi nata, & concepta humano modo, tamen spinas nostras, & tribulos experta non est, siue in conceptione, quæ fuit nitentissima, & sanctissima, siue per vitam reliquam, quæ illimis semper fuit, & labis purissima. Quod longè mirabilius est, quam si talis fuisset in statu innocentiæ, eásque nacta esset prærogatiuas mysticas quas in eo statu habuit rosa corporea, iuxta philosophiam minus receptam S. Basil. homil. de paradiso, rosam tunc absque spinis extitisse affirmantis. His addi potest, hanc rosam magno miraculo in hyeme infidelitatis & peccati exortam esse, vt fortassis significatum est ea rosa, quæ mense Ianuario circum muros ciuitatis Lucensis in cespite herbescenti collecta est, in conspectu imaginis Deiparæ, vt recitat Bzouius anno 1269. num. 5. Et quamquam Rosæ hyeme enascentes, præsagiunt pestem, vt obseruauit Delrius de anno 1586. quo Burdegalæ ante exortam eo anno pestem visas abs se mense Ianuario Rosas in collegij nostri horto testatur; tamen hæc rosa, plenam, & integram orbi vniuerso sanitatem, & præsagiuit, & contulit. Sicut neque Rosæ ad S. Iuliani martyris tumulum mense Nouembri exortæ, ominosæ fuerunt, vt testatur Gregorius Turonensis in Actis S. Iuliani c. 46.

Postrema eiusdem denominationis ratio, peti potest ex magna conformitate Deiparæ cum Christo. Nihil quippè in sanctis omnibus Christo conformius, aut propinquius Christi matre. Atqui Christum *rosa* typo signari est vulgatissimum. Egregiè autem præter cæteros id tradit Alex. 3. Epistola ad Regem Francorum ad quem mittebat rosam aream,

ream; quæ epistola exhibita est à Iacobo Gretsero libro de bened. cap. 40. & à Ioanne Picardo ad Neubrigensis historiam libro tertio capite quarto. Idem habet Innoc. 3. sermone duplici de rosa benedicta *Dominica 4. Quadrag.* Nec aliò spectare sacrum illum *rosæ* titulum quàm ad expressionem Christi patientis proximè aduentantis, de cuius accessu exultassent Patres, porrò videntes & à longè prospicientes diem eius: rectè videntur statuere Durand. lib. 6. Rational. cap. 65. num. 8. & Autor libri primi Sanctarum ceremoniarum cap. 5. qui id colligunt ea oratione quæ benedicitur rosa. Quamquam non me latet Rupertum 4. de Officiis c. 13. ac Blesensem serm. de Domin. Palmaliter accipere sacrum ritum prædictum. Est ergo Christus, *Rosa*, præsertim in cruce, vbi sacro speciosior fusi cruoris colore vernauit, iuxta S. Ambrosium libro 11. de Spiritu Sancto capit. 5. & ibi se *florem florum* prodidit, vt Innoc. supra loquitur. Regem inquam, omnium planè Sanctorum: sicut rosa est florum Regina, quo nomine luculentum ei encomium pangit Leucippe Virgo apud Achillem Tatium libro 2. & Sapho in fragmentis, nec non Anacreon Legendus Paschalius libro 3. de Coron. cap. 5. De Rosa Christo patienti aptata, bellè apud Bernardum Autor tractatus de passio. Domini, sub typo vitis veræ cap. 33. 34. & 35. Nullus autem Christo, præsertim cruci confixo, meliùs & perfectiùs configuratus est, quàm B. Virgo.

Est igitur ipsa quoque, hoc item nomine, digna *Rosa* nuncupatione. Quod breuiter & benè attigit Richardus à Sancto Laurentio lib. 12. de Deipara. [Dicitur (inquit) quod in Hierico crescunt rosæ speciosissimæ, habentes centum quinquaginta folia. Dicitur ergo Maria *quasi Rosa*, non quælibet sed Hierichuntina, id est speciosissima, & maximè habito respectu ad filij passionem, cui mente compassa est. Color enim roseus quasi sanguineus est, & sanguis signat martyrium. Et benè *quasi Rosa*, Christus enim vera fuit rosa, sanguine proprio rubricatus ipsa verò non suo sanguine, sed sanguine filij rubricata, & ideò quasi rosa. Quantum enim filius passus est corporaliter, tantum ipsa compassa est præcordialiter.] Idipsum latè, & multis rosæ, ac beatæ Virginis analogiis pensatis, confirmat Malonius ad cap. 3. libri Palæoti de sacra sindone numero 11. præsertimque quia rosa ex spinis, & flore contexta est: quoque planta rosacea prius crescit, eo illius hastilia, & hispidi aculei, crescunt, & rigescunt amplius. Idipsum enim in beata Virgine sicut & in Christo, iuxta Petri Damiani, & Hieronymi, ac Nazianzeni obseruationem deprehenditur, intertextis in vtriusque vita, lætis, cum tristibus, quorum ista sub finem vitæ Christi, fuere multò horridiora, & hispidiora.

Missam feci rationem apud plerosque vulgatam cur B. Virgo denominata sit *Rosa*; ex eo ductam, quod Deipara Ecclesi. 24. componatur cum plantatione rosæ in Iericho; Rosa autem Iericunthina, eiusmodi sit, vt quotannis in festo Dominicæ natiuitatis, ea ipsa hora qua Christus natus est, aperiatur in testimonium partus virginei. Ita Paulus de Palatio in cap. 24. Ecclesi. ad illud *quasi plantatio rosæ in Iericho*, citans Saligniacum c. 6. Itinerarij, Amnitque Adricomius in Tribu Beniamin num. 63. Propterea etiam Itali, quam alij Iericunthis rosam dicunt, nomine *Rosa S. Maria* insigniunt, vt ex Iulio Scaligero, Antonio Musa, Francisco Alexandro, Andrea Matthiolo, Gabriele Fallopio, Ioanne Agricola, & aliis, scribit Ioannes *Sturmius* l. de rosa Hiericunthina, cap. 1. & 3. Nimirùm sicut Germani, herbam quæ vulgò vocatur *veratrum nigrum*, donant nomine quod Latinè redditur *herba Christi*, quia florere solet circa Christi natiuitatem, vel hyemale solstitium, ita Itali ob proportionalem causam quam attigimus, fruticem de quo agimus, *Rosam S. Mariæ* nominare potuerunt. Quanquam ea denominatio, referri etiam ab illis potuit ad vulgatam narrationem quod B. Virgo panniculos infantem IESVM inuoluentes, huic frutici sæpè imposuerit, ad eos postquam eluti essent exsiccandos, vt idem Sturmius refert, dicto cap. 3. Et potuit eandem denominationem fulcire, quod Ludolphus Suchensis in suo, anni 1336. Odœporico terræ sanctæ, & Ambrosius Zeëbaldus scribunt, huiusmodi herbulam non nisi in tota illa arenosi deserti apud Arabas viacrescere quam diua Virgo cum Deo infante Ægyptum petens decurrit. Quanquam alij idem asserunt, de eiusdem viæ ab Ierosolymis in Ægyptum parte, quæ cesserat possessioni tribus Dan, nomine *Ierico*, cuius S. Hieronymus in locis Hebraicis meminit. Vnde *Hiericunthina* appellatio huic herbulæ obtingere potuit, non ab vrbe Hierico murorum casu famosæ, in cuius agro non crescere huiusmodi fruticem, testantur qui ea loca lustrarunt, vt Bellonius lib. 2. obseruat. c. 53. & 86. & Munsterus in Cosmogr. cum de vrbe Ierico.

Non sunt quidem quæ de huius rosæ apertione vltronea narrantur prorsus fabulosa, nimiùmque licenter ac petulanter Euritius Cordus Sectarius in suo Botanologico, effutiuit nouum hoc esse monachorum commentum, ad speciem miraculi aucupandam; & pelliciendas mulierculas quibus in partus difficultatibus commodare dicitur, sed & Bellonius dicto capite 86. hanc Monachorum imposturam esse tolerabilem censet. Sed est licentia scribendi non ferenda, quámque vel vnius Ludolphi, Succensis Ecclesiæ rectoris, testimonium, apertè reuincit calumniæ, cum autor ille ante annos trecentos rosæ Hiericuntinæ meminerit, eáque de illa referat, quæ isti nugiuendi, nuperam monasticam imposturam appellant. Et verò argumentum quo vtitur Chordus, quo Bello. implanauit, est planè ludicrum. Ait enim, fruticem istum semper aperiri quando madefit, ac proinde Monachos, affusa clam aqua ementiri miraculum apertionis vt quasi applaudentem partui virgineo herbulam producant, Bella sanè argumentatio. Aperitur hæc planta quoties madefit. Non igitur vltrò patescit sub tempus natiuitatis Christi ex matre. Admitto antecedens, tametsi negat Fallopius ad l. 1. Dioscor. cap. 18. cum de amomo. Expertum se tamen se ait Sturmius cap. 19. & 34. huiusmodi rosam ter abs se aquis immersam non aliter ac prius, nona madefactione esse reseratam interposito nonnullo tempore ab exsiccatione: Nec minùs vltrò apertam esse addit, stato illo tempore solstitij hiemalis, vel sub illud. Itaque consequentiam Euricij inficior, antecedente admisso.

Semper dico, patescere sub tempus Natiuitatis Christi, vel sub hyemale solstitium, quia non est verum hunc fruticem aperiri præcisè in nocte qua beata Virgo est Christum enixa, vel in consequente eam die. Sed interdum aliquot ante diebus, interdum aliquot diebus ab ea nocte elapsis, aperitur, nec semper æquè celeriter: plerunque enim motus apertionis non ante octiduum consummatur: aliàs verò triduo absoluitur: interdum quoque

promptius

promptius perficitur, nec absque crepitu, ad stipulæ ignibus admotæ sonitum propè accedente. Experimentis suis hæc firmat Sturmius cap. 32. addens cap. 35. quamuis aliis præterea anni temporibus non rarò apertionem vltroneam huius fruticis obseruasset, per illud tamen tempus quod statum vocabamus tunc tantum abs se notatum fuisse apertionis defectum in frutice, circa annum 1577. cum hæreticus operarius eam Mechliniæ domum incoleret, in qua frutex asseruabatur, compensato tamen anno sequenti eo defectu, per quadruplicem saltem apertionem circa festa B. Virginis, cum Hæretici Mechlinia essent expulsi. Haud vano indicio, quod effectus apertionis sub brumale solstitium, non prodeat à vi plantæ naturali, vel certè à forma cadaueris occupante eam materiam, cum rosa illa per annos plurimos, puta quinquaginta, vel octoginta, ac quod Sturmus capite vltimo asserit, per annos centum incorrupta asseruatur, salua per tempus illud apertione, vt referunt qui hæc studiosè sunt scrutati. Sanè idem Sturmius tametsi cap. 37. & 38. ac 39. naturali efficacitati fruticis, tribuendam censet apertionem de qua loquimur; tamen cap. 40. & 41. non abhorret ab admittendo ea in re diuinæ manus interuentu: nec abs re cum in annoso frutice, excussio seminum inter ramulos conuolutorum, (cui apertionem fruticis à natura prouisam censet, non habeat locum, omnibus seminibus pridem excussis, nec nouis in emortuo frutice exorientibus.

Esto alij huius fruticis effectus ad miraculum accedentes, quos alij iactarunt, explodendi sint tanquam inexplorati. Nimirùm quod fiat apertio ad præsentiam prægnantis iam iam pariturae, eique facilem partum conciliet; vtique fauente vera Lucina Deipara, hoc sui partus virginei symbolum, eo veluti muto suffragio confirmante. Itémque quod præsente ægro non conualituro ex morbo, clausus semper maneat frutex; Vltrò autem aperiatur præsente ægro vim mortis effugituro, & recuperaturo sanitatem: Ac denique quod fulmen & aduersa omnia arceat à domo in qua asseruatur, quam esse plebeculæ apud suos existimationem scribit Antonius Musa. Hæc videntur vana, & per amplificationem veri effectus propositi, falsò iactata, cum nullum profitatur experientiæ suffragium, quale pro apertione vltronea sub tempus partus Virginei, tam multiplex profertur, vt præclusus sit dubitationi locus, vel apud peruicacissimos, & ab omni credulitatis facilitate alienissimos.

Hæc quamuis ita se habeant, tamen denominatio *rosæ* B. Virgini tributa, nullo modo fundanda est in iis quæ de frutice cui per errorem, nomen *Hiericuntina rosa* adhæsit, verè dicuntur. Non enim est rosa; quod color planè diuersus, & foliorum non nisi quaternarius, ac tenuis (etiam in recente) odor demonstrat, sed vel est amomum, vt contendit Euricius Cordus, eiusque filius & propugnator Valerius; vel Aspalathus vt Gesnerus & Adrianus Iunius voluerunt; vel species conuolauli iuxta quosdam, aut ericæ iuxta alios, vel denique (quod plerique recentiorum magis probant) violæ species est. Perperam porrò Palacius supra adductus, & alij, hanc esse putant plantationem rosæ in Iericho, de qua Ecclesiasticus. Id enim reuera dictum est de communi rosa, quam Abulens. 2. Reg. 8. quæst. 32. & 35. Iericunthe habere ait, maiorem quàm reliquo orbe vniuerso, ita vt excrescat ad magnitudinem scrutellæ. Esse item eo loco communes rosas speciosissimas, ita vt centum quinquaginta foliis constent, supra diximus ex Richardo à S. Laurent. Non igitur si is locus Siracidis, B. Virgini accómodatur, inferendum inde est, B. Virginem denominari *rosam*, ex analogia cum frutice qui *Hiericunthina rosa* nomen falsò retulit apud vulgus imperitum. Esto eius propè incorruptio, & apertio sub tempus Natiuitatis Christi ex Deipara, aliquam huius fruticis cum B. Virgine conuenientiam haud incongruentem fundare possint.

At multos fortassis congruentiùs, eam fundare liceret, inter Sanctissimam Trinitatem, & hanc herbulam. Nam protinus ab ipsa radice, quæ vnica est, in tres diuiditur caudices, quorum rursus singuli in alios, distenduntur; & sic consequenter. Atque adeò neque trifolium aureum, quod *Herba Trinitatis* appellatur: nec viola tricolor, iacea & clauellata, quæ *Flos Trinitatis* nominatur, expressior est diuinæ Triadis imago, ob tam multiplicem támque numerosam, ternarij non iam floruIenti & flaccidi faciléque corruptibilis, sed ramosi & admodùm diuturni propagationem. Quare saluus sit B. Virgini *rosæ* titulus, ab analogia cum rosa communi & verè Hiericunthina, non autem ab analogia cum hoc frutice falsò proferente *Rosa* vocabulum: nec Hiericunthe, sed alibi enascente, vt monstratum est. Claudo historiola B. Vosronis Cœnobitæ Bertiniensis, cui defuncto, ad aures, oculos, & os, rosæ quinque sunt enatæ, aureo Mariæ nomine insignitæ, vt scribit Arnoldus Vvion. L 3. & 5. ligni vitæ.

Sceptrum Orthodoxæ fidei.

DOnat hoc titulo Deiparam S. Cyrillus hom. 6. sic ipsam alloquens. [Tu es pretiosa margarita orbis terrarum; tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei.] Quid sibi hoc elogiolo voluerit S. Cyrillus, exquirit non indiligenter Bonifacius in cap. 3. Esther. ad vers. 11. allegoria 9. sed breuiter dicendum puto, esse in ea locutione metonymiam, qua tessera, siue signum regiæ potestatis, accipitur pro regia potestate; non secus ac sæpè *Corona* significat regnum cuius est index. Perinde ergo est dicere, B. Virgo est *Sceptrum Orthodoxæ fidei*; ac dicere B. Virgo est Regina *Catholicæ fidei*, vel *Regina Catholicorum*; Accinunt huic interpretationi tituli propositi, qui vocant Deiparam *interemptricem cunctarum hæreseon*; nimirùm quia pro sollicitudine qua prospicit Ecclesiæ bono, profligat vniuersam hæreticam prauitatem, & sua apud Deum intercessione pro Ecclesia, & curatis egregiis fidei pugilibus, quod præsertim enituit, quo tempore S. Cyrillus habuit homiliam vnde titulus quem excutimus, depromptus est; nempè in Concilio Ephesino, in quo Nestorius, & eius hæresis tametsi potentia aulicorum maximæ authoritatis niteretur, cessere veritati Catholicæ, de omni errore triumphanti: Huc accommodare licet, quæ de Virga Assueri quos tangeret morti eripiente, meditatur S. Antoninus, 4. p. tit. 15. cap. 14. § 4. & quæ de Virga Thaumaturga Aaronis, ac Moysi ad Virginem aptata, habet Petr. Damiani serm. de Assumpt.

Scientia scientiarum sanctarum.

DOnat hoc nomine B. Virginem, autor sermonis primi super *Salue Regina*, apud Bernardum. Rationem reddit in hunc modum. [Origo fontium, & fluminum mare, virtutum auctrix, & scientiarum

scientiarum

scientiarum scientia sanctarum, Maria. Quia sicut sol vniuersa cœli lumina præcellit prærogatiua claritatis eximiæ, sic ipsa totam rationalem creaturam, post filium præcellit splendore virtutis, ac scientiæ.] Et vt adæquata sit analogia, sicut sol quia præcellit lumine, omnibus lucem communicat; ita B. Virgo lucem sapientiæ rerum sanctarum, & olim superstes communicauit, siue inuidia, & postea variis occasionibus, vt diuinitùs communicaretur, exorauit; ita vt quemadmodum in plerisque virtutum autrix, ita in aliis scientia scientiarum sanctarum, metonymicè ac efficienter sit deprehensa. Plumbeus erat ad studia sacra Rupertus Tuiciensis; sed interpellato B. Virginis fauore, euasit in virum maximum. Rem gestam describit Trithemius in Chron. Hirsaug. Hermanum Contractum, & ipsum initio ferè hebetem, B. Virginis auxilio ad præclaram doctrinæ laudem euectum esse, proditum est. Nec dissimilia de Alberto Sueuo, cui postea doctrinæ sublimitas, *Magni* cognomen peperit, referuntur à variis. Vdonem verò illum, ex tardissimo, ac rudissimo, B. Virginis fauore perdoctum, & ad Magdeburgenses infulas euectum, malo hic prætermissum: quod scribat Naucierus generat. 34. eruditionem ei à Virgine exoratam, fuisse circulum aureum in naribus suis: quod vt fert Cassiani interpretatio collat. 14. cap. 16. scientiæ pretium spurcitiis dehonestaretur. Quod vitæ propudium, mors horrenda, & deiectio ad inferos est consecuta, non sine præuia Virginis denunciatione, quæ à tam scelerata abusione exoratæ scientiæ, auertere infelicem concupiscentiarum venam præoptauerat.

Seraphim incomprehensa visionis.

ALlusio est ad Seraphim obtegentia caput, & pedes Domini, vt est apud Isaiam, idest (interprete Hieronymo epistola ad Damasum) profitentia Deitatem, & incarnationem imperuias esse & inaccessas. Quem ergo deiectis oculis ob reuerberatam aciem contueri nequeunt sancta Seraphim, Virgo multocula, & polyomma, vt ait S. Epiphanius Oratione de Deipara, peruadit obtutu irretorto: imo quod plus est, blandè suauiatur atque contrectat, effecta Seraphim incomprehensæ visionis. Id est verè præstans, quod sancta Seraphim in visione illa semiplena & incomprehensa præstare nequieuerunt. Repetendus est integer Epiph. locus, vt lux ei ex prædictis affundatur, & offuciæ nonnullæ residuæ dispellantur. (Virgo (inquit) plurium nominum & multocula, effecta est Seraphim incomprehensæ visionis: quæ inuenta est velamentum quoddam intellectuale corporis vniuersalis, Cherubim transcendens. Illa.n. auertuntur, cum nequeant spiritualem ignem diuinitatis, fixis oculis intueri; hæc autē apertis oculis illaè intuens, incomprehensibilem & somni expertem oculum Christi, cum desiderio & osculo salutabat. Exercitus Angelorum (qui sunt scabellum pedum Christi) procidentes nec videre possunt nec contingere; hæc verò labra labris coniungens, incomprehensum salutabat.] Omnia videntur dilucida, præter illud *inuenta est velamentum quoddam intellectuale corporis vniuersalis.* Hæc puto pertinere ad Solem Christum de quo paulo ante actum erat, & videntur per parenthesim legenda, vt quæ subduntur de transcensu Cherubinorum, nectantur cum iis quæ præcesserunt de supergressione Seraphinorum. Solem itaque illum diuinum, ad quem omnis creata acies, hebes est, vt quem irretorto obtutu Seraphim in visione obiecta Isaiæ contueri non poterant: Virgo explens quod illis deerat, facta velamentum solis illius Iustitiæ, per circundatū illi tegmen carnis, non modò contueri, sed etiam contrectare, & fixis osculis suauiari potuit. S. Germanus in calce orationis de Natiuitate B. Virginis, idipsum quod ex Epiphanio retulimus, sic expressit alloquens Virginem. [Thronus Cherubicus, immensus; igneus ac sublimis, Regem Dominum exercituum sinu gestans: superum lumen cœlestium arcanorum quod Seraphim alis tectus velat, his quidem facies, illis verò pedes: illis autem volitans inclamat vehementer tremendum illum hymnum gloriæ incomparabilis, quàm oculis aspicere nefas.

Sigillum virginitatis, sigillum vtriusque Testamenti.

QVæ sigillo obsignantur, in tuto locantur. Sic enim olim vt pecunia maneret Domino, obsignabatur saccolus, vel priuato sigillo, vt ex vsu fuisse priuatorum, habetur ex Nysseno homil. 4. in Eccles. & ex Chrysostomo homil. 5. in Matth. ac ex Hieronymo epist. 27. vel etiam publico sigillo si res ferret, eáque securitas esset necessaria, vt in euentu quo Synesius epist. 127. & ex hoc vsu aiebat Deus Deuter. 32. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Et Iob Deum alloquens, eodem allusit cum dixit, *signasti quasi in sacculo delicta mea.* Id est nemo ea tibi subducet. Sunt enim sigillo munita, quod diffringere nulla vis queat. Vt ergo significaretur, eam castitatem, & Virginitatem fore securam, quæ sub B. Virginis tutela esset, Virgo mater dicta est *sigillum virginitatis.* Vel per hyppallagen, *Virginitatis sigillum* nominata est, quia eius virginitas quasi sigillo diuino munita fuit, tanquam aliquid pretiosissimum; quod nunquam recluso sacri corporis sacculo conderetur, vt idem sit *sigillum virginitatis*, quod *virginitas sigillata*, & substantiuo abstracto ad reuerentiam (vt assolet) vsurpato pro concreto, idem quod *Virgo sigillata*,

Et ex eodem vsu videri potest B. Virgo dicta *sigillum noui, & veteris Testamenti.* Hæc enim volumina sunt veluti sacculi quibus pecunia diuina commissa est: proindéque ad tutelam, rectè dicuntur sigillo munimenti virginei obsignati. Sicut enim B. Virgo inuigilat muniendæ, & seruandæ in orbe fidei Catholicæ, ita etiam sacros libros è quibus hæretici fures, regulas id est veritates aureas imitatione sacrilegi Achanis tentant subripere, Virgo fidelis, quæ sola vniuersas hæreses interemit, tutelâ sua velut sigillo communit, ne huiusmodi impij sacrorum expilatores, quod verè est verbum Dei subripiant, sed sua tantùm sensa euanida, veréque humana commenta, non oracula diuina inde extrahantur.

Sed commodiùs fortassis dixerimus alio sensu, quamuis semper ad priscum illum vsum alludendo, B. Virginem dictam esse vtriusque Testamenti, atque adeò vniuersæ scripturæ sigillum. Quæcunque enim toto scripturarum corpore continentur, ad Christum, atque adeò etiam per Christum ad Virginem referuntur. Concluduntur autem ea ratione, vt pleraque materialiter, (vt sic dicam) & spectato nudo literæ cortice, aliò pertineant; sed quod vltimò eis aduenit, estque proinde velut eorum sigillum, per quod concluduntur in libro, est respectus

ad

au Christum, & eius quasi figlinam B. Virginem. Sigillum enim est quod vltimò apprimitur,& superponitur; rebus vase aliquo conclusis: narrationibus omnibus. libro scripturæ vniuersæ comprehensis, postremus aduenit ordo prædictus ad Virginem vnum cum Christo facientem; cui proinde nomen *sigilli scripturarum vtriusque Testamenti*, probè conuenit. Opponi potest libri scripturarum sigillum septemplex, de quo Apocal. 5. Verùm neque omnes per librum signatum sigillis septem, intelligunt volumen scripturarum, vt videre est apud Alcazarium ibi ad versum 1. neque veteres interpretes, ac nonnulli Patres quorum est ea expositio, cum agnoscunt septem libri scripturarum sigilla, respuunt vnicum illud quod admisimus, nempè Christum,& ratione eius B. Virginem. In Christo enim attributione vno, vt Logici loquuntur, spectari possunt varia mysteria, & opera Cardinalia, penes quæ denominari possit sigillum septemplex, quæ videtur mens S. Bernardi, & aliorum qui ea sigilla ad varia Christi mysteria retulerunt.

Socrus Sanctarum animarum.

HVnc B. Virginis titulum subministrat Aldelmus l. de sancta virginit. cap. 21. vbi floruлentum hoc sertum Magnæ Matri exhibet. [B. Maria Virgo perpetua, hortus conclusus, fons signatus, virgula radicis, gemmula floris, aurora Solis, nurus Patris, genitrix & germana Filij, simulque sponsa ac fœlix vernacula, Sanctarum Socrus animarũ, supernorum Regina ciuium, columba inter sexaginta Reginas,& bis quadrigenas pellices, propter perenne puritatis priuilegium, ob fidem seculi, Monarcham mundi, Rectorem poli, Redemptorē soli, Archangelo pronunciante, Paracleto obumbrante, præcordiis tripudiantibus, feliciter suscipere meruit.] Non est insistendum singulis floribus in hoc sertum collectis, præsertim cum eorum aliqui locum suum in hoc Glossario alibi habeant. Eos qui nexi videntur, breuiter perstringo,& quomodò Deipara Socrus Sanctarum animarum, nurus Dei, & genitrix ac germana Filij sit denominata, paucis aperio.

Quorsum B. Virgo dicta sit *Socrus Sanctarum animarum*, intelligi facilè poterit, si recolamus sanctas animas dici ab Aldelmo, quæ nitent corporis & animi puritate. Nam vera Virgo Iudice Apostolo est sancta corpore ac spiritu. Virgines autem speciali prærogatiua denominari sponsas, Christi, neminem latet. Potestque optimè illustrari ex ritu quo insignes quædam Virgines vt sponsæ Christi declararentur, ad altare pronubo Sacerdote consecrabantur. Illustre sanè est exemplum Frideburgæ puellæ desponsatæ Regi Sigeb. 2. & ob energumenismum quo denique liberata est, præeligentis Christũ sponsum; cui à Rege ipso eius constantia victo ad altare adhibitis ritibus plerisque nuptialibus, in sponsam est consecrata, vt est in Actis S. Galli, quæ iuuerit pium lectorem consulere. Actum est de hac sacrarum Virginum prærogatiua fusiùs in tractatione de Christi titulis, cum de Christo sponso. Quia igitur Virgines Deo consecrantes corporis & animæ integritatem, sunt Christi sponsæ, meritò audiunt nurus B. Virginis Nam mater sponsi, socrus est sponsæ quæ ei nurus efficitur per desponsationem cum Filio. Eodem modo quæ filiam alicui in matrimonium collocant, fiunt ei socrus. Et propterea S. Hieronymus epistola 22. num 55. alloquens matrem cuius filia Virginitatis profitendæ consilium inuiderat, ait. [Quid inuides mater filiæ? Tuo lacte nutrita est, tuis educata visceribus, in tuo adoleuit sinu, tu illam Virginem sedula pietate seruasti. Indignaris quod noluit militis esse vxor, sed Regis? Grande tibi beneficium præstitit. Socrus Dei esse cœpisti.] Non me latet quanta conuiciorum plaustra in hunc loquendi modum effuderit Ruffinus libro 2. Inuectiuæ in S. Hieronymum, contestans nihil tam impium aut profanum à quoquam Gentilium Poëtarum dici potuisse,& in hoc blasphemiæ barathrum decidisse Hieronymum ductore Porphyrio cuius lectioni studiosiùs incumberet. Verùm hæc exacerbati Ruffini in Hieronymum maledicentia est, non vera S. Hieronymi prolapsio. Christus enim qui facientes voluntatem suam, fratres sibi ac sorores, & matres esse professus est, haud grauatè fert, matrem Virginis Christo ipsi in sponsam traditæ, vsu nostro per proportionem ad spiritualia translato, *socrum suam* appellari. Neque talia adhortatoriè dicta, sunt adeò resecanda ad viuum, vel vrgenda cum summo rigore, vt fieret si ageretur de dogmate aliquo.

Ex hac doctrina, illustrari insuper possunt alij quidam tituli cum eo qui propositus est, aliquatenus nexi ab Adelmo (vt retuli) Deiparæ delati. Nimirùm quod B. Virgo ita sit *nurus Patris æterni*, vt tamen sit eius *vernacula,& Christi germana.* Nurus enim appellatur, quia est Christi filij sponsa, quia sponsa quoque venit, nomine *nurus* l. 6. & 8. ff. de grad. & ad fi. l. 12. §. 1. ff. de rit. nupt. Vernacla autem apud Adelmum idem sonat quod ancila & serua. Quod decus nemini esse indecorum, atque adeo B. Virginem per eum titulum non deiici, liquet ex iis quæ grauissimi Patres tradiderunt, de dignitate illius tituli. Videndus nominatim S. Ambrosius serm. 3 in Psalm. 118. ad vers. 1. & initio exhortationis ad Virgines cum de vitali; Prosper in Psalm. 142. sub finem, Chrysostomus ad titulum epistolæ ad Romanos, vbi latè in hanc rem Iustinianus, vt & Paëz ad titulum epistolæ S. Iacobi §. 2. Non est itaque indecorum Deiparæ, dici vernaculum siue ancillam, quo ipso titulo se insigniuit in colloquio cum Gabriele. Neque tamen ista seruitus excludit filiationem. Id quod scitè tradit initio libelli sui Aldelmus, dicens gratulari Deum. [Cum viderit Catholicas Christi vernaculas, imò adoptiuas regenerantis gratiæ filias, ex fœcundo Ecclesiasticæ conceptionis vtero spiritalis verbi semine progenitas.] Igitur B. Virgo etiamsi vernacula, & ancilla, tamen simul per adoptionem filia, atque adeò Christi, in multis fratribus primogeniti, germana, siue soror, quod ei quoque tribuit Aldelmus.

Abstergenda verò est (quod ægrè adducor vt moneam) ab vniuerso hoc negotio, cogitatio de incestis, & omni studio premendis spurciloquiis, circa nexus iis quos proximè tetigimus, verbo tenus respondentes. V. G. quem non percellit, quod Iupiter omniũ qui vnquã vixere propudiosissimus, (vt videre est apud Arnobium lib. 5. & Theophilum lib. 1. ad Autolyc. aliósque in naturali Theologia allegatos dist. 7. numero 35.) etiam in cognatas insaniuerit; ita vt eadem illi fuerit & soror, & coniux? Quis non abominatur illum Hyberniæ Regem, qui S. Dympnam filiam suam deperiit, & iustæ coniugis loco habere voluit? Lubens premo aliorum turpitudines, qui matres ipsi suas atque sorores (horrendum dictu,) coniugij necessitudinem immani

immani libidini prætexentes, erubescente sole sibi iugate non cohorruerunt. Hæc in corporeis necessitudinibus monstruosa, in spiritu innoxia sunt atque prorsus pura labis; quia nihil continent nisi denominationes petitas à coniunctione cum Deo per gratiam, cum quo omnis adhæsio, non modò illimis est ac sordium expers: sed etiam fons auctioris puritatis, vt sanctè gloriabatur B. Agnes. Itaque quod B. Virgo dicatur sui, filij sponsa, & patris nurus, aliisque nominibus ab Aldelino propositis insigniatur, sanctè ac in spiritu Dei auditũ, nullius minùs rectæ cogitationẽ debet concitare.

Solium altitudinis gloria à principio, locus sanctificationis nostræ.

HÆc verba quæ apud Ieremiam c. 17. leguntur sanctæ domus Dei dignitatem exprimere, censuit Rabbi Moyses Ægyptius descriptus à Galatino lib. 7. de arcan. c. 18. Quæ autem domus Dei verior quàm beata Virgo, in qua Deus per nonimestre corporaliter habitauit? Est igitur beata Virgo, solium gloriosissimi & altissimi Dei. Nam etiam Rabbi Haccados ad tertiam Antonini Consulis Romani petitionem, eodem referente Galat. dixit B. V. futuram, sedem diuinitùs constructam, vt in illa sederet Rex Messias, ad ostendendam maiestatis suæ gloriam cunctis mortalibus, iuxta illud Ezech. 44. *Princeps ipse sedebit in ea*, quod de Beata Virgine accipi, mox dicam. In aliis scripturis, iuxta Patrum interpretationem, designatio Virginis, per *solium*, aut *sedem*, vel *thronum Dei*, haudquaquam est infrequens. Illustre est quod habetur Psalm. 89. *Sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Cui sedes & soliũ gloriæ Regis Christi, cũ speciosissimis quibusque rebus sole, luna plena, & Iride confertur. Eo autem loco, Dauidem respexisse ad Beatam Virginem, affirmauit Damascen. 4. fidei cap. 15. Hugo Cardin. ad eum Psalmum 88. ac ibidem fusè Gierserus. Attigit ipsum Petrus Damiani serm. 1. de Natiuitate Beatæ Virginis, qui totus est de throno Salomonis tertio Regum, descripto verbis illis; *Fecit Rex Salomon Thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis. Per sex gradus ascendebatur ad eum. Rotundum erat in superioribus. Duodecim leunculi stabant super gradus, respicientes ad thronum. Porrò dua manus tenebant hinc, & inde sedile. Duo leones stabant iuxta brachiola. Non est factum simile opus in vniuersis regnis.*] Hæc omnia Deiparæ singulatim accommodat P. Damiani. Eidem Virgini aptat P. Blesensis serm 2. quod Ezech. 44 habetur de Principe sedente in porta: & *sessionem* interpretatur humiliationem Dei in ea, iuxta illud. *Tu cognouisti sessionem meam.* Virgini quoque S. Bonauent. in speculo lect. 8. accommodat illud Isaiæ 16. *Præparabitur in misericordia solium agno dominatori terræ, & sedebit super illud.* Nec omittẽdus Ezech. c. 1. cum ait, *& super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis saphiri, similitudo throni, & super similitudinem throni, quasi aspectus hominis desuper.* Eo loco Ezechiel, postquam vidit quattuor animalia & motum eorum, profitetur se vidisse in cœlo super animalium capita, similitudinem throni & solij diuini, cui insideret similis filio hominis; hoc est Christus Dominus. Eius thronum vidit Ezechiel Saphyrinum, quod pertinet ad omnimodam illius puritatem, quam saphiri claritas & perspicuitas præfert. S. Gregor. homil. 8. in Ezech. consentit quoad hæc omnia, nisi quod thronum, non Deiparam, sed Angelos interpretatur. Videtur Christus multò aptiùs dici esse in Virgine, vt in solio, ac throno suo, quàm in Angelis. Denique de throno Dei in Apocalypsi memorato, aptato ad Deiparam iustum volumen edidit Antonius Spinellus. Nihil ad hoc solium thronus Regis Sinarum, quem ex Pigafeta describit Pineda libro 6. de Salomone capite 8. numero 2. Nihil item solium Constantini Octaui, sanè magnificentissimum, & artificiosissimum, quod oculatus testis Luitprandus describit libro 6. histor. Omnia ista, præ hoc animato Dei solio ludicra. Fuit hæc Virgo solium hoc Dei gloriosissimi, & altissimi non modò in vitæ progressu, sed à principio, siue à primo puncto conceptionis. Sic enim illa Hieremiæ verba *à principio*, accepit supra Galatinus. Quod autem addit Ieremias hunc esse *locum sanctificationis nostræ*, non est difficile Virgini accommodare. Rectè quippè insignitur eo titulo, tanquam fauissa è qua depromptum est pretium sanctificationis nostræ, & locus verus in quo aurum conflatur, iuxta loci Iobi interpretationem de beata Virgine, à Richardo Victorino datam Commentario in Psalm. 71.

Nec tantum à principio sede Dei fuit beata Virgo, & per tempus delitescentis intra eam Incarnati Verbi, sed etiam per totam æternitatem, in ea vt in throno sedebit, quod repositum à Christo, eius in ipsum officiis, sic affirmat Guerricus serm. 1. de Assumptione, tractans illud, *Veni dilecta mea, & ponam in te thronum meum.* [Non poterat significantiùs aut elegantiùs describi, prærogatiua gloriæ eius, quàm vt thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ, tanta plenitudine, aut familiaritate copiam sui diuina maiestas videtur indulgere, sicut illi in qua spiritualiter præ cæteris residere delegerit. Discipulis quidem Dñus loquebatur, qui pauperes facti pauperem sequebantur; *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis sua, sedebitis & vos super sedes.* Alibi quoque promittit idem agonotheta, nos de cœlo spectans, & incitans decertantes: *Qui vicerit*, (inquit) *dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi in throno Patris mei.* Matri verò cuius longè differens est meritum, nihilominùs differens promittit præmium. *Veni*, (inquit,) *electa mea, & ponam in te thronum meum.* Parum est (inquit) vt iudicans consedeas, nisi & ipsa mihi sedes fias; vt maiestatem regnantis, eò feliciùs quò familiariùs in te contineas, & specialiùs præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti paruulum in gremio, continebis immensum in animo: fuisti diuersorium peregrinantis, eris palatium regnantis: fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo, eris soliũ triumphantis in cœlo: fuisti thalamus sponsi incarnati, eris thronus Regis coronati.]

Species Christi.

QVod Cantic. 5. *Species Sponsi*, dicitur esse *vt Libani*, scitè à Richardo Victorino suo cap. 39. in Cantica, aptatur ad beatam Virginem cui etiam quadrare illud Psalmi 67. *Speciei domus diuidere spolia*, alio loco monstratum est. Occurrit autem multiplex ratio, cur B. Virgo *species Christi* denominari potuerit. Species quippè idem est quod pulchritudo. At B. V. dici potest

Chriſti pulchritudo, quatenus omnis internus decor Virginis, eſt decor Chriſti propter quem decorata eſt mater. Et eſt etiam decor Chriſti, quatenùs eſt participatio eximia pulchritudinis effulgentis in Chriſto, præſertim ratione nitoris corporei, & carentiæ cuiuſvis peccati. Sic hoc elogium B. Virginis accipit Richardus Victorinus loco allegato. Nam ita gloſſat ea verba *Species eius vt Libani.* [Hæ ſunt Virgines decorem Chriſti, & ſimilitudinem habentes. Habet enim ſimilitudinem Chriſti anima quæ charitatem habet & pleniùs proficiens in morum correctione, pleniùs hanc percipit. Cum aliquis pœnituerit, ſtatim in ipſa contritione cordis, ex parte, Dei ſimilitudinem recipit, quam paulatim pleniùs, & in futuro perfectè poſſidebit. hac ſimilitudine omnes boni Chriſto conformantur, ſed ſpecialiùs Virgines, quę cum hac ſimilitudine candorem, & munditiam habent vitæ; Vnde libano comparantur, qui Chriſtum ſignificat, qui candidus interpretatur. Proxima eſt ergo munditia; autori munditiæ Vnde quia hunc ſpecialem decorem Virgines obtinent, benè *ſpecies* dicuntur.] Et paulò poſt. [Species itaque Chriſti, ſunt Virgines, ſed B. V. ſpecialis eius ſpecies, quæ ſpeciem ſuam nunquam per aliquod peccatum mortale, vel veniale maculauit. Vnde ſpeciem eius Rex cæleſtis concupiuit, in ea carnem ſumens; ampiius hanc ſpeciem decorauit, quia ampliori eam gratia repleuit. Mundo itaque tenebris obuoluto, & deformato adeò, ſolem iuſtitiæ ſpecioſum forma præ filiis hominum edidit, & ita lumen cæcitatis, & ſpeciem deformitatis ſpecioſam teſtituit. Ipſa igitur ſingulariter ſpecies Chriſti, præ omnibus ſpecioſa, Chriſtoque ſimillima, non ſolum ſpeciem Chriſti ipſa habens, ſed etiam in aliis hanc reſtituens.] Hæc eſt prima ratio beatam Virginem denominandi *ſpeciem Chriſti.*

Alia ad idem ratio occurrere poteſt: nempè quod B. Virgo dicatur Chriſti ſpecies, quatenùs omnis extrinſecùs decor Virginis, id eſt omnis honor ei à nobis impenſus, redundat in Chriſtum, & in eius veluti ſpeciem tranſit, iuxta illud Roperti lib. 6. in Cantics. [Sic te honoramus, atque concinimus, vt verè Dei genitricem, ſcientes quoniam totus honor impenſus matri, procul dubio redundat in filium.] Et idem hic habet Arnoldus Abbas in Deip. laudat. [Cum debita venerationis ſumma ad Chriſtum reſpiciat ex cuius plenitudine totatum eſt deſuper quod Maria ſit gratia plena, manifeſtum eſt indiuiduam eſſe matris, & filij gloriam, & commune eſſe vtriuſque præconium.] Similia ſanctus Hildefonſus ſ. de Aſſumpt. S. Bernardus hom. 4. ſuper miſſus eſt, & Sophron. ſerm. de Aſſumpt. *poſt medium.*

Ratio tertia denominandi Deiparam *ſpeciem Chriſti*, duci ex eo poteſt, quod *ſpecies* non modo in communi apud antiquos vſu, vt ex literis Aluari Cordubenſis monſtrat Martinus de Roa p. 2. ſingul. cap. 4. ſed etiam interdum in ſcripturis ſignificet vxorem ſiue ſponſam, iuxta illud, *ſpeciei domus diuidere ſpolia* Et illud, *viſitans ſpeciem tuam non peccabis.* Priore ſiquidem loco Dauid aſſerit Deum conceſſurum ſponſæ Chriſti, licet imbelli, & in domus penetralibus deſidenti, conceſſurum in quam diuiſionem ſpoliorum de hoſtibus reportandorum. Et ita ibi *ſpeciem domus* interpretatur Othmarus Luſcinius in Allegoriis Pſalmorum V. *Domus ſpecies* ex c. vltimo Prouerb. Poſteriore autem loco iuxta S. Thom. ibi, & Pradum in cap. 1. Ezech. inter multas benedictiones quas æmulus Iobo reſipiſcenti ſpondet, numeratur quod rei vxoriæ dans operam, in qua tam facilè eſt modum prætergredi, non ſit peccaturus, præueniente & moderante Deo œſtium internum. Qua ratione beatam Virginem dici *ſpeciem Chriſti* perinde eſt ac dici eius ſponſam. Quod epitheton, rectè quadrare B. Virgini dictum eſt *V. Adiutorium Altiſſimi*, & in Dyptichis agendo de gratis Deiparæ ſect. 2. p. 2.

Quod ſi iuxta interpretationem locorum proximè ex Iobo, & Pſalte propoſitorum, magis probatam Pinedæ ad prædictum Iobi locum per *ſpeciem* intelligamus ſpecioſam, & ornatam domum, neque hoc pacto difficile erit quartò monſtrare quomodo B. Virgo ſit ſpecies Chriſti Domini. Eſt enim domus, in qua ille habitauit corporaliter, ſupra quaſcunque ornatiſſimas & inſtructiſſimas domos, ornata, & inſtructa. Quid enim ad hanc Dei domum, de qua verè dictum, *opus grande eſt non enim homini præparatur habitatio, ſed Deo?* Quid inquam ad hanc domum, Palatium cedrinum Salomonis? Quid autem domus Regum Perſarum, de quibus Briſſonius libro 1. de regno Perſarum? Quid lucnlentiſſimæ Romanorum ædes, de quibus Iuſtus Lipſius libro 3 admir. à c. 4. Nidus quidam ſunt iſta omnia Palatia, ex luto & feſtucis compactus, qualem hirundines ſibi ædificant, vt egregiè ratiocinatur S. Chryſoſtomus ho. 2. in epiſtolam ad Coloſſ. ad illud *primogenitus vniuerſæ creaturæ.* Qui coram formicarum hæc eſſe opera cenſenda, tradit homil. de vanitate vitæ. Et benè quoque in eam rem agit homil. 15. in 1. ad Timo. *in morali*, quàm verè autem, hæc domus Chriſti ſit ſpecioſa, & pulchra, intelligi poteſt ex illis S. Hieronymi verbis epiſtola 14. num. 9. veriùs Paulini epiſtola ad Celantiam. [Nihil quietiùs, nihil purius, nihil denique pulchrius ea mente eſſe debet, quæ in Dei habitaculum præparanda eſt: quem non auro templa fulgentia, non gemmis altaria diſtincta delectant, ſed anima ornata virtutibus ideo & templum Dei, Sanctorum corda dicuntur, affirmante Apoſtolo, qui ait; *Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus; Templum enim Dei ſanctum eſt quod eſtis vos.*] Itaque meritò paulò poſt ſubdit nihil eſſe in fœminis B. Maria illuſtrius.

Specimen gemmæ omne pretium excedentis.

CHryſippi è quo hoc elogium depromptum eſt Græcus contextus ſic habet. *Τῦ μαργαρίτυ πεῖρα τῦ τιμὴν ἅπαντων ὑπερβαίνοντος. Fulgor, ſplendor, lumen vibrans, margarita inaſtimabilis.* Heſychius orat. 2. illuſtria antiquiorum de Beata Virgine dicta referens, hoc non omiſit, ſed nonnihil inuertit. Ait enim, Virginem à nun nemine vocatam *πεῖραν ἧς ὁ μαργαρίτης τῦ ἡλίυ λαμπρότερος.* Quæ Picus interpres ſic vertit. *Specimen cuius gemma Sole ſplendidior.* Vt proinde ex duorum illorum locorum collatione ſatis appareat, B. Virginem, non tam fulgori, quam ipſi margaritæ fulgenti, ac luſtrem vibranti, comparari.

Eſt hæc comparatio longè alia ab ea quam inſtituunt S. Ephrem. tract. de marg. pretioſa, S. Athan. q. vlt. ex nouis, & alij pleriqne adducti lib. 3. de Chriſto ſ. 3. c. 4. Ibi enim B. Virgo confertur cum concha margaritifera, fœta ex igne cæleſti, (vt pleriqne Patrum meditantur,) & aqua noſtrate.

Chriſtus

Christus autem confertur cum margarita, intra ostreum vel concham concepta. At hic B. Virgo confertur cum splendore margaritæ, siue cum margarita splendida, pretij inæstimabilis. Quæ est illa ipsa comparatio ea qua sapiens fortem hanc mulierem de S. Bernardi serm. 2. super *Missus est*, & aliorum sententiis collaudat. *Procul*, (inquit, *& de vltimis finibus pretium eius*. 70 habent *pretiosior est lapidibus* (vtique pretiosis,) *quæ talis est*. Alij eodem sensu, ex Hebræo sic vertunt. *Longinquum ab vnionibus pretium eius*. Id est longè maius est eius pretium quàm margaritarum. Sed cortici vocum quibus vulgatus interpres sententiam illam expressit, omnino conformius est, vt B. Virgo quam plerique Patres ea muliere forti expressam volunt, dicatur esse sicut margarita, habens pretium procul, & de vltimis finibus: siue vt Tertullianus de hab. mul. cap. 5. ait *de Paragrimeata*, gratiam & pretium possidens. Huiusmodi erat B. Virgo iam ex hac vita. Tametsi enim carneis oculis in gloria eius ab intus erat. Sicut margaritum in se nitentissimum ac fulgentissimum, quandiu tamen ostreo concluditur, non micat. Eam verò esse fortem sanctorum, omnium in hac vita, propterea que cum margarita intra ostreum abdita rectè conferri, tradit S. Chrysostom. homil. 7. in ad Coloss. ad illud, *vita vestra abscondita est*, & Theodoretus serm. 9. de Proud. Id si de aliis sanctis verè dicitur, de sancta sanctorum longè verissimè affirmatur.

Sponsarium immortalitatis.

Νυμφῶν ἀθανασίας. Iuxta Suidam, νυμφὼν idem est quod thalamus nuptialis. Vnde qui Matt. 9. *filij sponsi* dicuntur Græcè νυμφῶνος; apud Marcum cap. 2. vocantur *filij nuptiarum*, hoc est iuuenes pronubi, qui in conclaui nuptiali, cum sponso à quo allecti sunt comites, familiariter versantur, vt benè expendit Franc. Lucas Matth. 9. ad versum 15. & attigerat Erasmus ad cap. 2. Marci. Quod ergo interpres Theophanis subobscuratis vertit *sponsarium*, clarius dixisset illis vocibus *Thalamus nuptialis, ad immortalitatem generans*. B. Virginem fuisse nuptialem thalamum, in quo coniugium Verbi cum humana natura sit celebratum, est apud Patres decantatissimum. Profero multos lib. 5. de Christo sect. 5. cap. 1. exponens titulum Christi sponsi Ecclesiæ, quam in thalamo Virginei vteri sibi coniunxit. Videndus nominatim S. August. orat. contra Iudæos & Pagan. cap. 9. & S. Hildefons. l. de perp. Virg. & part. S Mar. *ferè in fine*. Itaque idem cum Theophane voluerunt, qui Virginem vocarunt *thalamum Verbi*; nempe in quo Verbum celebrauit nuptias cum Ecclesia, per vnionem cum vna singulari humanitate ad eam pertinente.

Pulchrè autem sponsalis hic thalamus dicitur ad immortalitatem liberos gignere, quia non sic generantur de Christo Patre & Ecclesia matre liberi, sicut ex carnali coniugio, in quo *mortes*, vt Epictetus apud Arrianum philosophabatur, *mortes generant*: ex homine enim putredine, generatur alia putredo, mox resoluenda: sed benedicta Christi proles ad immortalitatem generatur. Quod si placeat hærere in prole omnium præstantissima, quæ in thalamo nuptiali virgineo, sanctissimo inquam eius vtero, sola immediatè est concepta; hoc est in Christo, verissimè Virgo dicitur nuptialis thalamus prolem edens ad immortalitatem: quia Christus tametsi erat gustaturus mortem, non tamen in ea erat hæsurus; sed in modico eam admittens, vt in æternum perderet, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Est igitur Virgo, thalamus immortalitatis. Scio benè multos quos appendit Sherlogus anteloquio tertio, in Cantic. sectione quarta, numer. 111. thalamum nuptialem Christi, dicere crucem. Sed quia crucis & Beatæ Virginis multiplex est cognatio, vt infra dicam exponens *thronum cruciformem*, vtrique nomen thalami desponsationis Verbi cum Ecclesia, aptari potest. Nec absurdè quis dixerit, thalamum Verbi quo se sponsæ Ecclesiæ in vna singulari humanitate coniunxit in eo factus homo, fuisse vterum Virginis, thalamum autem in quo Christus iampridem productus numerosissimam prolem suscepit, fuisse crucem.

Sponsa, & mater orbis viduati.

Ita respectu eiusdem orbis, sponsa simul & mater appellatur B. Virgo, Græcè νυμφοτόκος, vt tamen non sit existimandum, dici sponsam & matrem orbis, sed sic eiusdem viduati orbis sponsa & mater dicitur, vt mater dicatur à conceptu & partu orbis vniuersi, sponsa autem à seruata inter concipiendum & pariendum integritate. Quorsum orbis dicatur viduatus, exposui citato proximè capite de Christo sponso, post Chrysostomum homil. de Turture inita, qui id accipit de Ecclesia Christiana, quia Christo viro eius in cœlum profecto, alij non commiscetur: & vt addit sanctus Augustinus in Psalm. 131. ad illud *viduam eius*, & cætera non habet auxilium nisi à Deo, vt viduis assolet. At sanctus Cyrillus libro quinto, in Isaiam *initio*, de gentibus ad Christi vsque mortem absque animarum sponso degentibus, eam viduitatem interpretatur; vnde Gentilitatem dictam olim *desertam* sit, id est viduam: cuius tamen desertæ, plures postea fuerint liberi, quàm eius quæ habebat virum. Nobis ad rem præsentem perinde est, vterus orbis viduatus, dicatur B. Virginem habere matrem. Vtrobique enim sensus est, esse Ecclesiam ex gentibus potissimùm conflatam, cuius mater est B. Virgo.

At ne quis hanc matrem tanta concepta sobole corruptam putet; ac proinde vt intelligatur eam manere incorruptam, non dicitur simpliciter *mater*, sed *matar sponsa*. Eodem modo quo Ecclesia, quia ita de Christo concipit filios Dei, vt tamen Virgo integra perseueret, dicitur potiùs sponsa quam vxor, vt notaui prædicto capite de Christo sponso: quamuis aliò eam denominationem referat autor breuis Dialogi de alterca. synag. & Ecclesiæ tom. 6. Augustini. Agnoscit eam proportionem Ecclesiæ & Deiparæ, in eo quod vtraque concipiendo & pariendo Virgo præstiterit, Sanctus Augustinus non vno loco: & nominatim l. de sancta Virginit. cap. 2. & 6. ac 11. & serm. 6. & 10. de temp. & lib. 3. de symbolo ad Catechum. capit. 4. Disertè item autor sermonis de Assump. apud Hieronym. tom 9. ob hanc causam ait, Ecclesiæ formam, ad vicem Deiparæ esse constitutam. Sicut ergo cum dicitur Ecclesiam tam numerosæ sobolis matrem, esse simul sponsam matrem, non est sensus Ecclesiam esse sponsam suæ sobolis, sed Dei tantùm; quamuis ob incorruptionem in concipienda & fundenda prole, dicatur sponsa, siue Virgo mater;

ita idem de B. Virgine orbis viduari *sponsa matre*, est cogitandum. Eius autem particula connecten-te, id est, non dicendo *sponsam & matrem*, sed quasi nouata voce *sponsam matrem*, euanescet ambiguitas quæ interuenire videbatur in verbis Gregorij Neocæsariensis, cuius est hoc Virginis elogium. Expressit ferè Gregorium Sanctus Epiphanius non multum ab initio laudationis Beatæ Virginis.

Stella, Stella maris.

His titulis passim apud fideles honestatur Deipara. Stellam absque addito denominatam B. Virginem numer. 24. varij censuere. Ibi enim Balaam prophetans, dixit præter cætera: *Orietur Stella ex Iacob*; quod tametsi plurimi apud Malvendam lib. 3. de Antichristo c. 5. minus consentaneè ad literam, accipiunt de Stella Magis præuia, cum ea stella non sit orta ex Iacob, sed ex Oriente, tamen Doctores haud ignobiles, id interpretantur de Beata Virgine. Et ita nominatim Iustinus Apol. 2. pro Christo Petrus Damiani serm. de Epiph. & serm. 2 de Natiuit. B. Virg. Adamus de Insulis apud Richar. S. Laurent. lib. 1. Bonauent. sect. 3. speculi B. Mariæ, & qui repræsentandus meritò est, Galfridus ad c. 24. Numer sic scribens. [*Orietur Stella ex Iacob.* Mira res. Humanum genus ex limo factum est, etiam ante culpam. Et quomodò iam inde Stella. Quomodò ex terreno germine syderea proles? Quæ est Stella orta ex Iacob, nisi ea quæ nobis nata est Virgo Maria, ex progenie Abrahæ, clara ex stirpe Dauid? Stella prorsus, magis re quam nomine, cuius vita gloriosa, vitam dedit seculo. Quàm euidens cœlestis in ea claritas, cœlibis vitæ micat exemplum? Et quomodo non si quis spiritualia spiritualiter intuetur, quantum interest inter glebas terræ, & stellas cœli, tantum inter eos qui vitam carnalibus voluptatibus cœcam, & sordidam gerunt, & qui gratissimo quodam pudicitiæ splendore coruscant? In quo tamen quæ sola solem iustitiæ genuit, non humanas tantùm, sed Angelicas stellas supergressa est vniuersas. Nec modò exemplo stella hæc, sed & auxilio lucet. Quis enim desperatæ conscientiæ tenebris obuolutus, ad eam supplices leuauit oculos, & non protinus lucem vidit? Ambulemus in vtroque lumine eius, vt non tenebræ nos comprehendant. Attendamus syderis claritatem, vt aliquando valeamus intueri solis quoque splendorem; de quo in prædicta additur prophetia; *Et exurget homo de Israël.* Hæc potissimùm orientis stellæ summa lætitia, hæc ipsius gratia spiritalis; quia per eam, & ex ea homo natus est, de quo Propheta ait, *Homo natus est in ea & ipse fundauit eam altissimus.* Quid autem magnum additur, *orietur stella*, & ex ea homo? Sed homo iste clarior stellis, & stellarum omnium ipse creator. Nihil ergo mirum si ex humano genere stella oritur, vnde etiam ortus est sol ille qui numerat multitudinem stellarum.]

In textu vulgato post illa verba, *Orietur Stella ex Iacob.* Sic legitur, *& consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab.* septuaginta habent, *& exurget homo de Israel*: cui lectioni inhæsit Galfridus. Tametsi non vt alij permulti in his verbis agnoscit repetitionem ac explicationem prioris partis periodi, stellam de Christo ex Iacob oriente significantis: sed priorem illam partem de B. Virgine accipit, cum aliis quos retuli; ipsaque Ecclesia quæ in antiphona 4. officij B. V. Mariæ post Natiuitatem Domini, ad laudes verba ista; *Orta est Stella ex Iacob*: sic glossat *Virgo peperit saluatorem.* Et est sanè loci illius ex 26. Numerorum interpretatio admodum congrua: Nam beatam Virginem appositissimè dici stellam, extra dubium est, & istè traditur à Richardo à Sancto Laurentio libro primo, de Beata Virgine capite tertio.

Verum est, Sanctos quoscunque iam ex hac vita dici stellas; Quali specie sanctus Bruno, & eius socij, sancto Hugoni per visum sunt obiecti. Et meritò sancti viatores *stellæ* denominantur, iuxta illud Origenis homilia prima in Genes. [Stellas in firmamento posuit Deus. Videamus quæ sunt etiam in nobis stellæ, id est in cordis nostri cœlo. Moyses stella est in nobis, quæ lucet, & illuminat nos actibus suis. Et Abraham, & Isaac, & Iacob, & Isaias, & Hieremias, & Ezechiel, & Dauid, & Daniel, & omnes de quibus Scriptura sancta testimonium dedit, quia placuerint Deo. Sicut enim stella ab stella differt claritate: ita etiam Sanctorum vnusquisque, secundùm magnitudinem suam, lumen suum fundit in nos.] Non minùs explicatè Athanasius 4. hexamer. *sub finem*, & sanctus Gregorius libro decimoseptimo, moral. capite octauo, & nono, ac præfatione ad librum Iobi capite decimo, quo posteriore loco sic disserit. [Libet inter hæc mira diuinæ dispensationis opera cernere, quomodo ad illuminandam noctem quoque vitæ præsentis astra quæque suis vicibus in cœli faciem veniant, quousque in finem noctis Redemptor humani generis quasi verus Lucifer surgat. Nocturnum namque spatium dum decedentium, succedentiúmque stellarum cursibus illustrantur, magno cœli decore peragitur. Vt ergò noctis nostræ tenebras suo tempore editus, vicissimque permutatus stellarum radius tangeret, ad ostendendam innocentiam, venit Abel; Ad docendam actionis munditiam, venit Enoch; Ad insinuandam longanimitatem spei, & operis, venit Noë; Ad manifestandam obedientiam, venit Abraham? Ad demonstrandam coniugalis vitæ castimoniam, venit Isaac; Ad insinuandam laboris tolerantiam, venit Iacob; Ad rependendam pro malo bonæ retributionis gratiam, venit Ioseph; Ad ostendendam mansuetudinem, venit Moyses; Ad informandam contra aduersa fiduciam, venit Iosue; Ad ostendendam inter flagella patientiam, venit Iob. Ecce quàm fulgentes stellas in cœlo cernimus, vt inoffenso pede operis, iter nostræ noctis ambulemus. Nam cognitioni hominum diuina dispensatio quot iustos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras, cœlo immisit, quousque verus Lucifer surgeret, qui æternum nobis manè nuncians, stellis cæteris clariùs ex diuinitate radiaret.] Alludit sanctus Gregorius ad illud Petri *Donec dies elucescat; & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Vbi Apostolus hanc vitam totam, vsque ad finem seculi, agnoscit esse caliginosam etiam sub lege gratiæ; & in ea quoque noctem durare, tametsi dilutiorem, &

sublucente

ſublucente nonnulla luce, per nubem lucidam, (ſic fidem Chriſtianam vocat Damaſcenus oratione de Transfiguratione) minus offuſam caligine, quàm eſſet lex antiqua. Eluceſcet verò dies, cum Lucifer Chriſtus, (ſtella matutina idcirco dictus, Apocal. 22. in ſeculi clauſula diem perpetuum æternitatis nulla intercidendum viciſſitudine noctium auſpicabitur. Itaque ad illud vſque mane de quo ſcriptum eſt Amos V. *Fecit noctem in mané*, omnes Sancti in hac vitam ſunt ſtellæ, elucentes mundo myſtico varia claritatem ſuam. Nam ſicut ſtella à ſtella differt in claritate, ſic & ſplendores Sanctorum ſunt varij.

Stella primæ magnitudinis eſt beata Virgo. Imò ſola ſecundùm Chriſtum, nitet, ac fulget ſupra omnes alias ſtellas myſticas; ita vt non ſicut in ordine naturæ plures ſunt ſtellæ primæ magnitudinis, ſic contingat in ordine gratiæ; ſed vna, & ſola ſit primæ magnitudinis ſtella Maria, diſpellens omnium validiſſimè noctem noſtram ſeculo incubantem, ex quo Adam luce gratiæ excidit. [Ab illa hora (ait Petrus Damiani ſermone quadrageſimo,) tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad Virginem, neque inuentus eſt aliquis qui vel caret de tenebris, vel tenebras diſſiparet: ſed mundo creſcente concreuit & tenebroſa vorago, donec in denſiſſimam conglobata nigredinem, humanum genus nocte terribili ſepeliuit. Hæc eſt illa nox ſolitaria nec laude digna de qua ſcriptum eſt; *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox. In ipſa pertranſierunt omnes beſtiæ ſylua*: quia crudeles, & indomiti Spiritus, dimotis repagulis, humanum genus totis viribus obtriuerunt; ſed nata Virgine ſurrexit aurora quia Maria veri prænia luminis, natiuitatem ſua manè clariſſimum ſerenauit. Hæc eſt ſtella matutina in medio nebulæ quæ in cœli cardine ſummo ſplendore coruſcans, orbem ſubditum ſplendidioribus radiis incolorat.] Eſt itaque beata Virgo ſtella primæ notæ: vnde inſigniter lucet mundo: Quamuis enim more cæterorum Sanctorum per huius vitæ tempus fuerit *ſtella clauſa quaſi ſub ſignacalo*, iuxta Iobum, id eſt non rutilauerit ſplendore ſeculari, proptereáque contemptim de ea loquentes Iudæi dicerent Matth. 18. *nonne mater eius* (Chriſti) *dicitur Maria*? Tamen etiam per tempus vitæ ſupra omnes Sanctos ſplenduit; ita vt quod tanquam ſingulare de ea notat Richardus à ſancto Laur. l. c. capite tertio, etiam de die fulgeret: quia quamuis alij Sancti pre Chriſto tenebreſcant, tamen beata Maria cum Chriſto compoſita, magis fulget, eius enim honor, ac ſplendor eſt honor ac ſplendor ipſius Chriſti, ob intimum vtriuſque nexum, quandoquidem hæc ſtella magno miraculo peperit ſolem. Quod meritò ſuſpiciebat Petrus Damiani ſermone de Epiphania; Nec ſecus (vt Patres crebrò obſeruant) Chriſtum emiſit, quàm ſtella ſuos radios, hoc eſt integra, & prorſus intemerata. Scitè ſanctus Bernardus homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, tractans illud *& nomen Virginis Mariæ*: Ibi nomen *ſtella* in beatam Mariam appoſitè cadere his verbis docet. [Maria aptiſſimè ſyderi comparatur; quia ſicut ſine ſui corruptione, ſydus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturit filium. Ipſa eſt igitur nobilis illa ſtella ex Iacob orta, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius ſplendor, & præfulget in ſuperius, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes quam corpora fouet virtutes, excoquit vitia.]

Perſuaſerat penitiſſimè hoc Virginis decus Rex Francorum Robertus, tertiæ ſtirpis Rex primus; qui iuueniles exerrationes virga Eccleſiaſticæ diſciplinæ correptus, & cæleſti prodigio ex Petro Damiani opuſculo trigeſimo-quarto, capite ſexto, deterritus emendauit; ita vt Principem non minùs doctiſſimum (quo eum titulo ſynodus Lemouicenſis honeſtauit,) quàm ſanctiſſimum, & cœlitum honoribus dignum euaſerit: quod fuit de eo Baronij, ac Bellarm., ſummorum in Dei Eccleſia virorum iudicium, referente Andrea Sauſſayo, Bedá Gallicano, ad 13. Auguſti: qua die beato Hyppolito ſacra conſignatur eius ad Deum migratio. Diceres enim cœlitus fauore cœlo illatum, cuius aliàs præſidio, ex ipſa die Caſtro Meloduno muniti ſſimo, quod pridem fruſtrà obſidebat ſubduxiſſe ſe è caſtris, ad S. Dyonyſium eum Monachis, trabeatus diuinis officiis intereſſet, concidentibus muris abſque ſuorum ſanguine obtinuerat. Quo cœleſti munere aliàs quoque, Aualonem Burgundiæ oppidum, poſt trimeſtrem obſidionem ſubegit, debellans Laudericum, Niuernenſem Comitem loci muniti ſſimi firmitate fruſtra confiſum. Hic igitur optimus Princeps & ſolutæ, & deuinctæ oratione. *Mariam ſtellam* celebrauit. Et vt glorioſo apud ſeculum ſpecimine eam Deiparæ nomenclationem illuſtraret, Ordinem Equitum à *Stella* inſtituit in honorem beatæ Virginis anno milleſimo vigeſimo-ſecundo, tricenario equitum, ipſo Rege capite non excluſo, conſtantem. Pallium erat Equitibus ex Serico Damaſceno candido, ad pectus micante aurea ſtella, opere phrygio. Penſum illis quotidianum erat impoſitum, decurrendi coronam virgineam & alias quaſdam preculas in eiuſdem Virginis honorem. Quæ pauca prætermiſsis adiunctis pleriſque ad illius ſacræ militiæ inſtitutionem delibo, vt pateat eam aliò non collimaſſe, quàm ad Deiparæ venerationem optimo Regi cordiatùs inſitam, & eo honoris in regio iam tunc maximi, religioſo argumento expromptam. Aſcripti ſunt poſtmodum ei religioſæ militiæ, proceres quinque eminentiſſimi, & Reges conſequentes per aliquot ſecula; nominatim ſanctus Ludouicus IX. hodiéque legitur pompa magnificentiſſima, qua ſanctus Rex, veréque Regum gemma, Alfonſum fratrem, Comitem Cœnomanenſem Pictauienſem in ordinem ſtellæ de quo agimus, coöptauit anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo-ſexto.

Duæ hic oſcitationes videntur annotandæ, ſed obiter. Altera eorum qui hunc Equeſtrem Ordinem à Ioanne Philippi Valeſij filio anno 1336. conſtitutum dicerunt ad memoriam ſtellæ quæ Reges duxit ad ſtabulum; addito hoc hoc ſymbolo: *Monſtrant Regibus aſtra viam.* Quorum ſenſui inhæſit Lorinus numero vigeſimo quarto. Sed quomodo Rex Ioannes anno milleſimo tercenteſimo trigeſimo ſexto, equeſtrem hunc Ordinem inſtituit, ſi tantò ante ſanctus Ludouicus Alfonſum fratrem ſuum, in illum cooptauit? Longéque etiam anterius, Rex Robertus duodecim Franciæ Patres, abs ſe quoque paulò ante conſtitutos in

hunc ordinem admisit? Æquè exerrant qui Equestrem Ordinem stellæ exoleuisse dicunt cum Carolus VII. exhausto ærario torquem huius Ordinis compensationis gratia absque delectu contulisset iis qui sibi in bello nauarant operam, dedignatis postea ordinem sic vulgatum proceribus. Vnde factum dicunt, vt Rex præfecto nocturnarum excubiarum, ius torquem huius Ordinis deferendi deinceps fore edixerit anno 1455. eius verò præfecti Satellitibus, stellam candidam vesti assutam, muneris publici tesseram, esse voluerit, ignobiles Ordinis nobilissimi reliquias, quæ est honorum nostrorum volatica caducitas, in minorum gentium capitibus vtcunque reiectas volendo. At hoc à Rege Carolo VII. factum, eo qui notatus est anno, manifestæ falsitatis reuincitur, cùm ipsemet Carolus generum suum, Gastonem Frixensem, huius Ordinis torque honestasse, certò prodatur anno 1458. Persitet igitur vulgatissima sententia de equestri ordine *Stellæ*, non ad honorem stellæ Magorum, sed ad honorem stellæ mysticæ primariæ Beatæ Mariæ per Robertum Regem constituto, ipsa die natali Deiparæ.

Hinc Andreas Fauinus, Author Theatri honoris, ac equestrium in Gallia Ordinum expositor. *lib. 3. pag. mihi 565.* infert ignoranter Platinam, in vita Innocentij IV. scripsisse festum Natiuitatis Deiparæ fuisse ab eodem Innocentio institutum anno 1250. At quomodo hoc si Robertus Rex tantò ante Innocentium, in festo Natiuitatis beatæ Virginis, Ordinem stellæ, ad stellæ Mariæ ex Iacob orientis honorem instituit ex Bedæ aliorùmque Latinorum multis seculis Innocentio anteriorum Martyrologiis, necnon ex Græcorum Menologio, & homiliis Patrum longè antiquiorum Innocentio, eandem insulsitatem refellet Baronius ad 8. Septemb. Videndi item Suarez lib. de festis capite 8. numero 3. & Azor. t. 1. lib. 1. capite 19. Malè tamen Platinæ affingitur quod Innocentium IV. fecerit festi Natiuitatis beatæ Mariæ institutorem, cùm nihil tale habeat Platina sed tantùm dicat Innocentium mandasse, vt festum Natiuitatis Deiparæ, cum octaua celebraretur, quod verum est. Vnde Manauit specialis religio in illius octauæ celebratione Lugduni in Ecclesia beatæ Mariæ, cæteris eiusdem nuncupationis antiquiore vulgò *Nostre Dame de la Platiere*, in qua Innocentius ipse, Lugduni olim Canonicus, & ad plures annos Incola, cum esset ad Ecclesiæ clauum admotus, induxisse eam solemnitatem fertur, vt diuturni schismatis quo Ecclesia pridem scindebatur extinctionem exoraret. Ipsum verò festum Natiuitatis beatæ Virginis, tempora Innocentij longè est prægressum cùm constet de eius celebratione anteriore, in Orientali, & in Occidentali Ecclesia Quin etiam à Cœlitibus ipsis idem festum magno apparatu esse celebratum haud dubiè à primo Virginis ortu, docet reuelatio consignata apud Vincentium Beluac. libro sexto, specul. histor. capite sexagesimoquinto. Quamquam enim ea reuelatio, spectat tempora posteriora, tamen cum nulla esset noua causa, idem ab initio à Cœlitibus præstitum fuisse pono extra dubium.

Deiparam iure denominari stellam, (quod hactenus humanis fere testimoniis astruximus,) Deus ipso suo suffragio firmasse videtur, proximè superioribus annis in Belgio, in agro Feyensi, siue *Fidei* Dionantinæ regionis. Ibi (vt latè refert Ioannes Bourghesius l. de Societate Iesu Virgini sacra cap. 56.) intra arborem est reperta Deiparæ imago, non secus ac apud Nicephorum l. 14. c. 46. in cupresso reperta est imago B. Virginis, & Hortinæ in Germania reperta est in Castanea, nec non alia item in Germania in Sambuco, & alia in Larice; apud Boëmos autem alia in Rubo, & Viterbij vna in vite, ac apud Lituanos vna in pyro, item Castillione in Italia, vna in pyro, & apud Elarenses in Germania vna in ceraso. Videndus Atlas Marianus Gulielmi Gumpperberg de imaginibus miraculosis B. Virginis. Sed vt sistam in Iuensi euentum propositum sic exponit Bourghesius. Quercus erat annosa & procera, cuius in octo pedes sese diameter explicabat, vix per quinos homines brachia quam latè possent exporrigentes, complexu suo cingenda. In huius arboris meditullio cùm à lignatoribus ad ignem fouendum cæderetur, statua Deiparæ inuenta est testacea, Filium Deum gestantis, clathrorum ferreorum septo inclusa credibile est, cæso apertóque tenero quercus cortice, statuam illam fuisse immissam, & sepimento illo ferreo cinctam; postmodùm verò excrescente quercu in illius visceribus delituisse interceptam, donec post aliquot secula fatiscente præ senio arbore, clathris ferreis propè iam exesis, educeretur, & vicinæ quercui iussu Toparchæ affigeretur: dum sacellum eo loco quo prior quercus steterat, construeretur. Nec mora locus miraculis statim inclaruit, eóque illice, euocata fidelium pietate, peregrinantium concursus longè maximus ædiculam frequentauit. Ac vt diuinæ largitatis ad honores Deiparæ amplificandos specimen luculentum extaret, non statua duntaxat sacra de qua diximus, diuinis operibus nobilitatur, sed etiam in partem diuinæ munificentiæ veniunt agri sacello continentis lapilli, mira colorum varietate renidentes, lusu naturæ perameno. In his quippè adamantis candidus nitor, in aliis onychinus pallor, pyropi flamma, chrystalli pelluciditas, chrysoliti aurum, smaragdi viror, galactitis lac, opali rosa, amethisti purpura hyacinthi viola, coralli coccus, gratissima venustate oculos pascit. Quodque est longè pretiosius, & diuinam vim Mariæ stellæ meritis confertam lapillis hisce, apertè prodit, plurimi solo lapillorum attactu, grauibus doloribus, morbisque periculosis sunt leuati, Febrientes omninò multi, iniectione lapilli in potionem, extinxerunt impetum ignis; etiam pani pestilentes admotione lapillorum, discussi; illuminatos eadem medendi ratione cæcos, erectos claudos, herniosos solidatos, languidos, & apoplecticos persanatos, mortuos quinetiam infantes ad vitam ne absque intinctione perirent, excitatos inconfessò est. Ac vt liqueat Mariam stellam per hæc terræ minutiloquia, saluti mortalium consulere, secti in hexagonam formam lapides stellæ formam præferunt. De Maria stella satis. Nam quod eam sanctè fatariam stellam exhibet Gilbertus Ionimus Epodon Ode 5. sciens dimitto.

* * *

Stella

Stella maris.

NVnc eadem, sub titulo *stella maris* considecanda est. Est enim titulus eius, valdè frequens. est quod nos remoretur noua subtilitas, contendentium vocandam esse, non *stellam*, sed *stillam maris*, quasi eo titulo alludatur ad nomen B. Virginis, quod Hebraicè est, Syriacè *guttam*, siue *stillam maris* sonat, vt notauerunt Canisius & Alcasarius; ille l. de locis noui Testamenti, c. 6. & 13. iste in Apocal. c. 12. v. 1. notat. 2. Plura in eam sententiam in Diptychis Mar. parte 1. p. 2. à n. 81. & in pietate Lugdunensi erga Deiparam immaculatè conceptam n. 26. Leuicula ergo immutatione, vulgus arcani in ea stillæ educta & elatæ è mari nomenclatione abditæ, nesciens iuxta Huperos illos, B. Mariam dixit *Stellam maris*, cum attenta veriore notatione nominis *Maria*, dicenda fuisset *stilla maris*. Sicut apud Iobum c. 36. & 38. & apud Ieremiam c. 3. iuxta aliquos codices & lectionem à plerisque Patribus vsurpatam; vbi correcti codices habent *stilla pluuia*, & *Stilla roris*, ac *stilla pluuiarum* legitur *stella pluuia*, & *stella roris*, ac *pluuiarum*. Iuxta quam lectionem S. Gregorius 27. Mor. c. 4. & l. 29. c. 20. de Apostolis & Apostolicis viris, prohibitis alicubi impluere, vel pluuiæ doctrinam effundentibus, philosophatur. Sed nihil est necesse similem geminæ notionis luxationem; in titulo *Stellæ maris* B. Mariæ delato, agnoscere; cum nihil sit necesse eum titulum à notatione nominis *Maria* repetere: potueritque facilè ex iis B. Virginis in nos officiis, quæ stellarum in terrena influxibus sunt proportionalia, deriuari, vt mox patebit.

Itaque semouenda ab hoc loco est, denominatio *Stella maris* petita ex eo pisce quem *stellam maris* appellant, Plinio teste l. 9. c. 60. [Claros (inquit) sapientiæ autores video mirari stellam in mari. Figura est parua admodùm: caro intus, extra duriore callo. Huic tam igneum feruorem esse tradunt, vt omnia in mari contactu adurat, omnem cibum statim peragat.] Non esset quidem difficile, ad B. Virginem hæc commodare: cum sanctus Bernardus, applaudentibus omnibus aliis profiteatur, non esse qui se abscondat à calore eius: & S. Bernardinus serm. *per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram* de B. Virgine accipiat illud Iobi 38. Attamen B. Virginem *stellam maris* appellare per allusionem ad piscem sic denominatum, nulli planè in mentem venit. Et fortassis quæ de eo pisce dicuntur, fabulosa sunt, vt Plinius satis insinuat. Quare sistendum est in vulgatissima notione *Stella maris*, ad astrum mari illucens pertinente.

Sed hîc ante omnia Infame Erasmi sputciloquium, circa hanc Deiparæ nomenclationem extergendum est quo Lucianus ille redeuiuus, colloquium Naufragi inquinauit, hæc bruta verba chartis illinens, inter describendum naufragium. [Ibi vidisses miseram rerum faciem. Nautæ canentes *Salue Regina* implorabant Matrem Virginem, appellantes eam *Stellam maris*, *Reginam cœli*, *Dominam mundi*, *portam salutis*, aliisque multis titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt sacræ literæ. Quid illi cum naui, quæ nunquam opinor nauigauit? Olim Venus agebat curam nautarum quia nata credabatur ex mari. Et quoniam desiit curare suffecta est huic matri non Virgini, Virgo mater.] Heu infelices aures meas quæ tam sputcis vocibus patuerint! vah scelus! & Christianus es, quem non puduerit *cum Venere*, Virginum gemmam componere? Quæ *blanditias* appellas; laudum debitarum recensionem. Qui interpellationem Diuûm in periculis, superstitionis nomine infamas. Erubescant qui te aliquo loco, & nomine habuerunt cum dignus sis, cui dirum anathema pro singulis tam teri sputciloquij apicibus incidatur. Veh, & iterum, ac tertiò veh, maledicto capiti quod talem abortionem concepit, calamo qui tanta turpitudine chartas inquinauit, lectori qui funestis vocibus plausum dedit.

Securè, hoc fulgurito capite dimisso, titulum *stella maris* B. Virgini ex magnorum virorum, ipsiusque Ecclesiæ sensu afferamus. Nam Ecclesia quidem, hymnum de Deipara à S. Bernardo (vt volunt) confectum in libris ritualibus adhibuit iam olim, & suum fecit. Is hymnus in ipsa fronte, quam minimè omnium languere par est, (vt Hincmarus senior, Hincmarum iuniorem sugillans admonebat,) Deiparam *maris stellam* denominat. Diuina opera ad illius hymni vsurpationem patrata, magnam ei autoritatem conciliant. Constat apud Montem Ferratum, cum pictor rogatu Abbatis imaginem Deiparę miraculosam, certis locis reparare aggressus esset, illico fuisse cœcatum, renuente Virgine emendicare ab humano artificio pulchritudinem. Post trimestre cœcitatis, cum pro eo sacer hic hymnus funderetur vbi ad illa verba ventum est, *profer lumen cæcis*, visum sibi reuenisse gauisus est. Alius, ab hoste non vno lethali ictu confossus & abiectus in foueam, aggestis plurimis lapidibus humóque copiosa, vitæ reliquias trahens, in eiusdem sacri hymni recitatione, ad eum versiculum *Monstra te esse matrem*, pondus cumuli super se aggesti excussit, vt vitæ ac sanitati præter omnem spem est restitutus. Hymnum his aliisque pluribus cœlestibus fauoribus nobilitatum, quis credat fronti præferre turpitudines Erasmicas, & in eo Veneris (proh infandum verbum) cum Maria contentionem insonare. Apage impietatem. Tundendum est pectus, quod iterauerim & memor fuerim tantæ illuuiei per labia mea. Hymni igitur sacri fronte nitentissima, præfertur titulus pro quo satago.

Pissimus Rex Robertus, de cuius peritia præsertim metrica, superiùs est dictum, & cuius pleræque antiphonæ ac responsalia in Parisiensi, Ecclesia pro natalitio Deiparæ festo inter diuina officia etiamnum vsurpantur, frequentissimè versus illos iterabat, in quibus titulus *Stella maris* effulget.

Alma Redemptoris genitrix, mundique salutis.
Stella maris fulgens, cunctis praclarior astris

Eiusdem sunt, versus quos subiicio in Deiparæ Natiuitate decantari.

Stirps Iesse virgam produxit, virgáque florem
Et super hunc florem requiescit Spiritus almus.
Virgo Dei genitrix virga est, flos filius eius.
Ad nutum Domini nostrum ditantis honorem
Sicut spina rosam, genuit Iudaa Mariam
Vt vitium virtus operiret, gratia culpam

Et hic quoque, præter alia eximia Virginis decora, titulus *stella maris*, Regia manu exaratus præfulget. Sunt porrò huius tituli rationes congruæ, &

Patrib. probatę cōplutes. Paucas permistim attingo.

Cor peccatoris quasi mare feruens, vt est apud Isaiam c. 57. & alibi, de peccatrice anima funditus euersa, omni amaritudine repleta, dicitur *Magna est vel vt mare contritio tua.* Quis in ea caligine illuceat efficatius ac opportuniùs, quam vera *maris stella* Maria? Testis Theophilus Oeconomus, cui in profundum impietatis merso, B. Virginis interpellatio vt portum salutis teneret, subsidio fuit. Iustinam piissimam Virginem Tartareis ignibus ab tetro & impuro Satanæ mysta Cypriano excitatis, propè deflagrantem & decumanis impudicitiæ agitato. Nazianzenus ad veram stellam polarem in eo turbine confugientem emersisse incolumem testatur. Quid Maria Ægyptiaca? Hæc ex impudicitiæ sentina, euasit in totius sanctimoniæ vas nitentissimum, ex quo tertiùm, repulsa Hierosolimitani, templi addito, Deip. imaginem pro foribus contuita, in eius se clientelam dedit. Illustrissimum diuinæ potentiæ simul ac misericordiæ specimen Virginis matris opera propè momento perfectum, Sophronius in illius Beatæ actis descripsit, & nos haud inanitè expendimus; iusta tractatione de huius muscæ ab extremo fluminum Ægypti, sibilante Deo per Mariæ preces euocatione. Hæc maximè, subsidium peccatoribus præstitum, spectant Vniuersiter ad miseros quoscunque, & afflictos, diffundantur, quæ S. Bernardus hom. 2. super *Missus est* ad finem, *Maria* nomen enucleans protulit in hæc verba. [Ipsa est Maria, præclara & eximia stella, super hoc mare magnum & spatiosum, necessario sublevata; micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in huius seculi profluuio, magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare; ne auertas oculos à fulgore huius sydetis, si non vis obrui procellis, si insurgant venti tentationum; si incurras scopulos tribulationum, *respice stellam, voca Mariam.* Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, *respice stellam, voca Mariam.* Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, *respice ad Mariam.* Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fæditate confusus, iudicij honore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, *cogita Mariam.* In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, *Mariam cogita, Mariam inuoca.* Non recedat ab ore, non recedat à corde. Et vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens, non deuias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente non corruis, ipsa propitia peruenis, & sic in temetipso experitis, quàm meritò dictum sit. Et *nomen Virginis Maria.*] Hoc est vt præmiserat, *stella maris.* Hanc enim notionem huic nomini subiecerat, & ei illustrandæ, vniuersa quæ hic tetali, proposuerat.

Obuertamur ad hanc polarem stellam, quoquot nauigamus hoc mare magnum & spatiosum Naturale quidem homini est, ad polum obuerti. Nam vt obseruarunt curiosi rerum naturæ Scrutatores, si in nauicula, aquæ quiescenti imposita, homo extensus quiescat, naturaliter caput ad septentrionem, & pedes ad Austrū obuertuntur, prout contigit in acu cui affricueris magnetem: quasi nos docente natura, quo par sit cursum nostrum dirigi, quo collimare debeamus, si portum denique subire volumus. Sed lumen gratiæ id meliùs commonstrat. Pertinax Imper. in numismate expressit manus suas protensas ad stellam magnam. Nobis *stella magna*, Maria est, verèque *signum magnum in cælo*, quod S. Bernardus integro de B. Maria serm. est prosecutus. Eo autem potior est moralis magnitudo Stellæ huius, quod mira fœcunditate in Stellas commutat, qui se assiduè & irreuerberato obtutu respexerint. De sacris Doctoribus scriptum est apud Danielem, *qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* S. Georgius, Musulmannis ipsis est in honore, & ab eis, teste Cantacuseno Apol. 3. *Cheter Eliaz* denominatur. Chaldæi in sua Liturgia, id vocabuli expresserunt nomine *stella honoratissima ac fulgentissima.* Et non esse eam prærogatiuam, siue Doctorum sacrorum, siue B. Georgij singularem, sed omnes B. Virginis præcipuo cultu addictos diffundi, monstrant stellata per mortem quorundam piorum B. Virginis studiosorum capita, stellatæ vestes, sepulchra, aliàque ad eos attinentia; vt eo symbolo insinuaretur, quid in eis operata esset stella, quæ per vorticosum seculi mare ad se obuersos, in portum salutis deduxit. Super sacrum corpus B. Anastasij Persæ Martyris à canibus quibus vorandum obiectum fuerat, aliis noxiis absumptis intactum, stella emicuit, quæ ad sacrarum reliquiarum exportationem Christianos exciuit. Sacri cineres SS. 40. Martyrum Sebastenorum, è rapide flumine in quod proiecti fuerant, ad ripam delati, stellarum speciem exhibuerunt, vt est in eorum actis 9. Martij Inusitatæ magnitudinis stellam, supra demortuum Simeonem Stylitam à se visam, scribit Euagrius l. 1. c. 14. super S. Mening. Fullonis, martyrio affecti sacrum caput, Stella fulsit. Beatrix Virgo Lusitana miræ Sanctitatis, in nitorem initialem Deiparæ, egregiè animata cum demortua efferretur ad tumulum, aurea stella fronti appressa prælustris visa est, Stupentibus qui tantum prodigium, monimentum affectus quo in stellam maris flagrauerat, conspicabantur. S. Nicolaus Tolentinas, & S. Ignatius Loyola, in eiusdem stellæ contuitu, iuges fuerant dum superessent. Prioris demortui tunica stellis micantibus interstincta apparuit. Posterioris tumulum, micantes stellæ collustrarunt; quod Andreas Pinto Ramires l. cui titulus, stemmata Soc. Iesu tract. 2. c. 2. § 6. aliò retulit. Sed mihi causa quam tetigi, non minùs accommodata videtur. Quos si hostes viam intercluturos extimescimus, (nam vita nostra *piraterium* est, iuxta Iobum c. 7. qui ait *militia est*, S. Ambrosius legit, *piraterium est vita hominis super terram*: & de piratis Tartareis nauigationem calamitosè abrumpere satagentibus, exponit:) si igitur piratas infestos cursui nostro metuimus, stella nostra pugnax & belligera, hostes auertet, dimicans pro nobis. Sanè Iudic. v. de prædantibus dicitur, *De cælo dimicatum est contra eos. Stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt.* Hoc circa pugnam stellarum corporearum, non vacat difficultate, quæ à Rabinis, (pro more) per nugas extricatur, vt ibi Serarius q. 12. edisserit. Sed pro Stella mystica nostra, nullum est ad intelligentiam nubilū: quandoquidem luna quæ Beatæ item Mariæ typus est, & cum qua frequentissimè componitur, à Siracide c. 48. denominatur *vas castrorum in excelso in firm. cæli resplendens gloriosè.* Nostræ Reginę potiori iure quàm Faustinæ, tit. *Matris castrorum* quo hāc lupā Anton. maritus honestauit deferatur quod in hac ipsa lucubratione v. *Commilito*, patefactum d. di. Quod si Pall. virg. bellig. si ducē præliaris facti egregij, fœminam habuit Ethnicismus, si Ioan. Darciam virginem, Galliæ sospitatricem, Amazonem, & bellatricem non cunctando sed pugnando

restitu

reſtitutionem rei celebrat, vt apud Gerſonem gemino de Opuſculo legere eſt; quid hæremus Virgine Deiparam ſtellarũ dimicantem agnoſcere? *Militiam cœli* Scriptura diuina ſæpè ſæpiùs memorat, vt Deuter. 17. Iſaiæ 24. & 40. Ierem. 19. multa alia loca ſignat Lorinꝰ. Deuter. 17. ad verſ. 3. & quanquam refragante Gulielmo Pariſienſi, l. de legibus c. 23. eam denominationem cadere in ſtellas, probatiſſimi Interpretes, præeuntibus Hieronymo ad citata Iſaiæ loca, & Auguſtino Epiſt. 28 data ad ipſum S. Hieronymum, cenſuerunt Beata quoque cœlitum agmina, ſtellas myſticas nomine *militia cœleſtis* deuocata, Lucæ 2 legimus. At vtroque illa cœleſti militia, conſtat Dominum Deum appellari *Sabaoth*, hoc eſt *regem virtutum & acierum militarium*. ſtella Iacob ea qua ſol Chriſtus prodiit, mater caſtrorum in excelſis, ſi faueat; erimus in hoſtili quovis incurſu tutiores, & animoſiores hauſtis ab ea generoſis ſpiritibus, quàm Saraceni à ſtella ſplendida & matutina cui erant addictiſſimi, ſumptis (vt rebantur,) animis ad ſua prælia, (verius graſſationes ac prædationes) accingebantur. Narratio eſt à Nilo Monacho conſignata Ælis ſanctorum Monachorum à Barbaris in ſina interfectorum 14. Ianuarij.

Supplementum Prophetia clariſsimum.

DVobus modis aliquis poteſt dici ſupplere. Nimirum vel 1. quia rei iam inchoatæ, ſed nondum perfectæ, adiungit quod deeſt. Vel 2. quia loco alterius ſucceſſit ad aliquid præſtandum. Vt cum quis præpeditus impedimento obeundi muneris, alium ſibi ſuſtituit; vel cum quis ſufficitur in locum demortui ad certam functionem exercendam. Iuxta hæc B. Virgo poteſt dici *ſupplementum prophetia*, quia ei appoſuit quod deerat; nempe executionem prænunciationum & promiſſionum exhibitarum à Prophetis nomine Dei. Edidit enim Chriſtum, quem omnes illæ vaticinationes & pollicitationes ſpectabant. At Chriſto producto, veritas per eum facta eſt, vt ait Ioannes, & Prophetæ fideles ſunt inuenti. Vnde in Eccleſia non habet locum *eſt, & non*, ſed *eſt* duntaxat in ea per Chriſtum reperitur, iuxta Apoſtolum: quia omnia quæ prophetata fuerant, inuenta ſunt in Chriſto vera, In quam rem latè diſputatum eſt, agendo de Chriſto *Amen*.

Eſt verò præterea per Chriſtum B. Virgo ſupplementum clariſſimum Prophetiæ, quia in lege gratiæ ceſſarunt vmbræ propheticæ, & præ illis temporibus dicere nunc cum Apoſtolo poſſumus, *non præceſſit, dies autem appropinquauit*. Sicut ergo ſponſæ dictum eſt à ſacro Paranympho Pſalm. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt filij*, ita eidem ſponſæ S. Eccleſiæ, fas eſt gratulari, quod per Deiparam acceperit clariores veritatis annunciatores, qui Prophetarum ænigmaticè omnia proponentium, nec niſi promiſſa in longum tempus differenda intimantium, vicem ſupplerent. Vox Græca πλήρωμα plenitudinem ſeit potius quàm ſuppletionem.

Tabernaculum Dei non manufactum.

ADhibet hunc Virginis titulum S. Dionyſius Alexandrinus epiſt. contra Paulum Samoſatenum ad quæſtionem 5. nec non S. Germanus orat. de Natiuit Virg. vocant Deiparam, [Tabernaculum non manufactum, atque à Deo conditum, In quod ſemel in conſummatione ſeculi, ſolus Deus ac ſummus Pontifex introiuit, occulte in ſe rem faciens diuinam.] Alluſit ad illud Apoſtoli, *tabernaculum non manufactum, id eſt non huius creationis*. Et eodem fortaſſis reſpexit S. Dionyſius Alexandrinus, tametſi orditur ab Ezechiele, portam ſoli Principi clauſam referente c. 46. Hæc porrò eſt S. Dionyſij oratio, inter probandum, ſacerdotium Chriſti eſſe ſempiternum. [Ex quo voluit Rex pacis fieri Sacerdos pacis, nequaquam cernitur qui Sacerdotium eius ſuſceperit: nec in tabernaculum eius verum, alius introiuit, nec exiuit, niſi ſolus Dominus. Et ſignata eſt porta tabernaculi, integra, & incorrupta, & inuiolata: manu enim Dei clauſa eſt, & digito eius ſignata eſt. Neque manu hominis Sacerdos noſter electus eſt, neque tabernaculum eius ab hominibus fabricatum: ſed Spiritu ſancto firmatum eſt, & virtute altiſſimi protegitur illud ſemper laudatiſſimum Dei tabernaculum, Maria, Deipara & Virgo.]

Vides, S. Dionyſium, æquè ac S. Germanum vocare Deiparam tabernaculum non manufactum. Vbi quia *opus manuum*, iuxta phraſim Scripturæ, ſonat procreationem ex commercio coniugali, vt paſſim admonent Patres ad illud *lapis excisus de monte ſine manibus*; cauendum eſt ne exiſtimemus, S. Dionyſium & S. Germanum, eam Scripturæ phraſim adhibentes, præiuiſſe quibuſdam malè feriatis, negantibus Deiparam ex opere coniugali, more cœterorum Adami filiorum, eſſe procreatam: Quam inſulſitatem, in Diptychis expluſimus, abſuntque ab ea prædicti Patres quàm longiſſimè: ſed tantùm docere volunt, B. Virginem quatenus fuit Chriſti tabernaculum; id non habuiſſe humana opera. Quod eſt dicere, Beatam Virginem non eſſe effectam Chriſti matrem ex voluntate viri, ſed ſolius S. Spiritus operatione.

Terra habens omnia.

NOn omnia fert omnia tellus. Et idcirco quod cum varijs Patribus obſeruaui in Scalis à viſibili creatu, ad Deum gradu quinto, intermiſta eſt aqua terræ, ad commodam nauigationem & comportationem eorum quæ alicubi deficiebant, alibi abundabant. Verùm benedicta Deiparæ tellus omnia habet chariſmatum dona omniumque eſt ferax bonorum, & eo ſenſu rectè dici poſſet, *habens omnia*. Tamen S. Dionyſius Alexandrinus à quo hunc Virginis titulum habemus, aliò ſpectauit. vt intelligetur ex eius loco, quem tanquam Virgini perhonorificum profero. [Chriſtus (inquit), nunc in nouiſſimis diebus, propter nos venit, non in figura ignis, ſed conceptus in ventre Virginis Mariæ, ſuperueniente Spiritu ſancto in eam, & Matrem incorruptam à pedibus vſque ad caput benedictam ſeruauit: ſicut ipſe ſolus nouit modum conceptus & ortus ſui. Hæc eſt quam Iſaac præuidens, dicebat Iacob. *Det tibi Dominus benedictionem cœli deſuper, & benedictionem terræ habentis omnia*. Quid enim è cœlo deſcendit Vnigenitus Deus Verbum, geſtatum eſt in vtero, & genitum ex paradiſo virginali habente omnia. Hæc ſunt, Spiritus Sanctus qui ſuperuenit in eam, & virtus altiſſimi qui obumbrauit ei, & quod natum eſt ſanctum puer IESVS qui eſt Deus fortis & potens.] Aduerte illud, *hæc ſunt*, ſubtextum illis vocibus, *habente omnia*. Inde enim liquido conſtat, S. Dionyſium per ea *omnia* quæ ait à Virgine haberi, intellexiſſe perſonas omnes Sanctiſſimæ Trinitatis: quod aliter dixit Heſyc. B. Virginem habuiſſe complementum πλήρωμα

plenitu

plenitudinem, & vt ita dicam totalitatem Trinitatis. Tametſi enim ſolus Filius carnem ex Virgine ſuſcepit, tamen Pater quoque, & Spiritus Sanctus, & effectiuè per communem potentiam; & ſubſtantialiter per neceſſariam cum Filio connexionem, interuenerunt; fuitque etiam omnibus diuinis perſonis æquè communis benigna condeſcenſio, ad iuuandos & liberandos nos per Filij ſolius copulationem perſonalem cum luto noſtro. Habuit itaque Deipara Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; qui tres vnum & omnia ſunt, iuxta illud Parmenidis de Deo, *omnia ſunt vnum*. Non priùs excedo, quam exoſculer & ſuauiter melliti ſſima illa verba loci propoſiti, *matrem incorruptam à pedibus vſque ad caput benedictam ſeruanit*: quibus quantum video, exquiſitus B. Virginis à primo conceptus ſui momento nitor, vocalibus literis exhibetur.

Theſaurus diſpenſationis planè arcanus.

KΕιμήλιον ἀνάῤῥητον τῆς οἰκονομίας. Ita habent Græca S. Epiphanij verba, quæ clariùs expreſſiſſet Picus, retento *Oeconomiæ* vocabulo, quod Latio donatum eſt; æquè ac cemelium, quo propriè non quemuis theſaurum, ſed armarium cellamvè ſanctiorem, & in ea conditam pretioſam ſupellectilem aut monilia, ſignare ea vſu eſt. Vnde Cemeliarcha, qui huiuſmodi Reginarum gazæ aſſeruandæ præfectus. Igitur B. Virgo eſt cemelium omnino ineffabile, in quo Deus concluſit pretioſiſſimam gazam Oeconomiæ. Solent Græci, vocem *Oeconomia*, contraponere *Theologia*. Vnde ſicut apud eos, quæ ad Deum in ſeipſo pertinent, dicuntur ſpectare ad Theologiam; (quæ cauſa fuit cur Ioannes Apoſtolus, & Gregorius Nazianzenus, à præſtanti cognitione diuinitatis & Trinitatis, nomen *Theologorum* retulerint;) ita quæ ad Verbi Incarnationem ſpectant, dicuntur pertinere ad Oeconomiam; eo quod Chriſtus, in domo Dei, ad inſtar boni Oeconomi rem Dei domeſticam curarit, tanquam fidelis in tota domo Dei, vt dicitur Hebr. 3. Homines enim qui ſunt oues familiæ diuinæ, (vt cum Dauide loquar;) ſcelere Adami perditos recuperauit, & in priſtinam gloriam, etiam cum fœnore reſtituit, compenſatis & ſarcis diſpendiis per improuidam Adami adminiſtrationem inductis. Quia ergo Verbi Incarnatio & Oëconomia, intra B. Virginis vterum, ineffabili Spiritus ſancti artificio perfecta eſt; optimè B Virgo, *Cimelium*, vel *theſaurum ineffabilis diuinæ Oeconomiæ*, denominata eſt à S. Epiphanio

Thronus Cherubicus, cruciformis, & cæleſtis.

CVr Virgo dicatur thronus Cherubicus, non eſt obſcurum. Idem eſt ac ſi diceretur, Fœderis arca, ſuper quam erant Cherubin, inter quæ Deus ſedere tanquam in throno ſæpè dicitur in ſcripturis, vt iam dictum ſupra eſt v. *Propitiatorium*. Tota difficultas eſt de adiunctis illis, *Cruciformis, & cæleſtis*. Quanquam cur B. Virgo dicatur Thronus Cherubicus cœleſtis, ſatis facilè intelligitur, dictam, vt animus audientis eam vocari arcam fœderis, longè altius ſubuehatur; nec ſiſtat in illa arca terrena; ſed agnoſcat hanc eſſe arcam ſanctificationis, cuius decus vniuerſum de cœlo eſt, & cœlum ſpectat. Quòd verò dicatur *Thronus cruciformis*, minùs obuium eſt.

Incurrens in hunc S. Epiphanij locum vir planè doctus in cap. 8. Prouerb. num. 83. cenſet B. Virginem vocatam eſſe *cruciformem*, id eſt, in eadem cum Chriſto cruce confixam. Quò ſpectant quæ de crucifixione matris in eadem cruce cum filio, piè admodum diſputant Arnoldus Abbas in Deiparæ laudatione, & Golſel. ad illud Cant. 7. *ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ*, necnon D. Bernardus ſerm. in illud *ſignum magnum*, & apud eum antea lameot. Nam ſicut iuxta Origenem homil. 8. in Ioſue, eodem ligno quo Chriſtus confixus eſt, Satanas quoque eſt confixus; quo refert illud de ligno gemino, quo ſcriptura prodit ſuſpenſum eſſe Regem Hay, typum diaboli, vt Origenes præmiſerat. Ita (diuerſam licet ob cauſam;) B. Virgo in eodem quo Chriſtus ligno confixa eſt, præ amoris in filium magnitudine.

Nolo piæ huic interpretationi obſtrepere. Sed veram S. Epiphanij mentem diſcere poſſumus ex eius verbis, quæ ſunt huiuſmodi *Dico ſanctam Virginem eſſe cælum, thronum ſimul, & crucem. Extendens enim ſanctas vlnas, Dominum portauit Thronus Cherubicus, cruciformis, & cæleſtis.* Vides quorſum S. Epiphanius, arcam hanc Dei, vocet *cruciformem*. Et eſt ſanè mira quædam affinitas, & proportio inter ſanctiſſimam Dei genitricem, & crucem Domini. Nam ſi Chriſtus de matre Virgine natus eſt, poteſt etiam dici natus de cruce, aut in cruce; ex illa Eccleſiaſtica loquendi formula, quam Nyſſenus orat. de mortuis egregiè illuſtrat, quod qui moriuntur in gratia, dicantur naſci, & dies obitus vocetur *natalitius*. Quo etiam modo eum nominat Tertullianus libro de corona militis.

Verùm quia benè multas, & inſignes B. Mariæ & S. Crucis correſpondentias, expreſſit antiquus Autor Proſæ de B. Virgine ad crucem comparata, viſum eſt hic eam attexere, tanquam plenam exegeſim verborum illorum S. Epiphanij, quod B. V. dici poſſit *Crux, & Cruciformis*. Extat ea proſa apud Clyctoneum lib. 4. Elucid. Eccleſ. pag. 235. ſed quia codex non eſt ita vbiuis peruius, placuit eam proſam adſcribere. Iam in vlnis B. Virginis, Imò in ipſo eius vtero, Chriſtus præ noſcens Crucis anguſtias, eas approbabat, & ſe ex tunc, deſtinatione ac voto immolabat pro nobis, ſicut poſtea in cruce.

Lignum vitæ quærimus,
Qui vitam amiſimus,
Fructu ligni vetiti,
Nec inuentum nouerit,
Qui fructum non viderit
Adhærentem ſtipiti.
Fructus per quem viuitur,
Pendet ſicut creditur,
Virginis ad vbera:
Et ad crucem iterum,
Inter viros ſcelerum,
Paſſus quinque vulnera.
Hic Virgo puerpera,
Hic crux ſalutifera,
Ambo ligna myſtica:
Hæc hyſſopus humilis,
Illa cedrus nobilis,
Vtraque viuifica.
Poſitus in medio,
Quo me vertam neſcio:
In hoc dulci dubio,
Dulcis eſt collatio.
Hic complexus brachiis,

Modis

Medis vagis variis.
Hic extendit brachia,
Complexurus omnia.
Charum mater tenerè
Noui hic tenere;
Charitas sub latere,
Nescit hic latere,
Hic adhærens pectori
Pascitur ab vbere,
Hic affixus arbori,
Pascit nos ex vulnere.
Crux ministrat pabula,
Fructu nos reficiens:
Mater est preambula,
Fructum nobis nutriens;
Crux in loco pascua
Pascit nos precipuè;
Sed Virgo precipua
Pascit ipsa pascua.
Tandem ad hoc trahitur
Finalis sententia,
Quod nemo consequitur
Vnam sine alia.
Qui crucem elegerit,
Nec si matrem deserit:
Cum ad crucem venerit,
Matrem ibi poterit
Stantem inuenire.
Nec qui matrem eligit,
Crucem prorsus abigit;
Si modum intelligit,
Quo per matrem contigit:
Gladium transire
Ergo quis vtramlibet
Optat, illam adeat,
Ex quo nil prohibeat,
Quin vtraque gaudeat.
Fili matris vnice,
Matris Crucifixa,
Nos de cruce respice
Fili Crucifixe.
Fructus ô vinifice,
Fructus ligni vita,
Nos te ipso refice,
Nobis da frui te. Amen.

Tinctura purpura Verbi, quæ intelligentiâ percipitur, nec potest nominari.

DVplex huius tituli expositio proferri posse videtur. Prior quæ ipsammet Virginem dicat esse purpuram, tinctam excipiendo Verbo Dei carne vestito, & verè Porphyrogenito. Quod videntur ferre illa Sophronij (aut cuiusvis alterius) serm. de Assumpt. ad Paulam & Eostochium t 9. Hieronymi, cum agit de obumbratione Virginis per virtutem altissimi descripta à Petro Cellensi l. 6. epist. 93. [Ante hoc ipsum sanè vterus Virginis, quamuis mundus, quamuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quamuis sanctus; Tamen adhuc vilitate humanitatis indutus; vt ita dicam, ac si lana candidissima, suóque colore dealbata. Ad quam sanè cum accessisset Spiritus sanctus, quasi ipsa eadémque lana cum inficitur sanguine conchylij vel muricis, vertitur in purpuram; versa est & ipsa sine coitu in matrem; vt non sit iam à modò quod fuerat, sed purpura verissima, ad indumentum, & gloriam summi Regis aptissimè dedicata, vt nulli deinceps ea vti vsu fœmineo licuerit, nisi Deo. Quippe (vt ita loquar,) Beata & gloriosa Virgo Maria, eo modo quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis quæ sub cœlo sunt Virginibus, vt decenter posset in se suscipere diuinitatis admistionem salua vtraque natura; Tamen cum gratia repletur, cum Spiritu sancto perfunditur, cum virtute altissimi obumbratur; fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum, ita vt nullis iam vsibus sit ipsa eademque mancipanda, nisi diuinis] Nempè purpura quoque, soli Imperatori addicebatur, eámque ab alio vsurpari, capitale erat. Ad hunc igitur modum, B. Virgo dici potest *tinctura purpura*, id est, *purpura tincta*, excipiens in se Verbum Dei. Tincta autem est tot cœlestibus benedictionibus, vt intelligi vtcumque, explicari verò nulla ratione possint, vt habet titulus de quo agimus. Nec defuerunt Virgini pressuræ & rigidæ astrictiones quibus B Paulum priúsquam in Dei purpuram tingeretur astrictum esse, dixit Isidorus Pelus. lib. 5. epist 346.

Posterior eiusdem tituli expositio, accipit eam purpuram de humanitate Christi. Eam quippè, tanquam Verbi ad nos venientis, Regium atque adeò purpuricum vestimentum, exhibui plenè l. 2. de Christo sect. 5. cap. 3. quod est de Verbo vestito. Hanc (vt S. Chrysostom. hom. 3 in epist. ad Ephes. ex interprete loquitur,) *trabeam carnis*, suppeditauit Verbo Dei sanctissima Virgo. Nec enim ei qualemcunque carnem suppeditauit, sed ab ipso ortu, regiam Non ei purpureum hoc & Regale indumentum circumdederunt milites, eo facto insinuantes, sanguine suo partum esse mortali Regi tantum decus; vt ad eum qui tunc rerum potiebatur, dixit Theophilactus orat. de Cruce; sed natura sua, vt vnionis, à primo vitæ momento collatæ, Regiam maiestatem, nec qualemcunque, sed cuius, potestas cœlo æque ac terræ pateat, obtinuit Christus. Itaque mater à qua accepit esse, carnem quam ei contulit, purpura tinxit; siue sit obedientialiter cooperata ad vnionis hypostaticæ effectionem, quod multi non inuerisimiliter asserunt, quamuis Palac. in 3. dist. 4. disput. 2. id ridiculum pronunciet; siue non sit cooperata. Nam certum saltem est, eam coëffecisse vnionem physicam animæ ad corpus, huiusvè ad animam: quam coëffectionem, vt præuiæ naturæ vnionis hypostaticæ ambarum illarum essentialium partium ad Verbum, consequebatur Regia dignitas supernaturalis afficiens humanitatem in qua Verbum subsistebat, à Virgine tanquam à vera matre productam.

Videtur hanc purpuræ tinctæ comparationem accepisse in hoc sensu S. Germanus in Theoria rerum Eccles. cum de Stola; & Arnobius iunior in conflictu cum Serapione lib. 2. Tractans enim illud Apostoli 2. Cor. 5. *Etsi cognouimus Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus*, ait perinde id esse: [Quasi quis dicat, etsi cognouimus lanam, priusquàm admixtione conchylij fieret purpura, sed iam non nouimus lanam, sed purpuram qua inter homines omnes, nullus vti possit nisi Augusti fuerit præditus dignitate Impingitur hoc loco. Ergo vilis purpura fuit prius IESVS & Deitas superueniens fecit eum purpuram. Non ita dicimus, sed antequam Spiritus veniret super Mariam & virtus altissimi obumbraret eam, & hoc conciperet quod Sanctum vocaretur Filius Dei, ante hoc ipse vterus Mariæ quamuis mundus esset à peccato & sanctus tamen vilitate humanitatis erat

vt

vt lana optima & incomparabilis vniuersis quæ erant sub cœli Virginibus, eratque talis ac tanta quæ deceret & ipsa Deitatem Filij Dei, sicut lana conchylij sanguinem susceperit; & ipsa lana esse cessaret lana, sed vera purpura per sanguinem fieret memoratum. Non enim lana *qualibet*, sed pretiosa, est huius sanguinis capax. Quod si sanguis hic, lanam tanta maiestate sublimat per suam admixtionem, vt nulli hac liceat vti nisi ei qui Regia fuerit præditus dignitate, quanto magis quando Spiritus Sanctus venit in Mariam, & virtus altissimi obumbrauit eam, hoc quod natum est ex ea de semine Dauid secundùm carnem, secum fecit filium Dei, vt sic esset Maria Θεοτόκος sicut Χριστοτόκος?] Hactenus Arnobius, qui mox cum obiiceretur, inde periclitari impassibilitatem Verbi, respondet. [Memor esse debes, exempli lanæ & sanguinis conchylij. Cum ergo facta fuerit hæc lana, per admistionem sanguinis purpura; cum netur, aut filatur, aut torquetur, lana vtique recepit maiestatem. Numquid nam quæ torquetur, à purpureo colore deseritur?] Hæc omnia ferunt, Arnobium purpuræ exemplum accepisse secundo modo proposito, siue de Christi humanitate assumpta per Verbum: quæ quia per B. Virginem suppeditata est, rectè sanctissima Deipara, hoc item modo, respectu Christi fuit vera purpura. Nec omittendum est, quod cruentam eiusdem sanctissimæ humanitatis immolationem Deo placitam agnoscens, annuerit ea animo, deuoueritque longè dilectissimæ sobolis sanguinem, Deo ipsa, suis illam manibus si Dei voluntas ferret, cruentatura & crucifixura, vt dixit S. Anselmus.

Tomus purissimus ac animatus Dei Verbi, in quo sine voce & scriptura, ipse inscriptus Deus, & Verbum, per diem legitur.

NOn est in hoc Virginis titulo difficile, quomodò dicatur *Tomus purissimus & animatus*. Alluditur enim ad structum nouæ chartæ magnæ, in quo scriptum est stylo hominis, vt habetur Isaiæ 8. quem locum de B. V. & scripto in ea per Incarnationem Dei Verbo præclarè explicat S. Epiphanius hæresi 30. quæ est Ebionæorum, adductus in Tractatione de Christo, cum de Verbo scripto lib. 2. sect. 5. cap. 3. Sed neque difficile est in proposito B. V. titulo, quomodò Verbum diuinum, in hoc libro verè viuo, siue sacro Deiparæ vtero, (vt disertè habet S. Epiphan. inscriptum sit sine voce & scriptura, id est absque ordinariis, & consuetis characteribus, hominis opera in ea charta efformatis. Scriptio enim, & voces siue characteres literarum scripti in charta, significant eo loco, carnale coniugum commercium, vt D. Epiphanius supra admonet, & perpulchrè Damasc. Orat. 1. de Natiu. B. V. ad Greg. Neocæsar. Orat. 3. de Annunc. exponentes librum datum nescienti literas de B. V. tradita Iosepho Virgini, in coniugem quidem, sed citra omnem illibati pudoris violationem & labem. Itaque quoad prædicta, titulus propositus recidit in illum quem ex Andr. Cretensi Orat. de Assumpt. his verbis retuli in syllabo. *Liber verè viuus Verbi paterni, tacitè inscriptus viuifico calamo spiritus.* Aut cum illo alio titulo decurrit, quem ibidem protuli ex Damasc. Orat. 2. de Assump. *liber nouus in quo inenarrabili modo Deus Verbum, citra omnem manus operam inscriptus est.* Hæc videri possunt enodia, vel non admodum impedita.

Sed quid illud, *per diem legitur?* An sensus est, Verbum incarnatum non agnosci in tenebris, sed solis filiis lucis innotescere? Planè enim Dei Verbi in Virgine corporatio, non est perspecta à filiis tenebrarum, sed mundicordes in quibus diuina lux copiosè exciperetur, eam scripturam soli legerunt. Quò pertinet sapiens monitum Anastasij Sinaitæ c. 1. ὁδηγοῦ de vita honesta ei ante omnia studiosè captanda, qui mysterium Incarnati Dei intelligere propositum habeat. Dissero in eam rem plenè lib. 2. de Christo sect. 1. cap. 3. cautione 2. An S. Germanus, docens Verbum Deiparæ inscriptum non nisi per diem legi, spectauit genus illud scriptionis quod vocant inuisibile, de quo multa Baptista à Porta l. 1. c. vltimo, & Hermannus Hugo l. de scriptura & literis c. 16. Sunt enim quædam scriptiones, quæ nocte tantùm legi possunt: eæ videlicet quæ exaratæ sunt aqua salicis putrefactæ, aut aqua distillatitia nitedularum. Sunt literæ quæ aceto, vrina, lacte adipe, sepo, pinguedine, gummi, & quod Plinius habet l. 26. c. 8. lacte herbæ tithymalli exaratæ, aspectum fugiunt, donec puluere aspergantur. Quæ verò scripturæ succo mali citrij, ceparum, cerasorum, cyclamini, aut sale ammoniaco adhibito sunt confectæ, non nisi admoto igne leguntur. Quæ scripta sunt, gummi, sale, & calce, tunc demum incurrunt in oculos, cum papyrus cui scriptura commissa est, igne crematur. Scripta alumine aut calcantho, mersa in aquam aut vinum certo modo paratum, fiunt visibilia. Sunt quæ legi non possunt, nisi affusa hydrargiri aqua, quædam non nisi interposito syderum aut candelæ lumine. Ad hunc modum variis sunt in rebus humanis effugientia conspectum, donec affulgeat lux, certis humanis conditionibus & adiunctis attemperata visui conspicientis. Qui enim terrenus est affectu, & terrena loquitur, quantumlibet lumen super nos signatum admoueat, nihil videbit nisi obiectum puluere respergatur. Qui lusciosus est præ vligine plurima cupiditatum, diurni luminis ac solaris splendoris vbertatem non fert, sed spiculum lumen illucentium noctu syderum aut candelæ deposcit, vt videat. Non erit difficile, analogiam in reliquis inuisibilis, scripturæ modis, cum moralibus conspicuæ rerum intelligentiæ impedimentis tenere. Scriptura verò Verbi Dei in libro Deiparæ, eiusmodi est, vt de die tantum & ad Solem legi possit; id est affulgente pleno Christi lumine, ita vt dies diei eructet Verbum.

Triclinium nobile Trinitatis. & Triclinium diuini consilij.

PRiorem Virginis denominationem habemus ab Adamo de S. Victore in prosa de die Assumptionis Deiparæ, cuius initium est *Aue Mater Saluatoris*, vbi præter alia sic habet.

Salue mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile Triclinium.

Aitque Thomas Cantipratanus l. 2. Apum c. 29. n. 7. cum dictanda ea Prosa Adamus, tres hos versiculos edidisset, apparuisse ei Deiparam, & inclinatam gratias pro honore exhibito egisse. Quorsum autem Deipara dicta sit *S. Trinitatis triclinium*, obscurum non est conicere. Iodocus Clychtouæus l. 4. elucidatorij Eccles. in huius prosæ glossa, fusè hunc titulum excutit. Dicendum verò breuiter est, cum triclinia olim dicerentur cœnationes in quibus tres lecti erant dispositi, vt videre est apud Vrsinum ac Ciaconium de Triclinio iustis Opusculis differentes meritò nomen *Triclinij Trinitatis* aptatum

esse

esse Deiparæ, quæ totam Trinitatem ad se venientem & mansionem in ea facientem excepit; quia Deum affectu maximo dilexit, cui affectui ea S. Trinitatis mansio à Christo est repromissa, cum dixit; *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Vbi non excluditur Spiritus Sanctus, tametsi non exprimitur distinctè, ob causas quas ibi Maldonatus versu 23. proponit; In Deiparam ergo tanto Dei æstu flagrantem, mansionem fecere Pater; Filius: & Spiritus Sanctus, ac in illa velut in lectulo quietem alibi in omnibus mortalibus aliquando negatam, suauissimè ceperunt. Ibidem tota Trinitas epulata est iucundissimè, iuxta illud quod Apocal. 3. dicitur de ingressu Dei ad animam aperientem ostium, & cœnatione cum illa. Nullibi apud creaturas puras suauiùs requieuit, aut epulata est S. Trinitas, ac proinde meritò Deipara, *nobile Triclinium Trinitatis* est dicta. Iactata sunt inter profanos triclinia insignia. Nam siue triclinium lectum tricliniarem denotet, siue cœnationem aut basilicam quæ reclamante licet Seruio ad illud primi Æneid. *aurea composuit sponda*, est plerumque triclinij notio, vt ex Tullio Vitruuio & Suetonio monstrat Ciaconius initio libri de Triclinio; & vtramque triclinij notionem astruens Fulu. Vrsinus in append. magnus omnino ea in parte fuit olim luxus. Suetonius sanè de aurea Neronis domo agens, cœnationes describit tabulis eburneis versatilibus laqueatas, vt flores fistulatim & vnguenta desuper spargerentur, quarum præcipua rotunda, perpetuo vice mundi circumagebatur. Meminit earundem cœnationum cum versatilibus laquearibus Seneca epist. 91. De tricliniis in altera proposita notione argento opertis, ac etiam ex solido argento fabricatis, ac etiam ex auro, videndus Plinius lib. 33 cap. 11. & lib. 37. cap. 2. ac Lampridius in Heliogabalo, ac præter Ciaconim. & Vrsinum allegatos, Interpretes Martialis cum de Mica Domitiani, & ad illud libri noni, *Et crepet in nostris aurea lamna thoris.* Omnis hæc pompa præ triclinij Mariani nobilitate, ac pretiositate ignobilitas meràque pauperies fuit.

Affinis proximè proposito Deiparæ titulo, est alius quo denominata est à Ruperto l. 3. de diu. offic. cap. 11. vbi sic habet. [Exemplo Angeli salutamus illud templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, thalamum sanctitatis, triclinium diuini consilij, in quo vt dictum est, diuinitas veniens ad nostram salutem, nostra carne calceata est.] Tametsi nullo Codice qui ad manum sit astipulante ausim coniectare, legendum esse *concilij* non *consilij* per C non per S. vt sicut *Concilium* (quod supra monui,) in veteri vsu signabat locum sanctuarij excipientis sancta quæque, ita B. Virgo in quam tota Trinitas conuenit operatura Incarnationem, dicta sit Triclinium diuini concilij id est S. Trinitatis inibi peculiari modo existentis. Nam vt Hesychius dixit, Pater qui est virtus altissimi obumbrauit Deiparæ, & Spiritus Sanctus in eam superuenit, & sanctum Dei Verbum in ea est conceptum. Quam ob causam idem Autor, conferens Deiparam cum arca Noë mundum seruante incolumem, tristega arcæ Noëticæ, huic conuentui S. Trinitatis in Deiparam à Gabriele annunciante expresso, verbis à S. Luca prolatis, respondere dixit. Vt ergo adhiberetur vox quadrans cum personarum triade, specialiter in Deiparam conueniente ad mysterium Incarnationis efficiendum, meritò Deipara dicta est *concilij diuini triclinium*. Sicque expositum illud elogium recidit in illa alia à Ruperto assignata, *Templum Dei, thalamus sanctuarij*. Quanquam si retinere placeat lectionem in omnibus Codicibus prostantem, non erit difficile exponere, quomodò Deipara dicatur *diuini consilij Triclinium*, quandoquidem in ea quieuit Christus *Magni* id est diuini *consilij Angelus*. Et omnia Dei consilia ad illud præcellentissimum opus, quod in Beata Virgine Verbi diuini corporatione perfectum est, collimarunt.

Vapor.

HEster 10. fons paruus creuit in fluuium, & in lucem solémque conuersus, in aquas plurimas redundauit; Qui ibi dicitur *fons paruus*, spectata phrasi Hebræa, sonat vaporem. Nam Genes. 2. dicitur, fontem ascendisse de terra, irrigantem vniuersæ terræ superficiem; vbi Hebraicè habetur vox *Ed*, quæ significat vaporem qui fit rudimentum nubeculæ. Sed is vapor creuit in fluuium, & redundauit in aquas plurimas. Quo emblemate Spiritus Sanctus, nonmodò primam Estheris humilitatem adeò sublimè diuiniùs euectam adumbrauit, sed etiam similem subuectionem Deiparæ, in qua fecit magna qui potens est, attenta humilitate ancillæ suæ; quam vaporis nomine idcircò voluit expressam S. Germanus. Et hæc est nebecula illa parua ascēdens de mari quasi vestigium hominis 3. Reg. 18. Vbi *vestigium hominis*, sonat imitationem humilis Christi. Vestigium quippè imitationem sonare: docet illud dictum Sapientis Ecclesiastici 21. *qui odit correptiones, vestigium est peccatoris*, idest Satanam imitatur ac exprimit, sicut vestigium effingit ac exprimit pedem. Vestigium itaque hominis, vt attingit Angelomus 3. Reg. 18., est imitatio exacta Christi humilis. Christum enim absolutè nomine *hominis*, non secus ac olim victorem in stadio; dici, scripturæ vsu est. Deipara itaque humilitatem Christi, perfectè (quantum purè humanæ personæ fas est) imitata, hominis vestigium dicitur: quia vt Eucherius ad caput illud 18. rectè admonet, vestigium cum sit ab imo corporis membro, congruè humilitatem & abiectionem insinuat. Quanquam Ioannes Hierosolim. l. de instit. Monac. c. 31. vestigium maluit ad castitatem referre, quod terræ conculcatione efformetur. Hominem autem; cuius castitatem imitatione à Deipara expressam esse censet, statuit filiam, cuius generositas & virilis animus ob quem *homo* audire iure potuerit, neminem latet. Vt vt sit, B. Virgo est ea nubecula parua vt vestigium hominis, seu vapor subuectus è mari, & eo ipso cautus amaritudine ac grauitate quas ei adustæ exhalationes terrestres conciliabant in mari. Aqua enim marina præ illis halitibus terreis commistis, grauis est & subuectione prohibetur, nisi attenuata in vaporem omnibus excrementitijs halitibus liberata dulcescat. Vnde sicut aqua marina, accommodatior est quàm dulcis ad ferenda onera ingentia, & sustinendos natantes ita præ crassitie degrauante, ineptior est ad lauandum & detergendum, quàm aqua dulcis, vt philosophatur Aristoteles sect. 23. probl. & Theon apud Plutarchum l. 1. sympos. q. 9. Igitur Deipara, vt è suit vapor dulcis, subuectus è mari amaro, & terrestribus grauantibúsque affectibus depresso, præ tenuitate & puritate altipetens, & dignus in quo Dei sapientia thronum suum statueret illud Ecclesiastici 24. quod de Deipara accipit

cipit Hugo Cardinalis ibi, & Isaiæ 66. *Ego sapientia in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis.* Nec non iuxta illud Isaiæ 19. quod Origenes hom. 3. in diuers. de Deipara accipit; *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* Aut vt Origenes legit, *sedet in nube pusilla*: Hoc est, inquit Origenes, [carnalem animam non habente, nec aliquam peccati grauitatem. Nubes enim in aëra eleuatur, atque leuitate sua in altum dirigitur, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.] In nitor, eáque puritas, & leuitas, aptè insinuatur *vaporis* nomine, tenuitatem syceritatémque admistione extrinseca liberam præferente. Vt propterea Sap. 7. diuina sapientia dicatur vapor virtutis Dei, *& emanatio quædam claritatis Dei syncera, in quam nihil inquinatum incurrit.* Ad quem locum, de *vaporis* nomine pluscula creditur Augostinus l. 1. de Incar. c. 13. Cæterùm B. Virgo, quæ principio non nisi modicus vapor, nec nisi parua nubecula fuit, pluit denique iustum, & inebrians terram redundans in aquas plurimas: ad quæ munera non satis apta fuisset, si amaritudinem & terrestreitatem in seipsa, per tempus modicum, ac vel si per momentum conceptionis fuisset experta: etiam si aliter sentit de fonte hoc paruo è mari extracto differens homo cæteroqui Deiparæ studiosissimus, Richardus à S. Laurentio l. 9. de Deipara, *sub initium.*

Via Dei ad nos, & nostra ad Deum.

VTrumque hunc Deiparæ titulum, apud varios Patres legimus. Et quanquam vtriusque intelligentia est satis aperta, tamen iuuat eos seorsim stringere.

Dicitur Deipara, *via Dei ad nos*, quia Deus humanitatem nostram in ea & ex ea suscepit. S. Augustinus Orat. de quinque hæres. c. 5. & ex eo Beda in c. 1. Epistolæ ad Rom. B. Virginem *viam mundatam, & ornatam diuino ad nos itineri*, nominauerunt; Scitè item Adam à Persenna s. 1. de partu Virginis, cum illud exponeret, *Ecce venit*, & illud, *veni Domine & noli tardare*, multa præfatus, vnde, & ad quos, ac qualis, venerit Deus, subdit. [Iam qua via venerit, videamus. Eius via, Virgo Maria fuit. Per mentem & vterum Virginis, compleuit suæ itinera æternitatis. Ibi misericordia & veritas obuiauerunt sibi, quæ est vniuersæ viæ Domini, vniuersæ quippè viæ Domini, misericordia & veritas. Apud Virginem etiam, iustitia & pax osculatæ sunt quæ Regem Iustitiæ, & autorem pacis, ad negotium humanæ salutis adducunt. Hæc dicuntur itinera æternitatis, quia salus nostra nobis venit ex eis, & æternitas inuenitur in singulis.] Alio tamen sensu Deipara dicitur *via Domini*, alio misericordia & veritas. Nam vniuersæ viæ Domini, dicuntur misericordia & veritas, quia mos diuinus est, binas illas perfectiones in suis quibusuis operibus adnoscere, nec vllum est diuinum opus in quo singulariter non micet, iustitia siue veritas, & misericordia Dei. At B Virgo dicitur *via Dei*, quia in ea & ex eius substantia, humanitas Christi compacta est, & Deus per maternam eius efficientiam factus homo, ad nos venit, quod est Virginem fuisse veluti iter, seu viam aduentus Christi ad nos: non per localem descensum è cœlis, sed per substantialem cum humanitate nostra nexum in Virgine peractum.

Binas illas viæ Domini notiones, illustrare possumus, solemni loco ex Prouerb. 30. vbi Salomon, quartum, quod se penitus ignorare profitetur, statuit, *viam viri in adolescentia*; aut vt alia lectio habet; viam *viri in adolescentula*. Via viri in adolescentia, est modus agendi adolescentum. Lubricæ enim ac perplexæ sunt viæ iuuentutis, ait Sanctus Ambrosius hunc ipsum Prouerbiorum locum pertractans, in Valentiniani Monodia, & in Psal. 38. Additque l. 1. de Interpellat. Iob ad illud capitis 13. *consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*; [Adolescentia sola, est inualida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis.] Itaque perdifficile est, viam hominis in eo ætatis lubrico, rectè perspicere. Via hæc correspondet viis Domini quæ sunt misericordia & veritas. At *Via in adolescentula*, (prout habet alia lectio consentanea Hebræo textui, & expressa à Symmacho, passimque probata Hebraizantibus, (Lyrano, Pagnino, Clario, Caietano, & Paraphrasti Chaldæo,) designat aduentũ Christi, viri, (iuxta illud, *Ecce vir, Oriens nomen eius,*) ad nos venientis è cœlo interuentu Virginis immaculatæ, tanquam viæ ornatissimæ. Pulchrè sanè Anastasius Nicænus q. 43. in scrip. & Lyranus in c. 30. Prouerb. fuséque Blasius Viegas in c. 12. Apocal. comment. 3. s. XI. Cardinalis quatuor Christi mysteria, à Salomone insinuata eo loco putant. Nimirùm Ascensionem per *viam aquilæ in cœlo*; per viam *Colubri in petra*, resurrectionem, per viam *nauis in medio mari*, vitam inter homines; ac denique per viam *viri in adolescentula*; siue Virgine intacta, natiuitatem, & primam, & secundam ex Virgine, significatam tradiderant. Qua ratione, in adolescentula siue intacta Virgine, (id enim sonat vox *halma*, vt benè expendit S. Hieronymus Isaiæ 7.) via Dei ad nos signatur. Hæcque est via illa, Interprete S. Bernardino serm. 1. de nomine Mariæ, de qua quærebat Iob c. 38. *per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram*? [Lux enim æterna super tenebrosum mundum, per ipsam est sparsa, id est manifestata. Et *Æstus*, id est ardor charitatis Spiritus sancti per eam, partitus est super terram; vt non sit iam qui se abscondat à calore eius.] Ex his patet, quomodò B Virgo dicta sit *via Dei ad nos*.

Quia verò iuxta vetus Adagium, Aristoteli quoque vsurpatum, eadem est via Athenis Thebas, & Thebis Athenas, meritò addebamus, B. Virginem, vt Dei ad nos, ita nostri ad Deum viam esse. Ipsa enim est à qua habuimus Christum viam; atque adeo mediatè & causaliter B.V. nostra item via est, qua in cœlum regredi, & pertingere ad æternum quietis terminum conceditur; quæ est genuina ratio, cur Christus formaliter & immediatè denominetur, *via nostra*. Deinde ipsa Virgo est, à qua habemus omne genus subsidiorum quibus ad æterni boni adeptionem pertingere liceat. Nam & piè interpellata, exorat nobis huiusmodi cœlestes suppetias; & plerumque citra omnem interpellationem nostram, pro bona voluntate sua easdem subministrat impetrando. Hac de causa plerique veterum, Deiparam appellant *Scalam ad cœlum*, adumbratam in scala Iacob, vt optimè præter cæteros tradit Damascenus orat. 1. de Assumpt. ac orat. 1. de Natiu. qui scitè B. Virginem nominat *scalam viuam*; quia hæc via non modò est viuens, id est herbida, & omni nitore amœna, (quo pacto viam viuentem memorauit Apostolus) sed etiam mirabili ratione, viatores per eam scandentes iuuat, & collato ad scandendum vigore vegetat.

Virgo

Virgo acquisitionis.

VOcat Sanctus Germanus, Deiparam, *Virginem acquisitionis*, παρθένον θηράζουσαν Erit qui existimet, eodem sensu S. Germanum vocasse B. Mariam *Virginem acquisitionis* quo S. Petrus primæ epistolæ cap. 2 vocat Christianos *populum acquisitionis*, hoc est redemptum & assertum in libertatem. Quo eodem sensu, & eadem Græca voce adhibita, Paulus Ephes. cap. 1 vocat Spiritum Sanctum *pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis*; siue pignus hæreditatis iis obuenientis qui redempti sunt & asserti in libertatem à Christo. Non quadrat tamen hæc notio titulo prædicto, prout à S. Germano proponitur. Nam apud Petrũ & Paulum, *acquisitio* Græcè est περιποίησις quæ vox propriè assertionem in libertatem & vindicias sonat: quod non habet vox θηράζουσα qua vtitur S. Germanus. Verissimum quidem est, Beatam Virginem esse redemptam, quia licet nunquam de facto fuerit captiua, tamen certo fuisset captiuanda, nisi singulari Dei beneficio fuisset subducta communi exitio; quæ est anticipata redemptio continens luculentius beneficium, quàm sit redemptio per vindicationem post incursum captiuitatis. Atque ita philosophantur de redemptione Deiparæ per Christum, quotquot eius conceptionem puram, & nitentem asserunt. Hoc quamuis est verissimum, tamen vis verbi à S. Germano adhibiti, fert longè aliud.

Eadem ex causa*, non quadrat S. Germano, quod alij *populum acquisitionis*, perinde sonare dicunt, atque *populum selectum & dilectum*, vel qui sit *quasi peculium Dei, & thesaurus eius pretiosus*; Ita Cornelius 1. Pet. 2. Vox enim Hebræa respondens Græcè voci, qua vsos vidimus Apostolos, nempè περιποίησις, est *segulla*. Quæ pretiosum quid, & selectum inter ea quæ possidentur sonat. Quo recidere videtur Oecumenius, qui *populum acquisitionis* interpretatur *populum hæreditatis & possessionis*, siue *populum quem Deus possideat, & pro hæreditate habeat*. Hac ratione B. Virgo, diceretur quidem Virgo acquisitionis, tanquam possessa à Deo in principio viarum suarum: ac Dei, non modò, κτίσμα, siue *factura*, sed etiam, κτῆμα, hoc est *possessio* iuxta vocum illarum distinctionem ab Oecumenio assignatam ad allegatum Petri locum. Tamen ea notio *Virginis acquisitionis*, multò minus quadrat S. Germano, quàm prima cui non adhæsimus, vt perspicuum erit perpendenti vim verbi.

Æquè repudio tertiam eiusdem tituli expositionem, quam suppeditare potest vsus emendi vxores, de quo Pineda lib. 5. de Salom. c. 2. num. 5. Tiraq. ad l. 4. connubialem & Brissonius Tractatu de ritu nuptiarum, multa ex profanis adducentes. Esséque eum vsum in Scripturis sacris frequentem; latè monstrant, Sanctius & alij Osëe 2 ac 3. Itaque sensus esse videtur, Beatam Mariam esse Virginem acquisitionis, coëmpta est à Verbo Dei & à Spiritu Sancto, in sponsam & coniugem immaculatam. Verùm neque hæc notio tituli propositi, quadrat illi verbo S. Germani, θηράζουσα quod omnia alia sonat, nempè *prædam*, vel *venationem*.

Germanus ergo S. Germani sensus esse videtur, B Virginem fuisse prædam à Deo venatore captatam & captam, suique iuris factam per venationẽ. Quæ metaphora non est noua in captatione animarum efferatarum, quæ per syluas, & auia liberè aberrabant à Deo. Sic enim sæpè in Scripturis, Deus, & qui incumbunt in conquisitionem animarum, & reuocationem ab errore, conferuntur venatoribus. In Deipara autem quæ à Deo nunquam aberrauit, nec se habuit vt fera cui apprehendendæ labor venationis necessarius fuerit, aliter ineunda est aptatio metaphoræ venationis ac prædæ: nimirùm ita vt significetur, quàm accepta & grata sit Deo B. Virgo. Præda enim quam quis venatione apprehendit, est illi gratior esca, quàm si aliunde obuenisset, quia labor in ea captanda impensus, fruitionem veluti condit, atque saporat. Quæ S. Ambrosius l. 1. de Cain, & Abel cap. 1. disputat de hominis acquisitione per Deum, non quadrant vlli ex propositis huius tituli expositionibus. Itaque aliò pertinent.

Virgo noua, Virgo secunda.

PRimum & veterem Adamum, eique oppositum, ac cladium ab illo mortalibus illatarum instauratorem, nouum & secundum Adamum, omnes ex Apostolo habent compertissimum. Sicut ergo Christus, ob eam cum primo & vetere Adamo oppositionem, dictus est *secundus & nouus Adam*; ita B. Virgo dicitur *Virgo noua, & Virgo secunda*, quia proportionali modo antistropha est primæ & veteri Virgini. Adhuc enim Virgo erat Eua, cum maritum implanauit, & posteros omnes præcipitauit in exitium. Nihil apud Patres decantatius, ea Beatæ Virginis dissimili forma comparatione cum Eua. Videndi præter cæteros Iustinus in Colloquio cum Tryphon. Epiphan. hæresi septuagesima-octaua, Hesych. orat. 1. *initio*. Anastasius Sinaita l. 4. Hexaëm. Cæsarius Dial. 3. Aug. lib. 3. de symbol. ad Catech. c. 4. & serm. 15. de temp. Fulgent. serm. de laud. B. Mariæ ex partu Saluatoris: Bern. ser. 10 illud *signum magnum, sub initium*, & serm. de aquæductu.

Locus Tertulliani ex lib. de carne Christi c. 17. pro optimo commentario titulorum Virginis propositorum, esse potest. Egerat ibi Tertullianus de noua Christi natiuitate, eámque nouitatem de veteri figuratam esse præmiserat; nouo Adamo de Matre Virgine procreato, sicut antiquus de Virgine adhuc terra nondum opere compressa, nondum sementi subacta, formatus fuerat. Subdit verò. [Ratio defendit, quod Deus imaginem & similitudinem suam à Diabolo captam, æmula operatione recuperauit. In Virginem enim adhuc Euam, irrepserat Verbum ædificatoriũ mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum, extructorium vitæ, vt quod per huiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc concepit in vtero, ex Diaboli verbo. Imo concepit. Nam exinde vt abiecta pareret, & in doloribus pareret, verbum Diaboli semen illi fuit; enixa est denique diabolum fratricidam. Contra Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israël, interemptorem suum saluum quandoque præstaret. In uuluam ergo Deus Verbum suum detulit; bonum fratrem, vt memoriam mali fratris eraderet. Inde prodeundum fuit

Christo ad salutem hominis, quo homo iam damnatus intrauerat,] nempè Eua Virgine prima post peccatum concipiente in vtero infelicem sobolem, damnatam ante quàm natam.

Virgo Virginum

VIde v. *Mater matrum*, & Diuum Antoninum 4 part. titul. decimo-quinto, capite vigesimo primo, paragrapho decimo, vbi Beatam Virginem hac ex parte Christo præfert, quod prima fuerit quæ aliis ad virginitatis studium præiuit. Est qui ad hunc articulum Litaniarum Deiparæ, *Sancta Virgo Virginum*, indidem petat rationem, cur Beata Virgo ea denominatione honestetur, & idem habet Petrus Ribad. in floribus SS. ad 21. Nouembris. Nam quod beata Virgo, prima emiserit votum virginitatis; doctrina est plurimorum Patrum; vt dixi circa illum titulum, *æmulatrix prima virginitatis*. Quod autem (abstinendo à comparatione cum aliis quoad tempus) beata Virgo emiserit votum virginitatis non licet Catholico homini ambigere, ob vnanimem ea in re consensum Patrum: cui mirum est ausum esse ipsis diebus obstrepere quendam filium cuiusdam, iis notis ad caput quartum, libri de S. Virginitate Diui Augustini, quas aliis insuper benè multis aduersus sanam doctrinam stribiliginibus infersit. Sed non est opus calamũ publica censura quassatum conterere. Itaque emissum esse à B. Virgine votum virginitatis, ratum esto, de quo plenè in Diptychis. Quod tamen Deipara, prima per ipsam huius voti emissione, dicta sit *Virgo Virginum*, non placet; nam neque dicta est *mater matrum*, eo quod prima pepererit filium: sed à præcellentissima maternitate. Similiter ergo denominatio *Virginis Virginum*, ad vndecunque perfectam eius virginitatem, est referenda, vt nos retulimus.

Virgula radicis Gemmula floris.

SIc Deiparam denominat Aldelmus l. de laud. Virginit. c. 21. Et prior quidem titulus, non vacat aliqua difficultate quia ambigi potest quæ sit illa radix cuius Beata Virgo dicitur esse virgula, videoque alterutro è duobus modis id posse accipi.

Prior est admodùm gennuinus ac per se fluens; nempè quod radix illa cuius virgula est Deipara, sit Iesse, vt Dauid vt fiat allusio ad illud Isaiæ 11. *Egredietur Virga de radice Iesse*, quod de B. Virgine ex stirpe Dauid prognata est accipiendum cum S. Hieronymo ibi, ac Tertulliano l. de carne Christi c. 21. Damasceno orat. 1. & 2. de aduen. & serm 2. de Annunc. Ruperto l. 2. in Isaiam c. 6. & l. 2. in Matth. ac communius idem habeat. Patres reliqui; tametsi pauci aliqui de Christo & virgam & florem ab Isaia propositam sint interpretati, vt Cyrillus ad eum locum, præiueratque Origenes ho. 9. in Num. & idem insinuat Clemens Alex. 1. pædag. c. 7. Non est tamen dubium, quin alia interpretatio meliùs cum reliquo capitis contextu cohæreat, sitque commodior. Nam si flos de virga oritur, virga autem aliunde, hoc est ex radice Iesse; quomodò possunt vnum & idem esse virga & flos? Num eidem rei secundùm idem spectatæ, varia sunt attribuenda ortus principia? Vocat itaque Isaias Deiparam. Virgam è qua flos Christus existit vt habet vulgatus versiculus apud Richardum Victorianum Opusc. de comparatione Christi ad florem & virgæ ad Mariam.

Virgo Dei Genitrix virga est, flos filius eius.

Huius virgæ radix, per comparationem ad quam Deipara dicatur virga inde exoriens vel Dauid vel Iesse statui potest. Nam Dauidi facta est de Christo ex stirpe eius deriuando Promissio, & Iessem Isaias pro radice eius statuit, sapientissimo Spiritus Sancti consilio, vt Rupertus obseruauit libro secundo in Isaiam, capite septimo vt scilicet doceremur stirpis nobilitatem despicere. Quod enim Dauid Rex fuerit, Iesse autem siue Isai vir plebeius & humilis conditionis, maluit Spiritus Sanctus à Propheta non in Christi regnum vt Ioannes in Apocalypsi, sed in eius ortum secundùm carnem intento, proferri pro, Christo radice patrem Dauidis Iesse obscurum hominem, tacito Dauide, quem Regia maiestas extulit ad ordinem magnorum qui sunt in terra. Sicut accipiendo *radicem*, nulla est difficultas ad intelligendum cur beata Maria dicta sit *virgula radicis*: Est enim verè filia Dauidis ac Iesse patris Dauidis.

Potest secundo loco B. Virgo, dici virga radicis, hoc est ipsius Christi, qui Apocal. quinto, dicitur *radix Dauid*, eodemque modo dici posset *radix Iesse*. Nihil enim obstat, quamuis Christus qui provt Deus est radix Iesse ac Dauidis, quoad esse naturale; & provt Deus homo, est radix gratiarum omnium quibus iidem & omnes fideles sunt ex ornati; habeat pro radice sua quoad humanitatem, Iesse atque Dauidem, vt benè distinxerunt Sanctus Bernardus sermone primo, de Pascha. atque Rupertus in capite quinto, & vigesimo-secundo, Apocal. Est ergo Christus, & ex radice, & radix penes varias considerationes. Vnde censeri potest Deipara dicta ab Aldelmo *virgula radicis*, id est virga ex qua Christus prodiit. Sanè similiter Christus Dominus Isaiæ 53. vocatur *radix ascendens de terra sitienti*, idest vt interpretatur Eusebius l. 3. de dem. c. 2. & annuit 6. Synodus actione 8. *sub finem*, de terra Virgine, nullo rigata virili opere. De Christo supernaturali radice nostra, Adamicæ corruptæ opposita, luculenter S. Cyrillus libro quinto, pentabili, *pag. mihi* 93.

Vtrouis modo sumatur radix manet Deiparæ suus ille titulus *virga radicis*, nisi quoad secundùm priorem notionem *radicis*, Christus mediatè tantum insinuatur per ipsam scilicet Virgam Deiparam, à Iesse & Dauide deriuatam. In secunda autem *radicis* notione, immediatè & formaliter exprimitur Christus prodiens ex ea, vt futurus humano generi radix & origo bonorum omnium. Quam tamen Isaias Virgam dixit, Aldelmus in titulo quem excutimus, appellat *virgulam*, attendens haud dubiè ad humilitatem Deiparæ, quæ verè fuit virgula, seu gracilis virga, vt loquitur Rupertus in c. 2. Matth. suspiciens Dei concilia ab humanis longè aliena, quæ significat vult eo Isaiæ loco quem proposuimus. Cum enim extremo cap. 10. dixisset, *Excelsi statura succidentur & sublimes humiliabuntur, subuertentur condensa saltus eius ferro, & Libanus cum excelsis cadet*. Addit in fronte capitis

vndecimi

vndecimi. *Et egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet.* Ait Rupertus sensum esse, inter superbos fore inrgia & casuros ea eis ferrn, dum timent regni securitati vt maximè in Herode est manifestatum; qui ea ex causa etiam in prolem suam sæuiit. Sed falsus est in cogitatione sua; [quia non de excelsis cedris aut robustis quercubus, sed de gracili virga quæ inter arbusta latebat, flos erat ascensurus: id est non de superbis & purpuratis diuitibus, sed de humili Virgine qualis in plebe via cognosci posset, Christus erat nasciturus.] Dicitur itaque Deipara virgula propter humilitatem & abiectionem in oculis fastuosorum. Nec plura de priore parte tituli ab Aldelmo delati Deiparæ.

Quod verò postea addebat Beatam Virginem esse *gemmulam floris* vacat difficultate. Constat apud omnes, Christum eodem Isaiæ loco *florem* appellari. Et iuxta veriorem sententiam, *Nazaræus* dictus est per Prophetas (vt habet Matth. c. 2.) dest per syllepsim in Scripturis frequentem, voce detiuata à flore, non autem à separatione, Nazaræorum propria. Cum enim hanc separationem significat, scribitur Hebraicè per *Zain*. At cum flosculentum sonat, scribitur per *Tsade* quo pacto habetur scripta vox *Nazarem* in titulo Crucis qui hodiéque seruatur in Lipsanotheca S. Crucis in Hierusalem, & notarat pridem Sixtus Senensis libro secundo Bibl. v. *Pilatus* ac Sanctes Pagninus in explicatione dictionum Hebraicarum v. *Nazareth*, cui perperam mentitionem impingit Leo Castrius in capite vndecimo Esaiæ, ac libro sexto Apologetici pro editione vulgata, contendens more suo satis pugnaciter Nazaræi vocem Christo attributam, non ad flosculentiam, sed ad separationem Nazaræorum esse referendam, idcóque non esse eam vocem scribendam per *Tsade* cum de Christo dicitur, sed per *Zain*. Verùm nobis potior est S. Hieronymi sententia in c. 11. Isaiæ & in c. 2. Matth. ac libro de optimo genere interpretandi ad Pammachium. Idem habet Beda homil. 1. in Lucam, & ex recentioribus Finus libro secundo flagelli capite vndecimo ac Iansenius capite vndecimo; Concord. nec non Lyranus & Caietanus in capite secundo Matth.

Est igitur Christus flos, nec qualiscunque sed vt ait D. Ambrosius l. de benedict. Patriarchæ: capite quarto [Flos boni odoris ad redemptionem mondi maternis visceribus in splendore nouæ lucis emissus ascendens, iuxta Esaiæ vaticinium.] Videndus insuper l. 2. de Spir. Sancto capite quinto vbi de hoc flore vernante, & speciosiore sacro fusi cruoris colore. Nec non Richardus Victorinus Opusculo superiùs allegato. Huius floris gemmula fuit Deipara. Gemmula dicitur, calyx è quo flos emittitur. Sicut etiam in vitibus quod primò emittitur gemma vocatur, iuxta illud Maronis.

Turgent in palmite gemma.

Et iuxta illud Tullij in Lælio. [Existit tanquam ad articulos sarmentorum, ea quæ gemma dicitur.] Folliculus ergo, ac abditus in eo floris conceptus qui primùm progerminat, estque floris delineari conceptaculum, gemmula floris appellatur. Id quod erga Christum florem, fuit Deipara.

Vita nostra.

HÆc nomenclatio qua Deiparam decorauit Hermannus Contractus ante annos quinquaginta supra quingentos, superiore seculo à Nouatoribus pugnacissimè exagitata est; eo præsertim prætextu, quod *vita* in abstracto, nomen, tribuatur Deiparæ, cum S. Dionysius de diuin. nomin. capite sexto, Dei id esse proprium & incommunicabile decus, disertè doceat. [Celebranda (inquit) est laudibus vita æterna, ea qua ipsa vita, & vita omnis est; & à qua in omnia quæ vitam quamlibet hauriunt, viuere pro modo cuiusque diffunditur.] Ipse item Christus, se *viam, veritatem, & vitam* nominat, Et alibi, *ego sum resurrectio, & vita,* Et Actorum 3. *authorem vitæ interfecistis.*

Respondet rectè Clychtoæus libro 2. de imploratione Sanctorum c. 14. principalem vitam, quæ est vita per essentiam, esse solum Deum; de qua vita quæ Io. 1. dicitur *lux hominum*, sic præter cætera scribit capite illo 6. Sanctus Dionysius. [Vita illa suprema, & principalis, & vitæ omnis est autor, & fœcundat, & replet, & diuidit vitam, & ea omni vita prædicanda est, pro omnium fœcunditate vitarum, vt omnigena, omnísque vita intelligentia comprehensa, laudataque, vt nullius egere; imo vitæ affatim plena, per se viuens, & vt supra omnem vitam, vt vita viuifica, vitaque superior.] Hac ratione, nemo Beatam Virginem, *vitam nostram* vocauerit. Ea item supernaturalis vitæ ratio, quæ Christo Deo & homini tanquam gratiæ fonti, atque adeò supernaturalis vitæ primario principio merentin, adscribenda est, non potest ad B. Virginem absque scelere transferri. Eatenus tamen Beata Virgo potest dici *vita nostra*, quatenus per Christum, contulit omnibus nobis vitam supernaturalem. Sicut Eua, dicta est nomine *Eua*, id est *vita.* (Ita quippe Hebræa vox *Hauua* sonat) quia futura erat per prolem suam immediatam, mater omnium naturali vita viuentium. Qua in re Sanctus Epiphanius hær. 78. luculentum B. Virginis typum obseruauit, negans, ipsam per se primam mulierem, tali nomine dignam fuisse futuram, nisi id ei obtigisset, quia erat imago ac typus sanctæ mulieris, quæ per Christum futura erat mater omnium spiritualiter viuentium. Videndi qui pro hoc Deiparæ titulo pugnant, propugnantes Antiphonam illam *Salue Regina*, Georgius Zornoandet in Apologetico pro ea Antiphona, Augustinus Alueldianus io assertione contra impios Deiparæ obmurmoratores, Gaspar Schatzgerus libro primo de implorat. Sanctorum, Canisius V. Martialis capite decimo-tertio, Bellarm. libro de orat. capite decimo-quinto, & Suarez libro tertio, de orat. capit. nono, numero vigesimo primo.

GLoriosa dicta sunt de te Sancta Dei Genitrix; sed adhuc locus est tuæ laudi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelæ, neque sermones in omni natione quæ sub cœlo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum, valeat explicari. O pia, ô magna, ô multum amabilis Maria. Tu ne nominari quidem potes, quin accendas; nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine diuinitùs tibi insita, memoriæ portas ingrederis. Et nunc sequimur te ô Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te. Adiuua imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum.

Ecbertus Abbas in Deprecat. ad B. V.



THEOPHI

THEOPHILI RAYNAVDI
SOC. IESV THEOLOGI

O

PARASCEVASTICVM,
SEPTIDVANIS ANTIPHONIS
Maioribus Natale Christi antecurrentibus præfixum.

SVBSTANTIA MYSTERII INCARNAtionis, & omnibus eius adiunctis grauidum.

AD FESTVM EXPECTATIONIS partûs Beatæ Virginis.



Illuſtriſſimo, & Ampliſſimo,

D·DOMINO PETRO
DE MARIDAT
MAGNI CONSILII
CONSILIARIO, &c.

THEOPHILVS RAYNAVDVS
ex Societate IESV.



Tsi amor ille ſingularis quo diſciplinas omnes ab ætatula complexus es *Conſiliare Ampliſsime* non exiguam in ſpem me adducat, fore vt mirificæ Bibliothecæ tuæ, in qua ſcientiis vniuerſis perhonorificum attribuiſti locum, gemellos hoſce non difficulter ciues adſciſcas; Confirmat tamen non parùm ſpem, opinionémque meam illa cogitatio, quod pium, & ſenili grauitate digeſtum opus, tibi viro doctrina, & pietate grauiſſimo, inſcribo. Quamuis enim probè intelligam; non defuturos qui de hoc poſtremo vigiliarum mearum fœtu tibi nuncupando, conſilium vel ob id maximè culpaturi ſint meum, quod Antiquis, multiſque beneficiis, ſeræ, leuéſque gratiæ haud ſatis vnquam reſpondeant; aut quod ſolutionem debiti, mora debitoris minùs gratam efficiat; vel denique quod ſurgentium recenti vere florum odor, ac forma iucundior videatur: Dicam tamen non temerè: Te qui acutiſſimos Ingenio, Iudicio ſapientiſſimos vincis, fructus longè antelaturum floribus, & ex fructibus pluris illos facturum, quos benè cocta conditáque, Solis æſtiui feruoribus, acerbitate, autummalis poſtmodom tempeſtiuitas veræ maturitatis patens impertitur. Deinde quid mirum, ſi meum hoc *O Paraſceuaſticum* noua, & veteri eruditione perſperſum, tibi potiſſimùm offerendum putem, qui Veteribus ſuppar vniuerſis, Recentioribus pleriſque ſuperior, neruoſam illorum ſoliditatem cum delicatis iſtorum leporibus tam bellè coniungis, vt ſi quid amœnioris elegantiæ Priſcis defuerit, de nitido, terſóque recentiorum læuore ſuppleas abundanter, & quidquid ſucci, ac ſanguinis deſideratur in Recentioribus, illud de ſolido, firmóque Veterum robore copioſè pulchréque ſuppedites. Quid inquam mirum, ſi *Minutalia Sacra*, quæ lucem non modicam abſtruſis, & ineluctabili propè caligine obuolutis Sacrorum Codicum oraculis afferunt, tibi reſeruanda cenſuerim; qui non excellis modò in omni Oratorum omnium, Poëtarum, Hiſtoricorum, Philoſophorúmque doctrina; qui non percalles modò Iuris, ac Legum Scientiam, quæ conſcriptorum in Ampliſſimo, auguſtiſſimóque Senatu Pariſienſi Patrum oculos in te, admirationémque conuertit; Sed quod multò mirabiliùs videatur, eam Scripturæ ſacræ adeptus es notitiam; quam qui

totum

totum benè diuturnæ vitæ tempus in Sacrorum Librorum ſtudiis contriuerunt, ægrè admodum aſſequantur. Accipe ergo, Senator Clariſſimè, non pœnitendam hanc tibi dudum perſpectæ, probatæque voluntatis meæ ſignificationem, quâ tanquam ſigillo, (poſt tot annorum præiudicium) elapſum omne vitæ noſtræ tempus obſignetur. Et quoniam ea ferè optimatum fortuna eſt, vt oblata munera dum accipiunt, reddant illuſtriora: Tu, vir doctiſſime, dum hoc qualecumque obſequij erga te mei monumentum accipies; illuſtrabis illud tuo ſplendore, ditabis tuis opibus; Autorémque Ipſum tuo Præſidio, tuóque Nomine nobilitabis.



INDEX

INDEX TITVLORVM.

ΑΛΛΗΛΟΥΧΕΙΑ

τȣ̃ο *EX VSV VETERVM DE NOTIS TRActatorum, multipliciter accepti, & adiunctorum omnium mysterij Incarnationis.*

O Litera.	ὀμίγα ὀμίκρον	Extrema Incarnationis, Deus Homo.
O Nomen Subſtantiuum, Adiectiuum.	Oſculum, Omnis; Optimus.	Vnio hypoſtatica extremorum perfectiones ad vnionem conſequentes omnia nobis Chriſtus.
O pro nomine excurrentis numeri nota.	Zero.	Deiectio Verbi ſubiectio humanitatis.
O Verbum.	Oportet.	Neceſſitas Incarnationis.
O Aduerbium vocandi.	Expreſſio deſiderij.	Vota Antiquorum pro executione Incarnationis.
O Interiectio.	Multiformium affectuum erga Incarnationem expreſſio.	Affectus admirationis, exultationis, & gaudij, timoris, Gratulationis, inſultationis, doloris, adhortationis.



O PARASCEVASTICVM ARGVMENTVM.



MINVTI Argumenti abiectionem excusans Maurus Terentianus, his præter cætera, ad suam de literis lucubrationem præfatur.

Quid sit litera, quid duæ
Iuncta quid sibi syllaba,
Dumos inter & aspera,
Scruposis sequimur vadis.
Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes:
Aggressis labor arduus.
Nec tractabile pondus est, &c.
Ceu sublimia deferas,
Par est iudicij mora,
Pompa gloria, vilis est.

1 Quod ab isto, aliisque ad hujusmodi minutiarum tractationem, post seria, & grania Argumenta discussa, delapsis, excusatum nouimus (scripsere namquè de literis, quibus nihil in omni studiorum genere minutiùs, aut exiliùs inuenias, cum sint ipsa totius rei literariæ principia) scriptores altioribus argumentis pertractatis clari, de singulis quidem literis, Iulius cæsar Dictator, C. Coruinus Messala, singulos libros. De omnibus verò vniuersè Scaliger, Goropius, Hugo, alij:) hoc ergo multò magis excusare possum, qui ad vnicam literam, & eius varia Sacramenta, restringo hanc disputationem. Quidni enim vnicæ literæ mysteriis enucleandis detur opera absque noxa, imò cum laude, cùm reperti sint qui aliquam literam perosi, in eius probra, & vituperationem incubuerint? Sanè litera *S.* & Græcis nonnullis, & Latinis displicuit. Messala Coruinus (Capella teste) sibilum potiùs quàm literam dixit, & libro integro eamest auersatus. Ennius & alij prisci in fine dictionum eliserunt: aliàs in *T* mutauerunt, dicentes *pultare* pro *pulsare* quod inter Græcos proprium est Atticorum, quibus γλῶττα est quæ aliis γλῶσσα. Aliàs autem mutant in ξ vel ζ, vt ex Henrico Stephano notat Scapula. Pamphilij, Argiui, Eretrienses, *S.* literæ abolitæ, aspirationem suffecere, dicentes πᾶ pro πᾶσα. Fuit qui sigma ex vniuersa Odyssea sustulerit. Lasus Hermionensis ab Oda, & Hymno sigma exulare prorsus voluit, ex Athenæo sub finem lib. 10. Pindarus eiusdem literæ odio, Oden composuit planè ἄσιγμον, vocans *adulterinam* κίβδηλον, nisi malis hanc Græcam vocem exprimere per *haud quaquam ingenuam*, siue *illiteralem*, ex quo capite hanc literam dehonestat Fabius, quod vt ait sit aspera, & in verborum commissura rixetur. Similiter plerique litteram *R*, auersati sunt, vocantes *caninam*.

Irritata canis quod R, R, plurima dicat.

Vt dixit Lucilius. Vnde Persio Satyr. 1. sonans de nare, litera Canina, infamatur. Dionysius ab asperitate, & difficili prolatione eam vituperat, & ab ea asperati auditum notat. Plato in Cratylo concitationem linguæ in ea maiorem, quàm in aliis literis

teris sugillat: vnde balbis, & inexpeditæ linguæ hominibus difficilior est eius pronunciatio. Testes Demosthenes, Alcibiades, Aristoteles. Vt mirum sit aliquos cacophonos, in pronunciando *errare*, id est, *errata* vocabula efferre, geminato ex mera libidine *R*, *R*, vt Angelus Polit. ad Barthol. Scalam animaduertit. De Nestore Lyció, proditum est ab Hesichio, Milesio, Illustrio lib. de Sapientibus, compositam esse ab eo Illiadem cuius quisque liber ea litera careret, quæ ordini libri in Græco Alphabeto responderet. Puta liber primus per *α* notatur, nullum continebat *Alpha*. Secundus nullum continebat *β*, & ita consequenter. Ad cuiusmodi Illiadis imitationem, Tryphiodorus confecit Odysseam, eadem vnius literæ declinatione, in quocunque libro. Odium ergo quod nonnulli in vnam aliquam literam prodiderunt placet è contrariò æmulari, instituta disputatione de vnius literæ *O* Sacramentis atque mysteriis. Est sanè litera valdè perfecta, etiam citra mysteria Perfectionem eius ipsa figura præfert. Est enim rotunda. [Quæ figura, (ait S. Hier. in c. 41. Ezech. ad illod, *Platea erat in rotundum*) inter omnia *σχήματα* à Philosophis quoque huius sæculi pulchrior approbatur, dum & cœlum, & Sol, & Luna, & astra cœtera, & punctum terræ in corporibus quoque humanis, oculi quasi alta sydera, & figura capitis quod omnium sensuum receptaculum est, teretésque digiti, & semina, & brachia hanc præferunt rotunditatem.]

2 Huius disputationis ineundæ causam, præbuit pia, & illustris sodalitas Pœnitentium Albatorum apud Camberium Allobrogum, cuius Sanctis Institutis, per illud octiduum quod Christi de Virgine Natiuitatem præcurrit, conuentus habentur, non sine Sacra dissertatione; Argumento petito ex Antiphonis, quas per eos dies ad Deip. Canticum frequentat Ecclesia; Cumque inter eos qui ad pium illum cætum, verba facturi erant, adlegi aliquando contigisset, proposito dicendi argumento quod suppeditat prima Antiphona, *ô Sapientia*, quamquam videbam quantus ad exspatiandum campus, circa diuinam sapientiam in mysterio Assumptæ per Verbum carnis pateret, pedem tamen in ipso aditu fixi; captus dulcedine, quam in eo communicauit Deus. Qua in re similiter me affici contigit, ac Gerardum fratrem S. Bernardi, qui cum orationem dominicam sub vitæ metam occœpisset, tanta suauitate delibutus est in prima voce *Pater*, vt porrò pergere, vel non potuerit vel superfluum duxerit. Non secus ego, quod primùm se obtulit arripiens, in præfixo vniuersæ sententiæ, & sequentibus omnibus Antiphonis, elemento, hærendum censui, & quantis illud *O* Mysteriis grauidum esset, neglecta progressione ad vlteriora Antiphonæ propositæ, aperiendum existimaui.

3 Quo studio tunc nostro, ac diligentiæ paruit, repræsentatum venio, sub tit. *ô Parasceuastici*. Nam vt Honor. in Gemma animæ lib 3 c. 4 & Guil Dur. lib. 6 Ration. c. 11. n. 6. notauit, septiduum illud proximè præcurrens Nat. Christi, olim dictum est: *Hebdomada præparationis*: quod tametsi totum aduentus Sacri tempus, (vt idem Durand obseruat,) *præparatio* dici possit ad exceptionem aduenientis Christi; tamen eo præsertim septiduo, ob aduentus Christi vicinam, ferueat in vnoquoque Fidelium præparandi pectoris studium, ad tantum hospitem congruè excipiendum. Quæ causa fuit, cur Carolus Caluus per dies aliquot ante Nat. Dom. mandauerit, vt nullum placitum publicum, siue mallus (sic dictæ forenses litium agitationes) haberetur, vt refertur in Conc. Suessionensi c. 8. eorum quæ idem Carolus d Synodo Actione 7. proposuit. Nimirùm vt fideles possint quietè se præparare ad excipiendum Christum. Et vt ea præparatio accuratiùs fieret, quædam Ecclesiæ iam olim per hoc tempus ingessere fidelibus memoriam Mysterij quod Natiu. Christi antecessit, estque vertex Mysteriorum Christianorum; nempè Mysterij Incarn. cuius memoriam recoli placuit 18. Decemb initio festi ducto à primis Vesperis diei 17. in quibus Antiph. 1. maiorem concinere, ex vsu est ita sanxit Conc. Tolet. 10. c. 1. Præside Eugenio Tolet. S Hildeph. antecessore, non autem ipso Hildeph vt malè censuit Trith. l. de scriptor. *in Hildeph*. Qui alio errore labitur, cum ait, inde factum, vt inualuerit per vniuersam Ecclesiam, vsus celebrandi idem festum 8. Decemb. sub nomine *Conc. B. V* quod decreto Conc. Tolet. mandatum est celebrari 18 Decemb. Illud namque decretum fuit, non de celebrandis desideriis cordis Deip. vt videret Christum natum, (quod finxit quidam recentior l. de Deip. Hom) sed de celebranda Annunc. B. V. Idcircò autem Conc. festum Annunc. recoli eo tempore statuit, quod die 25. Martij quo facta est annunciatio, ferè contingat Ecclesiam mœrere ob mortem Christi Itaque sicut postea Vrban. eam ob causam festum Eucharistiæ transtulit post octauam Pentecostes; ita Patres prædicti Concilij festum incarnationis loco suo mouendum, & eo quod notabam tempore celebrandum censuerunt: quod tametsi ab Hispanis maximè frequentatum est, nec sine subortis interdum contentiunculis, vt docent quæ habet Glaber lib. 3. c 3. tamen extra Hisp. quoque

aliquando

aliquando locum habuisse discimus ex Microl. c.48. Et idem ex quadam S. Greg. oratione colligit Pamelius ad Sacram. S. Greg. 8. Cal. April. *p.* 211. Tametsi quantum video, non sit valida collectio. Nunc & vbiuis alibi, & apud Hispanos quoque, vt notat Baron. ann. Christi 1004. obsoleuit vsus ille Annunc. Deip. celebrandi 18. Decemb. eius autem festi loco successit apud Hispan. festum *expectationis partûs Deip* quod diuersum est à festo Annunc. Et huc referendam censeo *Missam de Expectato*, quæ legitur inter Missas Ambrosianas, proximè ante Nat. Dom. in Liturg Pamelij tom. 1. *p.* 445. ea Missa inscribitur *Missa de Exceptato*, quantum arbitror mendosè, cum legi debeat *Missa de expectato*, nempè Christo proximè nasciturо. Suæ autem corruptæ lectioni inhærens Pamel. meritò fatetur hærere sibi aquam, & quid hoc sibi velit nescire: Sed supposita genuina lectione quam proposui, sensus quem adhibui videtur verisimilimus. Nam tota illa Missa est anhelatio ad Christum expectatum, móxque venturum. Tantum difficultatem ingerere potest oratio post communionem, quæ sic habet: [Læti Domine frequentamus salutis humanæ principia, quæ trina celebratio Beatæ complectitur mysterio Trinitatis.] At trina celebratio non fiebat alia die, quam in Nat. Dom. Nam quod aliqui id extenderunt ad festum S. Ioan Bap. à veritate abhorret, vt alibi notare memini. An ergo ea oratio, atque adeò etiam Missa, pertinet ad Nat. Dom. Dicendum est, occasione proximè secuturi festi Nat. Dom. ingestam esse mentionem triplicis celebrationis in Natali Dom peragendæ: etiam si factum prædictum, non pertineat ad Natiu. nisi vt proximè secuturam, sine ad Christum expectatum, moxque aduenturum. Qui recolebatur eo quod dicebam festo Dominicæ expectationis, quod successisse aiebam festo Dominicæ Annunc. quod alicubi celebratur anteriùs, eo scil. tempore quo nunc celebrabatur ibidem Expectatio. Nec verò placet, quod Mariana l.6. hist. cap. 9. meram vocis corruptelam ab imperita plebe factam agnoscit, existimans dici *expectationem* pro *annũtiatione*. Verùm non partus, sed. conceptus est annunciatus; & tamẽ dicitur *expectatio partus*. In Chron. Iuliani Petri n 335. habentur hæc verba. [An, 363. ad preces S. Ildef qui postea factus est Episcop. Tolet. institutus est dies Incar. Dom. I. C. octo dies ante natalem eius] Vides festum de quo agimus, vocari festum Incarnat. Et alibi vocari *festum conceptionis immaculatæ B. Virginis*, nempe conceptionis actiuæ qua Christum concepit, notat Franc. Biuar. ad Dextrum ann. 306. n 9. Vt vt sit, etiam Hispani festum annunciationis, aut Expectationis partus Deip. in tempus de quo agimus retulerunt vt plebs Christiana, aptaretur ad excipiendum Christum mox in carne venturum. Planè autem quo spectauit apud aliquos Incarnati Verbi festum eodem collimant hæ antiphonæ quæ aliud reuera non sunt quàm scintillæ ac faculæ pietatis nostræ circa mysterium Incarnationis, vt ex consideratione tanti sacramenti quod Christi Natiuitatem antecessit, aptemur ad Christum nascentem piè ac dignè excipiendum, præparemúrque in occursum illius: quæ causa est, cur argumentum huius lucubratiunculæ, videlicet O singularum harum antiphonarum initiale, *O parasceuasticum*, siue *Præparatorium* appellarim.

4 Nolim autem improbari quasi minutum & in tenui locatum, laborem circa hanc vnicam literam; non modò quia graues, scriptores, (vt præmisi,) in profana de literis disquisitione, hoc minutiloquiũ, tanquam probro sibi, aut vitio vertendum non sunt dedignati, imo literatum, vt interpretatur apud Sueton. l. de claris Grammat. Corneil. Nepos, hominem doctum denominauerunt; sed etiam quia in rebus sacris, non integra modò volumina; sed & dictiones singulæ, ac syllabæ, etiam litera vna iota inquam vnum, & apex vnus, mysterio non vacant. Quid mirum cum in ordine naturæ non minùs, imò etiam magis Deum naturæ autorem suspiciamus, in punctis corp (vt loquitur Hier. Ioëlis 1. post Tert. l de anim. c. 10.) quam in turribus carneis Elephantorum, & aliorum animalium vastitatis, & proceritatis exquisitæ [Turrigeros (inquit Plin. l. 11. c. 2.) Elephantorum miramur humeros, taurorúmq; colla. & truces in sublime iactus, cum rerum natura nusquam magis, quàm in minimis tota sit. Nusquã alibi spectatiùs artificium, quàm in his tam paruis, atq; tam nullis] Videndus in eandem sent. Plot Ennead. 3. l 2. c. 13. & è nostris Tert 1 contr. Marcio. c. 14 & S. Aug. 11. ciu. c. 22. & l. 3 de Gen. ad lit. c. 14 & cp. 1. ac 18. & in Ps. 148. nec non alij quos profero in Scalis, Gradu 9. *à p.* 238. Hoc in ordine naturæ, despicatissimo licet inter diu opificia, est apertissimum ex illis quæ prædicti autores proferunt. Idem autem cernere est in ordine gratiæ Nihil quippè eo cõtinetur adeò exile aut minutum, quod grandibus non redundet mysteriis.

5 Nominatim verò Scripturæ diuinitùs inspiratæ, quælibet quantumcunque exiguæ particulæ, abundant mysticis opibus. In vno nomine è sacris codicib. deprompto, ingentes plerunq; latere auri massas, dixit S. Chrysost. Hom. 31. in ad Rom & Chrysol. serm. 154. plenéq; per varia nomina discurrens Euseb. XI. præpar. c. 4 Vnam quamcunq; aliam dictionem in sacris volum scatere mysteriis, egregiè confirmat S. Chrys. hom. 18. in Gen. tractans illud *Adæ verò non est inuentus similis illi*, monstrátq; illud *verò* esse factum grandi significatione:

locum ex parte adſcribo in Minutalibus ſacris pun. t. vbi pluſcula in hanc rem ex Chryſ.

Pleniùs ac quoad dictionum quoque particulas, nempè ſyllabas è quibus coaleſcunt dictiones ſingulæ, idem demonſtrat S. Baſil in proœm. lib. de Spiritu S. laudans in ea ſcrutatione ſacrarum ſyllabarum diligentiam. Haud (inquit) oſcitanter audire ſerm. de rebus diu. differentem; ſed conari quid in quaque dictione, quid in quaque ſyllaba, reconditi ſenſus lateat perſcrutari, non eſt eorum qui ſegnes ſunt ad pietatem, ſed qui intelligunt ſcopum noſtræ vocationis: quando nobis præſcriptum eſt, vt ſimiles efficiamur Deo, ſaltē quatenus humanæ naturæ fas eſt. Porò ſimilitudo non eſt abſque cognitione, cognitio verò è doctrina paratur. Doctrinæ autem initium, eſt oratio: orationis partes, ſyllabæ ac dictiones. Proinde ſyllabas excutere, non eſt aberrare à ſcopo. Nec verò quoniam aliqui videbuntur minutæ, ob id videri debent & negligendæ. Imò quoniam difficilis eſt inuentu veritas, vndique nobis eſt veſtiganda. Etenim ſi quemadmodùm cæteræ artes, ita & pietatis acquiſitio paulatim minutis acceſſionibus augeſcit, nihil eſt prætermittendum iis qui ad cognit. inſtituuntur. Veluti ſi quis prima elementa, vt res minutas contemnat, quando ad perfectā perueniet ſapientiam? *Na* & *Non* ſyllabæ duæ ſunt. Attamen quæ rerum omnium potentiſſima eſt veritas, & quæ extrema malitiæ linea eſt, mendacium, frequenter his minutis verbis comprehenduntur. Sed quid hæc commemoro? cùm iam ſi quis vel capite annuat teſtimoniis de Chriſto prolatis totam pietatem expleuiſſe iudicetur; quod ſi hæc ad hunc ſe habent modum quid eſſe poſſit in his verbis quæ de Deo Diſſerunt, adeò puſillum vt ſiue rectè dictum ſit, ſiue ſecus, non magnum habeat momentum in vtramq; partem? Nam ſi ex lege, nec vnum iota, nec apex vnus prætteribit, quomodò nobis tutum fuerit, vel minutiſſima tranſiluiſſe? At quæ tu è nobis exacè diiudicanda propoſuiſti, ſic minima ſunt, vt eadem ſint magna, prolationis quidem compendio exigua, atque ob id fortaſſe contemptui obnoxia, ſed rerum ſignificatarum vi magna, ad ſimilitudinem ſinapis, quod cum ſit minutiſſimum inter arida legumina, ſi iuſta cura adhibeatur, explicat vim in ipſo latentem, & exurgit in altitudinem ſuo ſe robore ſuſtentans.]

6 Quod Chryſoſt & Baſil. de dictionibus aut ſyllabis, Caſſiod. in explicat. tit. Pſalm. 24. præfixi, æquè ait de literis, quarum [ſacramenta (ait) etiam rerum nobis cœleſtium indicare myſteria.] Orig. hom. 2. in Iet. *ſub init.* idem ait de vna litera Commendarat Orig. eo loco ſtudiū ſcrutandi ſenſum myſticum, non integræ duntaxat regionis ſiue Ægypti, ſiue Iudeæ, ſed etiam ſingularum particularum vtriuſque terræ. Addit autem, [Quis ſapiens & intelligit iſta, aut quis intelligens & cognoſcit ea? Qui ſa'rem intenuiori ſenſu conſtitutus, cognoſcere poterit voluntatem quam Spiritus S. habet literæ?] Etiam literam, & accentum, in ſacris ſcriptis ſignare grandia myſteria, didicimus ex S. Epih. l. de Pondet. & menſ. *initio lira*, vnum, & vnus apex, iuxta Greg Nyſſ. orat. 1. de Reſurr. *ſub fin* præſtantiſſimis quibuſque myſteriis ſunt grauida. Nam & Crucem Chriſti, ac potentiam, rerúmque omnium ſuſtentationem inſinuant, vel etiam exprimunt, vt idem Greg. proſequitur. *Men clauſum*, ſeu confirmatio peculiaris vnius illius literæ, quantis myſteriis ſit fœtum, innumeri ſunt proſecuti, quos latè collegit Perl. diſt. 5. de Concept. c. 6. Rich à S. Laur l. 1. c. 1. *ſub init.* minutè ſerutatur duas vocales nominis *Eua*. Innoc. III grauiſſimus planè Pontifex, ſer. de Circumciſ. Dom vile non duxit, multis circa literas grammaticari, vt apud eum legere licet. [Non apices (ait Petrus Chryſol. ſer 146.) non literæ, non ſyllabæ, non verbum, non nomina, non perſonæ in Euang. diuinis vacua ſunt figuris.] Alibi quoque in variis ſcripturis multa myſteria inædificari minutiis literarum, vnius aut plurium proſequitur fusè Gerſon tract. de Canticho rdo, Tono 3, agens de Gamma. Quare mirum videri non debet, quod in re ſacra minutias id eſt ſyllabam, aut etiam literam vnam, ſcrutari aggrediamur.

7 Quod ſi quis (concludam enim cum Baſil. in proœm. ad l. de Spiritu S.) ridet noſtram circa ſyllabas, vt Pſal. verbis viar, nugacitatem, ipſe quidem infrugiferum riſus ſui fructum metet. Nos veró haud quaquam cedentes hominum conuitiis, nec illorum vituperatione deiecti, veſtigandi ſtudium deſeramus. Tantum enim abeſt, vt me harum minutiarum pudeat, vt ſi etiam dignitatis vel minimam partem aſſequar, tum mihi gratulaturus ſim, veluti res maximas aſſequuto; tum fratri qui nobis huius perſcrutationis ſocius eſt, arbitror non mediocre lucrum obuenturum. Itaq; cum in minimis conſpiciam certamen maximum, ſpe premij non detrectabo laborem, quem arbitror hac diſput. tum mihi fore vtilem, tum audientibus ſatis magnum fructum allaturum.]

Quandoquidem autem litera ſeu ſyllaba quam expenſuri ſumus, antiph. Eccleſ. implantatur atque conſeritur, paucis ante omnia præludam, cum circa Antiph. Eccl. tum circa multiplicem vſum ac notationem τῶ o quod omnibus hiſce Antiphonis præfigitur, eſtque totale, & adæquatum huius lucubrationis ſubiectum.

PRÆLV



PRÆLVDIVM PRIMVM.

DE ANTIPHONIS ECCLESIASTICIS, propriè, sed præter vsum præsentem vsurpatis.

NOMINIS *Antiphona*, duplex est notio, vna si corticem vocis, & Græcam Ethymologiam attendamus, alia si receptum vocis vsum. Et quidem spectato vocis cortice, non aliud esse videbitur *Antiphona*, quàm *vox reciproca alternatim canentium ordine commutato, siue de vno ad vnum*. vt dixit Alcuinus lib. de diu. offic. c. de celeb Missæ. Isidor. lib. 6. Orig. cap. 19. & Amalar. lib. 4. de offic. cap. 7. Vel *vox contra sonans*, qualis auditur, cum Psalmos aliudvè quidpiam, perplures alternatim concinimr. Penes quam alternationem S. Isidorus loco allegato, responsorios versus, secernit à versibus antiphon. Nunc autem, ac etiã iam olim, *Antiphona* in alio sensu passim vsurpatur, nimirùm ad designandam sentent. quæ toti Psal. præmittimr, & in Psalmi clausula iteratur, non iam alternatim, sed coniunctim omnibus simul concinentibus.

II De Antiphonis, iuxta priorem notionem spectatis, multa paucis complexus est sanctus Basilius epist. 63. vbi purgans impactam sibi ab Hęreticis calumniam, ob modum nouum melodię, & immutatam veterem consuetudinem canendi, non ita multò ante sub Gregorio Neocæsariensi vigentem, sic scribit astruens eum concinendi modum. [Ad id quod propter Psalmodias accusamur, qua re potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt, hoc habeo quod dicam; quod videlicet qui iam obtinuerunt ritus, omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt. & consoni. De nocte siquidem populus consurgens antelucano tempore, domum precationis petit, inde labore, & tribulatione, ac lachrymis indesinentibus facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes ad Psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi, alternis succinentes psallunt: atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem ad meditationem corroborant, & cordibus suis attentionem, & reiectis vanis cogitationibus mentis soliditatem suppeditant: deinde vni ex ipsis hoc muneris dato, vt quod canendum est prior ordiatur, reliqui succinunt: atque ita psalmodiæ varietate, precibusque subinde interfectis, noctem superant.]

Obserua in primis in his S. Basilij verbis, vtilitatem alternationis Psalmorum, de qua pluribus Suarez lib. 4. de orat. cap. 12. num. 2. Deinde aduerte ritum hunc canendi qui in his S. Basilij verbis exprimitur eo tempore inualuisse in omnibus Dei Ecclesiis. Signat inferiùs S Basil. pro eo vsu Ægyptios, Lybicos vtrosque, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnicas, Syros, & qui ad Euphratem habitant, ac [*vt semel dicam* (inquit) *omnes.*] Aduerte præterea, canere orsum præcentorem quod concinendum erat succinẽtibus cæteris; quod accipio de vnius cuiusque Psalmi principio à præcentore ad cæteris præeundum cantato, non autem de sententia quapiam, vel antiphona, qualis nunc est in vsu. Eam quippè tunc non habuisse locum insinuatur illis S. Basil. verbis, quibus contestatur, non humana verba, sed tantùm oracula Spiritus, vsurpata fuisse à suis Cæsariens. inter canendum. Nam quamuis antiphonæ quæ nunc sunt in vsu, è sacris oraculis ferè construantur, tamẽ neque id est perpetuum, neque necessarium. Et videmus eum morem quo vnus psal. occipit, cæteris mox succinentibus, nunc quoque passim frequentari. Vnde de eo facilè potest accipi, quod S. Basil. affirmat, vnum esse auspicatum quod concinendum erat, mox succedentibus reliquis. Potest tamen etiam accipi de eo modo præcinendi integros Psalm. qui exprimitur à Cassian. l. 2. de inst. c. 5. 10. 11. & 12. & l. 3. c. 8. vbi vno modulante, cæteri plures Ps. respondisse referuntur: Respondisse inquam, quod malè nuperus, cæteroqui eruditus concordiæ Anianensis Illustrator c. 54. §. 8. idem essę putauit ac *persoluisse audiendo cantantem*. At hoc non est respondere, vt per se liquet.

III. Denique ex prolato S. Basil. loco, pronunciari videtur posse, de primis initiis alternati cantus apud Orientales. Primò enim quidam, vt Dur. l. 3. de rit. c. 13 n. 6. ac Gisb. Scheuic. l. de Eccles. vita, & offic. c 81. & nonnulli alij eum morem ad S. Dion. tempora reuocant, tantùm quia c. 3. Eccl Hierach. ait S. Dionys. Pontificem super sacrum inchoare Psalmodiam, prosequentibus reliquis. Meliùs adducerent Philonem, Dyonysio, & Apostolis æqualẽ, qui l. de vita supplicum, describens ritus Christianorum Alexand meminit alterni cantus ab eis vsurpati. Alij s. ad S. Ignat. autorem, eum vsum referunt. Quod .n. S. Ignat Angelorum alternatim Deo laudes canentium concentum percepisset, sicut perceperat ante Isaias, audiens clamantes Seraphinos alterum ad alterum, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, & posterioribus sæculis insigni exemplo comprobatum est in vita S. Gudevvali c. 7. apud Sur. 6. Iolij,) inde S. Ignat. adductum esse dicunt, ad illius alternationis pium morem, inducendum in Antioch. Eccles. vnde in reliquum Orientem permanarit. Sic Sociates lib. 6. c. 8. qui vna cum Metaphraste in vita S. Chrys. idem sentiẽte de S. Ignat. primo Antiph. autore, alternantes quoque Arrian. cantiones describit, additque præterea Leo Sap. in S. Chys. encomio, inde ortum vsum cruces argenteas in antiphonis figendi.) Præter Socratem, habẽt quod de S. Ignat. Antiphon. autore dictum est, Niceph. l. 13. c. 8. Vvalafr. l. de reb Eccles. c. 28. & Sigebert. in chron. ad ann. Christi. 387. & Rodulph. Tungr. de sacr. Canon. obseru. proposit. 12. subscribitq; Bellar. l. de orat. c. 14. *in fin*. Steph. Dur. l. 3. de rit. c. 17. n 3. Simon. Barb. de significatis Missæ c. 7. n. 2. 3 Longè seriùs nonnulli, inductum eum morem affirmant. Ad Flau enim ac Diod. autores primos, vsum illum alternis concinendi Dauidis Psal. refert. Theod. l. 2. hist. c. 24. idque Antioch. aduersus Arrian. & eorũ clancularium promotorem Leont. Pseud. Patriarch. primò institutum ait Theod. peruagatum esse vsquequaque, & ad fines orbis terræ peruenisse.

IV. Ex his sententiis de alternationis Psalmorum inter Orientales primo autore, prima si sancto Dionysio id tribuit, non est solida. Neque sancti Dionysij tempore, viguisse hunc vsum, ea eius prolato loco habetur. Quod enim ex eo adductum est, de Pontifice auspicante Psalmodiam, prosequentibus reliquis, potuisse absque alternatione fieri, nemo non videt. Tertia sententia non potest cohærere cum iis quæ ex S. Basilio retulimus. Fuit enim sanctus Basilius, antiquior aliquantò quàm Flauianus: Et cum dicat, vsum illum Psalmos alternandi, apud Syros quorum metropolis est Antiochia, vbi sanctus Ignatius sedem habuit, & apud alios plerosque Orientales populos, esse vsurpatum, priusquam ipse eum in suam Cæsariensem Ecclesiam induceret; probabile fit quod alij de sancto Ignatio primo huius alternationis autore, prodiderunt. Tametsi silentium de eo sancti Basilij non nisi in contrarium dubitationis ingerit. Neque enim ignorare potuit S. Basilius, verum mos ille tunc à Neocæsariensibus improbatus, à sancto Ignatio ortum haberet. Non potuisset autem expeditiùs, ac fortiùs depelli calumnia Neocæsariensium in S. Basil. ob hanc alternationem, quam producto vsu & suffragio tanti Antistitis, Apostolicorum temporum, támque illustris Christi Athletæ.

V. Inter Occidentales, primus creditur vsum Psalmos alternandi, induxisse sanctus Ambrosius. Sic enim prodiderunt Rabanus libro 2. de instit. Cler. capite 50. S. Isidor. libro 1. de diuin. offic. capite 7. Radulf. de Canô. obseru. cap. 12. ac Sigebertus in Chronico ad annum 388. Videtúrque apertè haberi ex eo quod sanctum Ambrosium leuando fastidio piæ plebis quæ in Ecclesia ad tuitionem sui Antistitis aduersùs Iustinæ Augustæ iniustissimum œstrum excubabat, sacram Psalmodiam cum alternatione ad modum Orientalium Catholicorum induxisse, testatur sanctus Augustinus libro 9. Confess. cap. 7. Idem ex Paulino in vita Ambrosij describit Vvalfridus, & ex vtroque Pamelius tom. 1. Litur. *pag.* 274. sed is locus nunc apud Paulinum non occurrit. Augustini tamen testimonium, satis superque est: ex quo habetur apertè, S. Ambrosium eum vsum alternis concinendi per occasionem prædictam induxisse imitatione Orientalium. Non vigebat igitur vsus ille anterius, non modò Mediolani, sed ne Romæ quidem quicquid gratis affirmet Baronius anno Christi 60. Quæ enim adducit, cantum duntaxat publicum iam inde ab Apostolis in Catholica Ecclesia Occidentali vsurpatum confirmant, non eius alternationem. Illam verò cantus Ecclesiastici antiquitatem, nemo inficiari potest, cámque planè eruditè confirmat Pamelius ad Tertulliani apolog. capite 39. numero 520. ad librum Cypriani de orat. Dom. numero 6. & t. 1. Liturg. Latin. *à pag.* 70.

VI. Difficultas ergo duntaxat est, de vetustate alternationis in cantu publico. Sanè si is vsus viguisset Romæ, cum à S. Ambros. inductus est Mediolani, non esset dicendus, exemplum alternis canendi petiisse ab Orientalibus, cum essent in vicinia, priores Occidentalium quos imitatione exprimeret. Erit qui cum Bellarm. l. de orat. c. 14. *in fine*, cantus alternationem apud Africanos viguisse ante S. Ambrosij tempora dicat, adducto Tertulliano lib. 2. ad vxorem cap. vltimo, vbi de Christianis coniugibus ait, [sonant inter duos Psalmi, & hymni, & mutuò prouocant quis melius Deo suo canet.] Verùm is locus, in primis spectat duntaxat ad cantum priuatum, non ad publicum de quo agimus. Deinde non est necesse eum locum ita accipere, vt ferat alternationem in cantando eodem Psalmo, qualem alternationem nunc tractamus. sed aliam, quæ perficeretur vno totum aliquem Psalmum nunc concinente, mox alio alterum Psalmum, vel eundem reddente, iuxta illud Tertulliani ibidem cap. 8. [quid maritus sonus illi, vel marito quid illa cantabit?] Nec plura de Antiphonæ notione.

Subtexo Corollarium huius de alternatione canendi inter Christianos antiqui moris, etiam Satanam in spuriis Mahumeti popis eum adamasse, non quidem in omnibus, nam Turcæ qua sunt idiomatis proprij ruditate ad modulandum inepta, eo abstinent, sed in Arabibus quorum lingua cultior est, & rythmis pangendi accommodatior. Audiendus Petrus Bellonus l. 2. obseru. cap. 38. [Ad Nili (inquit) ripas appellentes, & Nauim egredientes, vt pagos perlustraremus, Mauritanos in suis Moscheis, hoc est suis in templis canere, & sibi alternatim respondentes audiebamus, Latinorum Sacerdotum more, & iisdem accentibus, pausisque ferè vtentes, vt ij qui Latinos Psalmos canunt; quod minimè faciunt Turcæ, quorum idioma rude est Arabici comparatione, quod facile est, & ad rythmos componendos aptum.] Hæc Bellonus, quæ cum lego, recurrit animo, verè dictum esse à Clemente Stromateo libro 7. [Quicquid est pulchrum, sequitur Momus.]

PRÆLV

PRÆLVDIVM II.

Vniuersè de Antiphonis Ecclesiasticis, ferè præter vim vocis, sed iuxta præsentem vsum.

I. POSTERIOR, quæ nunc sola in vsu est, Antiphonæ notio & significatio, ea est quæ cadit in breuem sententiam siue è quopiam Psalmi concinendi versiculo depromptam, siue aliunde mutuò acceptam, aut planè de nouo compositam, quæ toti Psalmo præcinitur, [vt secundùm illius modolationem, seu symphoniam, (inquit Amalarius Treuirensis Diaconus, Episcopo eiusdem nominis suppar lib.4.de offic.cap.7.) cantus totius Psalmi sumatur, & ita totus chorus in illa vniatur.] Notionem hanc *Antiphona*, Gul. Dur.lib.5. Ratio. cap.2. num. 27. ridiculè confirmat ex vocis ethymologia. Putat enim dictam *Antiphonam*, quia *ante sonat*; vtique ante Psalmum. Sed hæc mera est Græcæ præpositionis imperitia. Non enim Græcum *ἀντὶ*, idem est, quod Latinum *ante*.

II. Vsum antiphonæ sic acceptæ, viguisse iam inde à temporibus Symmachi Papæ, sæculo 5. Christiano exeunte, cum Agathense Concilium celebratum est, ex eo probat Suarez lib.4. de Orat. cap. 2. num. 18. quod prædicti Concilij canone 30. præcipiatur, vt post antiphonas, orationes dicantur, vt refertur cap. *conuenit ordinem* de consecrat. dist.5. Verùm nihil procliuiùs, quàm vt eo loco, *Antiphona*, de Psalmis alternatim cantatis, iuxta vocis extimum corticem accipiantur. Et ita planè ferunt multa quæ Pamel.t.1.Liturg.Latin.sæculo 5.in Cœlestino 1.addensat *pag.* 54. eodémque modo accipitur antiphona apud Cassianum lib. 3. de instit.cap. 8.quod Gazæus ibi non aduertit, deceptus aliqua verborum Cassiani ambiguitate: sic enim ait de monachorum vigiliis. [Eas tripartitis distinguunt officiis, vt labor hac diuersitate diuisus, delectatione quadam, defectionem corporis releuet. Nam cum stantes, antiphonas tres concinuerunt, humi posthæc, vel sedilibus humillimis insidentes, tres Psalmos vno modulante respondent; qui tamen singuli à singulis fratribus, vicissim succedentibus sibi, præbentur, atque his sub eadem quiete residentibus, ternas adiiciunt lectiones. Itaque fit, vt corporeum minuentes laborem, vigilias suas maiore intentione mentis exerceant.] Non est sensus Cassiani, cantatas primùm tres Antiphonas, vt nunc ea vox accipitur, (quod credit Gazæus;) Tum tres Psalmos vno successiuè modulante, & respondentibus aliis, ac denique tres lectiones: sed sensus est, tres primùm alternatim Psalmos, stando; tum tres sedendo cantatos; tres item lectiones sedendo auditas, ne iugi statione nimis fatigarentur, itaque locus Cassiani, nihil promouet vulgarium antiphonarum quitatem.

III. Dimissa autem signatione tempori: quo huiusmodi antiphonæ inductæ sunt in vsum, quod nihil liquidæ lucis ea in parte affulgeat, illud potiùs disquiramus; vnde factum, vt vox *Antiphona*, quæ duntaxat *alternam vocem* sonat, extensa sit ad significationem huiusmodi sententiæ vel versiculi, decantati ante Psalmum concinendum. Id quod Petes valdè demitatur, in reg.S.Benedicti cap. 9.num.9. nec abs re. Tametsi enim in priuata recitatione, inter duos Antiphonæ subeant vicem versuum, & alternatim, siue successiuè inchoëntur ab vno, aut finiantur; alio mox inchoaturo vel recitaturo sequentem; quod sine culpa fieri contra scrupulos nonnullorum summistarum, rectè cum Sylnestro V. *Hora* q.7. & Nauarro cap.10.de oratione q.17.affirmat Suarez l.4. de orat.cap.25.num.5. Tamen in publica recitatione, & canora officij Ecclesiastici exolutione, vsus peranticquus ex Amalario paulo antè adductus, fert, vt omnes simol, saltem in fine Antiphonam decantent. Nam initio cum Antiphona non recitatur integra, vt extra officium duplex, vni duntaxat eius inchoandæ cura demandatur; non item in Psalmi fine, vbi Antiphonam coniunctim ab omnibus concini, ex vsu est. Quare cum nulla in huiusmodi sententia aut versiculi decantatione cernatur alternatio, non apparet cur dicta sit *Antiphona*, quæ vt vox ipsa docet, reciprocum cantum & alternam vocem designat. Non habeo vnde hanc difficultatem commodiùs extricem, quàm dicendo, [certamen esse, etiam præludium certaminis, & mysteria esse, etiam quæ præcedunt mysteria.] vt ait Clem.Alexan.l.1.strom.*pag.* 320.Itaque cum Antiphonæ vulgatæ, sint prælusiones & præludia Psalmorum decantandorum, & tonus quo decantantur, sit veluti metrum toni quo Psalmus alternatim decantandus est, haud incongruè nomen *alterni cantus*, siue *Antiphona*, ad huiusmodi metrum extendi potuit.

IV. Ex quo autem mollito vocis rigore, & laxata eius notione, huiusmodi Psalmorum proœmia, nomine *Antiphona* donata sunt; vlterior eiusdem vocis extensio facta est, ad quosuis similes versiculos, tametsi non præcinendos Psalmis. Sic introitus Missæ, nomine *Antiphona* denotatur apud S. Gregorium, qui vt scribit Rupertus l. 2. de offic. cap. 21. *Antiphonarium regulariter centonizauit, & compilauit*, id est, librum edidit quem inscripsit Antiphonarium, in quem congessit omnes missarum introitus, vna cum subiuncto Psalmi versiculo, & responsorio, ac versu, & aliis versiculis ad offertorium & communionem recitandis. Quæ omnia Sanctus Gregorius variis nominibus insignit; solum verò Missæ Introitum, denominat *Antiphonam*; Totum tamen opus, in antiquis codicibus, vt testatur Pamelius in præludiis ad 2. Tomum Liturg. Latin. & apud plerósque rituum Ecclesiasticorum & Diuinorum officiorum tractatores, inscribitur *Antiphonarium*: solus Micrologus nominat *Gradualem*, sicque quod pleræque Missæ con-

cinerentur in loco eminentiori, ad quem adibatur per gradus; ſiue vt Antiphonæ Miſſarum, ſecernerentur ab iis Antiphonis quæ ſunt Pſalmis præcinendæ, de quibus eatat liber Amalarij *de ratione Antiphonarij*; ad quem præfando, notat, Romanos tribus libris ritualibus vſos, *cantario, graduali, & antiphonario*. Hinc verò vides, non idem apud omnes fuiſſe *graduale*, & *antiphonarium Romanum*, quod veriſimile eſt fuiſſe Gregorianum. Reliqui (vt dixi,) eum D. Gregorij librum ad Miſſæ ſacra pertinentem, appellant *antiphonarium*, ſiue à prima parte cuiuſlibet ſacri, hoc eſt introitu, quem S. Gregorius vocat *Antiphonam*, ſiue per extenſionem vocis *Antiphona*, ad omnes verſus & ſententias, iis ſimiles quæ Pſalmis præcinuntur. Qua vocis extenſione, nuncupata iam olim *Antiphonas*, omnia illa quæ hodie *introitus, gradualia, alleluia, offertoria, & communiones* dicuntur, obſeruat ſupra Pamelius prolegomeno a. quod eſt in D. Gregorij antiphonarium.

V. Videtur autem Rupertus lib. 1. de offic. cap. 21. & totidem verbis Innoc. 3. l. 2. de myſt. cap. 18. ſignificare, Cæleſtinum Papam antiphonas ſacrificij latè dictas inſtituiſſe. Cum enim retuliſſet Innocentius, decretum Cœleſtini de Pſalmis Dauidicis 150. ante ſacrificium, antiphonatim, ſiue alternatim canendis, ſubdit; cum priùs ante Sacrum Epiſtola tantùm & Euangelium legeretur, excerpta eſſe de Pſalmis introitus, gradualia, offertoria, & communiones, quæ cœperunt ad Miſſam cantari in Romana Eccleſia, antiphonatim. Non igitur integrum Pſalterium ante Miſſam, quod fuiſſet operoſiſſimum, ſed illæ ea vatiis Pſalmis particulæ, ea Cœleſtini decreto ſunt decantatæ, & dictæ Antiphonæ. Liber verò quo continebantur, (ſaltem ex quo à S. Gregorio in meliorem formam redactus eſt,) dictus eſt *Antiphonarium*.

Opus in Eccleſia Lugdunenſi eodem Antiphonarij nomine prænotatum, nihil ex iis quæ ad ſacrum attinebant continuiſſe, certum eſt. Nam Agobardus, cuius liber de correctione antiphonarij, ad calcem operum illius legitur, diſtinguit in fine opuſculi tres libros, quorum vſus tunc eſſet in Eccleſia ad publica officia. Nempè primò librum myſteriorum ad celebranda Miſſarum ſolemnia. Secundò, librum lectionum ex ſcripturis depromptarum. Tertiò, officialem libellum, id eſt, Antiphonarium. Inter Antiphonas tamen, vt toto opuſculo videre eſt, recenſet reſponſoria, & alia omnia ad officium Eccleſiaſticum, extra Miſſam pertinentia, præter lectiones.

VI. Nos hoc loco, has extenſiones vocis *Antiphona*, non attendimus, nec agimus de Antiphonis Sacris, niſi omnibus ad officium Eccleſiaſticum pertinentibus, quibus aliquando nomen Antiphonæ donatum legimus, ſed de iis duntaxat, quas vſus nunc receptus nominat Antiphonas; quæ ſcilicet Pſalmis aut Canticis è ſcriptura depromptis præcinuntur, ſiue ea parte, vt in minus ſolemni officio, ſiue pleoæ ac integræ: ſemper autem in fine repetuntur integræ; vnde denominatio duplicis officij à bis repetitis integris Antiphonis.

Cauſas huius varietatis circa Antiphonas, hoc eſt cur ſemper integræ in fine dicantur, & ab omnibus in recitatione publica; initio autem non dicantur ſemper integræ, nec inchoentur niſi ab vno, varias excogitarunt tractatores officiorum Eccleſiaſticorum, & pleraſque (quantum video) ingenioſiùs quàm ſolidiùs ac veriùs. Veriſimile quippè eſt, concionatores ſacrorum officiorum, vt grata varietate amœnarent diuinum cultum, & ædificationi fidelium commodiùs ſeruirent, inſtituiſſe, cum cætera, tum illam ritus diuerſitatem circa Antiphonas, nec cogitaſſe de myſteriis quæ deinde ſunt illi varietati ſuperſtructa, in quibus multus eſt Amalarius lib. 4. de offic. cap. 7. ac Gauantus comment. in Rob. Breuiarij ſ. 5. cap. 7. Ego paucis ex Durando lib. 5. Ratin. cap. 2. à n. 27. repræſentatis, ſatis factum huic loco cenſebo. Nec verò habeo quid potiùs præferam. [Antiphona (inquit Gul.) dicitur quaſi ante Pſalmum ſonans.] *Hoc iam ſupra correximus, quia tamen abhorret à vera vocis notione.* Inchoatur enim ante Pſalmum quem ipſa ſignificat, ipſa verò ſignificat charitatis copulam, ſeu mutuam dilectionem, ſine qua opus non prodeſt, & per quam opus incipit meritorium eſſe. Rectè igitur ſecundùm eius tonum melodia Pſalmi informatur, quia dilectio opera noſtra informat, & ſecundùm hoc dicatur ab *αντι* quod eſt *contra*, & *φωνη* quod eſt *ſonus*, quia Pſalmus ſecundùm melodiam eius intonatur; & manus operatur ſecundùm quod charitatis igniculo excitatur. Pſalmos autem antiphonæ intermiſcentur, quia fides per dilectionem operatur. Verùm ante Pſalmum imperfectè, & poſt perfectè dicitur, quia charitas in via imperfecta habetur, ſeu hic initiatur, ſed in patria per bona opera quæ hic ex charitate fiunt, perficietur, iuxta illud Iſaiæ, *Vinit Dominus, cuius ignis in Sion, & caminus in Hierusalem*. In præcipuis tamen feſtiuitatibus, etiam ante Pſalmum perfectè dicitur, ad ostendendum, quod in illis perfectiores in bonis operibus nos exhibere debemus. Inchoatur quoque ab vno vnius Chori, & finitur à pluribus vtriuſque chori. Primò quia charitas ab vno, ſcilicet Chriſto incipit, & in membris eius conſummatur ab ipſis; ſicut ipſe dicit in Euangelio Ioannis, *Mandatum nouum do vobis*. Deus enim prior dilexit nos; vnde & nos communiter dilectioni eius correſpondere debemus. Secundo ad oſtendendum, quod vox Prædicatorum, quæ ſemper ad vnitatem tendit, nos monet, vt quod vnuſquiſque ſingulariter operando acquirit, alteri per dilectionem porrigat: vt ſi vnus addiſcit in ſcholis, & alter ſeminat in campo, tempore fructus, Doctor ſeminanti doctrinam porrigat, & ſator Doctori panem. Cæterum Antiphona poſt Pſalmos, communiter ab omnibus cantatur, quia de dilectione commune gaudium ſurgit. Cantatur etiam à duobus choris alternatim, ad notandum mutuam dilectionem ſiue charitatem, quæ in paucioribus quàm duobus conſiſtere non poteſt. Coniungit ergo Antiphona duos choros, vt charitas per bonum opus coniungit duos fratres.]

PRÆLV

PRÆLVDIVM III.

De Antiphonis maioribus speciatim.

I. VARIA de his Antiphonis quæsita video. Primùm, cur dicantur Antiphonæ maiores, & cantico Deiparæ, potiùs quàm Zachariæ, alteriuè parti officij Ecclesiastici attexantur, & integræ præcinantur, æquè ac postponuntur. Deinde quæsitum est, quot sint, & quo ordine dispositæ. Tandem quæri tertiò posset, quis eas sic concinnarit & disposuerit; ad quod quæsitum pertinet, quàm pridem sint in vsum inductæ.

II. Ad primam interrogationem expedita est responsio; has antiphonas dici maiores, non quia duplicantur; [vt philosophatur Gauantius comment. in rubr. Breuiar. sect. 6. cap. 2. num. 1. sic enim omnes Antiphonæ festorum duplicium dicerentur maiores,) sed quia cum maiori solemnitate, quàm vllæ toto anno antiphonæ concini solent, nec sine extraordinario aliquo apparatu, in variis Ecclesiis vario, quem in audientibus sensus pietatis solito maior, ob concursum circunstantiarum tanti mysterij quod præferunt, excipere solet. De Ecclesiæ Toletanæ in hoc puncto solemnitate, testatur Ribad. 18. Decemb. De Parisiensi, & aliis plerumque Gallicanis, est hic peruulgatum. Cur autem ad canticum Virginis potiùs quàm ad canticum Zachariæ, alibiuè concinantur, non est incongrua illa Amalarij ratio lib. de ord. Antiph. cap. 13. nimirum quod hæ Antiphonæ cum sint de mysterio Incarnationis, vix spectent Zachariam, maximè autem spectent Deiparam. Nec illa item ratio est contemnenda, qua vtitur Durandus lib. 6. Ration. cap. 11. num. 5. quod scilicet canantur ad Vesperas, quia Dominus vergente mundi vespere salua honestissima Virginis matris clausula, in hunc lucem egressus est. Optima omnium esse ratio videtur, quod officium vespertinum multo soleat esse celebrius, & fidelium Laicorum vtriusque sexus concursu magis frequentetur, quàm officium laudum: vt proinde non abs re, canticum Deiparæ vespertino officio, non autem laudibus, sit addictum. Hoc autem Deiparæ canticum, siue autorem, siue materiam attendamus, esse præstantissimum, longéque præcellentissimum aliis quibusvis canticis, latè prosequitur Canisius lib. 4. de Deipara cap. 5. & Iacobus de Valentia, Benzonius, Valentinus Gerardus, Petrus Leloyerius, suis in hoc canticum lucubrationibus, præter interpretes Lucæ 1. Meritò igitur eandem ob caosam, adeò nobiles ac piæ antiphonæ, Cantico potiùs Deiparæ, nobilissimo & piissimo sunt præfixæ, quàm cantico Zachariæ, vlliuè alteri parti officij Ecclesiastici. Præfiguntur autem integræ non tam ad explicanda itersta suspiria Sanctorum, vt philosophatur Gauantius sect. illa 6. cap. 2. num. 2. quàm ob earum solemnitatem: id quod æquè in omnibus duplicibus officiis habent Antiphonæ eandem ob causam.

III. Harum maiorum Antiphonarum numerus, de quo postea quærebatur, concluditur septenario; Octauam sanè de Deipara addit, vel addi posse docet Amalar. de ordine Antiphon. cap. 13. Alicubi autem vt scribit Durandus lib. 6. Ration. cap. 11. num. 5. canuntur nouem, vna in honorem Deiparæ, altera in honorem Gabrielis internuncij. Alibi quoque cantari solitas 12. testatur idem Durandus, vt ea primerentur 12. Prophetæ qui prænunciarunt de aduentu iusti. Tamen ferè vniuersalis vsus tulit, vt non nisi septem Antiphonæ maiores canerentur. Is numerus cum Durando ibidem num. 4. & 5. ac Petro Exquilino lib. 1. Catalogi SS. cap. 1. referri potest ad denotandum septenarium donorum Spiritus Sancti, quæ Christus aduentu suo collaturus venit, septuplicem morbum nostrum sic depulsurus; factúsque nobis Doctor contra ignorantiam, Redemptor à pœnis æternis, liberator à seruitute diaboli, eductor à consuetudine peccati, illuminator tenebrarum nostrarum, Saluator ad reducendos in patriam exules; cum gentiles, vt habet Antiphona penultima, tum Iudæos vt est in septima atque postrema. Sic perfectio per Christum inuecta, optimè signari videtur, quam septenarius apertè notat, iuxta illud S. Gregorij 1. mor. c. 11. [Quid in septenario numero, nisi summa perfectionis accipitur? Vt enim humanæ rationis causas de septenario numero taceamus, quæ asserunt, quod idcirco perfectus sit, quia ex primo pari constat, & primo impari: ea primo qui diuidi potest, & primo qui diuidi non potest; certissimè scimus quod septenarium numerum scriptura sacra pro perfectione ponere consueuit. Vnde & septimo die, Dominum requieuisse ab operibus asserit. Hinc est etiam quod septimus dies in requiem hominibus, id est in sabbatum datus est. Hinc est quod Iubilæus annus in quo plena requies exprimitur, septem hebdomadibus consummatur, qui monade addita, nostræ adunationis summa impletur.

IV. Latè sed iuxta ordinem à Romano diuersum quo eæ Antiphonæ apud suos cantabantur, Amalar. lib. de ord. Antipho. c. illo 13. ad septenarium donorum Spiritus Sancti Christo inexistentem, eundem Antiphonarum numerum refert: Quod item iuxta ordinem Romanum præstat Honor. in Gemma animæ lib. 3. cap. 5. vnde etiam ratio ordinis quo ita dipositæ sunt peti potest. Verba Honorij sunt. [Septem O admirando potiùs quàm vocando cantantur. In quibus septem dona Spiritus Sancti notantur per quæ administratur Incarnatio, & per quæ Christus ab Ecclesia inuitatur. Ipse quippè est sapientia in qua Pater fecit omnia, qui venit in Spiritu sapientiæ, docere nos viam prudentiæ. Ipse Adonai, quod nomen Moysi indicauit, cui legem in Sina dedit, qui venit per spiritum intelligentiæ nos redimere. Ipse radix Iesse qui in signum populorum stetit, dum per signum crucis vbique adorari voluit; qui in spiritu consilij, nos liberare venit. Ipse clauis Dauid, qui cœlum iustis aperuit,

ctantibus ad Missam c. 4. memorare S. Hilarij librum de Officiis, vbi & aduentus, & officij in eo obeundi mentio habetur. Opus tamen illud esse magni Hilarij Pictauiensis, non persuadet Berno.

VII. Iam quando ad singulas hasce Antiphonas maiores descendere consilium non est, iuuat obiter in hac meta, singularum argumenta attingere, & vbi à nobis, vel ab aliis de huiusmodi argumentis disputatum sit, indicare: vt si quem cupido incessat agendi de singulis, habeat vnde petat differendi materiam. Alia de singulis hisce Antiphonis dabit Clyctouæus lib. 2. Elucidat. Ecclesi. cap. de Antiphonis in Aduentu Domini ad Canticum B.V & Ioannes Tiepolus lib. de Expectatione partus Deiparæ, à c. 15. ad 21.

Prima Antiphona, proponit diuinam in mysterio Incarnationis sapientiam, & aduentum Christi ad docendum nos viam prudentiæ. Agimus de diuinæ sapientiæ splendore in hoc mysterio, l. 5. de Christo sect. 2. cap. 3. cum de Christo Dei facie; post Eucherium homil. 11. de Pasch. S. Gregorium lib. 17. mor. cap. 15. Rupertum lib 2. de oper. Spiritus Sancti cap. 24. & fusissimè Nyssenum in oratione magna Catechet. cap. 26. Quomodo ea sapientia attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter, copiosè differimus in commonitorio vt sit moderatio quod dicitur §. 5. & 15. post Hugonem hom. 11. in Eccles. De Christo autem viam prudentiæ docente plenè lib. 5. de Christo sect. vltima cap. 4. cum de Christo Sole Iustitiæ, præmonstrante viam virtutum. De seculi sapientia in hoc mysterio infatuata, benè & latè S. Bern. ser. 3. in die Natiu. Vniuersam hanc Antiphonam, insigni paraphrasi expressit Amalar. de ordine Antiph. capite 13.

VIII. Secunda Antiphona, proponit Christum ducem domus Israël, expressum in rubo incombusto, cuiúsque aduentum ad redimendum nos in brachio extento efflagitat. de Christo Duce, copiosè lib. 5 de Christo s. 4. cap. 4. tractando titulum Regis virtutum; siue ductoris exercituum Domini. De imagine Incarnationis in rubo incombusto, actum lib. 1. de Christo num. 62. ex Gregorio Magno, atque Nysseno, Theodoto Ancyrano, atque Lyrano. & Cantacuseno. Adeundus item Fernandius visione 6 comment. 2. sect. 4. & 5. De Christo Redemptore in brachio extento lib. 5. de Christo sect. vlt. cap. 19.

IX. Tertia Antiphona, exhibet Christum radicem Iesse, stantem in signum populorum, super quem continebunt Reges os suum, quem gentes deprecabuntur De Christo radice Iesse l. 2. de Christo, s. 5. cap. 7. tractando allegoriam Verbi insiti. Videsis etiam Interpretes Isaiæ 11. vers. 10. & Rom. 15. vers. 11, & Apocal. 5. ac 22. Legendus insuper qui Christo radice Iesse, opusculum conscripsit Richardus Victorinus. De hac radice in terra quasi senescente, & emortuo eius trunco mox pullulante, & conatum faciente, quasi cum primùm plantatum est, insigniter S. Greg 12. mor. c. 4. de Christo stante in signum populorum, quia factus est vexillum & labarum Christianæ militiæ confisus cruci, vt Isaias cap. 11. vers. 10. prædixerat, lib. 5. de Christo s 4 cap 4. de Regibus super Christum continentibus os suum, id est ei plenè subiectis, ac ne hiscere quidem coram eo audentibus, latè tractando titulum *Regis Regum*, lib. 5 de Christo s. 4. cap. 1. & 2. & sect. vlt. cap. 14. tractando titulum *Christi victoris*. De gentibus Christum deprecantibus, infra fusè tractando; *O aduerbium*.

X. Quarta Antiphona, Christum indigetat clauem domus Dauid, vinctos educentem de domo carceris. De claue Dauid Christo nadita lib. 5. de Christo s. 4. cap. 1. & 2. De Christo vincula nostra dissoluente, l. 5. de Christo s. vlt. c. 13.

Quinta Antiphona, Christus, Oriens & Sol Iustitiæ ad nos illuminandos, compellatur. De Christo Oriente lib. 2. sect. 5. cap. 7. tractando Verbum insitum. De Christo sole iustitiæ, plenè lib. 5. de Christo sect. vltima cap. 4.

XI. Sexta Antiphona, Christum proponit Regem gentium, & desideratum earum, lapidémque angularem de Christo Rege, plenè lib. 5. s. 4. cap. 1. & aliquot sequentibus. De Christo desiderato à Gentibus, Guerricus serm. 1 de aduentu, & nos infra cum de O aduerbio. De Christo lapide angulari, l. 5. de Christo s. 4. c. 8.

Septima Antiphona Christum repræsentat Emanuelem, Regem, ac legiferum, & Saluatorem nostrum. De Christo Emanuele lib. 2. de Christo, tractando compositionem Christi ex persona Verbi Dei, & humanitate s. 1. 2. 3. & 4. & lib. 5. s. 1. cap. 1. tractando titulum *Magni Dei*. De Christo legislatore l. 5. de Christo s 4 toto cap. 6. De Christo Saluatore, l. 5. de Christo s 5. c. 15.

Præter has septem Antiphonas Ecclesia Parisiensis adhibet alias duas, vnde in ea vsus canendi has Antiphonas maiores initium sumit à die 15. Dec. Sexta his verbis concipitur: *O Thoma Didyme, qui Christum meruisti tangere, succurre nobis miseris, ne damnemur cum impiis in aduentu Iudicij.* Nona & vltima sic habet. *O Virgo virginum, quomodo fiet istud, quia nec primam similem visa es nec habere sequentem. Filiæ Hierusalem quid me admiramini? Diuinum est mysterium, hoc quod cernitis.* Referuntur hæ Antiphonæ à Iodoco Clyctouæo lib. 2. Elucid. Ecclesiastici cap. de Antiphonis in Aduentu Domini. Admonebat verò me nuper Illustrissimus Petrus de Maridat, in magno Consilio Regio Consiliarius, has Antiphonas Lotetiæ, ter repeti. Nam primò canuntur ante *Magnificat*; Tum secundò, in fine eiusdem Cantici, ante *Gloria Patri*. Tandem tertiò post *Gloria Patri*. Sola sexta Antiphona, semel tantùm concinitur. Nihil horum annotauit Clyctouæus, cuius Ecphrasim in singulas prædictas Antiphonas, apud eum legere licet loco annotato.

PRÆLVDIVM IV.

De multiplici notione τῦ O.

I. LITERAS de Grammaticorum sententia, nominatim Prisciani lib. 1. *ferè initio*, dictas quasi *legiteras*, ait Philippus Abbas, l. de silentio cap. 45. eo quod per eas iter legentibus præbeatur; & ita sint verborum signa, vt plerumque etiam verborum nomine veniant. Est id quidem frequens in actu (vt ita dicam) signato; quo spectat longa Philippi ibidem disputatio, qua confirmat, literas plerumque nominari verba, & sermones, vt Exodi 24. & 34. Tamen in acto etiam exercito, idem non tarò valet; Nimirum quoties vna litera ex vsu recepto, vel deputatione particolari, supponit pro alio aliquo, & æquiualet nomini, aut verbo, alterivè cuipiam parti orationis declinabili, aut secus. Non esset difficile, pluribus id exemplis illustrare; sed perpaucis signatis, rem conficiam.

II. Inter diuersa artis Notoriæ genera, illud erat & Hebræis olim & Gentilibus admodum frequens, quo vna duntaxat litera (nimirùm quæ in dictione quapiam primam sedem occupat,) pro tota dictione vsurpabatur. In quem sensum sunt qui accipiant illud Manilij 4. Astronom. cum agit de nato sub signo Virginis.

Hic & scriptor erit fœlix, cui litera verbum est.

Prænunciabat enim, sic natum, fore expeditum Notarium, qui posset celerrimè excipere quæ dicebantur? eo quod vna litera notata, verbum aut vocem integram designaret. Video posse id quoque extendi, ad eam artis notoriæ partem, qua singulæ vnius vocis literæ, ad vnam integram dictionem exhibendam adhibebantur; vt notum est de nomine Adam: cuius quatuor literas, quatuor mundi plagas signare, dicit S. Cyprianus tract. de montibus Sina & Sion. num. 24. & S. August. tract. 9. in Ioan. quod item iactatur ex l. 2. oracul. Sibyllinor. Similiter de voce *Nimreset*, quam vulgatus vertit *pessimam maledictionem*, S. Hieron. in qq. ad l. 3. Reg. exponens maledictionem Semel, scribit eam vocem totidem significare inania conuitia, quot habet litteras è quibus ea dictio compingitur. Cognomen item *Machabæi*, Assamonæis tributum est à quatuor literis quibus ea vox Hebraicè compingitur, quarum vnaquæque litera pro integra dictione supponit, vt pluribus differunt Sixtus Senensis lib. 1. bibl. agendo de libris Machabæorum. Baron. ad martyrol. Rom. 1. Aug. Sancius prologo. 1. ad librum Machabæorum. Vocem *Beelas*, hoc artificij genere commentus, postéaque interpretatus Photius, viam sibi ad sedem Constantinopolitanam iterato aperuit. Artificium detego; agens de insta confusione librorum, ex Constantino Manasse n. 205. vbi de simili vafricie Episcopi Thessalocinensis in voce μάρων. In hac igitur scribendi compendiaria ratione verum quoque dictu est, literam scriptori verbum esse. Tamen planissimè & expeditissimè loquendo, literam verbum esse, dicitur de scriptionis compendiariæ ratione admodùm huic affini: nimirùm de ea quæ vno constat elemento literario inconnexo, integram aliquam dictionem signante; cuiusmodi est quod in Æsopi vit. de columna septem literis signata, & ab Æsopo tripliciter exposita, proditur.

III. Mitto referre similia, quæ latè recensentur à Sixto lib. 3. titulo de primo elementariæ expositionis modo. Et idem est quod titulus crucis Dominicæ quatuor initialibus literis inconiunctis exprimi solet, I. N. R. I. non quod à Pilato qui subiectam sententiam omnibus patere cupiebat, compendiariè sit scriptus; sed quod à Christianis, Latina illius tituli scriptura, tali compendio sit expressa.

Simile præterea est, quod *Senatus Populúsque Romanus*, primis singularum illarum vocum elementis, sic delineatur, S. P. Q. R. Vbi si verum est quod scribit Corrasius lib. 5. miscell. cap. 15. num. 5. aliud simile artificium compendiarium latet. Cum enim Sibylla præfixo crucis signo † laminæ aureæ has literas insculpsisset, S. P. Q. R. id est, *Salua populum quem redemisti*; Romani illis literis aliam subiecere notionem, quasi signum crucis quod inter notas Ægyptiacas pro vita futura & perennitate vsurpabatur, Senatui suo ac populo, vitam & perennitatem auguraretur.

Disputat ibid. Corrasius de *Papa* nomine, & præter alias vocis illius notationes, eam non omisit, quæ nonnullis ac inter cæteros Anastasio Germonio lib. 2. animaduersorum cap. 1. addocto Carolo Pascalio probata est; nimirum quod cum olim Romanus Pontifex tanquam orbis vniuersi in Christo Pater, appellaretur *Pater Patriæ*, vel quod est probabilius, cum Episcopus Episcoporum, *Pater Patrum* denominaretur, & binæ illæ voces compendiariis notis per initialem vtriúsque literam P. designarentur; factum sit, vt imperitum vulgus vocem *Papa* ex illis conflarit, vi singularum literarum minimè percepta. Simili propè hallucinatione, qua Alciatus lib. 3. dispunct. c. 16. ad imperitorum librariorum oscitantiam refert, quod liber Digestorum, siue Pandectarum, gemino ff. nexo indicari soleat. Quod enim ex prisco vsu, etiam in Latio, opus illud signaretur litera Π, quæ initialis est Græci vocabuli Pandectarum, adiecto accentu circumflexo; ignarus scriptor Π circumflexum in duplex ff. adiecto voco transfigurauit.

IV. Neminem latet priscum artificium Christianum, literarum formatarum, aut vt S. Bernard. epist. 210. vocat *bullatarum literarum*. Assumebantur prima Græca elementa nominum *Patris*, & *Filij*, ac *Spiritus Sancti*, π, υ, & α. Addebatur primò litera nominis Petri Apostoli, vt esset nota Catholicismi. Subnectebatur prima litera nominis Episcopi scribentis; & secunda eius ad quem literæ dirigebantur; nec non tertia eius qui literas accipie

accipiebat; ac denique quarta vrbis è qua dabantur literæ. Tandem apponebatur numerus indictionis; & particula Ἀμὴν, veluti clausula, obsignabat vniuersum artificium; de quo pleniùs Pamelius ad lib. Tertulliani aduersus Prax. n. 10. Sirmondus ad 6. Sidonij epistola 8. Baron. anno Christi 142. & 385. Ferrarius tract. de literis Ecclesiasticis, & alij. Non iniuria quoque adduci in hanc rem queat commentum illud Hæreticorum apud S. Iren. l. 1. c. 10. hominem, & singula eius membra, variis literis inconnexis designantium.

V. Hæc de innumeris pauca compendiariæ expressionis exempla, satis superque demonstrant, vnius literæ angustiis concindi plerumque integri nominis, aut verbi, aliarúmvè orationis partium significationem. Quod in litera O specialiter nobis est exponendum hoc loco, multiplici eius notione proposita in ordine ad mysterium Incarnationis, cui literarum inuentum diuinitùs esse promissum, censuit Rupertus l. 3. de Victoria Verbi Dei cap. 4.

Habemus ergo inprimis primæuam notionem ac suppositionem, qua O prolatitium de quo agimus, literam siue elementum grammaticum designat: estque duplex charactere apud Græcos, Ω scilicet & O, sed prolatione vnicum, sicut etiam apud Latinos, quanquam Fabius lib. 2. cap. 15. etiam charactere apud vtrosque vnicum O, sola quantitate discretum agnoscit. Idque multis illustrat Muretus lib. 18. variar. c. 1. Apud aliquas quidem Italiæ ciuitates, Vmbrorum præsertim, & Thuscorum, non fuisse in vsu O literam, sed loco eius V posuisse, scribit Priscianus lib. 1. cap. *de accidentibus literæ*, laudato in eam rem Plinio. Verùm paucorum paupertas, vel vitium, nihil incommodat receptissimo vsui agnoscendi O literam.

VI. Secundò, aliàs O vsurpatur in vi nominis. Sic enim Petrus Diaconus lib. de notis Romanorum, refert, inter Antiquas notas & dictionum compendia, O adhiberi solitum pro voce *os*, vel *osculum*, quod à voce *os*, deriuari Varro docet. & vnum pro altero accipi obseruat autor alterc. Synag. & Eccles. cap. 16. Idem Petrus Diaco. literam O in notis, obseruat vsurpatam pro adiectiuo nomine *omnis*. Valerius Probus in opere eiusdem argumenti, annotat eandem literam O in notis adhibitam pro voce *optimus*. Id quod notissimum est ex titulo Iouis. Ex quo vsu Romano manasse crediderim, quod aiunt qui scribunt de moribus Hyberniæ; nimirùm qui cæteris eminent O literam nominibus præfixam habere. In quam rem hæc verba habet Richardus Stanihurstus. [Hybernicorum primariorum nomina, à quarta ferè vocali exordium sumunt, vt V.G. O Helus, O Cartolus, O Morus, O Connorus] quod alibi dicitur *Don Carolus*, *Don Petrus*, hoc Hiberni dicunt per O præfixum, vsu vt videtur hausto à Romanis, ad signandum optimatem, vel optimum. Iidem Romani, vt testatur loco annotato Valerius Probus, per O interdum signabant *optimum Principem*. Qua ratione O sumitur in vi nominis adiectiui, simul & substantiui.

VII. Tertiò, vsu receptum est, vt O aliquando sit nota excurrentis numeri, quod ex se quidem ac per se nihil significat, additum tamen extremo significanti, conficiat numerum. Vulgò dicitur *Zero*. Ea hac ratione, O accedit ad pronomen, quia est prouocabulum positum pro nomine numerali. Scio O non esse propriè pronomen, in quam rem fusè disputat Priscianus l. 13. agens de casu vocandi; sed non attendit sensum quem proposui.

Quartò addit Valerius, aliam quoque notionem τῷ O, in antiquis inscriptionibus, docens adhibitum aliquando in vi verbi, & significasse *operiet*.

VIII. Notius videtur quàm vt confirmatione egeat, O sumi aliquando in vi aduerbij desiderandi, vt in illis Persij versibus.

——— O si
Ebullet patrui præclarum funus; & ô si,
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule. ———

Vetéque sic sumptum O, insimulari potest latrocinij, translatis in illud probris omnibus, quibus τὸ apud Lucianum in iudicio vocalium oneratur. Argutatur quidem Iulius Scaliger l. 9. de causis ling. Lat. c. 158. negans esse aduerbium optandi, addensque in exemplis, in quibus O existimatur esse aduerbium optandi, esse interiectionem: quandoquidem nullus per O modus verbo apponitur. Vnde nullum putat esse aduerbium optandi, ac ne ipsum quidem *vtinam*, quia *vtinam amarem*, iuxta Scaligerum, aliud nihil est quàm *amarem* Et illud,

O mihi præteritos referat si Iupiter annos.

Idem esse ait Scaliger, ac si dictum esset, *heu quare mihi Deus non refert exactos iam annos.* Has Scaligeri siue argutias siue tricas, & in plano salebras, non amplector, & vel ex obtorto illo planéque extraneo sensu versiculi propositi liquere posse existimo, de huius in re grammatica metaphysicæ soliditate. Desiderium enim recurrendi iteratò per vitæ scamma, si fieri posset per diuinas leges, honestum est, nec aliis verbis exprimi breuiùs posset; quàm quæ continentur eo versiculo; affectus autem ille dolentis, & de diuina lege expostulantis, quod annos voluerit esse irremeabiles, nec obnoxios repetitioni; sordet ingenti labe. Æque ridiculum, & falsum est, quod ait Scaliger, idem esse *vtinam amarem*, atque *amarem*. Hoc quis sibi persuadeat; cum significatio τῷ *amarem*, sit ex se prorsus Indeterminata, per appositam autem particulam *vtinam*, vel ô, determinetur ad notionem & expressionem desiderij? Ex quo concidit Scaligeri argumentum, quo probabat has particulas esse albo aduerbiorum expungendas, ex eo quod per ô vel *vtinam* nullus modus verbo apponatur. Et quanquam circa expressionem desiderij per ô, tricari liceret sitnè aduerbium; tamen videtur recisa omnis facultas ambigendi, quin ô sit vocandi aduerbiũ, cum dicitur, ô *Petre*, ô *Paule*, quod perinde est ad rẽ nostrã, & ad contritionem argumenti à Scalig. prolati.

IX. Sexta notio τῷ O, ea est, qua vsurpatur in ratione interiectionis, id est ad exprimendum affectum quempiam; nominatimque admirationem animi veluti stupentis & extra se facti. Valet etiã litera O ad expressionem lætitiæ. Sic enim Festus, *Ouantes* ait, dici lętantes, ab eo clamore quẽ faciũt cedeuntes expugna, victores milites, geminata O litera. Varias tales acceptiones τῷ O, refert & illustrat Rabanus in Prolog. regulæ S. Bened. *ferè init.*

Septimò & postremò, spectari potest ô figuralet quod scil. figuratione & conformatione refert ô scriptum: cuiusmodi est circulus, rota, armilla, annulus, ouum. O quippè scriptum, vel globosa vel ouali forma pingi posse notissimum est, obseruatúrque præter cæteros à Fabio Paulin, lib. 1. hebdomadum cap. 7. Illorum ergò omnium, ad mysterium Incarnationis cui hæ Antiphonæ addicuntur, correspondentia est non exigua. Dicamus de his omnibus acceptionibus sigillatim.

PVNCTVM PRIMVM.

O Elementum seu Litera.

I. O ELEMENTVM, duplex est; magnum & paruum. Ita enim subdistinguunt Græci, & scriptione quoque ac figuratione secernunt, quod prolatione vtiuis; apud Latinos autem etiam scriptione & charactere, vnicum est, idque voluit Ausonius Edyllio 15. cum dixit:

Ω quod & ω Græcum compensat Romula vox O. Sensus est, & ω magnum, & ὀ μίκρον, quod olim græcè dicebatur ω, Latinis vnica litera O designari. Quod enim posteà Græci pronunciarunt & expresserunt per ὀ *paruum*, olim pronunciatum & expressum apud eosdem Græcos fuisse per ω, liquet ex eodem Ausonio, cum ibidem ait, describens ὀ μίκρον.

Hoc tenet argutóque sono negat Attica gens ω. Et Epistola 25.

Vna fuit quondam, qua respondere Lacones, Litera, & irata Regi placuere negantes.

II. Eam literam, quia Philoxenus rescripsit Dionys. se reuocanti, vocarunt φιλοξένειον γράμμα.

Postea tamen apud Græcos, & scriptione & denominatione vnicum O Latinum expressum est duplici litera, vocarúntque ὀ μέγα, & ὀ μίκρον, ω, ο, nec desunt qui vtrumque O similiter scribant, vt liquet ex veteri numismate, quod refert Rosuedius ad carmen 26. S. Paulini. Nec sanè aut necessaria aut opportuna est ea discrepans figuratio, si adhibeatur adiunctum illud μέγα, quod tamen est adhibitu necessarium apposito O, vt secernatur ab O paruo, quod sibi propriam fecit eam figuram, cum non additur alia determinatio. Hæc apud Grammaticos rata sunt. Quibus nescias an aliquid in hanc rem magis appositum, & in mysterium Incarnationis aptiùs cadens, dici vel excogitari queat. Eo ipso enim quod τὸ O, litera est ac elementum Grammaticum, spectat compositionem. Nam vt philosophatur Priscianus lib. 1. *ferè initio*, sicut elementorum est cogi in vnum mixtum & illud per sui adunationem componere, ita literarum est, necti in vnam syllabam vnde existunt dictiones & orationes. Eius autem compositi quod Christum appellamus, extrema, quæ per Incarnationem tanquam per nexum & vinculum, vt cum Nouatiano dicam, confibulantur; alia non sunt quàm diuinum Verbum & humanitas, quæ optimè omninò notantur per ὀ μέγα, & ὀ μίκρον, siue per ω & ο. Itaque Christi structura, atque compages, qua huius mysterij substantia continetur, huius elementi biformis ac binomij symbolo, egregiè exprimi videtur. Sed dicamus nonnulla distinctiùs.

III. Aio ὀ μέγα notare Verbum diuinum, ac Deitatem; quorum illud immediatè, hæc mediatè, ac per Verbum; siue in Verbo humanitati nectitur. Notum id ex eo Christi titulo, quo ipsemet se insigniuit, α & ω, de quo latissimè libro quinto, de Christo sect. 5. capite primo. Nam quamuis multi ibidem adducti, eum titulum Christo homini adscribant, nec sine idoneo & graui fundamento; Tamen sensus aliquorum qui eum titulum verbo tribuunt non est aspernendus: fortéque ambæ sententiæ eodem recidunt, quia Christus Deus homo non habet vt sit ω, nisi inuoluto Verbo; non connotatiuè tantùm, sed etiam directè, ac per se primò. Et ita planè pronunciarunt Clem. Alexandr. VI. Strom. & Fulgent. libro secundo, ad Trasim. capite quinto. Iuuat verò id illustrare insigni loco Philippi Abbatis tomo 1. Moralit. in Cant. qui cum examinat quorsum Spiritus Sanctus prouiderit, vt libri Canticorum initialis litera esset O (eius enim initium est *osculetur me,*) ita differit.

Quærendum nobis est, quare idem Spiritus Sanctus eundem librum ab O litera incœperit, & quid sibi in hac litera plusquàm in aliis literis placuerit. Veruntamen Sacramentum huius literæ quæ est O, quantæ sit autoritatis & dignitatis, ipse dignatus est ostendere, qui eiusdem literæ nomen sibi imposuit, dicens; *Ego sum α & ω*, id est principium & finis. Principium (inquit) sum, dans principia existendi omnibus creaturis. Finis sum, id est consummatio, quia omnibus hominibus deficientibus solus remaneo, quoniam ego sum Deus & mutabilitati nequaquam subiaceo. Vnde Iacobus Apostolus ait: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quod autem Christus finis sit, id est consummatio, Paulus manifestat cum dicit: *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Denique si Sacramentum huius literæ quæ est O, adhuc subtiliùs indagare voluerimus, in nulla alia litera tantam figuram non solùm totius orbis, verùm etiam ipsius Dei reperiemus. Ex omni parte sui, rotunda & perfecta inuenitur; sicut orbis huius sæculi, à Philosophis in mundum sphæræ rotundus describitur.

Inferiùs quoque in primo sensu Tropologico, ait hanc literam signare Deitatem, quia est symbolum perfectionis: nam vndecunque plena est, & caret angulis. Neminem item latet, hanc literam esse simplicitatis symbolum. Sic enim S. Pachomius vt Monachos simplices designaret, eos notari mandabat per literam O, vt disertè habet Nicephorus lib. 9. cap. 14. & Pallad. sect. 35. Lausia: Non dissimiliter ac multi alij apud Photium Cod. 190. à variis literis denominati sunt. At simplicitas, & perfectio mera & impermixta, Dei sunt characteristicæ. Hanc doctrinam admittunt, & O esse symbolū Diuinitatis, ob defectum finis ac principij, atque adeò ob independentiam, agnoscunt Goropius in Hermatena lib. 5. & Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Deip. cum tractat affinitatem harum vocum & rerum per eas signatarum *Virga*, & *Virgo*. Suffragaretur que S. Dionys. de diu. nom. cap. 4. *in fine*. Deum ita describens, vt sit [velut circulus quidam sempiternus, propter bonum, ex bono, in bono, & ad bonum, certa & nusquam oberrante glomeratione circumiens, & in eodem & secundùm idē, & procedens semper, & manens ac remeans.] En verè *O magnū* Verùm hæc non spectant Deum nisi vnum.

IV. Addit verò Philippus Abbas eodem loco, quod diuinam quoque Triadem per *O magnum* adumbrari monstret; considerata Græcanica illius figuratione, absque adiuncto μέγα. [Præterea (inquit) si secundùm Græca elementa attentius inspicimus istam literam ω, proculdubio inuenimus eam esse trimembrem; id est tria membra habentem. Quid igitur designant tria membra in vnam ω literam sursum respicientia, nisi tres personas in vnius summæ Trinit. substantia? Non ergo casu, sed certo diuinitatis mysterio, Spiritus Sanctus exordium huius libri ab ω litera inchoat, quia illum liber iste per omnem textum

sui

sui prædicat, qui totum orbem de nihilo creauit, & seipsum vnam esse in Trinitate personam, in Euangelio declarat, dicens: *Ego & Pater vnum sumus.* Tria igitur ω literæ membra in cœlum respicientia, tres personas (vt prædiximus) declarant, in vna Trinitatis substantia. Et benè eiusdem literæ membra sursum aspiciunt, & quasi de cœlo venientia deorsum literam vnam faciunt, quia cognitio Sanctæ Trinitatis, per Dominum Iesum ad nos descendit, & in vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, per fidei vnitatem, sedem sibi collocauit.


V. Nec deest quoque in hac litera specialis adumbratio secundæ personæ Sanctissimæ Trinitatis, siue Verbi Dei, fontis sapientiæ, quæ est persona incarnata. Hoc pulchrè prosequitur Richardus à S. Laurentio lib. duodecimo, de Deip. Sic enim scribit. [Notandum est de abundanti quod Filius Dei appellat se *Alpha & Omega* Quasi dicat, *omnia cognosco, omnium scientiam habeo.* Comparat autem se literis, quia ipse est illa sapientia quæ verè literatos facit. Nam ipse est verbum Dei, & Dei sapientia. Comparat se Alpha, quod interpretatur *potens*, vt doceat quod ab ipso petenda est sapientia. Sicut dicitur Iacobi 1. Comparat se vocalibus, quia ad hoc venit, vt nos vocaret ad regnum. Item quia ipse est ille liber, in quo mutæ vel liquidæ non sunt literæ. Item per duo maximè vocat nos; scilicet per considerationem principij nostri, & per memoriam finis nostri. Ideò se comparat illis literis, quæ extremæ sunt & finales. Item Græcis literis & non Hebræis, quia ad literam sapientia incepit à Græcis. Item vt doceat nos, quod non solùm Theologica, sed etiam sapientia Prophetica à Domino Deo est. Et ad hoc notandum, quod hæc litera A, triangularis est; hæc litera O, rotunda. Et hæc litera A, significat fidem triplicatam; scilicet de tribus personis in vnitate substantiæ, sicut A, vna est litera, sed tamen triangularis. Vel etiam isti tres anguli significant fidem Sacramentorum, testamentorum, articulorum. Hæc verò litera O, quæ rotunda est & circularis, significat perfectionem.] Itaque iuxta hunc autorem, non aliud esse videtur quod Christus ab his literis denominatus est, quàm quod Apostolus eum nominauit autorem fidei & consummatorem: & per *O magnum*, summa fidei perfectio, quæ vera Sapientia est, per Dei verbum mundo inuecta insinuatur.

VI. Ὀμίκρον siue *O paruum*, optimè denotat alterum Christi extremum; nempè humanitatem, vt disertè habent Beda & Haymo, quos refert & sequitur Albertus Magnus Apocal. 22. Nec probatio est operosa. Nam litera O, vt ex variis iam tetigimus, est imago Dei, qui est *O magnum*. Igitur homo qui imago Dei est, censeri debet ὀ μίκρον, id est *O paruum*. Deinde O imaginem præfert mundi maioris, ob formam rotundam, hominem autem esse paruum mundum, peruulgatissimum est ex Philone in Cosmopœia, & lib. de plantat. Noë, Nazianzeno orat. 42. & Iamb. 18. Basilio hom. vndecima Hexam. & passim aliis. Accedit quod ex ipsius Christi ore à se acceptum, prodidit S. Gertrudis libro quarto, insinuat Dio. piet. c. 27. nempè O esse notam doloris. Qui enim præ dolore gemunt, crebrò erumpunt in eam vocem; non ad laudandum propatorem, vt fingebat Marcus hæreticus apud S. Irenæum lib. 1. cap. 11. sed ad prodendum vlcus animi atque dolorem. At homo nihil aliud reuera est, quam labor & dolor. Ad hæc O est litera notitia pro quo prisci Latini vsurpabant V, vt fusè prosequitur Politianus lib. 5. Epist. 3. Et humanitas nouissimum est Dei opus, ac de vno quoque nostrum dicitur, *hesterni sumus*, Iob. 8. D. Augustinus ad titulum Psalmi 83. pecuniæ formam vbiuis gentium ait esse orbiculare, quia non diù hæret apud vnum Dominum, sed est in perpetuo transitu & mutatione. [Quid (inquit,) tam incertum, quàm res volubilis? Nec immeritò ipsa pecunia, rotunda signatur, quia non stat.] Idem de honore, & diuitiis, & quouis mundano bono habet Chrysostomus hom. de nom. Abraham. Ita homo qui nunquam in eodem statu permanet, rectè adumbratur per O. S. Ambrosius sub finem libri tertij de Virg. eodem refert rotam in medio rotæ. [Rota enim (inquit) super terram, vita est corporis ad animæ aptata virtutem, & ad Euangelicum, cohærenti cursu, formata præceptum. Rota autem in medio rotæ, veluti vita intra vitam, quod sanctorum sibi vita non dissonet, sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit & sequentis; vel quod in hac vita corporis, vitæ voluatur vsus æternæ.]

VII. eodemque non inscitia retulerimus, rotam natiuitatis nostræ, inflammatam à gehenna Iacobi 3. Rota enim natiuitatis, id est, *rota nobis natiua*, vel quam à generatione & natiuitate prima voluimus, (sicut vultus natiuitatis in speculo consideratus, est natiua facies per speculum exhibita;) aliud non est quàm ipsa vita nostra, quæ in modum rotæ perpetuò circumuoluitur, & efformat rotam, seu circulum, ac veluti O, quod eleganter expressit in eum Iacobi locum Oecumenius, ad hoc ipsum accommodans locum Psalmi 64. quo vita nostra vocatur *corona*, cum dicitur, *benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Profecit ex Isidoro Pelusiota, qui lib. 4. epist. 1. ita in hanc rem scribit. [Quandoquidem circularis est figura temporis, quippè cum dies septies, circumuoluatur in hebdomadam; hebdomada autem in mensem; menses verò in annum, rursúmque in eadem signa quæ peragrauit, restituatur. Hanc ob causam alibi quidem *corona anni*, alibi verò *rotam generationis*, scriptura appellauit. (Circuli namque, & coronæ, & rotæ eadem est figura,) quod quatuor horæ, videlicet vernum tempus, & æstiuum, & autumnale, & hybernum, inuicem quodammodò manus connectant, & annum circumuoluant; atque ita optimam quandam choræam ducant.] En *coronam & rotam nostram*, apud Psaltem, & Apostolum. Annuitque iuxta grauiores interpretes, Ecclesiastes capit. 12. in præclara illa ingruentis mortis descriptione, per omnia signa & effectus mortis. Ibi enim præter cætera mentio est *rota super cisternam confracta*; quam interpretantur vitam nostram. De qua etiam Olympiodorus accipiendam decernit, eam totam in qua vox tonitrui diuini auditur Psalmo 76. Tandem Hugo Victorinus in illud Thren. 2. *Vocasti quasi ad diem solemnem qui terrerent me de circuitu*; ait, vitam humanam esse circuitum ac circulationem quandam, quia post excursum aliquem in temporales actus, illuc tandem redimus per mortem, vnde prodieramus per natiuitatem. Optimè. Nam etiam eam ob causam Hebræi atque Gentiles defunctorum corpora sudario & instititis, siue oblongis tæniis, instar fasciarum infantilium, obuoluebant, vt videre est apud Chiffletium lib. de Synodo sacra. Bisuntina capite 7. & 28. Hoc ipsum aliter his verbis dixit

Hugo Victorinus lib. 5. erudit. Theol. titulo 51. cum describit ritus dedicationis templi. [Vita nostra est quasi linea circumducta, ad literam redeuntis. Apulnere enim punctum incipiens, & per defectus naturales progrediens, circulariter ad puluerem reuertitur. Hanc periodum inenarrabilem fecit manus Domini impellentis nos, cum ait, *Terra es, & in terram ibis.*]

VIII. Ex his satis superque monstratum manet, naturæ humanæ bellè conuenire cum O, & quidem *paruo*. Quid enim homine exilius, siue durationem, siue extensionem localem, siue potestatem, & quæcumque ad eam attinentia consideres? Duratio, homini planè breuia est. vt non sint flores illi caduciores, nec vlla vestigo fugacior. Præ oculis posse vitrum videri firmum, cum vix nisi ab extrinseco corrumpatur, nos autem ab intrinseco pateamus cladi, admonet S. Augustinus serm. 1. de verbis Domini, & homil. vigesima-octaua ex 50. qua nulla est vel concepta formabilis maior fragilitas. Paruitas nostra quoad extensionem, inexplebilia mortalium vota immensum propè diffusa condemnat, de Magni Constantini sententia, vt in eius vita scribit Eusebius libro quarto, capite trigesimo, quod in Ablauium rapacissimum Prætorij Præfectum, ab eo intortum fuisse, haud abs re coniectat Baron. anno 326. *ad finem.* Potestas nostra & fortitudo, quasi fauilla stupæ, & opus nostrum quasi scintilla, vt Isaias cap. 1. professus est. Nihil addi videtur posse ad ea quæ S. Chrysostomus in Ps. 38. ad illud *veruntamen frustra conturbatur*, de hominis exiguitate ac tenuitate, quocumque ex capite spectetur, pleoè, neruosè, & eleganter disputat. Itaque vndecumque hominem spectemus, homulus reuera est, & ὀμικρον. Habemus ergo duplex elementum O, ὀμικρον ὀμέγα, & ὀμικρον, bellè exprimere duo extrema Christum compingentia; nempè diuinitatem & humanitatem.



PVNCTVM II.

O Nomen.

I. MONSAAM præludio tertio, O in vi nominis, apud tractatores notarum Romanarum, vsurpari aut substantiuè, pro *ore*, vel oris deriuatiuo, iuxta Varronem lib. de vita populi Romani, referente Nonio capite quinto, id est pro *osculo*, & adiectiuè pro *omnis*, vel *optimus*, aut etiam *optimus Princeps*. Nihil potuit congruentius proferri ad exprimendam extremorum Christi, de quibus hactenus, coniunctionem, quam passim vocamus vnionem hypostaticam, & ad eam consequentem in Christo perfectionis & dignitatis abyssum.

Vt autem ab osculo, quod per ô in vi nominis substantiui vsurpato exprimitur, initium ducam; Non me latet, quàm diuersimodè Patres ac interpretes, *osculi* nomen ad locutionis mysterium accommodent. Videndi ad vestibulum Canticorum in illorum verborum expositione, *Osculetur me osculo oris sui.* Ad eum locum Sanctus Bernardus sermone octauo, stringens osculum oris, ab osculo impresso per ipsum oris osculum, opinatur sponsam poscere Spiritum sanctum. [Videtur (inquit,) nouum sponsam, nouum osculum accipientem, non tamen ab ore, sed ab osculo oris. *Insufflauit* (*inquit*) *eis*, haud dubium quin Iesus Apostolis, id est primitiuæ Ecclesiæ, *& dixit, accipite Spiritum sanctum.* Osculum profectò fuit. Quid? Corporeus ille flatus? Non. Sed inuisibilis spiritus; qui propterea in illo Dominico flatu datus est, vt per hoc intelligeretur, & ab ipso pariter, & à Patre procedere tanquam verè osculum, quod osculanti osculatóque commune est. Itaque sufficit sponsæ, si osculetur ab osculo sponsi, etiamsi non osculetur ab ore. Nec enim exiguum quid aut vile, putat osculari ab osculo, quod non est aliud nisi infundi Spiritum Sanctû. Nempe si rectè Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re osculum, Spiritum sanctum intelligi, vt pote qui Patris Filiique imperturbabilis pax sit, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuisibilis vnitas. De ipso igitur audet sponsa, ipsúmque infundi sibi fidenter sub osculi nomine petit.] Non abhorret ab ea interpretatione Sanctus Ambrosius sermone primo in Psal. 118. ad versiculum primum & librum de Isaac cap. 3. ostendens populi sui factam sponsam, piam animam, spiritum Christi.

II. Aliter Autor altercationis Synagogæ & Ecclesiæ capite decimo sexto, qui Sancti Bern. ætate vixit, vt constat ex iis quæ habet in præfatione. Tractans ergo quid sit illud, *osculetur me osculo oris sui*, respondet signari.] In ore Patrem, in osculo Filium. Verbum Patris aduerte; quia verbum ex ore procedit, iuxta illud, *Ego ex ore altissimi prodiui.* Osculetur me osculo oris sui, id est mittat in cor meum spiritum filij sui, vt pro nostro modulo diligamus filium, sicut ipse diligit Opus est enim infusione geminæ gratiæ, id est veritatis cognitione, & amore. Ergo sic osculans, Verbum assumens, osculatum caro quæ assumitur, osculum verò quod pariter ab osculante & osculato conficitur, persona ipsa ex vtroque compacta, mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Hac ratione, sanctorum nemo dicere præsumebat, osculetur me ore suo, sed tantùm osculo oris sui; Ipsi sanè sentantes, prærogatiuam istam, cui singulariter semelque os Verbi impressum tunc est, cum se ei corporaliter plenitudo omnis diuinitatis indulsit. Fœlix osculum, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini vnitur.]

Profecit de more hic autor, ex S. Bernardo, qui præter osculi interpretationem ex eo tam propositam, adhibet alteram serm. 2. in Cant. sic inducens loquentem sponsam in Christi aduentum intentissimam. [Non alium siue Angelum siue hominem, sed ipsum, peto osculari me osculo oris sui. Nec sanè præsumo me osculatum iri ab ore ipsius. Est enim hoc assumpti hominis, vnicæ fœlicitatis & prærogatiuæ singularis, sed humiliùs ab osculo oris sui peto me osculari; quod commune vtique est multorum, qui dicere possunt; *Et nos omnes de plenitudine eius accepimus.* Intendite. Sit os osculans Verbum assumens, osculatum caro quæ assumitur, osculum verò quod pariter ab osculante & osculato conficitur, persona ipsa ex vtroque compacta, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.

Iesus. Hac ergo ratione, sanctorum nemo dicere præsumebat, *Osculetur me ore suo*, sed tantùm, *osculo oris sui*. Ipsi sanè seruantes, prærogatiuam istam, cui singulariter semelque, os Verbi impressum tunc est, cum ei se corporaliter plenitudo omnis diuinitatis indulsit. Fœlix osculum ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini vnitur. Et ibi quidem, contactus labiorum, complexum significat animorum; hic autem confœderatio naturarum, diuinis humana componit, quæ in terra sunt, & quæ in cœlis pacificans. Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum.

III. Hæc tametsi dicta volo non inuerisimiliter, tamen magis placet, vt per osculum, quod sponsa, id est Eccles. poscebat intelligamus vnionem hypostaticam. Nam vox *osculi*, apertè præ se fert coniunctionem disiunctorum, potiùs quàm ea quæ coniunguntur. Atque ita egregiè in hanc rem Philippus Abbas lib. 1. in Cant. c. 1. [Ipse igitur, (inquit apud eum sponsa,) pro seipso alium iam non mittat, & animo festinanti, venturum nuntius non promittat; sed potiùs ipse mihi opportuno iam tempore præsentetur; ipse præsentem præsens præsentialiter osculetur. *Osculetur* (inquit) *me osculo oris sui*. Fiat inquam in me, non labiis, sed duabus naturis conuenientibus, hæc vinctura, vt vnius personæ vtraque mirabiliter sit natura, & quas eatenus longè fecit ad inuicem, tam culpa quàm diuersitas naturalis; iam firma pace fœderet indiuisa vnitas personalis. Intelligo enim quod in meum vterum plenitudo veniet Deitatis, illæsum custodiens meum virgineæ sigillum castitatis, & in hoc thalamo ipse Dei filius suaui osculo nuptiarum in vnitate personæ iunget duo disparia naturarum. Fiet quidem Deus homo, naturæ suæ excellentiam non contaminans, non consumens, sed naturam hominis potenter purificans & assumens; assuménsque assumpto mirabile & incomparabile dabit munus; vt scilicet assumptus & assumens, coniunctione mirifica fiat vnus. Vnus inquam, non vel Deus tantùm, vel tantùm homo, sed vnus Deus homo, vnus Christus non sic quidem vt Dei substantia confundatur, sed in Deum humanitas assumatur. Hæc assumptio, hæc vinctura qua Deus sibi voluit hominem personaliter coünire, & naturam cum natura fœdus pacis in vtero Virginis ferire & vnire, honesto vocabulo in præsenti *osculum* appellatur, quia inter discordantes reuersa pax, osculo confirmatur.]

Optimè quoque Tomo 1. Moralitat. in Cant. *sub finem primæ allegoriæ*, sic scribens. [De osculo potest dici, quia non valet nisi à duobus, osculum fieri. Duo siquidem, è diuerso venientes accedunt, in vno pacis osculo conueniunt; sicque simul coniunctis labiis in charitate osculum perficiunt. Duo quippè è diuerso accedentes, & in vnum conuenientes, diuinitas & humanitas Christi, non incongruenter debet intelligi, quæ valdè ex diuerso accesserunt, quando altera de cœlo, altera de terra in vnum B. Mariæ semper Virginis vterum simul conuenerunt; & quasi perfectum osculum dederunt sibi inuicem istæ duæ naturæ, quia sic operante gratia Spiritus S. sunt inseparabiliter fœderatæ, quatenus sine fidei periculo vlteriùs non debeat dici, Deus sine homine, nec homo sine Deo. Et hoc est quod dicere videtur eadem nostra natura in hoc nostro libro, *osculetur me osculo oris sui*, ac si diceret, Opto vt sic me Deus Dei filius in Vterum Virginis alliumat, id est Verbum caro fiat, quatenus quod erat semper verus Deus, permaneat; & me humanitatem de mortalitate ad immortalitatem, secum in vnam personam Dei & hominis æternaliter constituat.

IV. Pulchrè item Gul. Paris. l. de causis cur Deus homo. c. 7. *sub finem* qui huius osculi figendi rationem sic aperit. [Et pax & matrimonium, (quo pax plerumque conciliatur, vt præmiserat,) consueuit osculo confirmari. [Si igitur pax reformanda erat inter Deum & hominem, decens erat vt osculo pactum firmaretur. Necesse igitur erat, vt os suum Deus Pater, homini porrigeret atque coniungeret, quæ porrectio non fuit nisi filij eius in carnem missio. Os enim Dei Patris, Filius est: Et si quis benè consideret, oris ad humanam naturam coniunctio, non fuit nisi eiusdem humanæ naturæ osculum. Quapropter Filij Incarnatio, nihil fuit nisi humanæ naturæ osculatio. Et hoc est quod ipsa petebat in principio Canticorum, dicens. *Osculetur me osculo oris sui*. Confirmationem igitur pacis, & matrimonij, petebat sub nomine, *osculi*.] Innoc. 3. lib. 6. de myster. cap. 6. ex eo quod osculum significet vnionem, rationem reddit cur Sacerdos in Missa, ter osculetur altare; nimirum ad designandas tres vniones Christo internas, vnam quæ est Verbi ad animam Christi, alteram quæ est Verbi ad carnem, tertiam quæ est carnis & animæ ad inuicem. An vt osculum Verbi & humanitatis in vtero B. Virginis appressum, recolerent Præmonstratenses, instituerunt vt audito *Mariæ* nomine, osculum figerent, cubitali quidem diebus profestis addita genuflexione, manui autem propriæ festis diebus?

V. Itaque habemus manifestè, per osculum Verbi impressum Ecclesiæ in ea humanitate quam assumpsit, intelligi vnionem hypostaticam, qua factum est, vt Verbum & Ecclesia in illa singulari humanitate essent vna persona. Nam etiam osculi vis in eo maximè sita est, vt transfundat errantes animas, vt dixit Encolpius Petronianus, exprimens effatum Platonis, cuius meminit Gellius l. 19. cap. 11. & Macrob. 2. Saturn. cap. 2. Scitè etiam Leo Byzantinus lib. 1. cap. 3.

Iámque viderentur, animas efflare vicissim
Alter in alterius faciem.

Malo in eam rem SS. Patres audire. S. Ambros. lib. de Isaac. c. 3. [Osculum est, quo inuicem amantes sibi adhærent, & velut gratiæ interioris suauitate potiuntur. Per hoc osculum adhæret anima Deo Verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis. Sicut etiam ij qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi inuicem videntur infundere.] Similia S. Gregor. Cant. 1. Nec abludunt illa S. Chrysostomi hom. 30. in 2. ad Cor. cum Iudæ truculentiam in abusu osculi expedit. [Propter hoc enim osculum datum est, vt charitatis fiat symbolum; vt accendat affectionem, vt sic mutuum diligamus, tanquam fratres, fratres; tanquam filij, parentes; tanquam patres, filios; imò & multò magis. Nam illa quidem est naturæ affectio, hæc autem spiritalis gratiæ. Sic animæ inter se colligantur. Propter hoc, & ex peregrinatione redeuntes, osculis excipimus mutuis, conuenientibus animabus. Hoc enim membrum est quod animæ nobis affectum prædicat.] En *colligatas*, & *conuenientes inter se animas*, osculo oris.

VI. Et est quidem ea animarum transfusio per

osculum, cuius osculo communis, cuicunque corporis parti imprimatur osculum. Nam quamuis osculum actiuè spectatum, semper est oris; tamen passiuè, siue spectato eo cui osculum imprimitur, sunt etiam oscula capitis, genarum oculorum, manuum, pectoris, pedum, de quibus Lipsius lib. 2. Electo. capite 6. & Iosephus Stephanus libro de osculat. pedum Rom. Pontif. capite 1. Tamen vt seruetur correspondentis osculi actiuè accepti, cum osculo passiuè sumpto, sicut osculum actiuum non est cuiusvis partis corporis, sed solius oris, sicque transfusio animarum optimè insinuatur, ita in osculo passiuo, aptissimè osculum osculo excipitur, & os ori apprimitur. Eámque ob causam, Verbum ori humanitatis affusum dicitur, per osculum sanctum, id est ei arctissimè & indissociabiliter coniunctum in vnam personam. Neque tamen, quia vnio per osculum est per solam coexistentiam, & affectum, inferendum est vnionem Verbi, & humanitatis, esse duntaxat propinquitatis & affectus: [Quia enim in osculo (ait Philippus Abbas l. de silentio Clerico capite 24.) Duorum labia pariter coniunguntur, & attactu mutuo, eorum spiritus ab inuicem sentiuntur, rectè per osculum placuit dilectionis gratiam designari, per quam duorum animos constat grato fœdere copulari. Hinc est quod cum altaris sacramenta, vel sacra mysteria celebrantur, in eorum completione astantes alterutrum osculantur, signantes nos cum illo per dilectionis spiritum vnum esse, cuius sacris mysteriis diligimus interesse. *Qui enim adhæret Domino vnus Spiritus est.* Quæ spiritus vnio, illo nimirùm osculo designatur, quod scripturæ testimonio sanctis, ac fidelibus assignatur, cum vel Isaac Patriarcha Rebeccam legitur osculari, vel sponsa in canticis, sponsi osculo gratulari.] Non sic inquam est accipiendum osculum, in re de qua agimus: quia similitudines non debent quoad omnia correspondere, vt notum est. Itaque osculum aptissimè signat vnionem humanitatis cum Verbo per quam resultat Christus Dominus, compingiturque diuinum illud & admirabile compositum, cuius structuram atque compagem esse sibi inenodabilem, Baptista, interprete sancto Gregorio hom. 7. in Euang. professus est.

VII. Fateor tamen compositionem quæ expressissimè exhibetur per osculum, quod formalissimè præfert rationem nexus ac coniunctionis, insinuari quoque per ô elementum, seu literam. Nam literarum est syllabas conflare, è quibus deinde existunt dictiones, inde exurgunt periodi, è periodis verò orationes plenæ, ac discursus integri. Quare meritò literæ dicuntur elementa, quod sicut ex quatuor elementis conflantur omnia mixta, ita è tam paucis literis, tanta, támque numerosa, & propè immensa moles voluminum coagmentetur. Suspexere non ita pridem eruditi vnum de S. Agatha versum.

Quis det me sacros Virgo tibi fundere versus.

Vltra ter mille multiplicatum à Petro Herrera in calce voluminis secundi historiæ Catachrensium. Multò etiam magis multiplicati sunt bini illi de de Christo Seruatore versus, ad varias scripturas, alludentes:

Rex, Dux, Sol, Lex, Lux, Fons,
Spes, Pax, Mons, Petra, Christus.

In quibus sensu saluo, & Heroici carminis lege, multiplicatio, sine versio fieri potest tricies semies, centies; milies, vicies octies millies, & octingenties, aut vt compendio dicam 3628800. Habet eum vt vocat proteum Bernardus Bauhusius l. 2. Epigr. in ipso fine. Minus operosè, sed tamen præcellenter quoque proditum est in alio proteo peruulgato, eiusdem ingenium Bauhusij, qui vnum illum versiculum,

Tot tibi sunt dotes Virgo, quot sydera cœlo.

Versauit in facies mille viginti duas, admirabili prorsus industria, quæ dignum nacta est laudatorem, Ericium puteanum, iusto de ea libello. Quàm dignius sit, suspicere, immensam vim sermonum atque librorum, & varia collocatione tam paucarum literarum exurgentem. [Ecce (exclamat Rupertus lib. 3. de victor. Verbi Dei cap. 25. de hoc ipso agens) de impensis tam paruis, quam magnum constructum est ædificium.] Itaque O, prout litera, quam extremis incarnationis exprimendis aptauimus, meritò dicitur insinuare, & innuere compositionem. Eam tamen formalius, (quippe in actu signato,) exhibet osculum: ex quo habetur, Christum esse personam compositam, vt loquitur sexta Synodus, & sanctus Damascenus libro integro confirmauit, éstque nunc inter Scholasticos ratum: tametsi olim quidam meticulosi, trepidarunt vbi non erat timor. Et nominatim Cusanus libro 2. excitationum ex sermone 2. super Gloria in excelsis, pag. 388.

VIII. Ex hoc osculo quod Verbum humanitati infixit, id est ex coniunctione humanitatis cum Verbo, colligit Sanctus Chrysostomus hom. addititia in epist. 1. ad Corinth. ad illud, *nolo vos ignorare, &c.* quanta humilitate debeamus agere cum aliis, qui nobis sunt vel æquales vel inferiores, cum Deus Verbum, nostrum fœnum non sit dedignatum, eique per inenarrabilem condescensionem sit copulatum. [Dominus ipse, (inquit,) fratres vocauit nostram naturam: dicens, *annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Non solùm autem vocauit nos fratres, sed Ipse fieri frater voluit, & factus est humana carne indutus, naturæ particeps nostræ: quæ vtique & ipse Paulus admirans dicebat: *Non Angelos apprehendit Deus, sed semen Abrahæ apprehendit, vnde per omnia debuit fratribus assimilari.* Et iterùm. *Quia pueros participes facit carnis & sanguinis, verisimile est, & ipsum horum fuisse participem.* Hæc omnia cum audimus, omnem arrogantiam, & fastum, & stultitiam ex anima nostra expellamus, studióque multo id rectè faciamus, familiaribus nominibus, & honorem habentibus fratres vocantes: quod licet tenue opus videatur, attamen magnorum bonorum causa est, sicut & multas sæpenumero lites & contentiones, fecit omissum.]

Est præterea quod circa hoc osculum suauiter fructuosè possimus nempè ex hac adunatione Verbi, & humanitatis, duos in nobis affectus existere debere, securitatis nimirùm, & amoris ac beneuolentiæ cogitatio est sancti Bernardi

sermo

sermone tertio, de Epiphania qui ita concludit. [Nos ergo dilectissimi, Christum Iesum diligamus, vt verum hominem & fratrem nostrum, honoremus vt Dei filium; adoremus vt Deum: Securè credamus ei nos ipsos fratres mei, cui nec potestas deest saluandi nos, cum sit verus Deus & Dei filius; nec bona voluntas, cũ sit tanquam vnus ex nobis verus homo, & hominis filius. Quomodò namque nobis erit inexorabilis, propter quos factus est similis nobis passibilis? Amicissimus Bernardo Richardus Victorinus eodem sensu tangebatur, cum dixit lib. 1. de Eman. c. 13. [Quis diffidat, imo quis meritò non præsumat, hominem per Deum, participem posse & debere fieri diuinitatis, si Deus propter homines factus est particeps nostræ humanitatis? Alioquin gratis Christus semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo. Nunc igitur, si Deus propter homines, factus est filius hominis per natiuitatem, cur non multò magis homo, per Deum fiat filius Dei per adoptionem?]

IX. Nec si osculi propositi causam efficientem signare placeat, deerit quod ad rem faciat. Nam Spiritus sanctus de quo Christus conceptus est ex Beata Virgine, in nomine tetragrammato signatur per literam *Tau*, vt est apud Galatinum lib. 2. de arcs. cap. 10. vbi ex Hebræis obseruat, literam *Iod* quæ est illius nominis prima, & sonat *principium*, exprimere Patrem, qui est principium absque Principio. Secundam verò literam, siue *He*, quæ significat *esse & viuere* eâque duplicata, significare filium, in duplici natura subsistentem in quo omnia viuunt, & per quam omnia facta sunt. Tandem literam *Vau* quæ significat nexum & copulationem, probè exprimere Spiritum sanctum, qui est nexus Patris & Filij. Porrò *Vau* literam apud Hebræos, pro ô legi, obseruauit S. Hieronymus in traditionibus in Genesim ad cap. 23. de Ephrone, qui cum ante simoniacam venditionem sepulchri, diceretur *Ephron*, postea vendita simoniace re facta dictus est *Ephran* ablato O, de eius nomine, vt S. Hieronymus annotauit. Qua literæ illius abiectione, significatum est, Spiritum sanctum ab eo excessisse tanquam à simoniaco: Mysterio satis affini, illi alteri quod contigit circa nomen *Abisac*, vt idem S. Hier. obseruauit in tradit. Hebr. in 2. Reg. c. 10. qui enim priùs dicebatur *Abisac*, postea imminutus est vna litera, dictúsque *Absa*, eo quod conscius fuisset necis Abner. Et è contrario *Abiam* accepit à Deo vnius literæ augmentum, haud exiguo mysterio. O igitur Hebraicum excussum de nomine Ephron, significat Spiritum sanctum, de quo Christus conceptus est ex Maria Virgine, & per quem fœlix illud osculum duarum naturarum in vna persona, cœlitùs coaluit.

X. Sequitur agendum de O, in vt nominis adiectiui, qua ratione dicebam vsurpari pro *omnis*, siue *omnia*, aut *omnibus*, ac etiam pro *optimus*, vel cum adiuncto nomine *optimus princeps*. Conuenientissimè hæc notio τῦ ô, ad Christum refertur, in quo consequenter ad vnionem de qua hactenus, omnis planè profectio micat, & omne bonum nostrum splendidissimè fulget: vt possimus hic ad veritatem vsurpare, quod mendacissimè dictum est à Gnosticis apud S. Irenæum lib. 1. capite duodecimo, nempè dici Christum α & ω, quia eius cognatio est ex omnibus diuinis bonis, quæ ibi bambaliones illi per literas ineptissimè dispertiebant. Clarius & ad percipiendas fatuitates eorum commodius ibidem ibid. capite primo, numero 18. [Saluatorem ex omnibus existentem, omne esse, per hoc responsum, *Omne masculinum adaperiens vuluam*, manifestari dicunt. Qui cum omnia sit, aperuit vuluam excogitationis passi Æonis. & separata ea extra Pleroma, quam etiam secundam Ogdoadem vocant, de qua paulo post dicemus. Et à Paulo autem manifestè propter hoc dictum dicunt, *& ipse est omnia*. Et rursus. *Omnia in ipsum, & ex ipso omnia*. Et iterum. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis*. Et illud. *Recapitulata esse omnia in Christo per Deum*.] Exscripsit hunc S. Irenæi locum verbatim S. Epiphanius hær. 31.

Clarissimè vt in tantis tenebris, in eius capitis ecphrasi Tertullia. lib. contra Valentinia. capite vndecimo, nec (inquit) absque sale & aceto ad tantarum fatuitatum condimentum. [Vnum omnes bonum conferebant quod omnes erant. De modo forsitan fuerit ratio, aut de forma ipsius iam peræquationis. Igitur ex ære collatitio, quod aiunt, in honorem & gloriam Patris, pulcherrimum pleromatis sydus, fructúmque perfectum, compingunt. Iesum. Eum cognominant & soterem, & Christum, & sermonem de patruitis, & *omnia*, iam vt ex omnium defloratione constructum; Graculum Æsopi, Pandoram Hesiodi, Accipatinam, Nestoris Cocetum, Miscellaneam Ptolemæi. Quàm propiùs fuit de Atticis historiis Pancarpiam vocari, à tam otiosis autoribus nominum?] Abscedamus à commentis.

XI. De Deo, verè ac subtiliter dixit Parmenides, *omnia esse vnum*. Id quod aliis item placuisse, ostendo in Natur. Theol. distinctione sexta, numero quadragesimo nono. Verè autem dicitur Deus esse *omnia*, non modò quia creata omnia adunantur in hac principe causa, quæ potentiâ est quicquid præter eam esse potest, quatenus ei præbet vel præbere potest esse: Sed etiam quia omnes perfectiones simpliciter simplices in eo adunantur, imo vnum sunt; & ita perfectè vnum, vt ne conceptu quidem ac cogitatione, diuelli ab inuicem queant. Non enim in Deo alia est præcisibiliter ratio iustitiæ, alia sapientiæ, & ita de cæteris; sed omnes illæ perfectiones ita se inuicem quasi permeant, vt tametsi conceptu explicito vtcumque secernantur, tamen vna sint & eadem perfectio planè atoma, planéque impræcisibilis secundùm conceptum perfectè abstractum; qua de re & cogitatu & expositu iucundissima, quippè diuinarum perfectionum immensam notionem exhibente, dictum alibi ex ipsis quoque Philosophis Ethnicis in Natur. Theol. dist. 6 à numero septuagesimo-sexto. Hunc omnis perfectionis concursum in vnam Dei perfectionem, proportione æmulatur Christi perfectio; quatenus & in toto Christo, vniuersóque Incarnationis mysterio, omnes Dei perfectiones vt in facie repræsentantur, de quo plenè tractando Christum Dei faciem; & in omnibus eiusdem mysterij particulis, ac vel minimis adiunctis, diuinæ perfectiones exquisitè se produnt; omnis sapientia, omnis iustitia, omnis bonitas, omnis potentia, omnes denique Dei perfectiones.

XII. Omnem sapientiam exhibet in se Christus, non modò quia in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei; sed etiam quia non nisi

ex omni ſapientia Dei manare potuit concilium, quo per vnum hominem reparata eſt clades ab vno homine illata. Omnis quippè humana ac etiam Angelica ſapientia, hebes fuiſſet ad excogitandum inuentum, quo dignè Deo, ſatisfieret; & iniuria incentore Satana in ius diuinum fœderatione naturarum abiunctiſſimarum mediatorem compegit: ſicque *prudentia eius*, (quod meritò Iob admirabatur, *percuſſit ſuperbum*, vt S. Gregor. 17. Moral. c. 15. piè proſequitur. Et dicitur quidem aliquando hoc myſterium, *ſtultitia*; nempè in oculis inſipientium: In eo tamen, quod ſtultum fuit Dei, omnis ſapientia prodita eſt, cum omnes inde, luce ſapientiæ perfuſiſſimus. Quod egregiè planè his verbis aperuit S. Gregorius 19. mor. cap. 1. [In illa natiuitate diuina ab humano genere cognoſci non poterat; proinde in humanitate venit, vt videretur; videri voluit, vt imitaretur. Quæ carnis natiuitas deſpecta viſa eſt ſapientibus mundi: Contempſerunt namque infirma humanitatis eius, Deo hæc indigna iudicantes. Cui tantò magis homo debitor fuit, quantò pro illo Deus, etiam indigna ſuſcepit. *Quia enim non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis, ſaluos facere credentes*: Ac ſi diceret; Cum Deum qui eſt ſapientia, nequaquam per ſapientiam ſuam mundus inueniret; placuit vt Deum hominem factum, per humanitatis ſtultitiam cognoſceret, quatenus eius ſapientia ad noſtram ſtultitiam deſcenderet, & lucem ſupernæ prudentiæ, luto ſuæ carnis illuminata noſtra cœcitas, videret. Natus igitur ex Patre ſine tempore, ex matre naſci eſt dignatus in temporè; vt per hoc quod ortum ſuum inter initium finémque concluderet, humanæ mentis oculis ortum qui nec initio ſumitur, nec fine anguſtatur aperiret; vnde benè nunc ad B. Iob dicitur *Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum?* Subaudis, *vt ego*. Ortus quippè diuinitatis eius, ante, & poſt, non habet. Cui dum ſemper eſſe eſt per æternitatem, dum omne quod labitur circumſcribit, intra ſemetipſum temporum diſcurſus claudit. Ortus verò humanitatis eius, quia & cœpit & deſijt, & ante & poſt habere à tempore accepit. Sed quia dum ipſe vmbras noſtræ temporalitatis ſuſcepit, lumen nobis ſuæ æternitatis infudit, rectè per hunc ortum quem creator ſibi in tempore condidit, locum ſuum, ſine tempore aurora cognouit. [Hanc monſtrat eſſe Eccleſiam militantem; quæ ad maiorem ſemper lucem prouehitur, & omnem eam lucem ſapientiæ ortui, & Incarnationi Domini debere ſe, gratulabunda profitetur.

XIII. Exhibet item Chriſtus in hoc myſterio, omnem iuſtitiam; quia propoſitus eſt in oſtentionem iuſtitiæ Dei, vt dixit Apoſtolus, cuius mentem ſic aperit Iſido. Peluſ. lib. 4. Epiſt. 100. [Quæſiuiſti, quid ſit quod Paulus dixit, *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*. Reſpondeo. Quia poſtquàm humana natura inſaniuit aduerſus Deum, & peccatorum tyrannis intolerabilis facta erat, & tempus aderat ferendæ ſententiæ quæ exitio vniuerſali damnaret totum genus humanum; (omnis enim ratio medicationis, deprehenſa fuerat inanis & nihili, ac neque lex neque Propheticus ſermo, peſtilentem morbum qui omnia occuparat, depellere valebat:) tunc Deus pretium redemptionis introduxit vnigenitum ſuum Filium, vt locus eſſe poſſet gratiæ ac veniæ. Eam ob rem hoc dixit Apoſtolus *ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*. Victima enim oblata eſt vna pro omnibus, quæque omnibus dignitate ac pretio ſuperior eſſet: Ac tunc ſoluta eſt ira, & reconciliatio acta eſt, redintegrataque gratia, conuerſum eſt odium in amicitiam; & pro ſententia capitali abdicationis, datum eſt excellens illud adoptionis in filios donum, & infinita acceſſerunt dona quibus exornaretur Eccleſia; vt ita ſimul & iuſtitia oſtenderetur, & abundantia bonitatis declararetur.] Multus eſt in Dei iuſtitia per hoc myſterium patefacta, Gregor. Nyſſ. in orat. catech à cap. 21. & S. Auguſt. 13. Trinit. cap. 13. & 14. Sed inde maximè eluxit Dei iuſtitia, quòd Deus cum ſit iuſtus, eum quoque qui puniri non debuit, condemnauit; vt habebat antiqua lectio loci ex cap. 12. Sapientiæ, Diuo Gregorio probata, & expoſita de Chriſto; qui cum non peccaſſet, atque adeò puniri non deberet, tamen quia Deus iuſtus eſt, pœnæ ſubiacuit, vt pro peccatis hominum quæ in ſe ſuſceperat, ſatisfaceret. Ita S. Gregorius lib. 3. moral. cap. 11. Sic per totam vitam, impleuit Chriſtus omnem iuſtitiam, vt de vno ſuo ſingulari demiſſionis actu, ipſemet eſt profeſſus.

XIV. Omnem bonitatem, benignitatem, pietatem, viſcera denique (vt cum Apoſtolo dicam) miſericordiæ Dei, eſſe in hoc myſterio exexprompta, S. Cyrillus lib. 1. Glaphyr. *pag.* 68. ex illis Pauli verbis, *filio ſuo non pepercit Deus*, egregiè monſtrat; meritóque nominat, *miraculum amoris & benignitatis*. Affinia ſunt quæ in eandem ſententiam habet Chryſoſtomus homil. 27. in Geneſ. attingens illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum*. Sed luculenter S. Bernardus, cum alibi, tum nominatim ſerm. 1. de Epiph. [Ecce enim (inquit (quaſi ſaccum plenum miſericordia ſua, Deus pater miſit in terram; ſaccum inquam in paſſione conſcindendum, vt effundatur quod in eo latet pretium noſtrum: ſaccum vtique, etſi paruum, ſed plenum. Paruulus itaque datus eſt nobis, ſed in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Poſtquam enim venit plenitudo temporis, venit & plenitudo diuinitatis. Venit in carne, vt vel ſic carnalibus exhiberetur, & apparente humanitate, benignitas agnoſceretur. Vbi enim Dei innoteſcit humanitas, iam benignitas latere non poteſt. In quo enim magis commendare poterat benignitatem ſuam, quàm ſuſcipiendo carnem meam; Meam inquam, non carnem Adam: id eſt, non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantoperè declaret eius miſericordiam, quàm quod ipſam ſuſcepit miſeriam? Quid ita pietate plenum, quàm quod Dei Verbum, propter nos factum eſt fœnum? *Domine quid eſt homo quia reputas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Hîc attendat homo, quanta ſit cura eius Deo; hinc ſciat quid de eo cogitet, aut quid ſentiat. Non interroges ô homo ea quæ pateris, ſed quæ paſſus eſt ille. Quanti te fecit, ex his quæ pro te factus eſt, agnoſce, vt appareat tibi benignitas eius ex humanitate. Quanto enim minorem ſe fecit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior eſt. *Apparuit* (inquit Apoſtolus, *benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei*. Magna planè & manifeſta benignitas, Dei humanitas; & magnum benignitatis indicium declarauit, qui humanitati addere nomen Dei curauit.]

XV. De diuina omnipotentia, ſplendente eximiè in hoc myſterio, egregiè S. Baſil. in Pſal. 44. ad

ad illud *sup. femur tuum potentissimè.* [Putamus sanè (inquit) & hoc ad Dei Verbum tropicè referri, vt carni coniungatur, quod est *efficax magis, & penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus compagum quoque, & Medullarum, discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Quoniam femur signum est eius humanæ genealogiæ. *Ipsa,* (inquit Scriptura,) *egredientes animæ ex femore Iacob.* Vt itaque vita, & via, panis, & vitis, & vera lux, & aliis eius modi sententiis, Dominus noster Iesus Christus nominatur: sic & gladius, diuidens partem animæ affectibus seruientem, & motus concupiscentiæ mortificans. Deinde quoniam Deus Verbum carnis debilitati sese coniuncturus erat, pulchrè additur *potentissimè;* quoniam maximæ potentiæ demonstrationem habet, posse Deum in natura esse humana. Nam cœli, & terræ constitutio, maris, & aëris, & maximorum elementorum generatio, & si quid supra mundum intelligitur, & si quid subtus terras vsquam reperitur, non hæc vsque adeò euidenter exprimunt diuini Verbi potentiam, quantùm dispensatio assumptæ carnis, & ad humilitatem vsque, debilitatémque nostram suscipiendam condescensio.] Videndus item S. Chrysostomus tomo 6. homil. de vno legislatore, vbi hanc ob causam Euangelium Christi vocat *Euangelium potentiæ.* Possem & ista latiùs diffundere, & de diuinis quibusvis attributis idem præstare, sed satis, superque est ad rem præsentem, specimen propositum.

XVI. Nec modò omnia sibi est Christus, quatenùs ea perfecta omnium diuinarum perfectionum expressione comprehendit; verùm etiam omnia est nobis, & quidem in omnibus suis perfectis, & non vni tantùm aut paucis quibusdam, sed planè omnibus. Esse Christum nobis omnia, eleganter dixit S. Ambrosius *sub finem* libri tertij de Virg. exponens quid sit mel illud ex omnibus floribus cogestum, de quo Cant. 5. dicitur, *manducaui panē meum cum melle meo.* [Omnia igitur (inquit,) habemus in Christo, omnis anima accedat ad eum, siue corporalibus ægra peccatis, siue clauis quibusdam secularis cupiditatis infixa; siue imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens; siue multis aliqua sit iam perfecta virtutibus omnis in Domini potestate est, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si grauaris iniquitate, iustitia est. Si auxilio indiges, virtus est. Si mortem times, vita est. Si cœlum desideras, via est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum quæris, alimentum est.]

Breuissimè sed optimè S. Hieronymus epistol. 26. quæ est ad Pammachium de obitu Paulinæ. [Christum scimus sapientiam, *&c.* Christus sanctificatio est, sine qua nemo videbit faciem Dei. Christus redemptio, idem redemptor, & pretium. Christus omnia, vt qui omnia propter Christum dimiserit, vnum inueniat pro omnibus] Similiter S. Cyrillus Hierosol. catech. 10. post recensitos, & breuiter expensos varios Christi titulos subdit, vnum tamen subiectum, vnicuique autem varius fit saluator ad vtilitatem: Qui enim indigent recreatione & lætitia, illis fit vinea, qui opus habent vt ingrediantur, his constituitur ostium, & qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator summúsque Sacerdos. Rursus habentibus peccata fit ouis vt pro ipsis mactetur. Et omnibus fit omnia ipse idem natura permanens qui est]

In eandem sententiam S. Chrysostomus hom. 24. in ad Rom. ad illud, *Induimini Dominum Iesum Christum,* sic disserit. [Est plenitudo, omnia in omnibus adimplentis. Est via, est vir, est sponsus. *Despondi enim vos* (inquit:) *vni viro, Virginem castam.* Est radix, potus, cibus, & vita. *Viuo enim* (inquit) *non iam ego, sed viuit in me Christus.* Est Apostolus summus Sacerdos, præceptor, pater, frater, cohæres, & sepulturæ nobiscum, & cruce communicans. Consepulti quidem illi sumus, & insititij facti simul cum illo per similitudinem mortis eius. Est etiam supplex nobis factus. *Pro Christo enim legatione* (inquit) *fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos. Rogamus pro Christo, reconciliemini Deo.* Et apud Patrem, Aduocatus noster est. Etenim *interpellat* (inquit) *pro nobis.* Domus etiam simul, & hospes. *Ille enim* (inquit) *in me manet, & ego in illo* Et amicus. *Vos siquidem* (inquit) *amici mei estis.* Et fundamentum est, & lapis angularis, & nos ipsius sumus, & membra, & agricultura, & ædificatio, & palmites, & cooperarij. Quid enim nobis esse non vult, omnibus modis nos sibi conglutinans, & coniungens?]

XVII. Subscribit Hugo de S. Victore lib. 1. de arca Noë morali capite secundo, in hæc verba. [Totum tibi factus est Deus. Fecit habitaculum; factus est patrocinium. Hoc vnum, totum est, & totum hoc, vnum est. Domus Dei est, Ciuitas Regis est, corpus Christi est, sponsa agni est. Cœlum est, Sol est, Luna est, stella matutina est, aurora est, tuba est, mons est, desertum est, terra promissionis est, nauis est, lagena est, vinea est, ager est, area, horreum est, præsepe est subiugale est, equus est, apotheca est, aula est; thalamus est, turris est, castra est, acies est, populus est, regnum est, sacerdotium est, grex est; pastor est, ouis est, pascua est, paradisus est, hortus est, palma est, rosa est, lilium est, fons est, fluuius est, potiens est, columba est, vestis est, margaritum est, corona est, sceptrum est, thronus est, mensa est, panis est, conuiua est, mater est, filia est, soror est. Et vt breuius concludam, de hac & ad hanc, & propter hanc, mundus factus est. Propter hanc verbum caro factum est, Deus humilis, homo sublimis. Si hanc ergo habes, totum habes. Si totum habes, nihil est amplius quod expectes.]

Tandem præclarè quoque in hanc sententiam Guerricus sermone 2 de Nat. Dom. [Omnis inquit Iudæorum gloria, translata ab ipsis, collata est nobis, quia causa, & veritas omnium, filius datus est nobis. Ipse calicem legis quæ in manu est mediatoris, ex hoc Iudæo in hunc Christianum inclinauit. Et omne quod in ea merum, ac verum fuit, eliquatum nobis transfudit. Fæx sola quæ non est exinanita, apud Iudæos remansit ipsam bibure, ipsa pars calicis eorum. Sed quid verbis moror? Nunquid enim potest enarrari, quæ & quanta sunt data nobis, cum iste filius datus est nobis? Nonne omne datum optimum, & omne donum perfectum, ab ipso, & cum ipso pariter ad nos descendit? Nonnè vniuersas opes cœli, omnes thesauros Dei secum nobis aduexit, qui licet adhuc in ipso contineantur absconditi, multa tamen iam & magna, & quasi donatiuum pugnaturis erogauit; sed nihil omnia;

ad

ad ea quæ victoribus reseruauit. Quis enumeret tot munera charismatum, tot genera virtutum nostratum, scilicet varietatem armorum, subsidia sacramentorum, fercula scripturarum, gradus, ordines ministrorum, in omni ætate, sexu, & conditione, natione & lingua, tot Martyrum tropbæa, Confessorum insignia, Virginum coronas? Si miraris, inquit Ecclesia, vnde repentè mihi paupercula, hæc multitudo diuitiarum & magnitudo gloriæ, inde miraris, quia filius Dei datus est nobis, Deus gratiæ, Dominus virtutum, & Rex gloriæ. Imò magis mirum esset, si non sequerentur Dominum bona sua, cum etiã ipse sit omnia bona. *Inquirentes* (inquit) *Dñum non minuetur omni bono*, quanto magis suscipientes? Si enim miraris ista nobis per filium data, ego vt plus mireris adiiciam, omnia omnino nobis cum illo esse donata. Cum enim filium, per quem & in quo omnia subsistunt pater nobis donauit, quomodò non omnia nobis cum illo donauit? *Omnia nostra sunt*, ait Apostolus, quia noster est auctor omnium & dominus, vt etsi videamur tanquam nihil habentes, inueniamur tamen omnia possidentes. Vides igitur, quantum & quale datum sit filius quàmque probabile sit quod de sapientia quæ ipse est, legitur *venerunt mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.*]

XVIII. Liquet Christum esse nobis omnia. At fructuosum nobis fuisse in omnibus suis, (quod consequenter addebam, extra controuersiam esse debet. Quod enim de vita dictum est à S. Ambrosio in Psalm. 36. æquè de omnibus bonis dici potest. Excurrit ibi S. D. in illud Ioannis 1. *quod factum est, ipso vita est.* Sic enim legendum non dubitat, dimissa diuersa Ægyptiorum, & Alexandrinorum interpunctione, qui post illud *factum est*, inchoabant nouam sententiam;) ait ergò S. Ambrosius, verè de Christo dici quicquid factum est in ipso, vitam nobis esse. [Christus in carne, (inquit) ipse nostra in omnibus vita est, ipsius caro vita est, ipsius æternitas vita est, ipsius passio vita est. Vnde & Hieremias ait, *In vmbra eius viuemus*; Vmbra alarum, vmbra crucis, vmbra est passionis. Ipsius mors vita est; ipsius vulnus, vita est; ipsius sanguis vita est; ipsius sepultura vita est, ipsius resurrectio vita est vniuersorum. Vos scite quoniam mors ipsius vita est? *In morte ipsius baptizati sumus, vt cum ipso in nouitate vitæ ambulemus*, Et ipse ait, *Amen Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram moriatur, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Ipse granum, pro nobis corpore solutus, & mortuus est, vt fructum multum afferret in nobis. Mors itaque eius, fructus est vitæ. Quod factum est ergò, in ipso vita est. Infantia facta est in ipso, vita est. Iudicium factum est in ipso, vita est. Mors facta est in ipso, vita est. Remissio peccatorum facta est in ipso, vita est. Ad mortem venditus est à Iuda, emptus à Iudæis ad mortem, vt pretioso eius sanguine nos redimeremur ad vitam. Hæc est vita quæ facta est, hæc est vita quæ apparuit, hæc est vita quam audiuimus, hæc est vita quæ erat apud Patrem; quia ipse qui erat in principio, ipse postea est natus ex Virgine, vt esset vita omnium.] Nihil igitur in Christo, inutile nobis: folium eius non defluxit, totus nobis impensus, totus expensus: omnia eius, in summam nostram vtilitatem, & fructum cesserunt.

XIX. Omnibus denique, non paucis quibusdam omnia factum Christum longè potiore iure quàm Paulum decernunt innumeris Scripturis, quæ Christum pro omnibus oblatum, ac immolatum testantur. Vrgent latè scripturas illas, qui disputant contra Gotescalcum & prædestinatianos, negantes vbertatem misericordiæ Dei; & copiosam ac diffusam ad omnes redemptionem per Christum. Nec licet eorum locorum vim, infringere per Tichonij regulam quartam, laudatam à D. Augustino lib. 3. de doct. Christi cap. 34. & ab eodem traditam epistola 49. ad quæst. 6. & à Hieronymo in cap. 1. ad Ephes. *sub finem*. Prospero lib. 1. de vocat. gent. cap. 3. aliàs cap. 9. Hilario Diaco. in cap. 3. ad Rom. ad illud, *Non est timor Dei ante oculos eorum*, ac Petro Damiani libro 5. epist. 13. nempè quod adiectiuum *omnis*, sæpè in scripturis sumatur pro numero certo, & pro sola parte totius vniuersitatis. Non licet inquam ad eum modum eneruare loca proposita: quia verè de omnibus, simpliciter, & absque restrictione vlla acceptis verum est, quod Christus quantum in ipso est, & (vt loquuntur, *ad sufficientiam*, illis profuerit etiam quoad gloriæ adeptionem.

Nec si aliquando Christus pro multis dicitur venisse, aut passus esse, excluduntur aliqui. Nam quum omnes dicuntur aliquid à Deo accepisse boni, multi reuera illud acceperunt. Præterquam quòd nonnulla ab vniuersitate totali restrictio, quam huiusmodi loca præ se ferunt facilè intelligi potest, de iis qui quoad efficaciam, & cum effectu, diuini beneficij vsura fruuntur: Qua ratione constat non omnes esse pares, & hoc perspicuè voluit autor libri in Canticum Deiparæ t. 9. Aug. quærens cur Virgo dixerit, Deum esse salutare suum. [*Suo* (inquit) nominauit, quia in salutari suo. Omnipotens enim Deus potestate qua vniuersæ creaturæ suæ dominatur, Dominus omnium est, sed pietate qua quosdam tantùm, sed non omnes ad vitam reparat, Saluator omnium non est.] Sed quantum attinet ad casum à salute, & in æternum exitium qui ruunt, & pereunt, non nisi culpa sua, & demerito euertuntur, nec stat per Christum, qui tametsi nonnullos beneficiis potioribus demeretur, dat tamen omnibus affluenter, ita vt perditio pereuntium ex ipsis sit.

XX. Et hac ratione conciliantur lites, inter eos qui pro omnibus, & eos qui non pro reprobis, mortuum & passum Christum dixerunt, vt Faustus, & Ecclesia Lugdunensis, aliique adducti lib. 3. de Christo sect. 1. cap. 4. Nam verè Christi mors non profuit reprobis, ad effectum consequendæ salutis æternæ, & eatenus dici potest Christum non esse pro ais mortuum. Sed ea quasi restrictio fructus ex se vniuersalis ab ipsis manauit, absolutè autem, & simpliciter loquendo, Christus pro omnibus mortuus est, & ad omnium salutem venit. Itaque Richardus Victor. lib. 2. de Eman. cap. 9. expendens illud, *Dabit Dominus ipse vobis signum*: sic ait. [Dabit Dominus ipse, non per subiectam creaturam, sed per propriam præsentiam. Dominus ipse in propria substantia in propria persona, dabit Dominus ipse vobis. Cur quæso in commune dicit, *vobis*, cum non prosit nisi solis bonis? Sed meritò dicitur *vobis* in commune, cum signum quod datur quantum in ipso est, omnibus sit vtile, omnibus pariter possit prodesse.]

XXI. Alterum nomen adiectiuum, quod compen

compendiariè olim per O expressum statuebam, est *optimus*. Nemo autem adeò cæcus est, vt non videat, id attributum consequenter ad vnionem hypostaticam, & conuenientissimè in Christum cadere: quippè qui & absolutè, & respectiuè, optimus sit: nec eo duntaxat modo optimus quo homines aliquando audiunt optimi, sed super excellenti ratione Deo propria. Esse enim dignissimam *optimi* appellationem, docemur ex vsu Ethnicorum, qui in solemni precatione, vt est apud Lactantium lib. 1. instit. cap. 10. Deum optimum Maximum nuncupabant, (Id quod etiam variis testimoniis prolatis, firmat Brissonius lib. 1. formol.) vt bonitatem Dei summam, atque potentiam signarent, quibus tanquam indiuiduis comitibus semper stipatur Deitas, vt philosophatur Philo lib. de sacrific. Abelis *einse*, exponens allegoricè tres Angelos qui Abrahæ occurrerunt. Porrò quod titulus *optimi*, priore loco adhiberetur; (non enim Iupiter *Maximus Optimus*, sed *Optimus Maximus* est nominatus:) argumento est, vt Tullius quoque notauit, lib. 2. de natura Deorum n. 64. quantoperè de Ethnicorum etiam sententia, Deum summa bonitas deceat, præ potentia & maiestate.

Itaque Verbum Incarnatum, in quod diuina persona, & essentia simul cum humanitate concurrit, meritissimò *optimi* nuncupationem sortitur. Est enim Christus, non bonus modò, sed etiam optimus, quæcunque tandem bonitas ea nimirùm quæ honestatis nomine donatur, & extra genus moris, perfectione rei quam afficit, continetur, tum quæ iucunditas, ac tandem quæ vtilitas dicitur, quamcumque huiusmodi bonitatem spectemus, fatendum est, Christum bonum & optimum extitisse.

XXII. De prima bonitate, quæ perfectione continetur, estque ea, qua res est bona sibi plenè, ac copiosè dictum est lib. 4. de Christo sect. 1. c. 4. vbi de abysso gratiæ Christi. Et lib. 5. sect. 1. c. 3. vbi absolutissima, & omnibus numeris explétissima Christi perfectio, est demonstrata. Egregiè eam complexus est S. Gregor 29. mor. cap. 30. monstrans concurrisse in Christum, septem micantes stellas Pleiades: id est omnes planè perfectiones atque Virtutes. Eius hæc, ex parte est oratio. [Redemptor noster in carne veniens, Plejades iunxit, quia operationes septiformis Spiritus, simul in se, & cunctas, & manentes habuit: De quo per Esaiam dicitur; *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini*. De quo Zacharias ait. *Super lapidem vnum septem oculi sunt*. & iterùm. *Et in candelabro aureo, lucernæ septem*. Nullus verò hominum, operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus mediator Dei, & hominum cuius idem est Spiritus, qui de Patre ante sæcula procedit. Benè ergò dicitur, *super lapidem vnum, septem oculi sunt*. Huic enim lapidi, septem oculos habere, est simul omnem virtutem Spiritus septiformis gratiæ, in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum, iuxta distributionem S. Spiritus accipit: ad habenda verò cuncta eiusdem Spiritus munera, nemo pertingit. At verò conditor noster, infirma nostra suscipiens, quia per diuinitatis suæ potentiam, simul se habere omnes S. Spiritus virtutes edocuit, micantes proculdubio Plejades iunxit. Dum verò Pleiades iunxit, Arcturi gyrum dissipat: quia dum semetipsum factum hominem, habere cunctas S. Spiritus operationes innotuit, in testamento veteri, literæ laborem soluit; vt fidelis quisque iam cum libertate Spiritus, illud intelligat, cui prius in formidine, inter tot discrimina seruiebat. Audiat itaque B. Iob. *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas?* Ac si apertè diceretur. Habere quidem lumina, quarundam virtutum potes: sed nunquid exercere simul omnes operationes S. Spiritus sufficis? Me ergo coniungentem Pleiades in cunctis virtutibus contemplare, & tu in paucis ab elatione compescere.]

XXIII. De secunda bonitate paucis complexus est permulta Iob, appellans Christum *torrentes mellis, & butyri*, vt interpretatus est sanctus Gregorius 15. mor. cap. 9. Mel quidem ratione Deitatis, quia mel desuper venit, butyrum verò quod ex carne est, ratione humanitatis. At sunt ista in rebus corporeis suauissima, & dulcissima. Disserit in eandem sententiam perpulchrè Rich. Victor. lib. 2. de Eman. c. 21. Itaque est Christus ea ratione optimus.

Quod item æquè dicendum est de bonitate vtili. Nihil enim eo nobis vtiliùs, nihil fructuosiùs. Quod quia fusissimè prosequor exponens varios Christi titulos in ordine ad homines lib. 5. de Christo sect. vltima tempero hic pluribus. Fuit igitur Christus optimus ratione huius mysterij, quod tantas diuinæ bonitatis diuitias mortalibus exprompsit. Nuspiam enim tanta Dei bonitas prodita est mortalibus, quanta in Verbi incorporatione propter hominem. Nam si humanus, & benignus, atque adeo optimus est qui magna cum Charitate domi suæ excipit hominem? vt D. Augustinus ratiocinatur serm. 8. de verb. Apostoli? Non nego quin hæc tanta bonitas plerisque ea abutentibus, malè cedat, & sit exitio: quod aliter dixit sanctus Cyrillus l. 8. Glaphyr in Pentat. *pag.* 63. hoc mysterium bonis esse lucernam, abutentibus clibanum, sed hoc vitio eorum fit, non mysterij.

XXIV. Quod denique referebam non simpliciter appellationem *optimi*, sed cum adiuncto *Principis*, in veteribus notis exprimi solitum litera O, in hoc mysterium cadit bellissimè: quippè quo *puer datus est vobis, cuius imperium super humerum eius*, qua loquendi formula, lenissimum & subditis optatissimum principatus genus signatum est. Nam multorum quidem Principum imperium, est super humeros subditorum, quos grauant, & opprimunt. Imperium autem Christi, super humeros ipsius fuit, cuius vniuersum regimen aliò non spectabat, quàm ad subditorum vtilitatem, ac commodum. Dissero in eam rem copiosè libro 5. de Christo sectione quarta, capite 1. & 2.

Quod si optimum Principem lenitate rectionis metiri placeat, à qua plerique magnorum qui fuerunt in terra, honorum, ac piorum cognomen retulisse leguntur, fuit profectò Christi rectio lenissima, vt plenè persequor in Commonitorio vt sit moderatio quod dicitur §. 8. Itaque si optimorum principum est, aliorum potiùs quibus præsunt, rationibus seruire quàm suis, nec eos grauare ea rectionis truculentia quam Siracides nomine *ictus flumy*, expressam dedit cum dixit,

Ne

Ne coneris contra ictum fluvij, id est contra superiorem violentum,& rapidum, ac non dissimili œstro, & furore rapientem, & conuoluentem omnia, quàm faciat ictus fluuij violenti, Gallicè *le fil de l'eau*; Hæc inquam si ita se habent, (vt sanè habent, de quo locis annotatis,) constare debet, Christum qui totus in nostros vsus impensus est, & tam leni fuit rectione, quæ clamorum quassatum non contereret: merito nomen Principis optimi sibi vendicare, longè potiore iure quàm Titus, aut Traianus, quem eo maximè titulo delectatum, Plinius in Panegyrico testatur, aut quàm omnes alios, optimorum Principum, vel rectorum nomina sortitus, non rarò per antiphrasim, aut ratione tantùm habita dignitatis,ac muneris quod eos deposceret optimos. Eam enim ob causam,vt est apud Senecam epist. 3. qui magistratum aliquem prehendebant, *viri boni* dicebantur: qui verò illud adepti iam erant, *optimi viri* nominabantur, vnde *optimates*. Sed huiusmodi appellationes, vt aliæ pleræque, quoad homines frequenter fuerunt euanidæ,& nullo subiecto vero sensu. Sic enim Felix & Festus, viri pessimi, & omnibus cooperti flagitiis, *optimi* audierunt, etiam à S. Paulo Actorum 24 communem loquendi vsum seruante, attento præfecturum illorum munere, vt cuius optimi esse obstringebantur. In Christo, vndecumque vera fuit optimi principis denominatio; & iure à S.Ambrosio lib. 3. de Virg. appellatur *verus populi Dei Princeps*,cuius figuram ait fuisse Animadab, cui nomini subiecta notio est, *Princeps populi*: vt propterea Christiana anima dicatur, *currus Animadab*, quia à Christo principe regitur, ac affectuum veluti equorum effrænium ferocia, coercetur? quod pluribus ibi prosequitur Sanctus Ambrosius.

X X V. Ex proximè dictis liquet, sicut per ea quæ antenùs sunt tradita de O in vi literæ, & vice nominis substantiui vsurpatu, extrema & ideas è quibus Christus existit, omniaque mysteriu incarnationis subsistentialia exprimuntur,ita notionibus iis quas τῷ ô, in vi nominis adiectiui vsurpatu subiecimus, præclarè exprimi perfectiones consequentes ad esse: hoc est quæ in hunc hominem,consequentur ad substantiam mysterij Incarnationis conuehuntur. Nimirum cumulum perfectionum accidentalium prope infinitum, & regium in omnia Deo subiecta imperium; titulo vnionis; atque adeò depressius quidem diuino, sed tamen sublimius quibusuis humanis apicibus, Perfectiones quippè omnes naturæ & gratiæ, quas vi huius mysterij debitas fuisse Christo, eique reuera inextitisse extra controuersiam est, perbellè exprimit(vt monstraui,)ô litera sumpta in vi nominis adiectiui. Regium item titulum in omnia creata, Christo competisse vi vnionis, benè monstrat Anastasius Sinaita 7. Hexaëm *ab initio*,vbi Christum hominem esse naturâ suâ Dominum, & titulo Dei hominis Dominium in omnes surrum esse, confirmat, ea modo loquendi Moïs, primò Deum, posteà Dominum Deum cum primùm Incarnatio adumbrata est,nouminantis. Addit item locum ex Psalmo 117. vbi Christus illuceus orbi, venisse dicitur *in nomine Domini*.Id est,tanquam verus Dominus, vi aduentus sui & Incarnationis. Quid quod æque Psalmo 67.ait Dauid, *Dominum esse illi nomen,quia ascendit super occasum*, id est quia vnioit sibi tenebras nostras.Ita enim cum locum exposuit Isid. Pelus. lib. 1. epist. 148. respondens Dracontio. [Quæris,(inquit,) quonam pacto, cum Deus Oriens appelletur, ac lumen inaccessum sit, super occasum tamen ascenderit. Respondeo. Oriens vocatur diuinitas ortus expers,quæ semper num lumen est. Ascensus autem super occasum est, ac nostri similis, si cum superno splendore comparetur. Incomparabiles enim hæ duæ res erant, priusquàm eas artifex in seipso copulasset.] Et hanc quoque prærogatiuam, egregiè monstrat ô in vi nominis adiectiui,vt est demonstratum.



P V N C T V M III.

O Pro nomine (vulgò pronomen)

Excurrentis numeri nota seu Zero.



V t p istud ô Incarnationis mysteriu fetat, clarè expressum est ab Apostolo Philipp. 2. verbis illis: *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,in similitudinem hominum factus,& habitu inuentus, vt homo.* Verbi Incarnationem,Apostolus *exinanitionem* nominat qualem in numeris notat O, de quo agimus. Per se enim nihil significat, & planè inane est; tametsi adiunctum numero, plurimùm valet; ita vt millenarius, imo myrias, nec vna, sed multiplex inde existat. Similiter ergo humanitas ad quam Verbum propter nos descendit, per se sulam spectata, nihil est. *Quid enim est homo, quod magnificas eum?* aiebat Psaltes. *Substantia eius, tanquam nihilum ante te.* Iob item sapientissimè, hominem præ Deo, ne esse quidem dixit,sic Deum compellans. *Nonne tu qui solus es?* Nimirum quia præ Deo, quicquid est, nihilum & inane est.

Egregiè id tradidit S.Hieron. epist.57. quæ est ad Damasum. [Vna est (inquit,) Dei & sola natura quæ verè est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est: Cætera quæ creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt: & potest rursus non esse, quod non fuit. Deus solus qui æternus est,hoc est qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet. Idcircò & ad Moysem de rubo loquitur; *Ego sum qui sum.* Et rursum. *Qui est, me misit.* Erant vtique tunc Angeli, cœlum, terra, maria: & quomodo commune nomen *essentia*, propriè sibi vindicat Deus? sed quia illa sola natura est perfecta, & in tribus personis Deitas vna subsistit, quæ est verè,& vna natura est, &c.] Ad eandem mentem S.Aug.ser.38.de temp.sic habet.[Sola est incommutabilis substantia, vel essentia quæ Deus est,cui profectò ipsum *esse*,vnde *essentia* nominata est, maximè ac verissimè competit. Cui soli optimè id congruit nomen, quod Græci dicunt ὤν. Latini *est*; sicut Apostolus ait: *Non est,in illo est & non.*] Videndus lib. in illud, *Ego sum, qui sum*: & multi quos in eandem sententiam laudo in natur.Theol.dist.6.n.46. tractans primum sensum descriptionis illius diuinæ quidditatis, *Deus est id quod est.* Verè igitur assumebam hominem præ Deo nihil esse, spectata tantum conditione creaturæ, seu habita tantùm ratione dependentiæ, qua eius esse à Deo manat.

II Est

II. Est etiam alterum caput, ratione cuius homo ad nihilum redigi, rectè affirmatur. Non est enim qui non peccet. Et omnis mundus à sorde peccati. At natura per peccatum, redigitur ad inane, & nihilum. Scatent libri oraculis Scripturarum & Patrum id ferentium. Ecclesiast. c. 19. ait, delinquentem in animam suam, *insuper habendum*, id est, pro superuacuo, & nihili, ac nullo æstimandum. Nam hoc esse Latinis *insuper habere*, docemur ex Papiniano. l. *sunt personæ* ff de relig. & sumpt. funerum. Boëtius in hanc rem pulchrè disserit l. 4. consol. prosa 2. his præter cætera. [Deflectentes ad vitia, non solùm potentes esse, sed omninò esse desinunt. Nam qui communem omnium quæ sunt finem relinquunt, pariter quoque esse desistunt. Quod quidem cuipiam mirum fore videatur, vt malos qui plures hominum sunt, eosdem non esse dicamus. Sed ita se res habet. Nam qui mali sunt, eos malos esse non abnuo, sed eosdem esse purè, & simpliciter, nego. Nam vt cadauer hominem mortuum dixeris, simpliciter verò hominem appellare non possis, ita vitiosos, malos quidem esse concesserim, sed esse absolutè nequeam confiteri. Est enim quod ordinem retinet, seruàtque naturam. Quod verò ab hac deficit, esse etiam, quod in sui natura situm est, derelinquit.] ;

Idem his verbis tradit Philippus Abbas lib. de silentio Clericorum c. 61. [Qui meritis exigentibus perueniunt ad hoc esse, vt sit illis multò meliùs omnquam esse; hi nimirùm in Scripturis dicuntur aliquoties non esse, quia malè perditi non obtinent verum esse. De quibus Esther, *ne tradas* (inquit) *regnum tuum his qui non sunt*. Et Isaias. *Spiritus*, (inquit) *tuus, vel vt torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum*. Et Ezechiel ad Principem Tyri, *Nihil factus es, & non eris in perpetuum*. Qui ergò merentur irreparabiliter deperire, constat, vt (prædictum est) eos ad nihilum deuenire.] Videndus etiam libro 3. in Cantic. capite 22. & S. Bernard. sermone 25. in Cant. ac Rupertus lib. de omnipotentia Dei c. 4. & alij quos adduco in Morali dist. 4. num. 426.

III. Ad nostram igitur naturam, ex se in hoc rerum statu sordentem peccato, atque adeo ad nihilum, & inane deductam, descendit verbum, & eatenùs exinanitum est, supràque omnem modum imminutum, & breuiatum, quod piè in hunc modum suspicit Guerr. serm. vlt. de Nat. [Seipsum breuiari, & quodammodo minui voluit, adeò vt de incomprehensibili immensitate sui, ad angustias vteri quodammodò se contraxerit, & continens mundum, in præsepi se passum sit contineri. In cœlo Verbum istud, horribili altitudine sua, virtutes Angelicas stupefacit, in præsepi simplices, & hebetes pascit. Ibi subtilissimis Angelorum intellectibus inscrutabile, hic etiam obtusis hominum sensibus palpabile. Quia enim Deus non poterat loqui nobis quasi carnalibus, sed quasi carnalibus, Verbum eius factum est caro; vt non solùm audire, sed & videre posset omnis caro, quod os Domini locutum est. Et quia in sapientia sua non cognonouit mundus sapientiam Dei, dignatione ineffabili, eadem sapientia Dei se stultitiam fecit, vt quamlibet idiotis, vel hebetibus se discibilem præberet, & per stultitiam prædicationis, saluos faceret credentes. Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia sapientiam tuam abscondisti à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, sic fuit placitum ante te, vt paruulis daretur parnulus.]

IV. Eandem imminutionem Verbi Dei perpulchrè considerauit Philippus Abbas tomo 2. moral. in Cant. asserens manna quod minutum quid fuisse describitur, typum gessisse (Dei Verbi ad minimà nostra demissi. [Videant, (inquit) & considerent, quid in exodo textus historiæ, nobis etiam tacentibus eloquatur; *Apparuit* (inquit) *in solitudine, minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filij Israel dixerunt ad inuicem; Manhu, quod significat, Quid est hoc? Ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses. Iste est panis quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Videamus ergo si fortè alicubi reperire poterimus, Christum panem appellatum. Dominus ipse in Euangelio dicit. *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum; & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ecce quàm idoneè conueniunt sibi inuicem, vetus, & nouum testamentum. Quod ergò Moyses *manna*, & *panem cœlestem* vocat; hoc Dñus in Euang. *panem de cœlo descendentem*, & *carnem suam* appellat. Veruntamen consideremus remoto à nobis paulisper tumultu sæcularium cogitationum, quare Spiritus S. per os Moysi prophetæ dicat, apparuisse minutum: Deinde cur idem manna pilo tusum fuisse describatur, vt quid etiam in similitudinem pruinæ super terram iacuisse perhibeatur. Si enim secundùm Grammaticæ artis naturam, partem istam scilicet minutum subtiliter inspicimus, sine dubio à verbo quod est *minuo, minuis, minutum* dictum reperimus. Non ergo casu, sed certo rationis sacramento, manna suisse minutum describitur, quia figuram corporis Christi gerebat; de quo Dauid Propheta ad Deum Patrem loquitur, dicens. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis; gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Non ergò immeritò refertur, quod manna de supernis apparens, minutum super terram reperitur, quia valdè illa superna Maiestas Vnigeniti Filij se minorauit, quando ad perferendas nostræ mortalitatis iniurias descendit, & formam serui suscipiens, secundùm Pauli Apostoli vocem, se ipsum exinaniuit. Multum (inquit,) manna illud minutum erat, quando creator cœli, & terræ, & omnium rerum, inter homines sine existimatione alicuius dignitatis latebat. Valdè inquam apparuit minutum istud manna, quando à creatoris suis, creator generis humani, tot sustinuit opprobria. Vnde in Exodi libro sequitur, quia idem cœleste manna quasi pilo tusum esse videbatur. Quod vtique humanitati Christi apertissimè congruit, quæ sicut iam præfati sumus, tot dehonestamenta, & tot conuicia à perfidis hominibus pertulit. Multùm siquidem hoc spiritale manna exitit pilo tusum: quando Corpus Christi fuit sputis illitum; flagellis grauiter attrectatum, corona spinis honoris dehonestatum; Insuper ludibrio ab omnibus habitum: Philo inquam diræ passionis, spiritale manna diuerberatum fuit, quando lance Christi lancea militis perforauit, & clauorum duritia manus pedésque illius terebrauit. Fatendum est igitur omni ambiguitate remota, quod Christus verus Deus & verus homo erat, cuius imaginem, & figuram; illud antiquum manna tenebat.] ,

V. Proposueram exinanitionem, exponere; nec nisi breuiationem, & imminutionem attigi. Vt ergò Dei hominis exinanitionē agnoscamus, percurrenda sunt nonnulla ex præcipuis diuinis attributis, & quantù hic cernatur Deus mutatus ab illo, non erit deprehensu operosum. Spectemus ergo sapientiam, immensi

immensitatem, infinitatem, potentiam, æternitatem, Verbi Dei, quia nemo humilitatem Dei exinanitionémque comprehendet, quin maiestatem comprehendat. [Magna prorsus, (inquit Guerric. sermone secundo, de Nat.) exinanitio ista in oculis viuentium, vt splendor gloriæ & figura paternæ substantiæ, non nisi formam præferat seruilem; & ipsa non habeat speciem neque decorem. Quasi enim parùm exinanitus esset, si homo solùm fieret, etiam humanæ carnis gloriam ita funditùs in se vacuauit, sapientiam infatuauit, infirmauit virtutem, minuit magnitudinẽ, vt & in natiuitate minimum, & in passione se exhiberet nouissimum virorum; vnde nec reputauerunt eum. Vis autem videre Deum exinanitum à semetipso? vide iacentem in præsepio. *Ecce Deus noster*, Esaias ait, qui tam longinquo vidit, & cognouit præsepe Domini sui, imò Deum in præsepi; *Ecce* (inquit) *Deus noster*. Vbi quæso? In præsepio. Infantulum quidẽ ibi inuenio, Huccine tu dicis illum esse, qui dicit, cœlum, & terram ego impleo, imò cuius maiestati angusta est omnis cœli latitudo? Pannis inuolutum video, hunccinè tu dicis illum esse, qui gloriam, & decorem induit lucis inaccessibilis, amictus incircumscripto lumine sicut vestimento; Vagientem audio. Hiccinè est qui in cœlis tonat, sub cuius vocis tonitruo, potestates Angelicæ submittunt alas suas? Sic est, (inquit alius Propheta satisfaciens pro Isaia,) omninò sic est, *Hic est Deus noster*: sed exinanitus est, vt te repleat, & à se quodammodò deficere voluit, vt te reficiat. Conclamat omnis chorus Prophetarum, vno spiritu, eadémque sententia, & si aliqui voce diuersa, sic est, *hic est Deus noster, & non æstimabitur alius præter eum, neque enim est alius præter eum.*]

VI. Benè item S. Bern. ser. 4 de Ascens. [Quia non erat quo ascenderet, descendit altissimus, vt suo nobis descensu suauem ac salubrem dedicaret ascensum. Descendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circumdatus: descendit de monte scientiæ, quoniam placuit Deo, per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quid enim tenello corpore, & infantilibus membris videtur infirmiùs? Quid indoctiùs apparet paruulo, qui sola matris vbera nouerit? Quis impotentior eo, cuius omnia membra clauis affixa, cuius omnia dinumerantur ossa? Quis insipientior eo, quod tradebat in mortem animã suam, & quæ non rapuit tunc insoluebat? Videa quàm multum descenderit, quantum à potentia sua, quantum à sapientia sua exinaniuerit semetipsum.] Pulchrè denique in eam rem disserit Theod. Ancyran. hom. Ephesi habita, in die S. Ioann. Apostoli, tom. 6. Concilij Ephesini, editionis Peltani, c. 9.

VII. Hæc fuit Verbi infirmatio & subneruatio, quam S. Ambros. in Psal. 43. ad illud *in te inimicos nostros ventilabimus cornu*, adumbratam putat ea Iosephi delectione, quam Moses per Tauri subneruationem expressit, addens, eodem spectare Iacobi Patriarchæ post luctam claudicantis historiam. Tractans ergo eo loco S. Ambr. benedictionem Iosephi Deut. 33. illam his verbis conceptam refert, glossátque in hunc modum. [Non otiosè in benedictionibus Moysi legimus. *qui visus est in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem eius glorificatus inter fratres suos; primogenitus tauri decor ipsius: cornua vnicornis cornua ipsius, in ipsis gentes ventilabit simul, vsque ad extremum terræ.* Hæc decem millia Effrem, & hæc millia Manasse. Quis est in rubo visus Moysi, nisi primogenitus Dei filius, qui ait; *Ego sum Deus Patrum tuorum; Deus Abraham, Deus Isaac Deus Iacob*; Ideò demonstratus humanis aspectibus, quia venturus erat, vt omnibus videretur, &c.] Hic ergo (inquit) veniat super caput tribus Ioseph, vt exaltet caput populi sui, veniat etiam super verticem vt verticem capilli perambulet, amputaturus superflua delictorum, sanctificaturus ornamenta virtutum. Hic est glorificatus inter fratres suos, sicut ipse dicit. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Quæ maior est gloria, quam peccatoribus nationum, cognitionem diuinitatis infundere? Quem in visione vidit Ioseph quũ manipulum eius adorarent fratrem manipuli, adorarent eum Sol & Luna cum stellis. Manipulus ille, in figura carnis accipitur. Omnis enim caro, fœnum. Fœnum hoc nostrum suscepit, vt suum triticum germinaret, & fructum resurrectionis afferret. Quæris testimoniũ? Audi de se dicentem: *Nisi granum tritici cadens in terram moriatur, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; Denique vt scias, quis de Dei filio dicit Moyses, ait: *Glorificatus fratres suos, primogenitus*; Vnque non Ioseph erat primogenitus inter filios Iacob, sed Ruben. Nam Ioseph, post plurimos erat. Sed primogenitus dicitur, qui venturus erat, vt nationum populos congregaret. Vnde pulchrè ait Scriptura. *Tauri decus eius.* Sicut enim Taurus ducit armentum, ita Christus plebem gentium duxit ad Ecclesiam, induxit ad pascua, vt possit dicere, *in loco pascua ibi me collocauit, super aquam refectionis constituit me.* Huius tauri decore perpetuò, capta nostræ fragilitatis armenta, secuta sunt præcedentem, vt vitam adipiscerentur æternam. Mugiuit hic taurus, & mors refugit. *Leo rugit, & quis non timet?* Verè maxima taurus victima, vt ab aduersariis assumamus testimonia. Quæ maior enim victima, quam quæ mundi totius peccatum, suò cruore mundauit? Audi quia ipsum, taurum dicit etiam S. Propheta Iacob, cum reuelaret Domini passionem, quem Iudæi postea persecuti sũt, *In furore* (inquit) *suo subneruauerunt taurum.* Et vt aperiret, quia de Iudæis dicebat, addidit, *Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israel.* Hic est homo qui luctatus est cum Iacob, & femur tetigit, quo tactu Patriarchę neruus obstupuit, significans ex eius successione secundùm carnem se esse venturum, qui subneruandus esset à populo Iudæorum, in sui corporis passione. Quæ non intelligentes mysterium, statuerunt ne neruum manducarent filij Israel. Et ideò sacri sanguinis se redemptione fraudauerunt; salutiferæ quoque passionis se beneficiis abdicauerunt, ne vitam mererentur æternam.]

VIII. Sic pro nobis, & in bonum nostrum subneruatus, deiectus, exinanitus est, Deus Verbũ. Rationem minorationis sanè optimam sic prosecutus egregiè est Richard. Vict. lib. de Incarn. Verb. c. 10. [Certè per præsumptionem vetiti, & quasi per rapinam, gestiuit homo ascendere vsque ad similitudinem Dei. Vt igitur modus satisfactionis, responderet modo præuaricationis, ratio exigebat, vt ruinæ nostræ reparator, per exinanitionem descenderet de similitudine Dei, ad similitudinem lapsi. Filius autem est imago & figura Patris. Ipsum itaque, ipsum, iuxta congruum debitæ expiationis modum, oportuit descendere, & assumere similitudinem Dei ex generatione diuina, & similitudinem hominis ex generatione humana] Egregiè item, & latè in eam sententiam disserit Theodorus Ancyranus, homil. habita Ephesi in die S. Ioan. tom. 6. c. 9. conc. Ephes. editionis Peltani.

IX. Itaque descendit Verbum, & exinanitum est. [Videte fratres (exclamat Aug. serm. 52. de

diuerſ. cap. 3.) quantum ſe humiliauit propter homines, Deus. Quantum ſe deijcere debet ſeruus; quando ad tantam humilitatem deſcendit, & Dominus? Quæ humilitas clariſſimi, ſi pleniſſimè ab hominibus poſſidetur, etiam ad charitatem vſque proficiet. Nam dum alter alterum exiſtimat ſuperiorem, dilectio facit æqualitatem: Vnde non ſe ipſe homo deſpiciat, propter quem vtique, iſta ſubire dignatus eſt Deus.] Addo etiam illa ex Laurentio Iuſtiniano ſerm. de Natiuit. Domini. [Quamobrem ô dilectiſſimi, adeamus cum fiducia, non ad thronum gloriæ, ſed ad thronum humanitatis eius, vt inueniamus gratiam in tempore opportuno. Ibi namque agnoſcemus exinanitam maieſtatem, Verbum abbreuiatum, Solem carnis nube obiectum, & Sapientiam amoris nimietate infatuatam.]

Et quanquam nulla hîc diuinitatis iniuria in ſuis internis bonis eſt imaginanda; interuenit tamen exinanitio, ratione adiunctæ humanitatis, iuxta illud S. Gregorij 2. mor. cap. 22. [Benè ſeruus dictus eſt, quia formam ſerui ſuſcipere dignatus eſt. Nec maieſtati iniuriam intulit aſſumpta humilitas carnis, quia & vt ſeruanda ſuſciperet, nec tamen habita permutaret, nec diuina humanitate minuit, nec humana diuinitate conſumpſit: quia etſi per Paul. dicitur; *Qui cum in forma Dei eſſet non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ Deo, ſed ſemetipsũ exinaniuit formam ſerui accipiens*; & ſemetipſum exinaniuiſſe, eſt ab inuiſibilitate ſuæ magnitudine, ſe viſibilem demonſtraſſe vt ſerui forma tegeret, hoc quod incircumſcriptè omnia ea diuinitate penetraret.] Concinit Vigilius Papa in Encyclica ad vniuerſam Eccleſiam. [Qui in principio (inquit) erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, Incarnatus Deus Dei filius ex Spiritu S. & ex B. Maria ſemper Virgine, humanitatis ſumpſit initium, vt nos æternitatis ſuæ faceret cohæredes Noſtræ conſors dignatus eſt eſſe naturæ, vt nos ſuæ immortalitatis faceret eſſe participes. Pauper factus eſt cum eſſet diues, vt eius inopia ditaremur. Omnia quæ noſtra ſunt, euacuata noxarum noſtrarum chirographo condonauit, ſicut vas electionis edocuit, *cum in forma Dei eſſet, &c. ſemetipſum exinaniuit.*]

X. Mirum tamen quantum ex Verbi exinanitio, humanitatem prouexit. In quo aiebam correſpondentiam vni O ſignantis excurrentem numerum, & humanitatis. Nemo enim ſatis cogitarit, quantum & natura ipſa humanitatis, digna facta ſit, & ſublimis, ac etiam quantum ornamenti, & pretij, operationibus eiuſdem acceſſerit. Et humanitas quidem, vnguine Deitatis delibuta, tametſi manſit verè humanitas, tamen fragrantiſſima eſt reddita; & diuinæ condorationis capax, ob nexum cum Verbi perſona. Quæ viliſſima erat, facta eſt nobiliſſima. [Ex hoc (inquit Richard à S. Laurentio lib. 2. de Deipara part. 1. cauſa 55.) maxima dignitas accreuit humanæ naturæ, quæ antea vilis erat, & clamabat ad Dominum, Thren. 1. *Vide Domine, & conſidera quoniam vilis facta ſum.* Sed poſt Incarnationem dicit in Chriſto Pſalmo 72. *Cum gloria aſſumpſiſti me, & facta ſum glorioſa.* ſicut ignobilis mulier ſublimatur, cum à viro nobili in matrimonium aſſumitur. Et ex hoc eſt quod omne peccatum poſt Incarnationem Saluatoris, grauius eſt quàm ante. Sicut ignominioſius eſt viro nobili viliter agere quam ignobili. Siquidem humana natura, per Euam fuerat Satanæ pedibus ſubſtrata, ſed modò per Mariam ſuper Angelos eſt exaltata: & quam per Euam traxerat in interitum Diabolus, modò per Mariam præcedit Angelorum meritum; & quæ per Euam facta eſt ignominioſa, per Mariam præ Angelis facta eſt glorioſa.]

Vniuerſa humanitas priùs erat abiectiſſima, hæc vnius indiuiduæ humanitatis conſociatione cum Verbo, facta eſt eius cognata, & conſanguinea, ſiue concorporalis, quod ſuſpicit tantoperè Apoſtolus Quæ firmiſſima ex ſe erat facta eſt fortiſſima, Deo noſtram ſibi infirmitatem aptante, & ſuum in nos robur, tranſfundente. Quò S. Auguſt. tract. 15. in Ioan. accommodat oſſis Adami collocationem in Eua, & ſuppletionem carnis pro oſſe, factam Adamo. [Infirmitas Chriſti, (inquit ibi poſt alia S. Auguſt.) nos facit fortes. Magna ibi imago præceſſit. Potuit enim Deus carnem detrahere, homini, vnde faceret fœminam; & magis videtur quaſi congruère potuiſſe; fiebat enim ſexus infirmior, & magis de carne infirmitas fieri debuit, quam de oſſe; oſſa enim in carne firmiora ſunt. Non detraxit carnem, vnde faceret mulierem, ſed detraxit os, & detracto oſſe, formata eſt mulier, & in locum oſſis caro adimpleta eſt. Poterat pro oſſe, os reddere, poterat ad faciendam mulierem, non coſtam ſed carnem detrahere. Quid igitur ſignificauit? facta eſt mulier in coſta; Tanquam fortis factus eſt Adam in carne; tanquam infirmus Chriſtus & Eccleſia. Illius infirmitas, noſtra eſt fortitudo.]

XI. Inſigniter planè Rich. Victor. lib. 1. de Eman. à cap. 11. poſt propoſitam humanitatis per Adamum deiectionem, monſtrat quantò altiùs ſubuecta ſit per Incarnationem, quod poſtquam fusè & optimè tractauit per multa capita, concludit c. 19. [Ecce fratres, quid contulit, ecce quid profuit puerperium Virginis, incarnatio noſtri Emanuelis, Iſte eſt puer qui ſolus matris ſuæ integritatem non abſtulit, ſed ſacrauit. In iſto puero factus eſt nobiſcum Deus. Per hunc puerum, genus humanum recipit quod in primo omnium parente amiſit. Ab hoc puero deiectus eſt, qui prius deiecit: ab hoc erectus, qui priùs deiectus fuit. In hoc puero recuperabit homo honorem ſuum: ipſe eſt qui abſtulit opprobrium noſtrum. Sed quale (inquit) opprobrium? *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis, inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Factus eſt autem homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Grandis honor. Sed homo non intellexit, ideóque deſpexit. Deſpecta verò atque reiecta ſimilitudine Dei, transfigurauit ſe ad ſimilitudinem iumenti. Ecce quale dedecus. Iuxta magnitudinem honoris, magnitudo dedecoris. Inde opprobrium inde improperium Et iuſtè iam quia opprobria exprobrantium ceciderunt ſuper eum. Meritò ergò clamat, *Auſer à me opprobrium, & contemptum* Penſet homo pietatem Dei, ſi poſſit. Contemptus à nobis, contemptum noſtrum ſuſtinere non potuit. Deſpectus ab homine, deſpicientis opprobrium portare non ſuſtinui. Reiecit homo ad quam formatus eſt ſimilitudinem diuinam Deus è veſtigio conformauit ſe ad illam, quã homo transformauerat ſe ſimilitudinem humanam. O qualis reformatio! ô qualis deterſio exprobrationis, transformatum ſimilitudini iumenti, habere Deum ſimilem ſui.] In ſumma rectè pronunciauit D. Aug lib de prædeſt SS. c. 15. [Iſta eſt naturæ humanæ tanta, & tam celſa, & ſumma ſubuectio, vt quò attolleretur, altiùs non haberet. Sicut pro nobis ipſa diuinitas, quouſque ſe deponeret humiliùs non habuit, quam ſuſcepta natura hominis cum infirmitate carnis.] Dilicimus hanc noſtram per

Christum euectionem (vt ait in Encyclica epistola Vigilius Papa) per Christi redinitui glorificationem in qua voluit Deus membra conspicere quales primitias in capite suo præcepissent, acceptura & ipsa suo tempore consummationem sublimitatis cuius nunc in Christo arrhabonem obtinent.

XII. Iam verò actiones humanitatis Christi, tametsi ex se non pluris sint quàm actiones nostræ, tamen quatenùs ab humanitate Deo coniuncta prodeuntes infiniti fuêre valoris; ita vt cum vnus tantillus motus digiti, aut pedis, vna corporis inclinatio, ac denique quælibet quantumuis minuta & exilis actio Christi, ex se & prout à nobis prodiens, vix vllius pretij videretur; tamen prout à Christo elicita, esset par, quæ vniuerso orbi, ac innumeris similibus, si totidem producerentur, in statera iusta appenderentur, & præponderaret. Actiones enim Christi, prout à Christo Deificatæ, (vt ita dicam,) Infiniti fuêre valoris, subuectæque sunt in ordinem eminentissimum: ita vt S. Basilius cap. 25 constit. monast. neget quicquam à Christo factum, posse deinceps videri despicatum, aut leue; cum eo ipso sit quasi perfusum Deitate, & oblitum fragrantia & dignitate inæstimabili. Quod item de perpessionibus à Christo exceptis, tradit egregiè Theodotus Ancyranus homil de nat. Saluat. to. 6. Conc. Ephes. append. 5. cap. 2.

Suauissimè pro more, & de humanitatis Verbo vnitæ actionibus, & de eiusdem perpessionibus, id expressit S. Bernardus serm. 3. de Vigil. Natiuit. [Voluit (inquit) infimiora nostra, abundantiori gloria sublimare, & contraxit se Maiestas, vt quod melius habebat videlicet seipsum, limo nostro coniungeret, & in persona vna sibi inuicem vnirentur Deus & limus, maiestas & infirmitas, tanta vilitas & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo: & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quàm incomprehensibili Sacramento.]

XIII. Quo detestabiliores haberi debent, qui Christum aliqua indigna subire, vel aliqua in speciē humilia operari considerantes, eo insaniæ sunt prouecti, vt inde concluderent, vel eas perpessiones, aut operationes non fuisse nisi imaginarias atque Phãtasticas; vel Christum non fuisse verè Deum; quasi minoris fieri debuisset Christus, quia pro nobis etiā ad ea venit, quæ iuxta corruptum mortaliū sensum sunt vilia & indigna: cum tamen reuera sint nobilissima, & dignissima Deo, creaturæ suæ salutem negotiante: indéque magis colendus & à nobis amandus sit, quod etiam indigna suscepit, vt optimè notarunt Cassian lib. 2. de Incarn. c. 3. *in fine*, Euch. hom. in illud, *arundinem quassatam*, *&c.* Greg. 29. mor. c. 1. & ante hos omnes Tert. 2. in Marc. c. 27. cuius illa sunt consideratione in hanc rem dignissima, aduersus hæreticos obiectionum Christi malos æstimatores. [Quæcumque vt indigna reprehenditis, deputabuntur in Filio, & viso, & audito, & congressu, & arbitro Patris & ministro, miscente in semetipso hominem & Deum, in virtutibus Deum, in pusillitatibus hominem, vt tantum homini conferat quantum Deo detrahit. Totum denique Dei mei penes vos dedecus Sacramentum est humanæ salutis. Conuersabatur Deus, vt homo diuina agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo posset. Deus pusillus inuentus est, vt homo maximus fieret.]

XIV. En igitur ὠμέγα, depressum; & ὀμικρόν, sublimissimè euectum, ea ipsa depressione & deiectione magni O siue diuini Verbi. Nam sicut iuxta præclaram D. Augustini doctrinam lib. 14. ciuit. cap. 13. cui egregiè astipulatur Nyssenus lib. de vita Mosis, *cum de Dathan, & Core descensu* humilitas formaliter extollit, superbia formaliter deprimit; ita vt dum homo specie tenus deprimitur, reuera tamen eo ipso extollatur: sic formalissimè humanitas ea Verbi cum ipsa conlerti deiectione, & quasi dehonestatione ac exinanitione per coniunctionem cum carne & limo nostro, supra modum ac mensuram omnem euehitur.

XV. Absurdum non fuerit, statum hunc Verbi exinaniti, & deformati ad nos subuehendos, atque iuuandos exponere, adhibito Ægyptiaco emblemate quod repræsentauit Eusebius libro 1. de præpar. *in fine*. Ait enim, Ægyptios circulum exhibuisse, quo mundum, & quæ in eo sunt omnia, atque adeò etiam hominem, mundanæ domus inquilinum primarium significarent, circumfuso ei circulo, siue O serpente accipitriformi, qui referret summum Deum hoc Eusebius, de Ethnicorum illorum sententia censuit pertinere ad Deum mundo circumfusum, vt eum conseruet, ac foueat. Nam serpentem esse idoneum Dei symbolum, monstrat creber serpentium cultus, vigente idolomania, de quo Th. Bosius, & qui de spurca Ophitarum hæresi differunt. Idipsum prædicti Ægyptij ac Phœnices inde confirmabant. [Quod spiritu, (inquit Eusebius,) absque manuum aut pedum, & omninò alicuius organi exterioris adiumento, vt cætera videmus animalis ferri, eximiam celeritatem assequitur, variásque figuras, & formas gradiens, inuoluto reuolutóque ad aquam vult celeritatem, gressu facillimè præstat. Longæuum etiam est, nec solum senectam cum pelle deponens, reiuuenescit, sed crescit etiam in adolescentiam reductum. Cúmque determinatos adimpleuerit terminos, in seipsum reuolutum, rursum reuiuiscit, quamuis semper minùs. Ita nisi percussum intereat, vix naturali nece conficitur. Id Phœnices, dæmonem fœlicem; Ægyptij verò Eneph appellauerunt, cui accipitris caput apponunt, propter actiuitatem accipitris singularem.] Subscripsisse Ægyptijs illis ac Phœnicibus Paton, & mundi conseruationem, ac durationem, ad Deum fouentem, seruantémque retulisse, proposita serpentis orbi circumfusi delineatione, in secunda parte Timæi, autor est Porphyrius apud Proclum, in eum Timæi locum. Et subscribere quoque videtur Ioann. Xiphilinus, orat. de cruce, media quadragesima tractans locum ex c. 3. ad Ephes. & ostendens, non frustra diuinum oculum elegisse huiusmodi figuram, vt ostenderetur Dei prouidentia peruadens, ac permeans omnia circumquaque. *Diuinum oculum* vocat, circularem hanc orbis à media commissura distincti figuram iuxta Platonis doctrinam ex Timæo propositam. Vides Platonem astipulantem Eusebij iudicio de significatione serpentis orbi circumfusi, apud Ægyptios, Phœnices, nempè vt ea figura significatus sit Deus, mundum conseruans, & fouens.

XVI. At S. Iustinus in Apolog. ad Antoninum aliò aptauit eum Platonis locum, inter tractandum furta Platonis è sacris literis. Sic enim habet. [Iam illud à Timæo ad naturam Filij Dei pertinens, quod ait, *Decussauit eum in vniuerso*, similiter à Mose desumptum est. Nam ille scribit, quemadmodum post exitum Israëlitarum ex Ægypto, cum per deserta iter facerent, inciderunt in venenosas

bestiolas

bestiolas, viperas, & aspides, serpentésque omnis generis, qui enecabant omnem populum. Tum Mosem, Deo monente, fecisse formam crucis ex ære, statuisséque propè tabernaculum, & sic allocutum esse populares: si aspexeritis hanc figuram, & credideritis in eam, salui eritis; quo facto serpentes interiisse, populum effugisse perniciem. His lectis, nec satis intellectis, cum non crucem, sed formarum characterem Plato cogitaret, dixit primum illum Deum, potentiam suam decussasse in vniuerso. Sic dixit eum tertium, qui legerat in eisdem literis, quod supra recitauimus; *Et Spiritus Dei ferebatur super aquis.* Secundum enim locum, Verbo quod apud Deum est tribuit, quod ait formatum, & dispansum in vniuerso, tertium verò spiritui, qui super aquis ferebatur, assignans tertio quiddam tertium.]

Vides Platonicam illam figuram, referri à Iustin. ad crucis, & passi Christi mysterium. Nec dissentaneè à figuris priscis, in quas conformari solitam crucem, exempla permulta docent, addensata à Iacobo Bosio l. 5. de cruce Triumph. c. 6. & 10 & Rosued. ad epist. 12. S. Paulini; in qua vir S. describens S. Felicis Basilicam, ait præter cætera.

Crucem corona, lucido cingit globo.

Eiusmodi cruces appingi solent in consecr. Eccl. censétque Pamelius tom. 1. liturg. agens de consecr. Eccles. has cruces minio superpictas, quarum ibidem meminit S. Paulinus, nec inuerisimiliter. Quanquam Rosuedius loco annotato, probabilius existimat, spectasse ibi S. Paulin. ad coronas illas quæ super cruces pingebantur, vel affigebantur qualem fuisse superpositam in labaro Constantini Eusebius testatur l. 1. vitæ c. 25. Exempla alia adhibet Gretserus lib. 1. de cruce c. 51. qui benè monstrat, circulum illum qui in Romanis obeliscis ex Ægypto aduectis, super T. literam, crucis imaginem, hodiéque visitur aliud non esse quàm vel oculum, vel solem, quem Iouis oculum appellat Macrob. l. 1. Satur. cap. 21. & circulo exprimi solitum apud Ægyptios testatur Clem. Alex. 6. Strom. c. 1. Itaque circulus ille cruci superpositus, non erat circulus eiusdem rationis cum eo de quo agebamus: tametsi earenus bellè cadit in mysterium Christi, quatenus per eum, sol iustitiæ, & mundi oculus Christus Dominus, fixus cruci exhibebatur: vel quatenùs oculus, qui est dominij ac prouidentiæ simbolum, vt liquet ex oculo qui Iouis sceptro apponebatur apud S. Cyrill. lib. 9. in Iulia, *ad textum* 2) appositus cruci, argumento fuit, imperium Christi super humerum eius esse.

XVII. Hactendo ergò in crucibus corona circundatis, liquet eas Platonico circulo per serpentem circumfusum, dissecto, affines fuisse, iuxta Iustini de eo circulo interpretationem, quæ verbi exinanitioni bellissimè consentit. Nam quid adeò demissum, & abiectum, quàm Deus in cruce? Vt rectè omninò contestatus sit Naz. orat. 20. n. 94. impossibile videri, vt superbia efferatur, qui Christum Deum, ac Dei filium, ad seruilem formam se demisisse, & in ea inter latrones pependisse in cruce, cogitarit. Nec est ea demissio, planè aliena à demissione, quæ in Verbi Incarnatione apparuit, cum demissio facta in assumptione humanitatis, sit præludium demissionis extremæ, quam Christus in cruce subiit, nec aliam ob causam Christus deiectus sit ad carnem nostram assumendam, quàm vt in ea crucem subiret: quæ fuit postrema, & summa Verbi Dei exinanitio, in bonum nostrum.

XVIII. Existimo tamen non minùs aptè, & ad Platonis mentem accommodatè, circumfusionem serpentis ad circulum, accipi posse de Incarnatione Verbi. Non pauci enim Patres, Verbi humanationem, expressam censuerunt per virgæ Mosis commutationem in serpentem. Videndus Sanctus Irenæus libro tertio, contra hæres. capite 29. Eucher. hom. 3. de Pasch. Aug. serm. 101. de tem. Alios profert Feuard. ad citatum caput S. Iren. Eáque etiam est germana ratio, cur Christus à S. Ambrosio, & plerisque Patribus quos profero lib. 1. de Christo sect. 1. c. 1. appellatus sit, *gemina Gigas substantia.* Gigantes enim, infernè erant anguini; vt ibidem exposui. Quare Incarnatio ritè adumbrata est per serpentis, ac circuli circumfusionem. Eo autem spectasse Ægyptias illas orbiculares formas quas crucibus conclusis respondere diximus, & Verbum incarnatum repræsentasse, discimus ex Ruffino 2. histor. cap. 29. & Socrate, lib. 5. c. 17. ac Sozomeno lib. 7. c. 15. qui referunt, interdiruendum templum Serapidis, inuentas fuisse huiusmodi Ægyptiacas formas, ac de peritorum sententia pronunciatum esse, eas significare vitam venturam; In quam rem plura aceruat Palæotus l. de sacra Sindone c. 4. n. 11. & ibi Malonius. *Vita* porrò *ventura*, vt patet, alia non erat quàm Christus Dominus mundi vita, seu Dei Verbum quod vita erat apud Deum, in fine temporum luto nostro, ac morti copulata per Incarnationem. Et quanquam quod incarnatio vniuersè spectaret mortem crucis; perinde esse videatur ad rem propositam, de Christi passione, vel de Verbi Incarnatione agere: tamen non est quod quis existimet, passionem & mortem plus contulisse ad Verbi exinanitionem de qua agimus, quàm Incarnationem.

XIX. Imò verò maior fuit Verbi deiectio, carne amiciri, quàm pati in carne. Quod notauit egregiè S. Chrysost. orat. de S. Philogonio. [Quod natus est, (inquit,) cæteris omnibus est venerabiliùs. Nam quod Christus, homo factus sit mortuus, consequentiæ cuiusdam fuit. Licet enim nullum omninò peccatum perpetrasset, mortale tamen corpus assumpserat: Et erat quidem hoc admirandum. Cæterùm quod Deus cum esset, voluerit homo fieri, tantúmque se se demittere sustinuerit, quantùm ne cogitatione quidem complecti queas, hoc est omnium maximè reuerendum stuporísque plenum. Quod quidem Paulus admirans dicebat: *Sine controuersia magnum pietatis mysterium.* Quod magnum? *Deus manifestatus in carne.*] Ecclesia sanè astipulari videtur. Nam in sacri celebratione, & symboli super eam recitatione, Sacerdoti genuflexionem indicit, cum Incarnatio Verbi, & humanatio Dei recolitur: quibus demissionis indiciis non astrinxit Sacerdotem, cum mox memoratur Dei in carne passio, & mors pro genere nostro. Quod argumento esse videtur, Ecclesiam, maiorem Dei deiectionem in Verbi incarnatione, quam in passione & morte agnouisse.

XX. Concludam cum S. Bernardo homil. 3. super missus est, *in fine.* [Magnificetur, & à nobis paruulis magnus Dominus, quos vt faceret magnos; factus est paruulus. *Paruulus* (ait) *natus est nobis, & filius datus est nobis*; Nobis inquam, non sibi, qui vtique ante tempora multò nobiliùs natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, paruulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus, quia nobis necessarius. Iam de nobis nato & dato, faciamus ad quod natus est & datus. Vtamur nostro, in nostram vtilitatem: de saluatore, salutem operemur. Ecce paruulus in medio statuitur. O par-

uulus paruulis desideratus: O verè paruulus, sed malitia non sapientia. Studeamus effici sicut paruulus iste. Discamus ab ipso quia mitis est & humilis corde, ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo paruus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus eius humilitatem, communicemus passionibus, lauemur in sanguine eius, ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris; quoniam ad hoc ipse datus, & natus est nobis, ipsum oculis Patris ipsum offeramus, & suis, quia & pater proprio filio suo nō pepercit, sed pro nobis tradidit illum, & ipse filius semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.

Opportunum & illud ex Guerric. serm. 2. de Nat. [Gratiæ gratuitæ atque gratiosæ natiuitati tuæ, Deus fili hominis, per quam accessum habemus in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Prorsus admirabile commercium, vt sumens carnem, largiatis Deit. Commercium inquam, charitate non cupiditate contractum, indulgentiæ quidem tuæ gloriosum, sed indigentiæ meæ omninò luctosum. Verè tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit, licet pariter misericordia, & veritas in te obuiauerunt sibi. Verè, inquam, tu misericors puer natus es nobis: non tibi lucra tua, nec augmenta tua nascens de nobis quæsisti, qui ad hoc solum nasci dignatus es, vt nos minoratate tui proueheres, humiliatione glorificares. Tu exinanitus nos replesti. Tu enim omnem tuæ plenitudinem diuinitatis in hominem transfudisti, sed non confudisti.]



PVNCTVM IV.

O Verbum.

1 PRÆMISSIO in vi verbi sumptum, idem olim sonuisse, atque *oportet*, Quod aptissima consecutione ex præmissis de verbi exinanitione, & humanitatis subuectione per Incarnationem, deducit nos ad considerationem necessitatis incarnationis, & finalis causæ, cur Deus ad nos carne vestitus aduenerit. Oportuisse ergo Deum aduenire, & habitu inueniri, vt hominem duplici ex capite spectare possumus, nimirùm, & ex parte Dei, & ex parte nostra, vt benè philosophatur S. Bonau. in 3. d. 10. art. 1. & ibidem Richard. q. 3.

II. Ex parte quidem Dei, oportuit Deum fieri hominem per incarnationē, & incarnatum satisfacere pro genere humano per actus suos. Cuius rei, Author sermonis de Nat. Domini, apud Cyprianum, videtur desperasse rationem. Ait enim. [O Domine quàm admirabile est nomen tuum. Verè tu es Deus qui facis mirabilia. Non modò mundi huius staturam admiror, non stabilitatem terræ, cum eam complectatur volubile firmamentum; non singulos dies, non lunæ defectum, & incrementum, non solem semper integrum, & laborem eius perpetuum; non temporum vicissitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortua modò videntur deinceps reuiuiscunt. Miror Deum in vtero Virginis, miror omnipotentem in cunabulis, miror quomodò Verbo Dei caro adhæserit, quomodò incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit. Miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, & tam lentos processus ad obedientiam Saluatoris. In breui poterat patrari negotium, & poterat tantus labor abbreuiari ad solum Christi verbum: sicut factus est mundus, & disposita cuncta ad eius imperium. Sed elementario mundo, dignior est rationabilis homo, quod ex eo quod in eius seruitutem facta sunt omnia, facilè creditur. In cæteris quocunq; modo aliquæ satisfaciunt rationes; hîc solus me complectitur stupor, & cum Abacuc. *Consideraui opera tua, & expaui.*]

Quamuis autem hic Autor, admiratione defixus hæserit, ratio tamen cur verbum corporari, ex parte Dei oportuerit, & perspicua videtur. Nimirùm quia ratum, & fixum erat apud Deum, non condonare hominibus offensas, per quas ab eis violatus fuerat, nisi satisfieret diuinæ iustitiæ læsæ. Neque enim par erat facilitatem veniæ parere effrænem delictorum licentiam, & habenas laxare peccatis, vt rectè postmodùm ratiocinatus est idem Autor sermonis de Passione Domini apud S. Cyprianum, & S. Anselmus libro 1. cur Deus homo capite 12. Sic ergo Deus, summa sua bonitate, & charitate pellectus, parcere hominibus, eósque liberare à culpa, ac sibi reconciliare voluit, vt tamen saluis suæ iustitiæ legib. id fieret. Non potuit autem saluis D. iustitiæ legibus, & illæso diuino iure, fieri remissio, & reconciliatio prædicta, nisi pro iniuria irrogata per peccatum satisfieret Deo ad æqualitatem, quod homini soli, in sua nuda natura spectato, impossibile erat. Nec poterat item præstari à Deo, si in sua natura diuina, sola, & coniuncta cum natura quapiam inferiore, spectaretur. Nam ipse quidem Deus, nudè & in se solo sumptus, nequibat opera satisfactoria exercere, cum sit incapax satisfacere, quippè qui & est, ille ipse qui læsus est, & eius est conditionis, vt submitti, & subdi alteri nequeat. Non enim hæc satisfactio quæ honoris læsi reparatione continetur, eiusdem rationis est cum restitutione ad direptarum fortunarum reparationem. Hæc quippè potest à quocunque fieri, absque deiectione & subiectione vlla restituentis: Vnde nihil continet Deum dedecens, etiamsi in sua nuda natura Deitatis attendatur, & quod dici nequit de satisfactione presse sumpta, siue de reparatione iniuriæ, qua honor sit violatus: exigit enim submissionem satisfacientis, vnde à Deo qui nemini subdi, & submitti potest, præstari nequit, siue alteri, siue etiam sibi ipsi. Homo autem nulla ratione potest satisfacere Deo læso, quia ad satisfaciendum exigitur æqualitas satisfacientis cum eo cuius honor reparandus est, alioqui reparatio non erit plena, & æqualis, atque adeò non erit satisfactio. Atqui inter hominem satisfacientem, & Deum læsum, tanta est inæqualitas, vt ne cogitari quidem maior possit, cum sit infinita improportionabiliter. Homo enim præ Deo est sicut nihilum. Quare si hominis ad hominem tanta potest esse inæqualitas, vt satisfactio vnius ad alterum non sit iusta; (sic enim passim pronunciant de rustico, qui Principi alapam impegerit, quam offensam nulla rustici submissione expiari & ad æqualitatem reparari posse, omnes æquè consentiunt:) multò magis statuendum est vt indubitatum, quamcunque hominis ad Deum læsum satisfactionem, esse imparem offensæ, nec eam posse condignè reparari ab homine. Oportuit ergo fieri extraordinariam illam, & Dei cum sapientia tum charitate dignam coniunctionem, qua Deus homo fieret: quandoquidem per securitatem vsquequaque immobilem qua potitur, non poterat in hominem transmutari, nec homo quoque in Deum conuerti, naturæ suæ conditione

finebatur; talis tamen quæ arcta coniunctio inter Deum lesum, & hominem submitti idoneum fieret, vt homo ille esset Deo æqualis; non quidem ratione humanitatis quæ semper infinito spatio subtus iacet, sed ratione diuinitatis coniunctæ humanitati, in vno aliquo supposito.

III. Ratiocinatio est, quam præter cæteros egregiè expresserunt S. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. & lib. de Redempt. generis humani cap. 3. & fusè quoque Richardus lib. de Incarnatione Verbi cap. 8. nósque eam plenè expressam & vndecumque firmatam dedimus libro 3. de Christo sect. 1. cap. 3. Nunc placet eam firmare & illustrare insigni disputatione S. Procli, serm. de Natiu. Domini n. 5. [Aduentus (inquit,) causam primam disce, tunc Incarnati virtutem laudibus eche. Humana natura, propter peccata, multis obstricta debitis tenebatur, neque quod debebat, vlla ratione dependere poterat. Per Adamum namque, omnes peccato quasi chirographum dederamus, omnésque diabolus in seruitutem redigebat. Etenim corpore nostro permultis passionibus subiecto veluti charta vsus, nostræ venditionis pretia ostentabat, passionúmque debitum malignus ille falsarius, minitabundus ob oculos nobis ponebat, ac nos vniuersos ad supplicium condemnationémque deposcebat. Erat itaque alterutrum duorum necessarium, aut vt omnes propter condemnationem præcipites abirent in mortem, (omnes enim peccauerant,) aut certè vt talis in pretium daretur, cui omnis suppetebat iustificatio ad recusandam. Atqui homo quòd peccati debito subiaceret, saluare non poterat. Angelus verò quòd tantum redemptionis pretium ipsi non suppeteret, humanum genus redimere nequibat. Supererat igitur vt Deus pro omnium peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat; atque vnica hæc restabat mali solutio. Ille itaque qui vniuersam naturam ex nihilo produxerat, cuique nulla ad erogandum facultas deerat, vitam morti condemnationique addictis reperit tutissimam, mortisque solutionem decentissimam: dum nimirum ex Virgine, modo quem solus ille nouit, (nulla enim oratio miraculum hoc assequi valet,) humanam naturam assumit, assumptamque in mortem contradit, eúmque in modum, redemptionis pretium dissoluit.] Itaque manifestum est, Incarnationem fuisse necessariam ex parte Dei, planéque oportuisse sic fieri, ex eo capite.

IV. Iam si spectemus necessitatem Incarnationis ex parte nostri, (necessitas enim hactenus exposita, quamuis hominem aliquatenus inuoluat, ducitur tamen potiùs ex parte Dei:) oportuit planè aduenire Verbum; quia alioqui eramus perpetuò hæsuri in luto fæcis, neque vnquam subleuanda erat nostra miseria; cuius subleuatio cum reparatione diuini iuris nexa erat, nec aliter perfici poterat. Itaque ad ægrum desperatum, necessaria fuit tanti Medici præsentia. Ad reparandam cladem tantam sub qua genus nostrum iacebat oppressum, oportuit adesse ipsum eius conditorem, cui soli & potentia, & sapientia, & cæteræ dotes tanto operi necessariæ suppetebant. Non potuit Angelus ad id sufficere, vt S Gregorius egregiè prosequitur 18. mor. cap. 29. tractans illud *non dabitur aurum obryzum pro ea*, quod ita glossat. [Quid per aurum obryzum, nisi sancti Angeli designantur; Qui rectè & aurum vocantur, & obryzum, aurum quia fulgent claritate iustitiæ, obryzum, quia nullum habuerunt vnquam contagium culpæ. Homines verò iusti, quandiù in hac carne corruptibili mortaliter viuunt, aurum quidem esse possunt, obryzum omninò non possunt; quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Nam quamuis in hac vita ex magnæ iustitiæ claritate resplendeant, nequaquam tamen ad purum, peccatorum sordibus carent. Ioanne Apostolo attestante, qui dicit, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et affirmante Iacobo, qui astruit dicens, *In multis enim offendimus omnes.* Propheta etiam deprecante, qui ait, *Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Aurum igitur obryzum illi nuncupantur, qui in ea qua conditi sunt innocentia, perdurantes, & fulgent claritate iustitiæ, & nullis vel minimis maculantur sordibus culpæ. Sed quia pro hac sapientia nullus Angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in his quos in adiutorio hominum sæpè apparuisse didiscimus Angelis poneret, dictum est: *Non dabitur aurum obryzum pro ea*; ac si apertè diceretur. Per semetipsam sapientia manifestabitur, vt humanum genus à culpa redimatur. Nullus vice eius Angelus mittitur, quia per creatorem necesse est vt creatura liberetur. Vnde & in Euangelio Dominus dicit; *si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*] Non potuit homo purus, quantisvis præfulgeret siue virtutibus, siue donis intellectualibus, satisfacere Deo, & saluare hominem, [Necesse erat, (inquit Petrus Dam. serm. 2. de Natiu. B. Virginis) vt talis Sacerdos inueniretur, qui dum in aliis peccatorum sordes ablueret, ipse in se abluendum aliquid non sentiret; & dum alieni reatus contagia tergeret, in semetipso aliquam lepræ maculam non haberet. Sed huiusmodi homo in humano genere inueniri non poterat, quia vnusquisque cum Propheta hunc versiculum veraciter decantabat; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et sicut per Apostolum dicitur, *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.*]

V. Quare oportuit adesse Deum, & nostro morbo medicum, cladi instauratorem, oppressioni subleuatorem fieri. [Opus habebat medico (ait Greg. Niss. in orat. Catech c. 15.) natura nostra, quæ morbo laborabat. Opus habebat eo qui erigeret, homo qui ceciderat. Opus habebat eo qui viuificaret, qui à vita exciderat. Opus habebat eo qui ad bonum reduceret, qui defluxerat à boni participatione. Egebat lucis præsentia, qui erat inclusus in tenebris. Quærebat redemptorem captiuus, adiutorem vinctus, liberatorem is qui iugo premebatur seruitutis. Hæcnè sunt parua, & indigna quæ Deum moueant, vt descendat ad humanam naturam visitandam; cum adeò infœliciter & miserabiliter affecta est humanitas?]

Pulchrè item Laur. Iustin. de triomph. Christi agone cap. 1. his verbis [Labente ab ingenitæ innocentiæ dignitate homine per multorum curricula temporum, in Trinitatis sacrosancto collegio, mirandum misericordia & iustitia inuicem habuere conflictum. Ipsarum quidem altera, pro hominis reconciliatione, altera verò pro eiusdem condemnatione æquissimum Dei interpellabat iudicium. Prima namque, carnis fragilitatem, serpentis suggestionem, ac (ne mulier contristaretur,) humanam condescensionem docebat in medium; Iustitia verò ex aduerso, inobedientiæ præuaricationem, posteritatis obligationem, nec non & innumera quæ ab his effluxerunt, mala obiiciendo, ne absolueretur acriter insistebat. Tandem diuinæ placuit bonitati,

huiusmodi dirimere controuersiam, vtraque in suo robore perdurante. Misit itaque misericordiarum Pater, & Deus totius consolationis, quando non spectabatur, Vnigenitum suum in similitudinem carnis peccati in hunc mundum, vt de peccato damnaret primorum parentum peccatum, in carne sua; heréique Dei & hominum verissimus mediator, lapisque angularis in quo vtraque essent vnum. Talem siquidem illum fecit, vt pro originali delicto satisfacere posset, deberétque. Nam inquantum Deus, poterat; in quantum verò homo erat, debebat. Quis enim nisi Deus, diuinæ valet satisfacere offensæ? Et quis alius nisi homo, debet? In vna igitur persona, conuenit Deus & homo, vnus Dominus Iesus, qui factus est nobis à Deo Patre Sapientia, Iustitia, sanctificatio, & Redemptio. Hic secum de cœlo detulit oleum & vinum, vt semiuiui hominis in delictorum iacentis volutabro, mederetur vulneribus. Misericordia namque permotus super ipsius calamitate plangenda, ad Ecclesiæ stabulum propriis humeris deportauit. Noluit considerare quis esset quem ferret, quid deberet ineffabili quadam pietate succensus.]

Scitè denique de more Basilius Seleuciæ orat. 39.] Cum imaginem (inquit) repurgare statuisset, & carnem immortalitate donare, carnem induit; rem congenerem, medicamine congeneri curaturus. Fit homo perfectissimus, vt homini quem conformarat, plenam perfectámque salutem afferret. Nam cum generis nostri primordia, propter peccatum fuissent prædamnata, altero fuit opus Authore impeccabili, & omnifariæ iustitiæ perfectore, cuius beneficio, totum corpus cum capite reconcinnatum, cum hominibus iterum coniungeretur. Quemadmodum in Adamo sumus mortui, sic in Christo viuimus. Poterat enim is qui consilij sui rationes solo nutu perficit, salutem conferre sine Incarnatione: sed naturam quæ peccati offensione deiecta fuerat, in se ipso meliorem superioremque peccato, voluit ostendere, quo peccatum in carne condemnaret, & iustitiam suam in omnes propagaret; Mortisque dominatorem, hoc est Diabolum, viribus exhauriret.] Hac ratione factum reipsa est quod Audiani hæretici apud Theodoretum, lib. 4. hæret. fabul. commenti sunt de collata peccatoribus, criminum remissione per O.

VI. Accedebat aliud caput necessitatis nostræ, nimirum vt tam potentibus exemplorum sanctorum stimulis vrgeremur ad omne opus bonum. Purus enim homo, quippè fallibilis, & nunquam prorsus immunis, labisvè purus, non erat idoneus ad homines docendos exemplo, vt Lactantius notauit lib. 4. instit. cap. 22. & fusè prosequimur lib. 3. de Christo sect. 1. cap. 1. Deum autem per se solum exemplo nobis prælucere, impossibile fuit. Tum quia facilè causati fuissemus, nimirum non esse, qui Deus erat & carnis nostræ concretione liber, talia præstare quæ nobis carnis ostreo circumdatis ne attingenda quidem videantur. Tum quia omnia ferè virtutum opera, quæ possunt nobis esse paradæ & augendæ sanctimoniæ sementis, cuiusmodi sunt religionis, humilitatis, tolerantiæ, quorum est immensus propè ambitus, alienissima sunt à diuinæ naturæ sublimitate.

VII. Quare necesse fuit Deum carne nostra vestiri, vt pro nobis satisfaceret, & nobilia illa exempla ederet, nobisque per ea præluceret. E quibus duobus, compingitur totalis finis aduentus Christi. Necesse, inquam, fuit, Deum Verbum, vt faceret opus suum, quod exhibitione plenæ satisfactionis pro homine, & exemplorum eius eruditioni seruientium vbertate, continebatur; alienum fieri ab eo opus eius, iuxta Isaiæ oraculum cap. 28. quod sic glossat Philippus Abbas Tomo 7. moral. in Cant. postquàm de verborum illorum profunditate præfatus est. [Quid est quod Propheta dicit, *quia opus filij Dei, alienum ab ipso Deo fuit?* Quid enim est quod ait, *vt faceret opus suum, priùs fecit alienum?* Quæramus ergo aliquod exemplum, quo adducto & discusso, lucidiùs ostendamus latens sacramentum, quod in hac sententia pandere desideramus. Quidam Dominus ad quemdam seruum suum loquutus, dicens; Vade, priùs operare in vinea mea, & post hæc operaberis in vinea tua; & scias pro certo, quod nullatenus in vinea tua operaberis, nisi priùs in vinea mea operatus fueris. Audiens igitur ille, operatur Domini sui vineam, & post hæc fecit opus in propriam vineam suam, sicque priùs facit opus alienum, vt posteà opus suum. Sic nimirum, sic Dominus Iesus Christus egit. Priùs fecit opus alienum, vt posteà faceret opus suum. Nasci etenim, pati, crucifigi, mori, & resurgere, alienum opus fuit ab eius diuinitate. Ipse inuisibilis, impassibilis, immortalis, vt potè Deo Patri & Spiritui sancto coæternus, & consubstantialis. Opus namque proprium filij Dei, redemptio extitit generis humani. Sed nisi priùs nasceretur, pateretur, moreretur, & resurgeret, nullo modo genus humanum libero arbitrio suo perditum, à morte redimeret. Fecit ergo Filius Dei opus alienum, vt postea faceret opus suum, quia priùs sustinuit mortem quæ non conueniebat eius Diuinitati, vt postea genus humanum redimeret, quod congruebat eius Diuinitati.] Alioqui, (vt ait) non esset executus opus suum, nec hominem redemisset, & liberasset, donassetque salute. Idem egregiè dixerat Author sermonis de Natiu. Dom. apud Cyprianum qui post alia in eam rem, concludit. [Opus suum igitur fecit, quod creauerat, saluans quod perierat, ad vitam reuocans quod mortuum erat. Sed Peregrinum opus fuit in Deo, quod Verbum factus est caro, quod factus est visibilis, & comprehensibilis, passibilis, & mortalis: & peregrinum à Maiestate, puer sugens vbera, panniculis inuolutus.] Nisi tamen Deus eo se demisisset, mansisset homo expers salutis; ad quam ei parandam necesse fuit, Deum exequi quod erat sibi peregrinum: id est ad humanitatem demitti, & creatorem creaturam; æternum, temporalem; immensum, localem, & infinitum, finitum fieri, multáque in ea deiectione, humilia & aspera exercere ac pati.

VIII. In has necessitates coniecit Deum necessitas nostra, oportebátque sic deiici, qui erecturus elisos, & subleuaturus erat oppressos. Fateor hanc necessitatem, non esse Deo iniectam, nisi ea suppositione, quod nos honorificè & condignè liberare vellet, vt extaret illa concinnitas, quam præferunt illa S. Gregorij verba 20. mor. cap. 26. [Pietatis formam, mediator nobis Dei & hominum dedit. Qui cum posset nobis, etiam non moriendo succurrere, subuenire tamen moriendo hominibus voluit, quia nos videlicet minùs amasset, nisi & vulnera nostra susciperet; nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalesque nos reperit, & qui nos existere fecit ex nihilo, reuocare valuit etiam sine sua morte ac passione. Sed vt quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod esse nos voluit; vt in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam à nobis in perpetuum fugaret. An non in

diuini

diuinitatis suæ dimetia, nobis insensibilis permanens, mitis nos potuit virtutibus ditare; Sed vt ad internas diuitias rediret homo, forâs apparere dignatus est, pauper Deus.]

IX. Huius decentiæ captatione seclusa, Deus quod ex multis Patribus monstro l. 3. de Christo sect. 2. c. 3. abijcere poterat genus nostrum. Poterat item Deus, hominem sola potestate citra redemptionem liberare, vt agnoscit S. Aug. 13. Trinit. cap. 10. Quare absit, vt homo Deum idcircò despiciat, quasi necessitate adactus satisfecerit pro nobis. Imò agnoscat, Deum in nos inexplicabilem beneuolentiam ostendisse. [In humilitatem, Deus sese demisit. (inquit Theodorus Ancyranus homil. Ephesi habita in die S. Ioannis Apostoli.) nullam secundùm propriam naturam perpessus diminutionem, sed hanc nobis gratiam faciens. Hoc quod erat, permanens, assumpsit quod non erat. Deus esse non destitit propter propriam naturam; quod autem tu es, id factus est ille ob suam in te benignitatem. Ne igitur curationis modum in contumeliam vertas; neque improperes Medico, si in corporis humilitate constitutus tuam operatus est sanitatem. Non est illa humilitas, ignominiæ coniuncta, sed certum humanitatis illius erga nos argumentum existit. Descendit ad te non vt in inferioribus perpetuò hæreat, sed vt te ad seipsum subueheret. Ne ergo inficieris descensum, vt non amittas ascensum. Amplectere contumeliam, quæ tuam peperit gloriam.]



PVNCTVM V.

O Aduerbium.

I. QVæ pertinent ardentissima vota & desideria, quibus antiqui Patres de Christi venturi aduentu sollicitè, cœlum fatigabant, rogantes & vrgentes Deum, vt tandem cœlos dirumperet, & descenderet. Præscij enim erant infinitorum bonorum, quibus ad eius descensum cumulandus erat orbis terrarum; Legationem è limbo ad Deum, per Isaiam, Ieremiam, Iobum, atque Dauidem pro huius negotij confectione & acceleratione, adornauit Pelbartus lib. 1. stellarij Deip. parte 2. art. 1. quem adeant qui dramata adamant. Nos alia consectemur, & quidem solida, dimissis nugis Gnosticorum apud S. Irenæum l. 1. cap. 17. trahentium ad suas Indictas impietates, O infantium, quod aiebant esse diuini desursum adiutorij expentionem, per perfectam laudem ea ore infantium. Delira sunt ista, non mysteria; ideòque hinc ablegenda. Tametsi verum est, statum humanæ naturæ ante Christum, ab ipso Apostolo censeri infantiam. Omnes ergo in eo statu constituti, verè sustollebant in cœlum vota sua, vt demitteretur è diuturnis, quod non aliud erat quàm Deus ipse cooperatus, qui sæpè in Scriptura dicitur *Adiutor fortis*. Et hæc votorum in cœlum emissio, continebat perfectam laudationem Dei, à quo solo profitebantur posse aduenire adiutorium. Sed nihil attinet huic arenæ Gnosticorum, inædificare quæ ad hunc locum pertinent, cum suppetant firma & solida, ad quæ progredior.

II. Perstrinxit perpaucis effectus aduentus Christi, indéque petita incentiua votorum, Isaias, cum dixit cap. 64. montes defluxuros, & aquas igni arsuras: hoc est, aëreas potestates quæ instar montium exaltabantur, & opprimebant genus humanum, fore deijciendas: & frigida mortalium pectora succendéda igne charitatis, & flammis Spiritus sancti. Hæc tanta bona, orbi terrarum tunc afflictissimo, & desperatè ægro, conferenda per Christum, agnoscentes antiqui, suspirabant in tantum bonum, & ex intimis præcordiis, Christi aduentum desiderabant. Vnde à Iacobo prophetante, Christus dictus est *desiderium collium æternorum*, id est iustorum, qui cæteris non secùs ac colles vallibus eminebant, vt Rupertus & Eucherius exponunt. Quo enim quisque iustior, & humanæ calamitatis spiritualis tædio tristior erat, eo cupidiùs flagrabat, & æstuabat desiderio aduentus Christi, per quem sciebat medelam, malis illis esse adhibendam.

S. Bernardus scitè hoc notauit serm. 2. in Cant. agens de antiquorum desiderijs. [Illorum (inquit) desiderium flagrans, & piæ expectationis affectum spirat mihi vox ista, *Osculetur me osculo oris sui*. Senserat nimirum in spiritu, quisquis tunc spiritualis esse poterat, quanta foret gratia diffusa in labiis illius, propterea loquens in desiderio animæ aiebat, *Osculetur me osculo oris sui*, nimirum omnimodis cupiens tantæ suauitatis particeps non fraudari. Dicebat enim perfectus quisque; Quo mihi ora hæc feminuerbia Prophetarum? Ipse potiùs speciosus forma præ filiis hominum, ipse me osculetur osculo oris sui. Non audio iam Moysem. Impeditioris siquidem linguæ factus est mihi. Esaiæ labia immunda sunt. Hieremias nescit loqui, quia puer est; & Prophetæ omnes elingues sunt. Ipse ipse quem loquuntur, ipse loquatur, ipse me osculetur osculo oris sui. Nō in eis iā aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebrosa aqua in nubibus aëris; sed ipse me osculetur osculo oris sui, cuius gratiosa præsentia & admirandæ fluenta doctrinæ, fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam. Quem vnxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis, nunquid non ex ipso mihi vberior infunditur gratia?]

III. Non dissimiliter Philo Carpathius initiò Commentarij in Cant. sic inducens loquentem Ecclesiam. [*Osculetur me osculis oris sui*. Hoc est; Filius osculetur. Neque enim volo (inquit) à Prophetis amplexari amplius; non à Patriarchis, sed ipse iam proximè accedat, & osculetur me osculis oris sui. Filius inquam supernæ intelligentiæ oculus ac Verbum: Non enim carnale est quod prædictum, sed spirituale vaticinium à Prophetis legimus. Non volo per os solum Prophetarum erudiri, atque doceri: sed ipsemet (inquit) appropinquet, iámque me filius ipse instruat. Magnus enim olim fuit morbus meus ac languor, clamat Ecclesia, vocat & sponsa. Non vili egeo curatore, sed magnis mihi medicamentis opus est omninò, cœlestem medicum vocor huius necessariò indigeo. Sine hoc vno pereo, ab huius sola curatione conualeo, ab hoc verò mihi medicina salutaris ac certa. Maximum hunc ergo medicum planéque perfectum quæsito; intolerabiles me tenebræ offuderunt; non iam caligo, non cœcutio, non offendo: sed diù misera cæcitate premor, densáque caligine circunfundor ac grauor. Veniat igitur hoc lumen, lucerna enim lex & prophetæ. Vnde illud, *Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis*. Sed illa me illuminare nequeunt, nisi mihi quod perfectum lumen est, illuxerit. Illud ergo sydus splendoris immensi, illud fulgentissimum, mihi cæcitatem depellet omnem, tenebrarúmque caliginem & viam commonstrabit, reuertar in patriam; hoc legem præ-

stat, hoc Prophetas excellit. In ipso deosculari Vnigenito, deprecatur Ecclesia, rogat & sponsa cœlestis anima & fidelis. Os enim Dei Patris, est Filius Propterea cum Deus & ipse sit, æqualis natura Patri, Verbum appellatur, quoniam quæcumque vult Pater, per Filium loquitur, creat, conditque simul ac seruat, vna cum diuino illo Spiritu qui à Patre Filióque procedit.]

I V. Hoc fuisse Moysi votum, cum petiit deleri de libro vitæ, nisi id accideret, sensit Rupertus lib. 3. de process. Spir. sancti cap. 7. vbi agens de ardentissimo Mosis desiderio vt Christus promissus aduenirer, déque eiusdem timore, ne peccata populi diuinum consilium de Christo mittendo interturbarent; inducit Mosem, sensum suum verbis illis Dauidicis exponentem, *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei:* Statimque conuersus ad Dominum; [*Domine* (inquit,) *ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Hoc denique dixisse congruit, non soli Dauid, verùm etiam omnibus sanctis. Omnium quippè desiderium, erat vnum desiderium gemitosum, nasci Christum, venire Saluatorem Dei Filium, ad dandam benedictionem, ad dandum Spiritum sanctum in remissionem peccatorum. Hoc erat illud desiderium. Hinc idem Iacob ad filium suum Ioseph. *Benedictiones* (inquit, *patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium æternorum.* Rugiens igitur Moyses à gemitu cordis sui, secundùm hoc desiderium, *aut dimitte* (inquit,) *eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quid est dicere: *Si non dimiseris?* Si propter peccatum eorum, promissionem tuam implere desieris, vt deletis illis non veniat semen quod Abrahæ promisisti; vnum ac si deleas, & planè consequitur vt deleas me de libro tuo quem scripsisti. Nullus enim nisi ille venerit, saluari poterit. Proinde si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. Quo enim nobis intrare in terram aliquam, nisi ex populo isto, secundùm promissionem tuam nascatur, qui nos inducat in vitam æternam;] Rursus de eodem Mosis desiderio, & in hanc rem clamore, disserit lib. 4. de Victoria Verbi Dei, cap. 5. sed æquè fuisse omnium veterum Patrum clamorem confirmat.

V. Idem Dauidis in suamet persona desiderium, optimè repræsentauit S. Ambrosius serm. 16. in Psal. 118. vers. 6. circa illud, *Tempus faciendi Domine.* [Benè ait, (inquit, S. Ambrosius,) tempus faciendi esse. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Sed loquendi tempus aduenit, ac per hoc Dominici aduentus tempus esse iam commemorat, vt quia legis facta est præuaricatio, veniat finis legis, & consummatio eius, & plenitudo Dominus Iesus, qui deleat vel donet hominibus vniuersa delicta, & abolito chirographo debitorum, absoluat omnes & liberet peccatores. *Tempus est faciendi;* Vt si ingrauescente ægritudine aliquins incommodi, curras ad medicum, vt citiùs, veniat ne postea subuenire non possit. Medicus enim tunc ampliùs desideratur, cum grauis incubuerit ægritudo languenti. Ergo cum videat in spiritu Propheta, præuaricatori, populi, luxuriam, delicias, dolos, fraudes, auaritiam, turnulentiam, quasi pro nobis interueniat, currit ad Christum quem solum tantis sciebat subuenire posse peccatis; vrget vt veniat, nec patitur fieri moras. *Tempus* (inquit) *faciendi Domine,* hoc est, vt pro nobis crucem ascendas, mortem subeas; Totus in periculum vltimum mundus vrgetur, veni vt tollas peccata mundi. Veniat vita morientibus, veniat resurrectio iam sepultis. Factum tuum subueniat, quoniam nec tua præcepta prodesse potuerunt. In lege præceptum est, in Euangelio mysterium. Cæcus omnis populus proprium non videbat authorem. Claudus erat mundus, & titubante vestigio fidei, fluctuabat. Non erat qui malagma imponeret, neque oleum, neque alligaturam: Omne patrimonium suum medicis erogauerat mulier illa Euangelica, speciem habens congregationis humanæ quæ coibat ex gentibus, cui nec fluentem sanguinem & inueteratæ passionis lethale profluuium, poterant sæculi huius medici restringere. Principis populi posteritas interierat, & omnis occiderat eius hæreditas. Videns hæc Propheta, dicit ad Christum; *Tempus faciendi Domine.* Non iubendi (inquit) sed faciendi, quia non legatus, neque nuncius, sed Dominus saluaturus erat populum suum.]

V I. Par Isaiæ desiderium, ex cap. eius 16. his verbis eruit Philippus Abbas lib. de continent. Clerico. cap. 117 [Quoniam omne animal, faciliùs ad sibi simile conuertitur, qui Deus erat, Agnus efficitur, vt ouem perditam, balatu consono reuocaret, ne per greges hædorum vagabunda diutiùs aberraret. Factus verò agnus, supra montem Sion visus est stare, quia electos suos venerat adiuuare; & qui in Ecclesiis sessurus erat dans ei gloriam conregnandi, apud eam priùs staret impendens gratiam adiuuandi. Quod nimirùm Isaias diuino plenius Spiritu ardenter præoptauit, & erectus in spem, moræ impatiens, orando prophetauit. *Emitte* (inquit) *Agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem Filiæ Sion.* Deserti nomine cœlum signare voluit, quod homo vel Angelus peccando deseruit, in quo tanquam in petra vterque manere solidè potuisset, si suo creatori diligentiùs adhærere voluisset. Vel fortè cœlum ob hoc desertum dicitur, quia illud Christus tanquam deseruit, cum assumpta carne, nobis videndus apparuit: cum relinquens illic nonaginta nouem oues, tanquam de eis quas securas nouerat, minimè iam curaret, ad quærendum venit centesimam, vt eam in humeris ad caulas reportaret. Petra deserti, ipsa est soliditas cœlestis mansionis, quam Christus quasi deseruisse dicitur, voluntati satisfaciens paternæ iussionis, cum ipse qui iuxta Prophetam à summo cœlo ineffabiliter est egressus, nostrum instabilem viuendi tenorem, misericorditer est aggressus. *Exiui* (ait) *à Patre & veni in mundum.* Orat ergo Propheta, vt Deus Pater, Filium dominantem quippè multitudini cœlestium Angelorum, Dominatorem efficiat hominum terrenorum; & de petra deserti, de illa scilicet occulta habitatione, ad montem Sion, id est. Ecclesiam iam tunc in paucis membris suis, spe & desiderio cœlestia speculantem; Agnum mittat innocuum, ad vitæ pascua, greges hominum reuocantem.]

V I I. Omnibus, & communiter, & sigillatim sanctis Prophetis, eandem mentem, idémque flagrantissimum desiderium insedisse, docet Proclus hom. de Natiu. Dom. num. 6. [Prophetæ (inquit,) qui animarum medici destinati fuerant, concionabantur quidem & incusabant. Verùm vbi inflictum vulnus humana industria maius esse animaduertebant, cœlestis medici opem implorabant. Et hic quidem aiebat; *Inclina cœlos & descende.* Alius, *sana me Domine, & sanabor.* Alius, *excita potentiam tuam, & veni ad saluandum nos.* Alius, *Nunquid*

Deus

Deus verè habitabit inter homines? Alius, *citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.* Alius, *heu me; periit pius à terra, & non est inter homines, qui æquitati studeat.* Alius, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Alius, *adhuc pusillum, & qui venturus est, veniet & non tardabit.* Alius, *Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum Domine sperantem in te*]

Sed & S. Chrysostomus homilia de Turture agens de sagitta Domini vulnerante per charitatem; [Ista sagitta (inquit,) vulnerata omnis casta Ecclesia, dicebat, *Væ mihi! Væ mihi! vulnerata charitate ego sum.* O gemitus de medio cordis, amabilis bonitatis pullulans fontes! ô gemitus cœlestem sponsum Christum, ad semetipsum adducens. Propheta dicit, *Osculetur me ab osculo oris sui.* Desponsata sum cœlesti sponso per legem & Prophetas. Ego Ecclesia ex gentibus, non iam volo Moysem, & Esaiam, aut Hieremiam, & cæteros vates, sed ipse veniat: cum ipso volo ore ad os loqui; ipse veniat & osculetur me ab osculo oris sui Audio Hieremiam, dicentem de ipso. *Graue cor eius præ omnibus, & homo est, & quis cognoscet eum.* Ipsum desidero, veniat, & osculetur me ab osculo oris sui. Audio dicentem de eo, *Ecce homo stans super murum adamantinum, & in manu eius adamas*: ipsum quæro, veniat, & osculetur me ab osculo oris sui. Et sicut coniux amatrix viri, absente marito suo per fenestras circumspicit, ipsum requirens, & vbique speculans in mari & in terra; & si viderit nauem venientem, ibi suum putat esse virum; & si viderit viatores procul venientes, inter ipsos adesse existimat, & occurrens eis interrogat, dicens; Dicite mihi vbi eum dimisistis, in qua regione, aut in qua ciuitate, quid dicentem, aut quid facientem, aut quando venientem? In hunc modum omnis sancta Ecclesia, constricta amore Christi, interrogat Prophetas. Vidisti eum? putas venit? putas non venit? putas adhuc in cœlis est? putas adhuc nonaginta & nouem oues quæ non errauerunt, pascit in cœlis, & non venit ad erroneam ouem? Dicite mihi, vbi pascit, vbi cubat quem diligit anima mea?] Subdit in eandem sententiam complura. Hæc homilia quam tanquam D. Chrysostomi allegaui, aliquibus visa est supposititia. Quanquam cum à D. Damasceno 2. Parall cap. 86. allegetur tanquam Chrysostomi, perperam videtur ei abiudicari. Apud vsquequaque certum Chrysostomum in Psal. 13. eadem antiquorum Patrum vota egregiè exprimuntur, in expensione illius loci, *Dominus de cælo prospexit super filios hominum.* Præmissa enim illius diuini prospectus, antecedentis Incarnationem, declaratione, addit S. Chrysostomus. [Postquàm viderunt Prophetæ, Dominum de cœlo prospexisse vt videret, eum rogant; Non satis est, ô Domine è cœlo solùm prospexisse, sicut prospexisti. Etiam descende Domine inclina cœlos, & descende. Veni fili Patris, quære quod factum est ad tuam imaginem. Omnes enim declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Vniuersus hominum exercitus, deflexit ad Tyrannum. Duces, Prophetas non amplius retinent. Veni Rex, & appare, & verebuntur tuam auctoritatem. Omnes declinauerunt vias Prophetarum. Veni via, & qui aberrarunt reuertentur.]

VIII. Epiphanius, hoc fuisse significat, quod promissis Nazaræorum capillis signabatur. Quod enim capilli denotent desideria, vel vnus ille locus Canticorum 4. apertè firmat. *Vulnerasti cor meum, in vno crine colli tui.* Id est, in vno desideriorum meorum quæ progerminant è tuo capite. Idcirco ergo Nazaræi promissos gestabant capillos, vt ea ipsa capillitij promissione, monstrarent se esse viros desideriorum. Habebant itaque comam in capite, ait Epiph. Hæresi 80. [Propter orationem, donec oratio mundi, & perfecta est.] Ita quidem Cornarius interpres, sed non benè. Vox enim Græca Epiphanij quam vertit *orationem*, aptiùs expressa Latinè esset, per *votum*, ita vt sensus sit, Nazaræos fuisse profusè comatos, vt testarentur suum desiderium ac votum incensissimum, vt votum mundi, Christus inquam votum & desiderium collium æternorum, adueniret. Porrò mirum non potest esse, quod Iudæi qui per 400. annos, tam ardentibus votis expetierant terram promissam, ardentibus desideriis expetierint Aduentum Messiæ promissum. [Si tanta expectatione (ait Rich. Victor. lib. 2. de Emman. cap. 8.) digna fuit illa promissio, quantò magis ista multò maior, per quam homo Deus, & Deus factus est homo? Per illam homines facti sunt hæredes terræ Chananæorum: per istam, homines facti sunt cohæredes Angelorum. Per illam, facti sunt filij Abrahæ, hæredes regni terreni & transitorij: per istam, facti sunt filij adoptionis, hæredes Dei, cohæredes autem Christi.]

X. Nec verò fuere hæc vota Iudæorum duntaxat, sed etiam Gentium; quas inter plerique verè vnius Dei fide instructi, suspirabant ad tempus acceptabile & dies salutis, ardentissimisque votis flagitabant aduentum Redemptoris. Quo pertinet illud Isaiæ iuxta Richardi Victorini interpretationem, toto lib. de Incarn. Verbi ad S. Bernardum, *Ad me clamat ex Seir; Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* Constat *Seir* non Iudæos signare, sed externos Iudæis, nempè Idumæos. Hos itaque, & præterea ex aliis gentibus benè multos, ad Christi aduentum votis incensissimis aspirasse, sic docet Richardus libro citato, cap. 2. Glossans verba allegata. [Non solummodò multi ex his qui *Seir* erant, huiusmodi Dominum clamoribus interpellabant; sed etiam ex aliis nationibus innumeri in Christi aduentum suspirabant; Christi aduentum desiderabant, & cum omni desiderio expectabant. Hinc est illud Iacobi Patriarchæ de Christo vaticinium. *Et ipse* (inquit) *erit expectatio gentium.* Horum omnium, per mysterium figuram gestabant illi, qui ad Dominum ex *Seir* per deuotionis suspiria clamabant. Nam illi ex *Seir* in eo cum cæteris nationibus vnum erant, quod omnes pariter à testamento Dei, alieni extiterant. Dicitur ergò de his qui alieni sunt, secundùm mentis deuotionem; *Ad me clamat ex Seir*] Rursus cap 8. [Vt superiùs iam dictum est, multi non solùm ex Iudæis, verùm ex Gentibus Christi aduentum prænunciarunt, & cum magno desiderio expectabant, secundùm illud; *Ecce veniet desideratus cunctis gentibus* Non dicit, *desiderandus*, sed *desideratus*, vt intelligas in omni genere aliquos aliquando in eius desiderio flagrasse. Erat igitur eius aduentus à multis Gentilium præcognitus, & ardenter desideratus]

X. Expatiatur in varietatem illius desiderij, pro varietate notitiæ, quæ erat in variis varia. Addit verò cap. 11. consentaneè ad distinctionem illius varietatis notitiarum, & desideriorum. [Ad maiorem lapsi hominis gloriam, vt possit resurgere per iustitiam. Pater satisfactionem exigit, Filius exsoluit, Spiritus sanctus se medium interponit. Hæc via, hæc porta salutis Hic summus, hic singularis, humanæ restaurationis modus. Hoc itaque antiqui Patres, non solùm ex Iudæis, verùm & ex

Gentibus

Gentibus multi, intelligebant; nam in idipsum (vt dictum est,) tum ex insita ratione, tum ex diuina reuelatione edocti erant. Sed qui hoc intelligebant, & tamen super hoc ipso diuinum beneplacitum nesciebant, nullo modo id petere præsumebant. Quis enim vnquam præsumeret petere, vt Filius Dei genus humanum per semetipsum visitaret, per semetipsum redimeret per passionem? Quis inquam hoc petere præsumeret, nisi Dei propositum super hoc priùs ex diuina reuelatione cognouisset? Desiderabant tamen, quod petere non audebant. Ad hoc anhelabant, in hoc suspirabant, propter hoc gemitu & lachrymis Dominum impellabant, & æstuantium desideriorum clamoribus ad ipsum vociferabant. Horum typus exprimitur in eo quod à Domino dicitur, *Ad me clamat ex Seir. Custos quid de nocte? Custos quid de nocte.* Ac si per insinuationem exprimerent, quid tantis desideriorum æstibus quærerent. Scimus, (inquiunt,) Filij Dei, Verbum altissimi, scimus quoniam aduentus tuus nobis est necessarius; sed petere non præsumimus. Scimus quoniam satisfactio nostra pendet ex Incarnatione tua, pendet ex passione tua, sed facis si vis. Nam hoc quis petere audeat, quis postulare præsumat, nisi super hoc priùs beneplacitum tuum agnoscat?]

X I. Inter hos Gentiles, Iob quod Christi aduentum suo tempore futurum desponderet, altè ingemit, & de suæ vitæ breuitate expostulat, vt S. Greg. latè exponit 9. mor. cap. 31. Alibi verò æstum suum variè aperit, & causam reddit S. Gregorius 13. mor. c. 41. circa illud *mater mea, & soror mea, vermibus.* [Quia tunc electi, ante aduentum Domini, & in labore vitæ præsentis se esse cernebãt, & tamen post præsentem vitam necdum cœlestia bona percipere, multis cogitationib. vrebantur. Expectabant enim gratiam Redemptoris sui, nec tamen ad eam poterant in carne viuendo peruenire. Vnde & aptè subditur *Vbi est ergo nunc præstolatio mea*: Quæ esse potuit præstolatio, iustorum, nisi iustus & iustificans Deus; qui ad pœnas humani generis spontè descenderet, & captiuos mortis, iustitiæ suæ virtute liberaret? Huius enim præsentiam, minimè cessabant intenta cogitatione præstolari, quam quandoque esse venturam nouerant, sed venire citiùs quærebant. Vnde non ait; *Vbi est ergo præstolatio mea?* Sed ait. *Vbi est ergo nunc præstolatio mea?* Dum enim addit *nunc*, ostendit quia quod quandoque venturum erat, venire citiùs desiderabat. Sequitur. *Et Patientiam meam quis considerat?* Expressit desiderium quo festinat in carne positus redimi, & ab inferis ad superna reuocari. Et quidem paucorum hominum ista fuit perpendere, vt scirent de præsentis vitæ laboribus, vel de subsequenti post mortem dilatione cogitare. Quod vtrumque iusti, ante aduentum Redemptoris nostri, se perpeti dolebant. Vnde & rectè dicitur, *Et patientiam meam quis considerat?* Equidem non deest qui patientiam consideret, sed cum citiùs non exaudit, quasi minùs considerare Deus dicitur. Ipsa enim humani generis quæ venit in mundi fine redemptio, quia longo temporis spatio à cœlestium remuneratione distincti sunt, veritate attestante, quæ ait? *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Itaque quod nunc dicitur; *Patientiam meam quis considerat?* Ardentis desiderij vota panduntur. Neque enim vt prædiximus, iustorum patientiam non considerat Deus: sed quasi non considerare, dicitur ad votum desiderij minùs citiùs apparere, & in prolixiora tempora, dispensationis suæ grauam differre. Dicat ergo, *Patientiam meam quis considerat?* quia quod disponenti breue est, longum est amanti.] Sic igitur suum præproperum exitum deplorat Iob, ob non visum Christum. Anteriores verò qui Christo non viso abscesserant, vocat *abortiuos*, ex eodem S. Gregor. 5. mor. cap. 37.

X I I. Famem desiderij vtrorumque huiusmodi populorum; & Iudæorum inquam & gentilium, sola exhibitione Christi tollendam, egregiè expressit idem S. Gregorius 7. mor. cap. 3. & 4. sic expendens illud, *Numquid rugiet onager, cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?* [Quid namque per *onagrum*, id est agrestem asinum, nisi Gentilis populus designatur, quem sicut natura extra stabula disciplinæ edidit, ita vagus in voluptatum suarum campo permansit? Quid per *bouem*, nisi plebs Iudaïca significatur? quæ iugo supernæ damnationis supposita, ad spem proselytes colligens, per corda quæ valuit, vomerem legis traxit. Sed Beati Iob vita attestante cognoscimus, vt expectasse Redemptoris aduentum, multos etiam Gentiles credamus. Et nascente Domino, Simeone in Spiritu in templum veniente didicimus, quanto desiderio ex plebe Israëlitica, sancti viri, Incarnationis eius mysterium videre cupierunt. Vnde & per eundem Redemptorem Discipulis dicitur; *Dico vobis quod multi iusti, & prophetæ desiderauerunt videre quæ videtis & non viderunt.* Herba ergo Onagri, & fœnum bouis, est hæc ipsa mediatoris Incarnatio, per quem simul gentilitas & Iudæa satiatur. Quia enim per Prophetam dicitur, *Omnis caro fœnum*, vniuersitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens, fœnum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fœnum remaneret. Tunc ergo herbam Onager inuenit, cum gentilis populus, gratiam diuinæ Incarnationis accepit. Tunc bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Iudaicæ eius carnem expectanti, lex exhibuit quem diù expectatum prophetauit. Vnde & natus Dominus in præsepe ponitur, vt videlicet signaretur, quia sancta animalia quæ ieiuna diù apud legem inuenta sunt, Incarnationis eius fœno satiarentur. Præsepe enim natus impleuit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit, dicens; *Qui commedit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Sed quia diù, & electorum Gentilium vota dilata sunt, & ex Hebraico populo sancti quique longo tempore redemptionem suam expectando gemuerunt, benè B. Iob, prophetiæ mysteria enarrans, ex vtraque natione causas afflictionis insinuat dicens, *Numquid rugiet Onager, cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?* Ac si apertè dicat. Idcirco Gentilitas gemit, quia eam necdum Redemptoris sui gratia reficit: Atque ideo Iudæa mugitus dilatat, quia legem tenens, sed legis autorem non videns, stans ante præsepe ieiunat.]

XIII. Hinc liquet de incensissimis desideriis, quibus SS. Patres tum qui ex Hebræis erant, tum qui ex gentibus, flagrabant videndi Christum Domini. Quæ cum recogito, non possum non tangi eodem affectu quo S. Bernardus se tangi professus est, serm. 2. in Cant. *initio.* [Ardorem (inquit,) desiderij Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam, frequentissimè cogitans, compungor & confundor in memetipso; & nunc vix contineo lachrymas: ita pudet teporis, torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum, tantum ingerat

gaudium

gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus Sanctis accenderat desiderium promissio!]

Geminus fuit S. Gregorij sensus, quem his verbis exprimit hom. 16. in Ezech. [Valido amore succensos contemplator, dicebat; *Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari eius.* Qui enim Latinè *salutaris*, ipse Hebraicè *Jesus* dicitur. Propheta igitur, quia vias atque miracula, redemptionis quoque nostræ mysterium, per propheticæ spiritum contemplabatur; exultare se in Domino, & delectari super Iesu perhibet, quia inde gaudium in menteconceperat, vnde per amorem fortiter ardebat. Pensemus itaque, si mentes spiritualium Patrum in illo delectatæ sunt qui needum venerat, sed præuidebatur; cuius reatus sit, eius vias, eius exempla, eius monita, postquàm venit & redemptionem exhibuit, non amare.]



PVNCTVM VI.

O Interiectio.

I. Hvc pertinet omnis generis affectus; quibus pia anima ad tanti mysterij considerationem, taogi ac commoueri potest. Decerpam veluti sertum ea Patrum Areolis quod suauiodum exhibebo, vt omnis generis piorum affectuum odor suauissimus, & gratissima fragrantia à Deo nobis prouisa, afflet lectoribus. Existimauit quidem Amalarius lib. de ordine Antiphonarij cap. 13. huiusmodi O, præfixum, istis antiphonis notam semper esse admirationis: nec potest negari, quin sit in hoc mysterio, magnæ & inauditæ admirationis materia, iuxta doctrinam Richardi Victorini in Beniamino minore lib. 3. cap. 9. Tamen est hoc solum, aliorum prætereà affectuum propè omnium ferax: atque adeò tametsi meritò ab admiratione tantæ nouitatis auspicabimur, tamen in alios quoque pios sensus & motus effundemur, secuti SS. Patres, & doctrinam Smaragdi in Prologo ad S. Benedicti regulam, varios illos affectus, in O interiectione, annotantis.

II. Admirationis ac stuporis insoliti affectum, quadrare huic mysterio præse tulit S. Ignatius Epistola ad Ephes. cum diait; [Latuit principem sæculi huius, Virginitas Mariæ & partus eius, similiter & mors Domini. Tria mysteria vociferationis, quæ tacitè ac quietè facta sunt, nobis autem manifestata.] Describit, allegato Ignatio Authore, locum illum, S. Damascenus orat. 3. de Virg. Natiu. num. 5. Ex quo patet, hallucinatum apertè esse S. Ignatij locum annotatione 29. existimauit S. Ignatium agere de solo illo clamore, quem Christus emisit, proximè ante spiritus emissionem. Quod si verum esset, non iam tria clamoris seu vociferationis mysteria habetemos, sed vnicum. Itaque aperte S. Ignatius, (vt Billius quoque ad citatam Damasceni orationem rectè vidit,) recenset tria clamoris mysteria, ad quorum obiectum exclamare præ admiratione par sit; nimirum B. Mariæ Virginitatem, idest, conceptionem actiuam Christi de Spiritu sancto; eiusdem ortum, & partum matris; integro pudoris flore; ac denique mortem Christi. Hæc mysteria, validissimè & fortissimè insonant magnalia Dei, & necessitatem nostram, vt est apud S. Bernardum serm. 5. de Natiu. sed & quoad nos, cum tenui ingeniorum nostrorum bolide nequeant, solius admirationis, & consequentis admirationem clamoris, idonea sunt argumenta. Sepositis autem duobus posterioribus mysteriis à S. Ignatio propositis; primum, siue Incarnatio Verbi ex Virgine, eiusmodi tenera est, vt ad primam eius propositionem, meritò sit exclamandum, O Deus! O bonitas! O Potentia! Sed Patres audiamus.

III. Affectum admirationis hoc diuinum opus, expromptsere plerique Patrum. Origenes homil. 1. in diuersos. [O magnæ admirationis gratia! ò inenarrabilis suauitas! ô ineffabile magnúmque Sacramentum! Ipsa eademque Virgo, ipsa & Mater Domini, ipsa & genitrix, ipsa eius ancilla, plasmatio eius, ipsa quæ genuit. Quis vnquam ista audiuit? Quis vidit talia?]

Sophia Augusta referente Corripo lib. 2. in laudem Iustini minoris, alloquens Deiparam.

O pietas miranda Dei, dictúque tremenda!
Cælorum factor, Dominus Deus, vnica Patris
Forma Dei, vera sese velamine carnis
Induit, & serui formam de Virgine sumpsit.
Quas tibi, quos genitio dignos soluemus honores,
Pro tantis benedicta bonis?

S. Ephrem Tract. de Pœnitentia. [O maximum mysterium! ô dispensationem ineffabilem! Filius Adæ, pater ipsius efficitur.] Idem aduersus eos qui Filij Dei naturam curiosè scrutantur. [O expauescendum miraculum! ô inutiles, ac reprobos, impiósque stultorum atque ingratorum mortalium conatus! Quis talia quæso, vnquam audiuit?]

I V. Naz. orat. 38. [O nouam mistionem, ô admirandam temperationem! Quis est, fit; qui creatos non est, creatur; qui nullo loco contineri potest, per interuentum animæ intellectualis inter diuinitatem & carnis crassitiem continetur. Qui locupletes alios ducit, paupertate afficitur. Carnis enim meæ paupertatem subit, vt ego diuinitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur. Sua enim gloria ad breue tempus exinanitur, vt ego plenitudinis ipsius particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis diuitiæ! quodnam me circonstat mysterium? Diuinam imaginem accepi nec custodiui; Ille carnis meæ particeps fit, vt & imagni salutem, & carni immortalitatem afferat. Secundum consortium nobiscum init, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim quod præstantius erat, nobis impertit; At nunc ipse eius quod deterius est, particeps efficitur. Hoc priori illo diuinius, hoc apud cordatos, & prudentes viros, multo sublimius.]

Greg. Niss. orat. de Christi natiuit. [O rem admirabilem! Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Talem dedit hominem terra, fructum suum. Et hæc fiunt pro bona in hominibus voluntate. Deus humanæ naturæ commiscetur, vt ad sublimitatem diuinam hominem tollat.]

S. August. serm. 56. de diuers. cap. 3. [O manifesta infirmitas, & mira humilitas, in qua sic latuit tanta diuinitas.] Et serm. 59. c. 3. [Dominus Iesvs; homo esse voluit propter nos; non vilescat misericordia, iacet in terra sapientia. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* O cibus & panis Angelorum, de te implentur Angeli, de te satiantur & non fastidiunt; de te viuunt, de te sapiunt, de te beati sunt. Vbi es propter me?] Et serm. 13. de temp. [O mira & inexquisita compago! ô noua & inaudita commixtio! Deus qui est, & qui erat, fit Creator, creatura. Qui immensus est, capitur, diuites constituens, pauper effi-

citur, incorporeus, carne veſtitur, ſermo craſſeſcit, videtur inuiſibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incomprehenſibilis, immortalis occiditur. Quem cœlum & terra benedicit, in præſepio anguſto collocatur. Numeratur in ſæculo qui eſt ante ſæcula. Chriſtus IESVS, heri & hodie, idem ipſe & in ſecula. *Heri* dixit, propter mortalitatem, *hodie* propter æternitatem.]

V, S. Fulgentius ſerm. de laud. Deip. ex concepta & partu Saluat. qui ſermo eſt apud Auguſtinum s 5. de temp. ſed reuera eſt Fulgentij. [O coniunctio ſine ſordibus facta, vbi maritus ſermo eſt, & vxor auricula. Hoc ſplendore concipitur Dei Filius, hac munditia generatur.]

Andr. Cret. orat. in Chriſti Natale. [O puerule cœlo antiquior! O filius ter beatus, qui venit ferens, principatum ſuum, non verò quærens vt ab alio accipiat! O proles magni nominis! O poteſtas omnipotens! ô mirabilium! Qui non definitur cœlis, in præſepi damoratus eſt vt paruulus, quique breui ſermone vniuerſa conſtituit muliebribus fouebatur vlnis, & qui ſuper cœleſtibus omnibus virtutibus donauit vt aſſent. impollutis lactabatur Virginis ſacræ vberibus. O præſape, comparticeps Cherubin, eodémque cum Seraphin honore. Qui enim iis æternùm ſedibus diuinè inequitat, nunc in te triſum corporaliter degit. O Maria, ô Maria quæ vniuerſorum Creatorem habuiſti primogenitum. O humanitas Dei Verbo corporaliter facta ſubſtantia! [Idem in Canone de Natiuitate B. Virginis. [O nouam maximè auditionem, vt Deus fœminæ filius ſit. O partum ſine ſemine, vt mater ſine viro, ſitque Deus quod partu editum eſt. O ſpectaculum horrendum! O Virginis mirabilem conceptionem! O verè ineffabilem partum, qui planè mentem ac intelligentiam ſuperet?]

S. Damaſcenus orat. 1. de Aſſumpt. [O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: (Etenim ipſe quoq; Apoſtoli verba tempeſtiuè vſurpabo:) quàm incomprehenſibilia ſunt, iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! O ſingularem Dei bonitatem! ô charitatem eiuſmodi quæ nulla ratione indagari poſſit! Is quis vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt; is qui cœlum & terram implet; cuius cœlum thronus, & terra ſcabellum pedum eſt, ex ancillæ ſuæ ventre, latiſſimum ſibi domicilium fecit, atque in ea myſterium omnium nouorum nouiſſimum conficit. Nam qui Deus erat, homo efficitur, atq; modo naturam ſuperante, partus tempore procreatur; ac vuluam ita aperit, vt interim virginitatis clauſtra minimè labefactet; vlniſque terrenis ille gloriæ ſplendor, ille character paternæ ſubſtantiæ qui omnia verbo oris ſui fert, infantis inſtar geſtatur. O verè diuina miracula! ô myſteria natura atque cogitatione præſtantiora!]

Goffridus Vindoc, ſerm. 1. [O ſtupenda, & fidei ac dilectionis brachiis amplectenda aſſumptio, per quam factura factori, natura creata vnitur Creatori. Deus pro homine, homo; miſericors efficitur pro miſero; iuſtus pro peccatore damnatur, pius pro impio. O inæſtimabilis diuinæ pietatis miſeratio, per quam natus Dei Filius, mundo apparuit.]

V I. S. Anſelmus in Alloq. cœleſt cap. 47 num. 5. [O immenſa Domini noſtri Ieſu Chriſti pietas! ô admiranda & ineffabilis miſericordia! ſi aliquis potens homo, cum magno comitatu hominum, pergens fortè matra viam per quam tranſiret, in aliquo cœno, aliquem pauperem immerſum videret, qui ſe per ſeipſum nullo modo extrahere poſſet de illo cœno in quo immerſus eſſet, miſeratione motus eundem pauperem per ſeipſum de illo cœno extraheret, nulli dubium, quin huiuſmodi magnæ miſericordiæ, magnæque pietatis, ab omnibus prædicaretur, magnis laudibus ab omnibus rectum ſenſum habentibus extolleretur. Et quantò hoc opus miſericordiæ pro magis paupere & inope fuiſſet, tantò plus, pius & miſericors, omnib. piis, & veraciter Chriſtianis appareret. Quid ergo; quid æſtimari debet de magna Domini noſtri IESV Chriſti pietate, de ineffabili eius miſericordia & charitate; qui cum ipſa ſine initio ſit, & mortale initium & mortalitatem ſumpſit pro paupere, & vltra modum paupere & inope, vt illum extraheret de ſordidiſſimo cœno peccati, in quo ſeipſum immiſerat miſer & infelix? Propter hoc miſer homo, tantam infelicitatem patiebatur, ſicque infeliciter in ipſis voraginibus æternæ perditionis erat immerſus; magnis anguſtiis, magniſque doloribus famis & ſitis erat oppreſſus. Ex vna igitur parte intolerabilem fœtorem cœni in quo erat immerſus patiens; ex parte altera qui eius miſeriæ & dolori compateretur, nullum inueniens, tam ex fœtenti in cœno in quo iacebat, quàm ex deſperatione conſolationis quam à nullo ſperabat, intolerabili dolore afficiebatur. Et ſi diutiùs differretur, quod ab aliquo miſericorde, miſericordia ei non impenderetur, in ipſis miſeriis æternæ perditionis, irreparabiliter moraretur. Venit ergo miſericors Creator, ineffabilem pietatem habens ad hunc peccatorem in luto peccatorum iacentem; Non expolians ſe indumento gloriæ ſuæ, induit pannos miſeriæ noſtræ. Venitque velut mundiſſimus ſol per ipſos fœtores, nullam tamen contaminationem fœtoris patiens, vſque ad ipſum miſerum peccatorem, eúmque ab ipſis fœtoribus extergens, tenuit per brachium, extraxit in planum.]

S. Bern. ſerm. 64. in Cant. *in fine*. [O ſuauitatem! ô gratiam! ô amoris vim! Itáne ſummus omnium, vnus factus eſt omnium! Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione diues, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor; quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ eſt iſta vis quæſo tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique ſemetipſum exinaniuit, vt ſcias amoris fuiſſe, quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quod ſingularitas aſſociata eſt.] Quod triumphantem de Deo amorem inducit Bernardus, bellè reſpondet ſabulæ quæ apud Lactantium lib. 1. inſt. cap. 11 legitur, de amore triumphante, Iouem ante currum ſuum habente catenatum.

Innoc. 3. ſerm. de Annunc. Deiparæ. [O verè nouum, quod hodie fecit Dominus ſuper terram; quia ſtella ſolem, creatura Creatorem, filia Patrem concepit. Hodie fecit, vt æternus ſit temporalis, ſimplex compoſitus, & mortalis. Hodie Trinitatis myſterium innouauit, vt tres ſint ſubſtantiæ in vnitate perſonæ, ſicut tres perſonæ ſunt in vnitate ſubſtantiæ; vt naſceretur de matre ſine patre, qui de Patre natus eſt ſine matre. Hodie ſimul deſcendit, & aſcendit: ſed Deus deſcendit in hominem, & homo aſcendit in Deo. Deus ergo deſcendit, homo aſcendit. Sed quia Chriſtus, Deus eſt & homo, ipſe deſcendit pariter & aſcendit. Fuit autem Chriſti deſcenſus, ſeruilis formæ ſuſceptio, de qua dicit Apoſtolus; *Exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens.*]

V I I. Affectum exultantis de tanto myſterio, & colliquefacti ſuauitate, ob exprompteam per illud diuinam erga genus noſtrum charitatem, prodidere varij. Prudentius hymno 3.

O quanta rerum gaudia.

Alunt

Aluus pudica continet,
Ex qua nouellum seculum
Procedis, & lux aurea.
Vagitus ille, exordium.
Vernantis orbis prodidit:
Nam tunc renatus, sordidum
Mundus veternum depulit.
Sparsisse tellurem reor,
Rus omne densis floribus:
Ipsasque arenas syrtium,
Fragasse nardo, & nectare.
Te cuncta nascentem puer,
Sensere dura & barbara:
Victúsque saxorum rigor,
Obduxit herbam cotibus.
Iam mella de scopulis fluunt;
Iam stillat ilex arido
Sudans amomum in stipite,
Iam sunt myricis balsama.

VIII. S. Odo serm. de Natiu. Dom. [O magnæ pietatis indicium! ô ineffabile diuinæ misericordiæ sacramentum. Omnipotens Deus hominem decreuit redimere, & redimendo homini, etiam se corporaliter ostendit; & ipse vt ita dixerim, fugitiui sui vestigia subsequens, ad redimendum quem amiserat hominem, locus venit. Si enim appellari locus nequaquam conditor posset, Deum laudans nequaquam Psalmista dixisset; *Filij seruorum tuorum, habitabunt ibi. Ibi* enim non dicimus, nisi cum specialiter locum designamus. Conditor etenim noster cum sit omnium rerum locus, sed illocalis, veniens in mundum, non habuit proprium in terris, sicut ipse dixit, *Filius autem hominis, non habet vbi caput reclinet.* Et secundùm Lucam Euangelistam, *positus est in præsepio, quia non erat* integerrimæ Genitricis eius, *locus in diuersorio.* Quis vidit vnquam tale! quis audit huic simile! Tanta enim erat in assumpta humanitate humilitas, quanta in diuina Maiestate sublimitas. Quàm sublimis in suis, quàm humilis in nostris; in præsepi iacebat, in cœlo residebat. Iacens in sinu Matris, sedens in dextera Patris. Cum esset Dei Patris ante tempora vnicus, factus est Virginis in tempore Filius Non amittens quod erat, factus est quod non erat. Factus est particeps mortalitatis nostræ, vt nos vitæ suæ participes faceret.]

IX. Guerricus Abbas serm. 2. de aduentu. [O salutare vultus mei & Deus meus, quanta dignatio fuit, quia seruos salutasti? sed quantò maior quia saluasti? Non enim integra nobis salus esset, nisi salutem mandares, & dares. Dedisti autem, non modò quos salutaueras verbis pacificis, postmodùm salutando in osculo pacis; & videlicet per vnionem carnis; sed etiam salutem operando per mortem crucis. Exurgat igitur spiritus noster alacri gaudio, curratque obuiam salutari suo, & iam à longè venientem adoret, & salutet, acclamans ei, & dicens; *O Domine saluum me fac. O Domine benè prosperare; Benedictus qui venturus es in nomine Domini.* Salua qui venis saluare nos; benedictus qui venis benedicere nos. Igitur ô Domine benè prosperare, qui tam prosper & salutaris aduenis generi humano. *Intende, prosperè procede, & regna.*] Et sermo. 6. *sub finem.* [O puer dulcissime, Iesu bone, quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te, & perficies sperantibus in te, qui tantam exhibuisti nec dum scientibus te? Prorsus dulcedo incomparabilis & pietas ineffabilis, vt Deum qui creauit me, videam puerum creatum propter me? Deúsque maiestatis & gloriæ, non solùm similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis, & velut humanæ indigens opis appareat, ætatis infirmitate? Verè tu puer Deus, salutare vultus mei, & Deus meus, cum totus sis dulcedo & desiderium, dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum. Hæc nimirùm te capabilem facit sensibus & affectibus paruulorum, qui nondum sunt ad solidum idonei capere cibum. Dulce interim, dulce prorsus & sapidum, cogitare puerum Deum; quin etiam efficax & operatorium ad medendum ac dulcorandum, (si quis in nobis est) rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Neque enim crediderim, vbi sensus & memoria fuerit huius diuinæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inueniri.]

X. Chrysippus in encomio Deip. [O sermonem superantem omnem intellectum; Vt ego efficiar Filius Dei, vnigenitus Dei Filius, factus est ad similitudinem meam. Ad similitudinem autem meam dico, participatione carnis, in qua tamen non fuit communicatio peccati. Quænam igitur, quænam verisimile est hostem humani generis secum loqui, dum videt nos per mulierem reuocatos ad filiorum adoptionem, quam initio habebamus? Nonne hæc dicit & queritur? Qui fit, vt instrumentum quod in principio cooperabatur mihi, nunc mihi aduersetur? Mulier mecum effecit, vt in genus humanum tyrannidem occuparem, & mulier è tyrannide deturbauit. Antiqua Eua me erexit in altum, & noua deiecit. Ipsa est etiam Eua secundùm naturam, licet non sit Eua secundùm generandi rationem. Quæ enim mulier, possit edere partum adeò alienum ab omnium opinione, nulli coitus inseruiens corruptioni impregnata, mater effecta est citra solutionem virginitatis. Lac edidit, quæ nullas nouit nuptias; nutriuit infantem, cuius tamen infantis nullus sit pater in terra. Quamobrem meritò immutatæ sunt res meæ, ab eo qui immutat naturam, & per quam captiuitati subiiciebam, in captiuitatem redactus sum; per quam vincebam, succubui, &c. [Talibus equidem communis omnium nostrorum inimicus, apud se ipsum vsus esse sermonibus videtur. Nos verò denuò recurrentes ad ea, quorum superiùs fecimus mentionem, laudemus Virgam Iesse, beatum prædicemus, & faustis omnibus prosequamur Dauidis surculum.]

XI. Laudantis Deum de tanto laudis argumento, specimen suppeditant varij. Laur. Iustin. serm. de Natiu. Domini. [O Dei mira dignatio, ô inæstimabilis dilectio pietatis. Qui offensus fuerat, reconciliationis ipse intercessorem destinauit; quod illi debebatur, exhibuit; & quem pro peccatis placari oportuit, prior peccatores inuitauit ad veniam; Inuitauit inquam antè affectu quàm voce, & priùs miseratione quàm carne. Vnde (oro) carnem suscipere voluit, atque hominibus apparere visibilis? Nonne impellente charitate, miseratione trahente? Prophetam longæuum & sanctum, audi dicentem, *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* Visitauit, inquam, nos tanquam ægrotos Medicus, donans remedia nostris opportuna languorib. Vnde Propheta inquit; *Benedic anima mea Domino, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Tanquam præclara venit veritas, vt ignorantiæ nostræ depellat tenebras, iustitiæque aspicere valeamus lucem. Ideò hoc in spiritu Propheta suprà memoratus, præuidens ait; *Illuminare iis qui in tenebris & vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Tanquam li-

berator apparuit ad eruendos nos de tyrannico iugo diabolicæ potestatis;Propterea aiebat; *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos,& inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est; & onus meum leue.* Hinc Propheta Domino dicit; *Iugum exactoris, & onus humeri eius, tu superasti-sicut in die Madian.* Visitauit denique nos tanquam Pater vt nos reuocet ad se, tribuátque quod consumpsimus, & in suam nos hæreditatem instituat.]

XII. Guerricus Abbas serm. 1 de aduentu.[O expectatio gentium, vniuersi qui te expectant non confundentur. Te expectauerunt Patres nostri,omnes iusti ab origine mundi: *in te sperauerunt, & non sunt confusi.* Iam enim suscepta misericordia tua in medio templi tui, chorus lætantium & laudantium concinit. *Benedictus qui venit in nomine Domini. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.* Et in humilitate carnis, agnoscentes maiestatem diuinitatis, ecce (inquiunt,) Dominus noster iste; expectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus & lætabimur in salutari eius.]

S. Ildefonsus lib. de Virg. B. Mariæ cap. 8. *ad finem.* [O virtutum omnium Deus! O creaturarum omnium Deus! O factor omnium Deus! O mirabilium auctor omnium Deus! qui cunctis miraculis tuis, vniuersis insignibus tuis, totis mirabilibus tuis, omnibus magnalibus tuis, hoc factum, hoc opus, hoc gestum,hoc actum,miserationis thesauros aperiens,pietatis arcana demonstrans, indulgentiæ diuitias reserans, clementiæ tuos emittens; in salutem meam (& mundi,) in redemptionem meam, (& mundi,) in liberationem meam, (& mundi,) fecisti sine loquendi ratiocinatione mirabile, egisti sine rei exemplo singulare; formasti sine comparationis similitudine potentiale;complesti sine consimili æquiparatione vitale; finisti sine intelligendi consideratione inæstimabile; sine oblitione perenne;sine defectu stabile;sine interruptione iuge; sine fine laudabile. Per quod error amotus est, per quod languor ablatus est, per quod peccatum deletum est, per quod mors verè destructa est,per quod salus collata, per quod vita concessa, per quod cælum patefactum, per quod regnum cælorum promissum est; per quod eundi inuenimus viam, per quod assequimur perueniendi veritatem, per quod adipiscimur requiescendi vitam, per quod habemus perennem tuæ dulcedinis visionem? Ac nunc iam in præsenti,in hoc loco,in hoc situ,in hoc momento, & in hoc tempore, & in omnia sæcula sæculorum.]

XIII. Timentis ob tanti mysterij exhibitionem, sunt illa apud Guerricum,serm.6.de aduentu. [O venerandum & tremendum mysterium, quàm sanctum & terribile est nomen tuum,fons misericordiarum, & abyssus iudiciorum? Quis de hoc fonte bibit, & non amauit? Quis hanc abyssum considerauit, & non expauit? Qui non amauit,neqnam & impius est, sicut qui non expauit, vecors & insensatus est. Nihil tamen est cur iudicium expauescas, si non aduersus misericordiam insolescas. Et ipse siquidem mallet amari,quàm seruiliter timeri: magísque probat quod liber ac voluntarius offert affectus filiorum,quàm quod coactis extorquet metus seruulorum.

Quantia ob hoc mysterium sit timoris causa, docuit optimè Stephanus Cantuar. in cap. 3. Abacuc,adductus in Allegoriis Tilmanni, sic accipiens illud, *Domine audiui auditum tuum & timui.* Subdit verò. [Sed nonne deberet exultare Propheta, & quilibet nostrum consolari, audita Incarnatione Christi?] Respondet [Certè si benè agimus, Incarnatio nobis est solatium atque remedium. Si verò malè,valdè nobis est timendum:quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Nobis autem committissa est villicatio magna, scilicet beneficium Incarnationis. Et ideò reddituris villicationis rationem, timendum est. Nam qui eam nobis tradidit, dicit; *Nonne oportuit pecuniam meam dari ad vsuram; & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?* Pecunia ista, est imitatio humilitatis Christi. Vsura verò est quod superacrescit, incedendo per semitas consiliorum. Sed quomodò vsuram persoluemus,cum ad sortem non peruenimus? Meritò ergo timendum est.]

Amed. Lausan.homil.3.de Deip.*initio* [O Domine audiuimus opera tua & expauimus. Considerauimus mirabilia tua, & defecimus. Descendente Verbo tuo, cor nostrum liquefactum est, & omnia interiora nostra contremiscentia, patuerunt illi. Nam *dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus,de Regalibus sedibus venit.*Effudisti enim Pater viscera charitatis tuæ super nos, & multitudinem miserationum tuarum, vltra cohibere non potuisti. Effudisti lucem in tenebris;totem in siccitate; & in magno gelu, ignem vehementissimum accendisti.Ideò apparuit nobis Filius tuus,vt copia ciborum imminente fame grauissima,& vt fons aquæ viuæ animæ laboranti, & deficienti præ siti in æstu. Aut certè sicut apparere solet fortis adiutor & liberator obsessis,iam támque ruituris in prælio,quibus mors intentatur piæ oculis, hostili gladio comminante, & armata dextera sitiente cruorem. Sic ille nobis apparuit, & factus est in salutem.]

Locum ex cap. 3. Abacuc, quo Propheta profitetur, se opus Dei considerantem, expauisse; ad hoc mysterium aptat Autor sermonis de Natiu. Domini apud S. Cyprianum, & S. August. serm.4. de tempore.

XIV. Affectum Gratulantium Deiparæ, tot, & tantorum miraculorum officinæ, ob conceptum in ea Christum,prodidere varij.S.August. serm.18. de sanctis. [O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum omnino non nouit, & virum suo vtero circumdedit. Circumcidat virum Maria, Angelo fidem dando,quia Eua perdidit, serpenti consentiendo.] Et mox. [O fœlix obedientia! ô insignis gratia, quæ dum fidem dedit humiliter, cœli in se opificem corporauit.Impleuit in ea Dominus,quod dudum prædixerat. *Obedientium* (inquit) *malo, quàm sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta.*Hæc fuit vera obedientia,omni sacrificio gratior; hæc voluntas, cunctis hostiis acceptior; hinc promeruit gloriam quam ipsa postmodum hausit; *Ecce* (ait) *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* O beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ solo tuo commercio, recuperandi aditum inuenit?]

XV. S. Ildefonsus serm. 8. de Natiu. Virg. [O fœlix Maria! ô genitrix gloriosa! O puerpera sublimis,cuius visceribus, Author cœli terræque committitur. O fœlicia oscula labiis impressa lactentis, cum inter crebra indicia reptantis infantiæ, vtpotè verus ex te filius,tibi matri alluderet, cum ex patre Domi

Dominus imperaret. Nam autorem tuum ipsa concipiens, edidisti in tempore puberem, quem habueras ante tempora conditorem. O fœlix puerperium, delectabile Angelis, expectabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis.]

S. Anselmus meditatione de Benef. Dei ad sororem p. 1. n. 1. [O Dulcis Domina, quanta inebriabaris dulcedine, quo amoris igne succendebaris, cum sentires in mente & in ventre tantæ maiestatis præsentiam? cum de tua carne sibi carnem assumeret, & membra in quibus corporaliter omnis plenitudo diuinitatis, inhabitaret, de tuis sanctis membris aptaret?

Richardus Victor. in Psal. 71. [O gloria Virginis! O gratia mirabilis, ô gloria singularis! Stupenda dignatio prolis, stupenda dignitas matris. Qualis, quantáque dignatio prolis, Filium Dei Patris, fieri filium hominis; Dominum gloriæ fieri filium Mariæ? Qualis quantáve dignitas matris, habere fructum fœcunditatis, cum flore virginitatis? Virginem habere filium, nec qualemcunque, sed Deum? Verè singularis gloria Mariæ, *descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*. Descendet (inquit) quis, quæso, vel quò? Vnde, vel quomodò? *Descendet sicut pluuia in vellus*. Haud dubium quod Christus Iesus; Sed vnde quæso, vel quomodo? De sinu summi Patris in vterum Virginis matris.]

XVI. Gratulantis orbi & Ecclesiæ, nouam lucem ex Christi aduentu, paradigma sunto illa Guerrici serm. 2. de Epiph. [O Hierusalem noua, ciuitas magni Regis noui, mons Sion latera Aquilonis, id est de vtroque ædificanda pariete, circumcisionis & præputij; surge, illuminare, quia venit lumen tuum. Surgite qui sedetis in tenebris intendite lumini quod exortum est in tenebris, sed non comprehenditur à tenebris. Accedite ad eum & illuminamini, & in lumine eius videbitis lumen, dicetúrque vobis, *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Intendite lumini æterno, quod se vestris aspectibus temperauit; vt qui lucem habitat inaccessibilem, infirmis quoque & lippientibus oculis, posset accedi. Aduertite lumen in lucernæ testa, solem in nube; Deum in homine; in luteo vasculo carnis nostræ, splendorem gloriæ, candorémque lucis æternæ. Latet quidem maiestas in humanitate, virtus in humilitate; sed signa virtutum erumpentia, vnde hæc prodeant, non sinunt ambigere.]

XVII. Insultationem, & derisionem, ac desperationem inimicorum generis nostri, continent illa Bernardi, hom. 2. de aduentu. [O Virgo, virga sublimis, in quam sublimè, verticem sanctum erigis? Vsque ad sedentem in throno, vsque ad Dominum Maiestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O verè cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior vniuersis. O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis. Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua; nudata est planè falsitas tua. Duo imposueras creatori: mendacij & inuidiæ infamaueras eum; sed in vtroque conuictus es, esse mentitus. Siquidem & ab initio moritur, cui dixeras. *Nequaquam morieris*; & veritas Domini manet in æternum. Sed & nunc responde si potes, quam ei arborem, cuius arboris fructum inuidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam, & fructum sublimem negauit? Etenim qui proprio filio non pepercit, quomodò non omnia simul cum illo donauit?]

XVIII. Affectum indignantis ob mortalium erga tam bonum Deum ingratitudinem, egregiè exprompserunt nonnulli. Philo Carpathius ad illud Cantic. *Rex tremendus in excursibus*. [O incomparabilem vim amoris! ô summam bonitatem! ô infinitam sapientiam! quid te mouit ad hominem creandum? quis rursus ad eundem redimendum? Solus amor quo cuncta ex nulla subiecta re creasti; Hæc quæso parumper animaduertite ingrati, hęc cogitate superbi, hæc meditemini auari. Videte carnales, an maior vlla vis amoris esse possit, quàm quæ Domini nostri Iesu Christi erga nos fuit, extatque quotidie, & durat æterna? Deus immortalis, æternus, immutabilis, omnipotens, Creator omnium, ac rector, summa Sapientia, cui cœlum sedes, & terra scabellum pedum eius, qui cuncta pugillo virtutis suæ continet, nullius egens; amore victus hominis, è cœlo descendit, vterum Virginis, ingressus, humanitatem nostram, imò suam (ipse enim nos fecit non ipsi nos,) assumit, factus aliquando perfectus homo: idémque mortalis, qui semper increatus est & immortalitalis; factus patibilis, qui semper est immutabilis, vt nos ab sempiterna morte redimeret, quam sua ipsius culpa primus ille parens omnium Adam, sibimet, & cæteris de sese nascituris infœlicissimè intulerat. Nos tamen immemores, nos ingrati atque superbi, tot ac tanta támque immensa summi Dei beneficientia, & sempiterna, facilè obliuiscimur atque negligimus.]

Goffridus Vindoc, serm. 2. [O inæstimabilis, Dei & Domini nostri Iesu Christi circa peccatores benignitas! ô ineffabilis misericordia! ô misericordia inenarrabilis! ô admirabilis potentia! Quæ enim maior benignitas siue misericordia, humilitas vel patientia peccatoribus exhiberi potuit; quàm vt ipse Deus se contemnentis fieret pretium hominis; Ita vt contra Deum peccaret homo, & Deus pœnitentiam faceret pro peccato; homo etiam contra Deum sæuiret, sæuienti etiam Deus propitiaret: formam serui, cœli & terræ Dominus assumeret in qua ipse panis verus esuriret, fons viuus sitiret, virtus firmissima infirmaretur, immortalis vita pro suo interfectore moreretur? Quicquid boni in terra exhibuit Deus, pro homine fecit, & quicquid mali sustinuit, ab homine & pro homine fuit. Quid ad hæc Fratres cogitabimus? quid dicemus? quid faciemus? Cum Deus talis sit circa nos quod melior esse non possit, & nos tales contra eum simus, quod penè peiores esse non possumus?]

Guerricus, serm. 1. de Annunc. [O fœlicitas & ô infœlicitas temporum istorum! An non fœlicitas temporum, in quibus tanta plenitudo gratiæ & omnium bonorum? An non infœlicitas temporum, in quibus tanta ingratitudo redemptorum? Ecce enim venit plenitudo temporis, in quo mittit Deus filium suum, vt fiat filius hominis, hominúmque Saluator; & ecce magnitudo temporis, vt saluatorem suum fastidiat homo peccator. Annunciatur salus perditis, & contemnunt: promittitur vita desperatis, & negligunt. Venit Deus ad homines, & non assurgunt.]

XIX. Dolentis de sua duritia in horum mysteriorum recognitione, motum expressit S. Bern. serm. 3. in die Natiu. [O duritia cordis mei! Vtinam Domine, sicut Verbum caro factum est, ita & cor meum carneum fiat. Siquidem & hoc pollicitus es per Prophetam. *Auferam (inquit) à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*.]

XX. Adhortantis & vrgentis ad imitationem virtutum, in hac Verbi exinanitione micantium, sensum præfert S. Bern. serm. 3. in die natal. Dom. [O homo,

[O homo, in carne tibi exhibetur sapientia illa quondam occulta; ecce iam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter (vt ita dixerim,) prædicatur tibi; fuge voluptatem; quia posita est mors secus introitum delectationis; Age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei.]

Guerricus Abbas, serm. 6. de aduentu. [O sacra & dulcis infantia, quæ veram homini innocentiam refudisti; per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam, tibique conformis fiat, non pusillitate membrorum, sed humilitate sensus, & pietate morum. Prorsus vos filij Adæ, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in Giganteam enormitatem per superbiam excreuistis, *nisi conuersi fueritis, & effecti sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum.* Ego sum ostium regni, (ait paruulus iste,) nisi incuruetur altitudo virorum, non eos admittet humilitatis ianua. Ideò nimirùm conquassabit capita in terra multorum, & qui elati accedunt; repulsi, capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbis terra & cinis, postquam Deus factus est humilis? Adhuc magnus es in oculis tuis, postquàm Deus, paruus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinaniuit, vt plenè videretur esse nihil, fine quo factum est nihil, & tu in immensum inflaris, & extolleris, existimans te aliquid esse, cum verè sis nihil? Ipse te seducis, clamat tibi Apostolus, cum & si aliquid esses, si magnum aliquid esses tantò magis humiliari te oporteret. *Quantò* (inquit Sapiens,) *magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo*, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; qui & ipse, vt fieret exemplum, cum esset maximus omnium, factus est humillimus omnium, & minimus. Parum erat ei, vt fieret minor Angelis, conditione mortalis naturæ; nisi & hominibus minor fieret, ætate imbecillis infantiæ. Videat igitur pius & humilis, & glorietur; videat impius & superbus, & confundatur. Videat inquam Deum immensum, paruulum factum, & infantulum adorandum; (stupendum mysterium,) redemptionem piorum, gloriam humilium, iudicium impiorum, ruinam superborum.]



PVNCTVM VII.

O Figurale.

I. SYMBOLA quædam orbicularia mysterij Incarnationis, hic adscribam, & exponam. Vnum, tametsi sensibile, vix tamen nisi eruditis perspectum; vocem dico corpoream, quam expandi orbiculariter & O quoddam figurale exhibere, pauci aduertunt. Cætera perspicuè in formam orbicularem efformata, nempe circulum, armillam, coronam, globum Imperatorium, annulum, ouum. Quæ omnia esse Incarnati Verbi egregia symbola, dilucidè monstrabo.

O Figurale. I. Vox humana.

II. AC vocem quidem corpoream, esse Diuini Verbi carne nostra imaginem, nullo negotio planum fiet, vbi ostensum fuerit; vocem esse aliquid orbiculare & exhibere O figurale, quod excutiens Fabius Paulinus, lib. 2. Hebdom. c.7. benè secernit duplicem figuram literæ O. globosam scilicet, & oualem. Priorem ait esse symbolum modi quo oratio auribus illabitur & auditur: posteriorem refert ad modum audiendi sonos Musicos, præsertim Lyrici soni, & symphoniæ diapason. Et rectè sanè prior figura, ad vocis diffusionem per medium ac illapsum in aurem refertur. Nam vox ad aurem transmittitur globosa volutatione in orbis similitudinem. Obseruauit hoc Aristoteles in Problem. sect. de Voce quæst. 8. subscripserúntque Themistius 2. Animæ, suo cap.27. Boëtius lib.1. de Musica, Auerroës 2. animæ cap. de sono & auditu. Ficinus in Timæi Compendio cap. 30. & pulchrè Vitruuius cuius hæc est oratio, lib. 5. de Archit. cap. 3. [Vox est spiritus fluens, & aëris ictu sensibilis auditui. Ea mouetur circulorum rotundationibus infinitis, vti si in stantem aquam, lapide immisso nascuntur innumerabiles vndarum circuli crescentes à centro, & quàm latissimè possint vagantes, nisi angustia loci interpellauerit, aut aliqua offensio quæ non patitur designationes earum vndarum ad exitus peruenire. Itaque cum interpellentur offensionibus, primæ redundantes, insequentium disturbant designationes. Eadem ratione vox, ita ad circinum efficit motiones. Sed in aqua, circuli æqua planitie in latitudinem mouentur: Vox & in latitudinem progreditur, & in altitudinem gradatim scandit. Igitur vt in aqua vndarum designationibus, ita in voce cum offensio nulla primam interpellauerit, non disturbat secundam, nec insequentes; sed omnes sine resonantia perueniunt ad imorum & summorum aures.] Comparatio lapidis immissi in aquam stantem, quæ perbellè exprimitur apud Senecam lib. 1. natur. qq. cap.11. & apud Minutium, initio Octauij, adhibetur quoque in hanc rem ab Auerroë loco allegato, eóque tendit, vt intelligamus sonum seu vocem intentionaliter diffundi in orbicularem figuram multis gradatim circulis amplificatam, non secus ac in aqua stante, circuli ab alto multiplicantur ad littus. Quod si ea diffundendæ vocis ratio non seruaretur, hoc est nisi vox orbiculatim diffunderetur, sed in directum tenderet, fatendum esset, vt Themistius ratiocinatur, & illum qui loquitur non percipere auditu quæ dicit, & eum qui loquenti à tergo aut latere esset, nihil item audire; Quæ constat admitti non posse.

Confirmationem addit Vitruuius ex industria peritorum Architectorum, qui ne locus quispiam sit surdus, talem efformant, vt in eo vox quàm clarissimè vagari possit. Quo refert structuram Theatrorum per gradationes scandentes, vt quæcunque vox esset in scena, clarior ad spectatorum aures pertingeret. Constat igitur, vocem, globosum quid esse, & orbicularim diffundi.

III. Sic autem spectatam vocem, exhibere Verbi diuini corporationem; & eius expressionem quandam continere sanè luculentam, vulgatissimum est apud Patres. Ita enim habent Origenes homil. 1. in diuers. S. Athanasius q. 4. ex nouis S. Augustinus. S. Trinit. cap.11. & lib.1. de doctr. Christ. cap. 13. & serm. 23. de temp. S. Chrysostomus sermone de dicto Abrahæ, *pone manum tuam*, Sanctus Eucherius homil. 1. de Natiuit. Domini, S. Fulgentius ad sermonem Fastidiosi, cap. 17. Basilius Seleuc. orat.39. Nissenus ad calcem libri de imagine. Amedeus Lausanensis homil. 3. de Desp. Author libri de cognit. veræ vitæ, cap. 16. Gennadius libello cui titulus est *via salutis*; quæ est dissertatio coram

Turco

Turcorum Principe. Appendo hæc omnia loca tractans symbola varia mysterij Incarnationis lib. 2. de Christo sect. 5. c. 1. quo loco de variis vocis humanæ, & Verbi Dei corporati analogiis, diffusè actum. Quare ne actum agam, non insisto illustrationi ampliori illius analogiæ multiplicis, sed vt tantum pono, vocem humanam quam orbiculariter diffundi, & O quoddam figurale exhibere monstratum est, esse diuini Verbi carne nostra circumamicti rudem imaginem, qualem nostraria obiecta suppeditare possunt.

IV. Posteriorem vocis figuram; sine ovalem, ad sonos musicos pertinentem, facile erit ad idem mysterium accommodare. Esse porrò eam figuram melico sono consentaneam, inde intelligimus cum Fabio Paulino cap. illo 7. qui profecit ex Ludouico Celio, lib. 19. cap. 14. quod vt Platonici affirmant, concentus è grauibus, acutísque conflatus, velut vna forma ouali illabitur in aurem. Octaua enim vox quæ est acuta, quasi per verticem vocis primæ, quæ est sibi dupla, latitudinem sibi ex seipsa continuans ex seipsa, atque prima vnam constituit vocem, id quod etiam Aristoteles in Problematis confirmat. Quemadmodum verò oculus, qui globum, seu sphæram, tanquam vnam figuram contuetur, hinc magis, inde minùs latam, sic auditus vocem ex graui octaua compositam, haurit tanquam vnam ab amplo quodam profundo quasi in acutam sublimitatem, & culmen, oui instar paulatim ac suauissimè surgentem.

Hoc ita constituto, ex quo vocis per musicos modos distinctæ, conformatio in O quoddam figurale, manifesta est; pro analogia eiusdem cum Verbo incarnato, non est quod hoc loco satagamus. Fusè enim monstrata est, cum à Rutilio Benzonio in Psalm. 86. cap. 22. tum à nobis libro 5. de Christo sectione 2. capite 11. vbi ostenditur Christum esse Canticum nouum, & Alleluiaticum melos, quod in Ecclesia extra lugubres dies suauissimè concinitur, esse Christi Domini expressionem, in quam rem insigniter philosophatus est Rupertus lib. 4. de Offic. cap. 5. Canticum quoque Angelorum, *Gloria in excelsis Deo & in terra pax*, reipsa, & in actu exercito esse Christum Dominum, perpulchrè dixerunt Etherius; & Beatus lib. 1. contra Elipandum. Verùm dimissis particularibus canticis, ac sonis Musicis, nec nisi generatim agendo, fusè & pulchrè Clemens Alexandrinus initio protreptici, Christum exhibet sub imagine cantici exquisitè harmonici, veréque Cantici noui. Quo item Eusebius lib. 1. de demonst. cap. 10 aptauit illud Psalmi 39. *Carmen Deo nostro*: Egregiè quoque de hoc *nouo* vt Clemens nominat *harmoniæ æterno modo*, idem Eusebius orat. de laud. Constantin. *post medium*, vbi quàm suaue melos orbi per Christum insonuerit, concinnissimè tradit. Quo in eandem sententiam prosequitur Gulielmus Parens præfatione in Canticum Canticorum, non vacat adducere, quia iam sat multis de hoc, O figurali & primo symbolo Verbi Dei luto nostro adiuncti, actum videtur. Progrediamur ad reliqua.

II. Circulus.

V. De veterum sententia, circulus propriè symbolum erat diuinitatis vndæ, vt apud Pierium videre est lib. 39. Hierogl. cap. 7. 8. 10. & 16. & apud Galatinum l. 2. c. 10. vbi triplex *Iod*, figura circulari conclusum apud Chaldæos fuisse dicitur figura Dei, vnius ac trini. Nos circulum hîc, vt Verbi incarnati imaginem proponimus; quamuis non sit obscurum, adamari à Satana figuram circularem. Vnde qui Magica tractant, testantur, Magos initiari Satanæ, præstando ei iusiurandum super circulo in terram sculpto: iidémque manuale signum crucis efformant figura circulari. Quod Satanas circularem figuram adamet, adhiberique à suis mancipiis acceptum habeat, nonnulli referunt ad affectationem diuinitatis, cuius symbolum habetur circulus. Alij ad carentiam cuiuscunque anguli in circulo, qui proinde planè dissidet à cruce multipliciter angulosa, quam Satanas, quippè in ea triumphatus exosam habet. Et inter sigilla Magica crucem circulo inclusam cerni, compertum est, vt crux veluti captiuata studio diaboli videatur. Eò certè huiusmodi ostentum quandoque occurrens in extis animalium, retulit Iulianus Apostata, vt testatur Nazianzenus orat. 3. Quid si verò Satanas eo circuli vsu, studium virtutis ementitur? Nam esse circulum symbolum virtutis, intelligimus ex circuli & virtutis comparatione quam instituit S. Augustinus cap. 16. lib. de quantitate animæ eo quod sicut totus circulus æqualiter ad medium suum, siue ad centrum se habet ita & virtus ad suum medium; atque ita nulla ex parte aliquid minus eueniat; Virtutis ergo circulo collatæ studium amentiens circulum gaudet, & esse in suorum vsu probat. Vndecunque autem Satanas, petat adamandi circuli causam, Verbum corporatum quod eius caput contriuit, circuli imagine meritò ad permiturationem petunt aliqui, ex eo quod Verbum in carne, Regiam super omnia Deo subiecta habet dignitatem, quæ circulo exprimitur apud horum lib. 1. cap. 15. Idque volunt adumbratum eo circulo qui Isidis capiti superponebatur: cuiusmodi eius figuram non circulo caput ambiente vt facit corona, sed prorsus supra caput extante, exhibet ex antiquo marmore Baptista Casalius lib. de veter. Ægypt. ritibus cap. 26. Sed hæc per circulum Regiæ potestatis adumbratio, esset quoque nudo Dei Verbo communis. Itaque aliqua Verbo carnem amicto propria, sunt adducenda, qualia suppetunt apud Patres & Doctores non pauca.

Appendam nonnulla, vbi præmisero, *coronam*, etiam in Scriptura signare orbem nostrum in tempore. Hoc obseruauit Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 158. vbi tractans illud S. Iacobi, *lingua inflammat totum corpus, & maculat rotam natiuitatis nostræ*, ait, *rotam* eo loco dici *tempus ad rota speciem* accedens. Nam vitæ nostræ, [tempus rotæ speciem imitatur, vtpotè quod in sese torquetur, & conuoluitur. Quod autem tempus, *rotam* appellarit (Iacobus,) propter orbicularem ac rotundam figuram (in seipsum enim voluitur,) confirmat Psalmista, qui *coronam*, ipsum nominauit, dixitque ad Deum, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ* Nam hîc quoque ab orbiculari figura, tempus *corona* meritò nuncupatum est.] Rursus, lib. 4. Epist. 1. [Quandoquidem circularis est figura temporis; quippè cum dies septies circumuoluatur in hebdomadam; hebdomads autem in mensem; menses verò in annum; rursumque in eadem signa quæ peragrauit, restituatur: hanc ob causam, alibi quidem *coronam anni*, alibi verò *rotam generationis*, Scriptura appellauit, (Circuli namque; & coronæ, & rotæ, eadem est figura;) quod quatuor horæ, videlicèt vernum tempus, & æstiuum, & autumnale, & hybernum, inuicem quodammodò manus connectant, & annum circumuoluant; atque ita optimam quandam choream ducant.] Quod

igitur Deus æternus, & ante secula, voluerit nostri causa fieri temporalis, & subire rotam natiuitatis nostræ, fierique in tempore, vt ea ratione euaderet Rex, & Hæros vniuersorum nouo titulo; idcircò circulus, seu rota, seu corona prout præcisè figuræ circularis, iure assumitur pro symbolo Dei in tempore induti nostrum carneum amictum temporis vicissitudinibus obnoxium. Illustremus hoc, adducto sensu sapientum.

Circuli specie Verbum in carne præclarè expressit S. Bonauent. in Psalm. 11. ad illud *in circuitu impij ambulant*, sic enim scribit. [Nota Deus humanatus dicitur esse circulus, vt circumferentia humanitas, centrum autem dicatur diuinitas. Circumferentiam facit pes circuli mobilis: in centro est pes immobilis; Nam humanitas mobilis, sed diuinitas est immobilis. Impij in circuitu ambulant, quia humanitatem, non diuinitatem credunt. Vndè alibi, *qui videbunt me, foras fugerunt*, id est, Christum, purum hominem crediderunt. Iusti autem vsque ad centrum perueniunt, quia Deum in homine credunt.] Crateris rotundi, & ore patulo, stantis autem ac firmi specie, prouidentissimam Dei erga mortales benignitatem, præsertim Verbi humanatione patefactam, exponit S. Dyonisius epist. 9. expendens quod Prouerb. 9. habetur, de sapientia mysticum craterem statuente.

Hic est *circumiens in vtero* Gedeon, cuius panis conuolutus, subuertit acies Madian, ait Petrus Damiani, serm. 68. post S. Gregorium. Nec pauci Patres, Verbum humanatum specie circuli exhibent. Inter cætera decora quibus Epiphanius in panegyr. Deiparam celebrat, Illud est quo exclamat de vtero qui Deum excepit. [O vterum impollutum, habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehensum, in te verò comprehensum portasti. O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti.] Ipsam quoque Deiparam, sic affatur. [Aue gratia plena, quæ cœli circulum habes, & Deum incomprehensum, angusto potissimum loco in teipsa continens.] Hic est verè *Deus circularis* ac agalibalus, ἐπικυκλίδιος: qua ratione Deum sibi effingebat Zeno, vt habetur in libello de Zenone & Gorgia apud Aristotelem, pluribúsque illustrat Ioannes Selden, lib. 2. de Dijs Syris c. 1. Verùm ille Deus rotundus fabulosus fuit, hîc pura veritas.

VI. Hoc planè fuit nouum illud, circumdari à fœmina viri, de quo Ieremias. In quæ verba, multa mysteria ad Virgineum conceptum pertinentia, excogitant recentiores, quæ minùs ad rem præsentem faciunt. Legi verò possunt apud Salazarium lib. de concept. cap. 18. num. 18. 19. & 20. Optimè autem in rem præsentem ea verba interpretatus est Petrus Abelardus sermone de Natiuitate Domini vbi sic disserit præter cætera. [*Fœmina circundabit virum*, hoc est ex propria substantia, mulier sola, sine virilis seminis admistione, præbebit corpus quo se diuinitas circundet, & vestiat, viri formam in ea suscipiens. Vnde & benè vterus Virginis, quasi circulus omni ex parte integer, virum illum in se conceptum, non per coitum extrinsecùs immissum, vndique circundare dicitur. Totum quippè corporale Verbi indumentum, ex substantia Virginis est contextum, & vir ille, in ea quasi in circulo continuo fuit, quia eius integritatem, nec conceptus, nec natus dissoluit.] Reuocant in memoriam hæc Abelardi verba, quod de Incarnationis mysterio, intra Virginem, & in conceptus, & in partu inuiolatam, perfecto; diuinitùs expresso per orbiculum, è Zona Petroniæ non diffracta dilapsum, memorat S. August. 22. Ciuit. cap. 8. Eo enim refert S. D. miraculum prædictum; geminúmque est quod ad testandam sepulchri exeunte Christo integritatem, patratum Leodij, scripsit Rupert. lib. 8. de Offic. c. 4.

Quare (vt ad rem redeam,) Patres prædicti, ratione concepti Verbi Dei, circulum agnoscunt in Virgine, (si fas est dicere per Geometras,) infinitum? qui habitus sit & conclusus materno vtero, citra conclusionem, quæ est germana Incarnati Verbi notio.

VII. Nec Christi perfectiones, minùs benè hinc exprimuntur, iuxta Augustinum, Epist. 148. ex quo id illustrat, Laur. Landmeter. lib. 1. de vet. Cler. & Monacho part. 1. cap. 7. & iuxta illud Richardi à S. Laurent. lib. 7. comparantis Virginem cum cœlo, [quia orbiculare, & rotundum, & perfectionis circulo congyratum. Corpora siquidem cœlestia, formam sphæricam habent: sicut patet in in cœlo, Sole, Luna, & stella qualibet: & tali figura designatur æternitas, principio carens & fine, cuius appetitus & desiderium figura sphærica figuratur. Cuiusmodi appetitum & desiderium, habuit Maria præ omnibus creaturis. Vt de dictum est ei Lucæ 1. *Ne timeas Maria; inuenisti*, quod quærebas. Item quoniam orbicularis figura sine angulis est, in quibus duplicitas figuratur; simplicitatem designat; quam virtutem Maria habuit super omnes, quæ vnum petiit & accepit, sciens quod vnum est necessarium, Lucæ 18. De his qui sunt *duplices animo, & ideò inconstantes in omnibus viis suis*. Iacobi 1. dicitur Sophron. 1. *Dies Domini super angulos excelsos*. Id est, super omnes angulosos, & superbos. Per hoc enim remouetur ab ea omnis mala singularitas, & omnis immunditia; quia sicut dicit Bernardus, vbi singularitas, ibi angulus, ibi proculdubio sordes, siue rubigo. Vbi enim angulus, ibi non est planities. Sed ipsa, tota fuit æqualis per iustitiam, tota plana per mansuetudinem. Ibi enim est planities, vbi pars non supereminet parti. Item quia figura orbicularis, inter omnes figuras maximæ est capacitatis, rectè figurat Mariam, in cuius viscera se conclusit ille factus homo, quem non capiebat totus orbis. Nec solummodò fuit capax quantum cœlum, imò in se continuit ipsum cœlum. Vnde benè dicit Eccl. 24. *Gyrum cœli circuiui sola*. *Gyrum cœli*, id est illum qui claudit omnia; Christum scilicet, qui est gyrus ingyrabilis, circuiui gremio vteri mei, *sola*, id est sine consortio virili.]

Petrus Cellensis in morali expositione tabernaculi, per quatuor arcæ circulos, exponit Christi virtutes. Veritatem rotundam, & absque angulis, idest omnem sanctitatem, exhibet Stephanus Tornacensis epist. 1. Sordes quippè (vt ait,) non habet veritas, quia angulis in quibus sordes sunt destituitur, cum sit circularis. Nec si virtutes Christi ideàles sunt, siue exemplares, (iuxta Platonicam virtutum distinctionem, ac æternæ potiùs vitæ stabilitatem redolentes, quàm nostratem statum fluxum & labilem, abhorret circulus ab ea perfectione. Egregiè namque S. Basilius lib. de Spiritu S. capite 27. rationem reddens cur Ecclesia genuflexionem & luctum diei Dominicæ auerse[tur], ostendit, Dominicam diem esse imaginem futuræ vitæ & beatæ æternitatis. Itaque ait interpositum esse illud interdictum. [Quod is dies, videatur aliquo modo imago venturi sæculi. Ideóque cum sit principium dierum, non *primus* à Mose, sed *vnus* appellatus

appellatus est. *Factum est* (inquit,) *vespere & mane dies vnus*, tanquam qui in se recurrat, vt vnus sit idem, & octauus, vnum illum singularem, & verè octauum, cuius Psalmista alicubi in Psalm. meminit, per se significans: diem inquam post horũ temporum statum nunquam finiendum ac vesperæ nescium, nec successori cedentem, hoc est æternitatem, quæ nec finem habet, nec senium nouit, &c. Vnde & æternitatem similitudine refert, dum velut in motu circulari, ab iisdem orsus signis, in eadem desinit.] Liquet qua ratione circulus, perfectionem illam quæ in virtutibus summa planè, esse aut cogitari potest, exquisitè adumbret.

VIII. Haud difficile fuerit Verbi Incarnati perfectionibus exprimendis per circulum, accommodare omnia illa quæ de rota ad Scripturam sacram aptata, disserit S. Gregorius homil. 6. in Ezech. Neque enim Scripturam ipsam emortuam spectanit in illis S. Gregorius, sed totius Scripturæ scopum, & obiectum, Christum Dominum. Itaque exponens illud Ezech. *Apparuit rota vna super terram.*] Quid autem, (inquit,) rota, nisi sacram Scripturam signat, quæ ex omni parte ad auditorum mentes voluitur, & nullo erroris angulo, à prædicationis suæ via retinetur? Ex omni autem parte voluitur, quia inter aduersa, & prospera, & rectè, & humiliter incedit. Circulus quippe præceptorum illius, modò sursum, modo deorsum est, quia quæ perfectioribus spiritualiter dicuntur, infirmis iuxta literam congruunt. Et ipsa quæ paruuli iuxta literam intelligunt, docti viri per spiritalem intelligentiam in altum ducunt. Illustrat hæc variis exemplis. Tum subdit, [Rota ergò quasi per terram trahitur, quia paruulis humili sermone concordat, & tamen magnis spiritalia infundens, quasi circulum in altum leuat. Et inde sursum erigitur, vnde terram tangere paulò ante videbatur. Quia verò vndique ædificat, quasi per circulum rota currit.] Vides, (vt dixi,) hæc omnia appositissimè indecora, & perfectiones Incarnati Verbi cadere, quas rota siue circulus aptè præferat.

Hic est circulus positus in naribus Leuiathan, iuxta illud Iobi 40. *Numquid pones circulum in naribus eius?* Quod S. Gregorius l. 33. Moral. c. 14. accipit de subactione, & frænatione Satanæ per diuinæ protectionis, hominem circundantis, atque regentis virtutem, quæ nullibi ad coercẽdum Satanam illustriùs micuit, quàm in Incarnatione, in qua Deus posuit circulum in naribus Satanæ, vt huc transferam quod Isaiæ 37. dictum est de Rege Babylonis, *Ponam circulum in naribus eius* id est frænabo te, & circum agam, reducámque in glorium, vnde produsti. Similiter enim Verbum Dei tegmine carnis circumdatum, factus est circulus in naribus Satanæ, quo iniecto, omnis eius virtus repressa est, ipséque retrusus in Tartarum ne posset deinceps pro libito infestus esse mortalibus. Itaque non incommodè circulus ille frænans Leuiathan, Verbo incarnato accommodatur. Et verò circulum esse symbolum vltionis in aliquem exsertæ, & plenæ eiusdem subactionis, illustrari potest exemplo antici, & postici circuli ex gutta sanguinea efformati per S. Aigulphum, in Columbo proditore post cædem dirè patratam. Eorum circulorum vnum vir sanctus flexus impij proditoris precibus aboleuit, placato Deo, nempè damnationem æternam cuius exclusionem illi perdito exoraruit. Alterum verò circulum, qui nota erat pœnæ temporariæ per Clodouæum ac Ebroinum denique inferendæ, abolere noluit quantumuis rogatus. Quare frænatio idest compressio inimici, & sumpta de eó iusta vltio, rectè per circulum adumbratur.

IX. Quò item adduco, quod Philippus Presbyter l. 3. in Iobum ad illud, *super quo bases eius solidatæ sunt*; bases interpretatus viros sanctos, & fortia Ecclesiæ firmamenta, subdit, alium interpretem vertisse, *super quo circuli eius fixi sunt.* Rationem cur Sancti dicantur circuli, hanc reddit bellissimè Christo conuenientem. [Circuli rotunditas, figura est figuris cæteris pulchrior: nam circulus ex omni parte sibi est congruus, & æqualis totus: qui per semetipsum solidus vadit & integer, oculorúmque aciem per suum infinitum ambitum quo sine vllo fine super semetipsum currit, & inexplicabiliter ducitur. Hic igitur significare mihi videtur, hominem in nullo sibi aduersantem, neque ex parte aliqua oppugnantem, qualis erit in futuro beato sæculo, vbi caro concupiscens non sit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem; quamuis huius pacis beatitudinem, etiam in hoc seculo nonnulli Sancti ex parte præsenserint. Non quidem nullam interioris, exteriorisque eos in seipsis sentiendo discordiam, sed hostilem vitiorum exercitum resistentibus fortiter superando virtutibus, vt Helcana pater S. Samuelis, *vir vnus*, dictus est: sic itaque totus in se erit, sibique conueniens, & seipsum in se conuertens, & immobiliter in illa gloria, ac sine fine consistens.] Quæ totidem verbis ibidem leguntur apud Hieronymum.

De nullo hæc veriùs, quàm de Christo dicuntur, quippè & perfectissimo, & in vix quoque comprehensore; Et quia facilimè & absque remoris quibus nos bonum operamur, virtutum opera executus est Christus, optimè item per circuli rotunditatem signatur, vt in simili disserit Philippus Abbas, lib. 5. Cant. cap. 22. tractans manus sponsi tornatiles. Fortassis autem circuli illi tres qui circum Solem apparuerunt sub Christi ortum ex Dione Cassio lib. 45. quorum vnum spicea corona ignita circundabat, referuntur ad Verbi Incarnati expressionem. Sol enim diuinitatem, tres circuli tres diuinas personas adumbrabant, quarum vnam hoc est Verbum ambiebat spicea corona, quia Verbum per Incarnationem factus est panis viuus dans vitam mundo nominatim in Eucharistia. V. Onomasticum Eucharisticum. V. *Regnum Dei.* Vt de comedente exeat cibus, & impietas proficiat pietati, non omitto narrationem apud Cæsar. de conclusis intra circulum, quibus quandiù eo se continuerunt, plena immunitas fuit ab omni Satanæ malignitate. Circuli autem desertio, exitium creauit: habetur narratio lib. 5. mirac. cap. 4. Sic intra Christum se continentibus, nuo apponet inimicus nocere.

III. Armilla.

X. AB intellectu circuli, Armilla non discrepat, (ait S. Gregorius lib. 33. Mor. c. 14. quia ipsa hoc quoque vbi ponitur, ambiendo constringit.] Quare iure hic subnectam, quod Rupertus in cap. 1. Matth. de circulo simul, & armilla, ad hoc mysterium aptatis proponit, his verbis. [Christi genealogia, secundum Lucam, sursum ascendens textura genealogiæ prolixioris, tenera quasi circulus exurit, ita vt nihil rectiùs, quàm eiusdem generationis excursum potemus posse intelligi, in verbis illis quæ iisdem ad B. Iob. Dominus dixit, *Nunquid pones circulum in naribus eius, & armilla perforabis maxillam eius?* Quid enim

enim? Nonne cum sic incipit: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius, Ioseph qui fuit Heli*: Et sic finit, *qui fuit Adam, qui fuit Dei*. Nonne (inquam,) initium & finem coniunxit, & circulum fecit? Cum enim vno ductu linea sic flectitur, vt eius initium, & finis coniunguntur, nonne circulus V. G. qualis est armilla formatur? Ecce Iesus Christus de quo sic incepit. *Et ipse Iesus incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph*, Deus & homo est? incepit autem ab homine, & in Deo, ductus sui finem fecit. Nonne igitur quasi lineam siue virgam longè subtilem, siue subtiliter longam, auream, siue ferream, à Iesu Christo incepit, & in Iesum Christum reduxit, dicendo, *qui fuit Adam, qui fuit Dei*; cum vnus idémque Iesus Christus, & homo sit, nec alterius plasma fuerit Adam, quàm huius Dei? Verus igitur ô Diabole, iste est circulus, quem Deus in naribus tuis posuit. Ista est armilla, qua maxillam tuam perforauit. Iunxit se initium fini, id est Deus homini: & ita hæc sc. initium, & finis, occurrerunt sibi in vtero Virg. vt nares tuas transfixas, teneret firmiter circulus inflexibilis, & maxillam tuam voracem, perforaret armilla talis, armilla gloriæ, & honoris, vnde nunc vsque fatuus traheris, & quod auidè momorderas, retinere non valens, per maxillæ foramen emittis.] Magi inclusum armilla, primum pueri dentem, & semper in brachio habitum, grauibus malis mederi dicunt, teste Plinio lib. 28. cap. 4. omnibus planè malis nostris, medetur inclusus armilla carnis, Deus infans, factus nobis dens, Prædicator, & Doctor, iuxta D. Bernardi allegoriam.

IV. Corona.

XI. Coronæ nomine, habemus expressum hoc mysterium, Cant. 3. iuxta variorum Patrum interpretationem illis verbis aptatam. *Videte Regem Salomonem, in diademate quo coronauit eum mater sua. Diadema* namque, tametsi vox est cuius notio subinde est variata, tamen principio coronam sonabat, vt verbis illis expressit Curopalates lib. de Offic. Constantinopol. *pag. mihi* 100. [Quod nunc appellatur *Stemma*, id olim nominatum fuit *diadema*. Id autem erat textile aureum, cum lapillis, & Margaritis, positum ad Imperatoris frontem, & pone reuinctum cerebrum versùs; (quamobrem etiam dicitur *diadema*,) quod ea eo paulatim mutatum effectum est, quale videtur hodie, & nominatur *Stemma*. Quod autem nunc vocatur *diadema*, id olim *militaris zona* dicebatur, honorem indicans quo olim Tyranni, Christianos milites primùm priuabant, tum eos tortoribus dedebant.] Iuxta primæuam ergo diadematis notionem, Rex Salomon, diademate coronatus à Matre sua dicitur loco allegato ex Canticorum 3. Blesensis, serm. 19. Diadema de quo ibi accepit, pro duplici corona existimans id ferre Græcæ vocis notionem. Vnde coronam ait esse simplicem circulum aureum quo Reges vtuntur in minoribus solemnitatibus. Diadema autem ait esse circulum superadditum è gemmis pretiosissimis concinnatum, cuius vsus est in celeberrimis quibusque occasionibus. Sed hallucinatus Blesensis & quoad Græcam vocis notionem quam putat sonare geminationem, aut duplicitatem & quoad veram diadematis significationem quod fasciam vincientem aut religantem denotat: tametsi verissimum est quod Blesensis ibi prosequitur, esse in Christo duplicem perfectionum coronam, cum & naturalibus, & supernaturalibus perfectionibus micuerit. Coronationem ergo in diademate ad incarnationem, & Conceptionem Christi Dei, & hominis referunt multi, quos ad eum locum profert Delrius in literali expositione, & nominatim S. Ambrosius institut. Virg. cap. 16. S. Bernardus sermone 2. de Epiphania, & sermone 70. in Cant. Blesensis sermone illo 19. Petrus de Tarentasia in cap. 2. epistolæ ad Hebr. adducti in tractatione de Christo Rege gloriæ, quibus nunc addo Philippum Abbatem lib. 4. in Cant. cap. 6. [Diadema (inquit) Salomonis, carnis est passibilitas, qua illum coronauit intemerata matris virginitas, cum nouum quid Dominus fecit, & fœmina virum circumdedit, iuxta vaticinium Hieremiæ, Virgo tamen concipiens, & pariens, testimonio nihilominùs Isaiæ. Cuiusmodi caro, vel carnis passibilitas, non immeritò nomine diadematis honoratur, quia etsi in oculis caligantium, dedecus vel ignominia reputatur, tamen quisquis rectè intelligit quæuis turpia non digna Salomone, & intelligens diligit quis finis sit in huiusmodi passione; in carne quantus agon, quanta sit vtilitas in agone, profectò nomen ei attribuit non ignominiæ, sed honoris; non dedecoris, sed coronæ. Videmus, ait Paulus, *Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum*. Huic coronæ Virgo mater in vtero maternam ministrauit, ministratam docta manu artifex Spiritus fabricauit, eámque teauit in rotundum, opere de tam perfecto, vt incomparabiliter supereminear auro, lapidi, vel electro. Hanc Iudæus intuens, non nisi spinas æstimat, & laborem, infidelis considerans non habere putat speciem, vel decorem, oculus defæcatior, speciosum forma præ filiis hominum intuetur, non solum quia Deus est sed quia homo, hominum debitis non tenetur. Et quidem carnis materia, cum hominibus naturaliter est communis, sed eadem communitas à vitiis carnalibus est immunis, huiúsque mysterij virtute, in vnitatem sui personaliter nos admittit, semélque sibi iunctos, à se diuidi non permittit: Quod pulchrè diadematis rotunda signat perfectio, cuius integritatem, nulla prorsus abrumpit diuisio. Vnde & *diadema diuisionem demens*, signare perhibetur, quia nescit diuidi, quisquis huius coronæ ambitu continetur. In hac igitur corona, id est in carne sua, nos sibi copulat, & coniungit, & agonis participes ab honore, & gloria non disiungit. quam gloriam, Salomoni quodammodo mater dicitur impertiisse, cum Virgo Deum hominem in vtero creditur concepisse. Quis Virgini laudes non deferat, quis non dignam eius faciat mentionem, quæ coronauit, non auro, non lapide, sed carne propria Salomonem? quæ Regi consulit, vnde velit, & valeat gloriari, in quo vincat, & dignus sit victoriæ merito coronari.]

XII. Præclarè item Richardus à S. Laurent. lib. 3. *ferè in fine*. [Videte (inquit) Regem Salomonem, id est Christum verum pacificum, in diademate quo coronauit eum mater sua, B. Virgo. Aliæ siquidem matres, vinculo originalis seruitutis filios suos alligant: Ista autem magno decore originalis puritatis, & innocentiæ, istum filium coronauit, id est coronatum concepit, & peperit. Vel mater eius, gratia; illum enim, vt ait Augustinus, non mater concupiscentia, sed gratia genuit. Diadema quo eum mater ista coronauit, ex auro nobilissimæ sapientiæ, & gemmis virtutum pretiosissimis, quibus nullæ aliæ comparandæ, caput eius id est mentem decore admirabili instar coronæ seu

diadematis

diadematis circumcinxit. Vel, aurum diuinitas, argentum candida, & pura humanitas; argentum scilicet igne Spiritus sancti multipliciter examinatum. Lapides pretiosi, virtutum vniuersitas. Vel diadema ex auro purissimo, caro Christi per Spiritum sanctum fabricata, ex auro substantiæ virginalis: lapides pretiosi, virtutes creatæ. Vel per aurum mixtum argento, diuina Sapientia quæ se immiscuit argento, id est sibi aptauit corpus de substantia Virg. quæ fuit argentum igne Spirit. S. multipliciter examinatum. Et sic facta est corona de electro; ideò Christus comparatur electro propter aurum diuinit. sc. & argentum candidæ humanitatis. Ezech. 1. Nam fulgor diuinit. candore humanitatis quodammodo expalluit, non vtique diminutione aut læsione, sed nostræ cognationis contemperatione. Et nota, quod humanitas saluatoris congruè dicitur *diadema* quasi *duo demens*; scilicet principium, & finem, id est originale, quod est principium omnis mali, & pœnam æternam, quæ est finis ad quem tendit omne mortale peccatum. Vnde Apostolus ad Romanos 6. *finis illorum* id est peccatorum, *mors est*, æterna scilicet ad Romanos 5. *Sicut per inobedientiam, &c.* Ratione huius coronationis, dicit Salomon de Maria Prouerb. 12. *Mulier diligens, corona est viro suo.* Et ipse Christus Isaiæ 61. Secundum aliam literam, vbi nos habemus, *Quasi sponsum decoratum corona. Alligauit mihi mitram*, &c. Caput mitratum, Verbum Incarnatum. Vel mater hæc, synagoga quæ ipsum diademate spineo coronauit, Ioannis 19. vel hæc tota Ecclesia Sanctorum, de qua Apocalypsis 12. *Mulier in vtero habens*, quæ nunc eum quasi coronat de vitiis, sed in iudicio coronabit gloria, & honore. Quod autem sequitur. *In die desponsationis suæ*, quatuor his lectionibus conuenienter adaptatur. Dies enim desponsationis eius, est dies conceptionis, siue natiuitatis eius secundùm carnem. In vtero enim virginali, nupsit ei humana natura, sicut dicit Augustinus. Vnde dictum est in Psalm. 18. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*]

XIII. Iuxta supradicta, non egemus ea dilutione difficultatis, quam contra hoc symbolum huius mysterij, mouit, S. Gregorius ad eum locum Canticorum. Cum enim diadema, sonet gloriam eius qui redimitur diademate, non apparet quomodò Verbum Dei, quod assumptione carnis exinanitum est atque deiectum, dicatur redimiri diademate, & coronari per carnis assumptionem. Ad hanc difficultatem respondet S. Gregorius, idcircò assumptionem carnis dici Verbi coronam, quia ea assumptio est gloria nostra, qui Vnum quid cum Christo sumus, iuxta doctrinam Apostoli ab eodem S. Gregorio frequenter vsurpatam, & pulchrè initio expositionis in Ps. 4. Pænitentialem. Sed vt dixi, non est nobis necessaria ea expeditio propositæ difficultatis. Rectè enim pronunciauit Philippus Abbas, loco proximè producto, etiam ipsius Verbi summam gloriam & honorem cōtineri in assumptione humanitatis. Quid enim honorificentius & gloriosius esse Deo potuit, quàm sic se deprimere propter nos; tótque attributorum suorum manifestationem facere, exhibitione Christi sui; Idem optimè attigit S. Bern. serm. 3. de circumcis. Videsis quæ dico, tractans de eo Christi titulo, *Gloria in excelsis Deo.*

Est itaque Verbum in carne *corona*; Nec abs re Clemens Alex. 2. pædag. cap 8. agens de corona Regum Iudæorum sic scribit. [Porrò autem Reges Iudæorum, auro & gemmis composita & varia corona vtentes, Christi Christum in capite symbolicè gestantes, imprudentes capite Domini ornabantur. Lapis quidem certè pretiosus, vel margarita, vel smaragdus ipsum Verbum significat. Aurum autem rursus est ipsum Verbum abstersum alienū qui corruptionis virus minimè recepit. Atque ipsi quidem nato aurum obtulerunt Magi, quod est Regni symbolum. Manet autem hæc corona immortalis ad imaginem Domini: non enim veluti flos florescit.] Rursus inferiùs vocat Christum, *vniuersæ Ecclesiæ coronam* Nec dissimiliter Epiph. orat. de laud. Virg. ait eam, [gemmam Christum produxisse, & coronam regiam plexuisse.] Aptiùs ergo & iustiùs, diem Incarnationi sacrum, magnæ coronæ nomine donandum dixerim; quàm dies in Liberum solemnes, quorum eam fuisse vulgarem appellationem, testatur Tertull. lib. de coro. militis cap. 7. Quamuis enim Bacchus, quod Iustinus cum Tryphone agens prodidit, habitus sit aliter procreatus quàm cæteri mortales; iactatúmque sit, editum fuisse modo plane singulari; forsassis à Satana excogitato, vt Christi singularem natiuitatem obscuraret, & æquè fabulositatis insimularet? Tamen nihil monstrosis commentis, ad nitentissimā veritatem. Quomodo corona possit statui symbolum innocentiæ Christi, quia rotunda est & absque angulorum sordibus, consulendus Aluarus Pelagius lib. 2. de planc. Eccles. art. 14. *litera M*

V. Globus Imperatorius.

XIV A Vsim etiam coniectare, globum qui manibus Imperatorum præfertur, huc pertinere. Vnum id est ex Imperij dogmatis quod in vetustissimis nummis habetur expressum & ab Ammiano lib. 21. Constantij manui inseritur, sicut manui Maximiani, libro 25. Id verò quo pertineat, dubium est. Ex quo intelligitur non primum omnium Benedictum VIII. immisisse globum Imperij notam manui Imperatoris; quod fecit S. Henrico designato Imperatori cum is Romam aduentans à Benedicto obuiam veniente accepit pomum rotundum pretiosissimum ex auro fabrefactum, per quadrum pretiosissimis gemmis conuestitum cui desuper Crux aurea inserta erat: vt dum illud pomum Princeps inspiceret, admoneretur non aliter debere in mundo exercere imperium, quàm si virtutibus præfulgeret, dignúsque haberetur S. Crucis vexillo protegi. Quæ cum retulisset Glaber lib. 1. *sub finem*, addit piissimum Henricum ita munus Pontificium admisisse in magna procerum multitudine, & cœtu aliorum numerosissimo, vt tamen contestaretur nulli melius pretiosum illud Imperij insigne congruere, quam iis qui pompa mundi calcata, Christum expeditiùs sequerentur: protinúsque Imperiale illud pomum in Galliam ad Cluniacense Monasterium transmisisse. Suppetunt alia posteriora exempla pomi in symbolum regiæ potestatis. Qui Nicolai Gabrini res Romæ Clemente VI. Pontifice gestas describunt, narrant præter cætera specimina impotentis fastus in homine à popina, vel pistrino, (variant enim quoad hoc historici) ad summam potentiam euecto, cum solemni pompa, miles ad altare S. Petri fieri ambiuisset, processisse magno cum comitatu septem coronis quibus redimiri volebat, apparatis, quarum vna quasi ciuica veteri, quod ciues à morte seruasset; alia paleacea vt habet autor rerum Pistor, quod religionem

colere profiteretur, (æmolatus fortè coronam spiceam Fratrum Aualium de qua Plinius, lib. 18. cap. 2. & Agellius lib. 6. cap. 7. & aliorum de quibus Paschalius lib. 7. de coron. cap. 15. nominatimque Petri Aragonum Regis, de quo in candelabro sancto sepulturi V. *Regnum Dei.*) Tertia myrtea quod officia, & scientiæ obseruaret; laurea quarta, ob auaritiæ insectationem; quinta oleaginea ob subactam humilitate superbiam; sexta argentea; septima aurea. Præter eas coronas præferebatur in pompa sceptrum, ac etiam aureum pomum, quo significatum esse cultum iustitiæ, & populi libertatem, prodit qui hæc descripsit in Annalibus Henricus Spondanus ad annum 1347. At quomodò aureum pomum in Pompa Tribuni Augusti (sic enim se denominabat, ex Augustorum pompa vsurpatum, dicant assumptum ad expressionem cultus iustitiæ, & libertatis populo collatæ obscurum videtur. Quid enim cum cultu iustitiæ, & assertione libertatis? Veriùs in tumorem illum, & in vesicæ morem præ nonnulla ad horam prosperitate turgentem, *Candidatum aqua Spiritus S.* (sic se nominabat, vt est in historia de Gallis Pontificibus, pag. 90. Quadrasset pomum Fenellæ descriptum à Cardano lib. 12. de variet. cap. 56. Cum enim Kennetus Rex Scotorum, Eruthlinum Fenellæ filium, & Malconum Druffum Regem Fenellæ affinem letho dedisset, illa in statuæ artificiosissimè fabricatæ manu, pomum aureum insignibus gemmis compluribus locuples collocauit, ad cuius pomi attactum iacula statim pleraque erumpebant quibus certa mors inferebatur contingenti pomum; ipséque Kennetus nihil suspicans in Festercairij oppido, astu fœmineo in vltionem armato periit. Huiusmodi planè erat dominatus Tribuni Gabrini, vt in speciem illecebrositatem pomi præferret: quali captos longobardos eum poma à Narsete transmissa vidissent, squallentia arua sua lubentes vberi Italiæ solo commutaturos aduenisse scribit Paulus Diaco. lib. 2. histor. Long. cap. 5. Subdamus verisimiliora.

Vulgaris de notione globi Imperatorij existimatio, iam olim tulit significari ea pila seu globo, orbem terrarum, significarique ea figura orbem terræ, eiusque subiectionem ad Imperatoris dominium. Sicut Tamberlanes, vt subiiciendas sibi tres orbis terræ partes significaret, assumpsit pro tessera triplex O. Hoc de notione globi Imperialis apertè sensit Goffridus Viterbiensis in Annalibus parte 19 exponens ornamenta Cæsarum. Idem sensit Suidas V. *Iustinianus*, describens equestrem eius statuam, sinistra manu gestantem globum infixa cruce. Eum quippè globum, terram designare, ait Suidas, ob rotundam terræ formam; crucem autem symbolum esse passi in ea Christi, orbe toto per lignum regnantis, affirmat Nec aliter Procopius lib. 1. de Ædif. Iustinia agens de columna posita Iustiniano in Augustæo. Eadem passim est cæterorum existimatio. cui nolo opponere terram nequaquam esse exactè globosam cuiusmodi est pila Imperatoria. Innumeris enim & quidem permagnis cauitatibus vallium hiat, & immanibus collium ac montium tuberibus attollitur, quod veram globositatem excludit, non terræ modò, sed illius etiam molis quæ ex aqua, & terra coagmentatur Hoc (vt dixi) volo præteritum, ne seueriùs & iustò minutiùs inquirere in vulgarem de hac pila existimationem videar. Sed illud dissimulari non debet, absurdè pilam, seu globum, si orbem terræ designat exhiberi Imperatori. Quis enim vnquam siue Romanus siue alterius gentis Imperator, orbis terræ imperio potitus est, signantur fines Romanæ ditionis, vltra quos innumeræ prouinciæ superfuerunt, nunquam à Romanis subactæ, non modo ex iis quæ superioribus proximè sæculis innotuerunt, súntque sanè multæ, & vastissimæ, sed etiam ex iis quæ iam olim peruiæ erant, tam ad Orientis solas plagas, quàm ad Boreales. Nec licet fingere quod aliqui Iurisperiti Imperatoribus ablandientes sunt commenti, nempè plerasque quidem prouincias actu & re ipsa non subiacuisse Romano Imperio, ius tamen fuisse Imperatoribus in illas. Quod enim ius esse dicemus, pro quo nullus legitimus titulus, nullum fundamentum idoneum proferri potest? non donationis, non successionis hæreditariæ, non legitimæ electionis, non iusti belli. Videsis Antonium de Rosellis parte 5. Monarchiæ à cap. 3. Itaque ius illud est planè caducum, si in vniuersum orbem diffundatur, & ægrè retinent in maximam partem prouinciarum quæ Imperio Romano subiacuerunt, si habeatur ratio initij subiectionis. Ferè enim Tyrannicè oppressæ, & iugo dominationis grauatæ sunt, quamuis postea accedere potuit iustus titulus retinendi malè partum & nullo iure subnixum dominium. Sed nec illud comminisci possumus, pilam Imperatori præberi, quæ nota sit desiderij vt diffundat dominationem suam in orbem vniuersum. Hoc enim desiderium iniquum esset, & aduersans libertati innumerarum gentium suis viuentium legibus, & omni externo iugo exsolutarum, quas optare subigi & domari ab Imperatoribus, eius sit qui non iustitiæ, sed cupiditati & rapacitati inexplebili dominandi, aut superbiæ gentis suæ consultum velit; quod absit vt tribuamus sanctis plerisque Pontificibus qui in Imperatorum inauguratione globum de quo agimus adhibuere, aut Imperatoribus obtulere; qualem vnum vt præmisi, Henrico Imperatori à Benedicto Papa oblatum, aureum totum & gemmis pretiosissimis locupletatum; ab Henrico autem Cluniacum ad Monachos tanquam veros sui ipsorum Imperatores transmissum, describit Glaber lib. 1. histor. Itaque vt orbis terrarum per pilam Imperatoriá significetur, ægrè subsistit, tametsi ita fert vulgaris existimatio, ex qua factum est vt fur ille qui incredibili audacia, Bononiæ in Caroli Quinti per Clementem VII. consecratione, coram tali & tanto cœtu, in ipso altari furatus est globum, cum se Iiteratum ingessisset, Sacerdotibus, dictus sit, *furatus orbem terrarum.* Ex ea quoque populari existimatione manauit, vt nunc ei globo passim appingantur circuli tripertitè globum secantes ad significationem trium olim compertarum orbis partium, quibus circulis carent veteres Imperatorum globi qui in multis priscis numismatibus apud Gretserum tomo 3. de cruce lib. 1. toto, aliósque visuntur, sunt enim globi planè puri, nullis dissecti, aut distincti circulis, vel circuli segmentis.

Dixerit aliquis haud inuerisimiliter, pilam illam symbolum esse vertiginis humanorum Imperiorum quæ summa est, vt non secus circumuoluantur quàm globus aut rota. Nam etiam [illegible] prouerbio locum fecit, *rota fortuna.* In quam rem cum alia pleraque adducta sunt in Mora[illegible] 1. num. 330. & num. 151. ac 163. tum illud ex Glyca lib. 4. Annal. occasione acroamatis per Saltanum captiuum prolati considerandum est, non aliter se habere principatum fastigia quàm rotas curules, quæ sursum deorsúmque feruntur. Et affi-

oc

ne est quod comprimendo tumori Caiani Auarum Regis, victoriis crebris efferati, Theodorum legatum retulisse prodit Autor Miscellæ, lib. 17. & Nicephor. lib. 18. capite 29. Rutam trionis ad eandem mentem flectit Fulgentius lib. 2. Mithol. Facit eodem quod pecunia quæ principatuum veluti neruus, aut etiam anima est, ea omnium gentium vsu rotunda formatur, quia volubilis est, nec vspiam firma hæret, vt S. Augustinus admonuit ad Psalmi 83. titulum. Eadem igitur ea causa, idonea tessera, & percommodum symbolum vicissitudinis imperiorum, potest statui pila. An eodem spectarunt Magnates hyberni, quibus ea vsu iam olim fuisse in signum eminentiæ quæ certè semper hîc est rotunlis, nominibus suis literam O præfigere, scribit, Camdenus in Hybernia *pag.* 715. Quid si etiam eo spectauit O, appositum naui prætoriæ, in qua Brutus erat, vt scribit Appianus lib. 4. & Plutarchus in Bruto. Non displicet ea cogitatio, quam etiam protulisse videntur qui Victoriam globo insistentem pingunt, vt est in Ransbonensi numismate, apud Gretserum, tomo 1. de Cruce lib. 2. capite 14. & qui eam pingunt alatam, quæ est communis eius expressio apud Lilium Gyraldum Syntag. 10. Christiani autem vt vicissitudini illi principatus humani mederentur, conciliarentque imperio firmitatem, ferè superposuerunt pilę Crucem; nec recenti instituto, vt liquet ex benè multis perantiquis nummis crucigeris, quos Gretserus Tomo 3. de Cruce lib. 1. repræsentat à cap. 3. ferè per totum librum.

Tametsi ista non sunt inuerisimilia, tamen magis placet quod antiquus Chronologus Q. Iulius Hilarion. lib. de mundi duratione scriptum reliquit, nempe globum Imperatorium idipsum esse quod lapidem stanneum in manu Zorobabelis Zach. 4. Eum autem lapidem stanneum fuisse typum Christi Domini ac Verbum carne humana vestitum, ac veluti pro nobis ex infinito finitum factum & rotundatum exhibuisse, S. Cyrillus egregiè docet lib. 3. de ador. & ad hoc Zachariæ caput, vbi idem pulchrè tradit S. Hieronymus, consentiuntque ibidem Haymo, Remigius, Hugo, Montanus, Castro, magisque id approbat Ribera num. 24. vt proinde idem esse videatur globus in manu Imperatoris Christiani ac profiteri se Christi gratia & benignitate qui pro nobis contractus & ad patendum deiectus est, imperare. Confirmátque hanc opinationem infixa globo crux, ex Constantini Magni instituto teste Nicephoro lib. 7. cap. 49. vt significaretur, Christi per quem Reges regnant, principatus super humerum eius, quod regendi & principandi exemplar, æmulari debeant qui rerum inter mortales potiuntur; Et vt benè considerat Ciaconius lib. de signis S. Crucis cap. 37. Reges regnare crucis Christi participatione, atque virtute, & tandiù eorum principatum perstiturum, quandiù apud eos crux in apice fuerit, & ipsi ei fuerint subiecti. Fauet etiam, quod plerunque vt scribit Gretserus t. 1. de Cruce l. 5. c. 55. crux Imperatoribus pro globo fuit. Crucem autem pro Christo frequenter accipi, protritior est metonymia, quàm vt in eam profundere multa verba oporteat. Quare verisimile est, Christianos Imperatores, (vt de sententiis Poëtarum Ethnicorum à Paulo vsurpatis dixit Tertull.) sanctificare, & ad Christum referre voluisse vsum Gentilium Imperatorum, qui ad alterutram è duabus prioribus significationibus, malum aureum siue globum adhibuerunt, vt de Augusto testatur S. Isid. lib. 17. Orig. Impositam item Cæsari in Senatu sphæram habet Dio. l. 43.

V I. Annulus.

ANnulum Christi typum esse, attigit agens de annulo sibi dato Satisberiensis Epist. 158. Et idem multipliciter ostendo lib. 5. de Christo sect. 1. c. 4. post castrum Aggæi 2. Vbi Christum exhibet specie annuli signatorij, longè sanè concinnioris eo annulo signatorio quem sibi S. Auitus epist. 78. per S. Apolinarem Valentinum Episcopum fratrem suum, curari exposcebat, graphycè eum describens. Et verò Christus in manu Patris, veluti annulus signatorius ad omnia indulta obsignanda adhibetur. Sed nunc solius mysterij in quò versamur habenda est ratio. Incarnationem ergò per annuli impressionem, rectè adumbrari; constat ex autore sermonis de Deipara apud Athanasium, qui ait. Vt annulo signatorio species aliqua effigiatur, quam & imaginem expressam & sigillum appellamus, nihilque quatenus ad suos pertinet, deficit ab exemplari suo: Ita quoque filius eandem cum Patre formam gerit. Non enim euariat impressa imago ab imprimente signaculo, sed incommutabilis perseuerat, iuxta sculpturam annuli, siue in cera, siue in auro signaculum illud effigiatum sit pro ratione regij numismatis. Ita quoque diuinus character Filij, substantiæ Patris incommutabile sigillum est, ferens omnia verbo potentiæ suæ, secundum suum ipsius exemplar, carnique suæ quasi ceræ eum typum formámque impressit. Non enim est impossibile, vel incredibile, vt tempore Patris voluntati grato, vti character, (siquidem & character est,) Incarnationem in se configuraret qua veluti pro cera, aut quasi pro auro vsus videri potest; quemadmodum totum illud mysterium ineffabilis huius, & inenarrabilis Incarnat. nónihil subostédit.

Opomè item, & in rem nostram conuenientissimè Richardus Victorinus in Psalm. 71. Agens enim de terra illa in quam stillarunt stillicidia cœlestia, præfatúsque in ea inueniri aurum optimum; eius verò auri conflatorem ac mundatorem, esse Spiritum S. subdit. [Huius sanè operatione, in ventre virginali conflatum est aurum, & decoctum ad purum, natura humana purgata, & ab omni labe mundata, Verbo vnita & in vná personá coniuncta: In hoc conflatorio, & ex huiusmodi auro, formatus est annulus, lapis pretiosus anima Christi, figura & imago Patris, diuinitas Christi, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, nihilominus tamen humanitati nostræ est vnitus, vt ex duabus naturis tribúsque substantiis, esset quasi in vnum annulum iunctus, Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, & fieret dextræ excelsi ornatus. Huius annuli signaculo, signatum est illud edictum, vel chyrographum, in quo liberata est captiuitas Iudæorum. Hic est annulus Aman Principi ablatus, & Mardochæo regia clementia commissus, & quem hæretica peruersitas perdidit, ordo Chatholicorum Doctorum acquisiuit. O si quis in nobis, factus filius prodigus; qui dudum mortuus est, & iam reuixit, perierat, & inuentus est, *Date hunc annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius!* O quanto honore vnusquisque nostrum in hoc annulo donatur, quandoquidem in eiusmodi ornatu, & ipse Pater gloriatur.]

Breuiter Richardus à S. Laurentio l. 12. de Deip. [Beata Virgo, sicut cera amicitur sigilli charactera, cera videlicet informis, & rudis. Eius enim figura est.

est substantiæ eius, id est Patris, Hebr. 1. Quis ergò dubitat, cor Virginis & brachium huiusmodi figura impressum, & ita sigillo Patris, qui Filius ipse est, insignitum? Et hoc est quod filius dicit, tam Mariæ, quam fideli animæ, Cant. 8. *Pone me vt signaculum* super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.] Est annulus iste pretiosissimus, eóque pretiosior annulo supra omnem comparationem, quo Iuliana matrona Constantinopolitana ditissima, & piissima, inhiantem auro suo Iustinianum elusit, vt narrat Gregorius Turonensis libro primo, miraculorum, capite 103. Aurum enim quo abundabat, in ornatum ædis sacræ Beati Polyeucti Martyris transtulit, vniuersis tignis auro in tabulas malleato obductis. Iustiniano autem ad auri sui conspectum euocato, ne planè vacuus, & indonatus abiret, annulum è digito suo extractum, lapide Neroniano miri splendoris, ac nitoris instructum, dono dedit, pretio superantem vniuersum aurum in sacræ ædis exornationem collatum, tametsi copiosum. Superat infinities annuli illius pretiositatem, Christus annulos.

Hoc annulo diuinitùs collato, restituta est homini sapientia quæ excidit cum peccando obbrutuit. Vbi verum comprobatur, quod falsò iactatum est in l. Arabico ex Hisp. Bibliotheca Columbi, de Salomonis annulo prolapso in Iordanem, cum is ad fluminis ripam inambularet. Illicò enim Salomon veluti truncus obstupuit. Sed postea annulo intra piscem exenteratum deprehenso, ac restituto Salomoni, reuenit anterior sapientia. Nugæ, Nugæ. Sed in Verbo incarnato quod plusquam Salomon fuit, veritas in eo figmento desiderata emicuit.

Quando huc fabellam Iudaicam aduocaui, fas item esto fabellam Ethnicam ad hoc negotium accommodare. Annuli inuentum Hyginus l. 2. Astron. Poët. & Plinius in præfatione libri 37. referunt ad furti pœnas dantem, & idcircò in carcere Caucasio tentum Prometheum. Et Plinius quidem, contestatus admirationem suam, vnde mortales tantoperè exarserint affectu erga gemmas, quas annulis conserere ex vsu iam olim fuit, addit. [Fabulæ primordium à rupe Caucasea tradunt, Promethei vinculorum interpretatione fatali, (an *fossili* vt alibi legitur?) primúmque saxi huius fragmentum, inclusum ferro, ac digito circundatum. Hoc fuisse annulum, & hoc gemmam.] Rectè *Fabulam* vocat, & hic lib. 33 cap. 1. vbi notat, annulum quod memoriæ causa, (vt Hyginus supra ait) indicta esset homini eius gestatio, ne culpæ, & exsolutionis recordatio excideret, antiquos intelligi voluisse, vinculum non gestamen; Vinculum tamen simul, & gestamen fuit, iuxta Mythologos in prima vsurpatione: vinculum quidem, quia portio erat catenæ ferreæ qua fur Prometheus tentus ac religatus in Caucaso fuerat, gestamen verò quia iussus est annulum ex ea materia confectum gestare, parte saxi Caucasei ferro consarta, vt nunc gemmam annuli loco committimus.

Nihil opportuniùs ad rem præsentem. Furti reus homo; nam Dei gloriam rem vtique pretiosissimam inuito Domino abstulerat, & suam facere tentarat. Itaque ferro carceri mancipatus, plusquam adamantinis alligatus, in tenebris, & vmbra mortis iacebat, & iacuisset in perpetuum, nisi Deus miseratus figmentum suum, exsolutionem præstitisset interuentu Christi, in quo tanquam in annulo, & catena ferrea rotunda, & lapis consertus nectuntur. Ferrea catena rotunda, diuinitatem aptè signat, & duritie indomabili & rotunditate, quæ principio, & fine caret; sicut à diuinitate abest initium, & finis. Et idcircò annus quia in se reuoluitur (iuxta Varron. ex quo profecit Isidorus,) rotunda & orbiculari forma expressum voluere antiqui. Nominatimque Ægyptij, draconem in se flexum, & caudam mordentem, anni symbolum statuerunt. Est porrò *annus*, orbis maior ex variis circellis coagmentatus, quorum quilibet, *annuli* nomen tulit, vt nonnulli grammaticantur. Annulus itaque, quoad ferreum orbem quo constabat initio, aptè accommodatur Deitati in se semper retortæ, (vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus,) & nec principium, nec metam sortitæ. Petra verò siue saxeum fragmentum Diuinitati per Incarnationem commissum, humanitas nostra est, de qua aptè accipitur illud, *Emitte Agnum Domine, Dominatorem terræ, de petra deserti*. Et priscum symbolum apud Iulium Firmicum Θεὸς ἐκ πέτρας, eodem pertinet.

Inseratur hic annulus digito quarto, è quo vena ad cor pertingit, iuxta Gellium lib. 10. c. 10. & Macrobium 7. Saturn. cap. 13. reiectos de Anastasio Germonio lib. 2. animadu. cap. 8. Vel quod magis in gestatione annuli per Christianum, probat Clemens 3. pedag. capite 11. inseratur minimo digito, vt sic perpetuò obuersans visui nostro, nunquam è memoria excidat, quod Deus maximè commendat, estque nobis longè vtilissimum. Sic enim annulati, ad magna quæque suscipienda, & conficienda idonei erimus; suprà Gygem felices, qui annulo instructus præstante inuisibilitatem, magna, & mira, sed dira, & sceleris referta patrauit, iuxta Mytologos, bellè à S. Ambrosio 3. Offic. capite 5. ad vsum morum accommodatos. Arcebit hic annulus piè gestatus, omne venenum; qui plerumque certorum annulorum est vsus Magnatibus, gemmam bufoniam, aut alias quasdam annuli locello insertas in eum finem gestantibus vt veneni præsentiam deprehendant, mutatione subita coloris facta in gemma, vel sudore per eam emisso. Vnde Poëta

Annule qui pestem, fædumque arcere venenum
Pectore, qui philtri diceris esse loco.

Suscipit hæc vulgus in lapide Bufonis, siue Gatantronio, vt refert Anselmus Boodt lib. 2. de gemmis, cap. 151. qui addit, eundem lapidem insertum annulo perforato ad cutis vsque contactum, si adsit venenum, cutem calefacere. Ex qua per huiusmodi lapidem dignotione veneni, pretium eius grande, & assidua per Magnatum plerosque gestatio existit, licet admodùm ingrato sit colore. Similia de lapide cui nomen *Ouum anguinum* idem Autor l. illo 2. cap. 174. qui quod sudorem ad præsentiam veneni in hisce lapidibus aliò referre tentat minùs videtur satisfacere. Vt vt sit, annulus de quo agimus, si piè gestetur, arcebit procul omne venenum, quia nullum est virus lethale quod cum peccato graui componi possit. At quis non auertatur à quocunque peccato si recogitet attentè, hunc fuisse scopum Incarnationis, vt destruatur peccatum, & inducatur iustitia sempiterna?

Adnectamus ad hunc annulum [illegible]s., & horas omnes vitæ nostræ. Fuit Carolo V. horologium in annulo, cũ suis libramentis currentib. ac recurrentib.

rotulis

totalis artis prodigio concinnatum, & quod fuit portentosæ industriæ specimen, annulus sic compactus, non grauabat gestantem digitum, ita vt fatisceret. Leuabit nos suauis cogitatio captomptæ pro nobis in Mysterio Incarnationis, diuinæ bonitatis. Ex hoc contuitu, suppetiæ nobis ad vitæ directionem ac compositionem abundabunt. Ideòque sapientes oculos perpetuò in hunc annulum defixos habent. In quem sensum Gregorius Nissenus hom. 5. in Ecclesiasten, accipit illud Salomonis. *Sapientis oculi in capite eius* (Verbi Dei corporati) *oculi stultorum in finibus terræ.* Idem seruasse Iobum cum diceret, *lux vultus mei. non cadebat in terram,* obseruat S. Gregorius 10. Moral. cap. 3. Habere perennem S. Meletij memoriam quærentes Antiocheni, eius imaginem annulis insculpebant, vt testatur S. Chrysost. homil. de eo Idque sapientiùs fecere Antiocheni, quam qui Alexandrum aliáuè quorum obliuisci nunquam vellent, præferebant in annulis. Multa exempla signat Alex. Neapol. lib. 2. Genial. cap. 19. & Georgius Longus lib. de annulis signatoriis, ac plenè Leo Allatius lib. in Fesul. de Hetrusc. antiqq. numero 23. sed nulla fructuosior obseruatio quàm Verbi Incarnati. Itaque annulo mystico assiduè gestando, est insculpendum Idque erit pignus remissionis peccatorum, quale accepit S. Attilanus Episcopus Zamorensis, cum annulum à se in flumen proiectum, cum contestatione nolle eum à se recuperari, ante peccatorum suorum abstersionem plenam, eum denique in pisce quem caenitabat, inuenit, post biennium suæ ad pœnitentiam agendam secessionis. Rem narrat Lucius Marinæus lib. 5. de rebus Hispan.

Egi hactenus de annulo in vsu communi. Singulare verò fuit quod Carolo Magno pro annulo signatorio fuisse proditur ensis pila capularis, vt scribit Carrozetus in opere de dictis ac factis Caroli Magni. Sed quod ea quoque pila rotunda sit, & Christus ensis ac framea Domini, sæpè sæpius denominetur, haud operosum est, eum quoque Caroli annulum, ad Christum transferre, & illam ensis glandem, pro obsignatione diplomatum adhibitam pro O figurali recensere.

VII. Vnio, siue *Margaritum.*

IN hoc Incarnati Verbi symbolo illustrando, moltus fui lib. 3. de Christo sect. 3. cap. 4. Quare nunc sat erit rem breuissimè attingere, signatis Christi, & margariti paralleis. Tametsi autem non sunt omnes vniones figura rotundi, atq; adeò non omnes præferunt O literam, cui hanc dissertationem addiximus. Idcirco tamen hic inter orbicularia Incarnationis symbola, vnio referendus fuit, quia per se loquendo & spectata origine sua rotunditatem sortitur. Nam orsus ab initio permodico, ac velut atomo excrescit per nouam semper materiæ confluxum, facto accessu non ad vnicam partem præiacentis materiæ, sed ad totam, atque adeo (nisi quid per accidens obstet) orbiculariter augmenta varia per multiplices quasi cutes suscipiendo: Vnde illi apud Latinos *vnionis* nomen obtigisse videtur Nec enim audiendus est Solinus cap. 56. qui ex Plinij loco lib. 9 c. 35. perperam intellecto existimauit, vnionem dici quia vnicos, ac solitarius innascitur ostreo. At constat pro materiæ copia, omninò multa grana simul generari, notatque Mathiolus ad l. 2. Discoridis c. 130. ac etiam plura grana in eodem ostreo simul aliquando deprehensa. Sensus autem Plinij vt benè vidit à Costa lib. 4 histor. Indic. cap. 15. & Aldrouandus l. de testaceis, cap. 42. tantùm fuit vnionem maiorem rarò sibi æqualem sortiri. Vnde si quando par vnionum grandium occurrat æquale multo magis augescit eorum precium, vt sunt visui ad pendendum ex auribus.

Esse porrò Christum, illo item modo vnionem denominandi qui Plinio inde tribuitur verè vnionē nemo non videt. Nam nec primum similem visus est nec habere sequentem. ipse singulariter semper fuit donec transiret, & solitarius in tecto est, sicut in terra fuit, quæ de Christo accipit S. Paulinus epist. 16. Nihil cum eo componi, nihil ei adæquari, aut in eius consortium venire, siue in hominibus, siue in B. Spiritibus potest. In quam rem, egregiè disserit S. Gregor. lib. 18. Moral. c. 36. & sub alia allegoria in c. 3. Canticor. vbi imitatus Origenem hom. 2. in Cant. qui dixerat Christum esse vt malum inter ligna syluarum, quia *ad Christum saltus est, omne quod dixeris*, affirmat alios præ Christo esse arbores syluestres; Christum solum esse arborem mitem & vtiliter frugiferam: quam etiam allegoriam fusè prosequitur Philippus Abbas lib. 2. in Cant. c. 21. Vt verò insistam allegoriæ propositæ de margarita, sunt quidem pleræque bonæ margaritæ quas homo negotiator quærit, sed vnica est pretiosa cum qua nullius alterius potest fieri contentio, pro qua comparanda, Sapiens institor nulli parcet sumptui. Ratiocinatio est Origenis tract. 13. in Matth. vbi Sanctos quosque, agnoscit pro cœlestibus margaritis, quæ cœlesti rore concipiunt in corporis ostreo, verboque veritatis fiunt cœlitus grauidæ, iuxta vulgatam sententiam de margaritarum procreatione mox excutiendam. Christum verò ait esse pretiosam illam cæteris maiorem margaritam concham omnium ducem, & à nonnulla adæquabilem. Assumit enim Origenes ex protrita de margaritis Indicis narratione, esse inter margaritas, vnam omnium maximam, erutam è maxima omnium cochlea, quæ cæteris cochleis velut armenti dux præest, talisque fit, vt ea capta ab vrinatoribus, cæteræ nullo negotio prædæ quærentium cedant. Componitque Origenes eam cochleam cæterarum turmatim sequentium ducem cum Rege apum, qui eorum examini præest, & reliquis est longè præcellentior. Itidem Christus margarita est maxima, & omnium pretiosissima, cum qua nulla alia iure componi possit, ac proinde est absolutè ac simpliciter *vnio*, iuxta protritam ex Plinio rectè intellecto *vnionis notionem*, quia vnicus est, & alij ad eius consortium, & societ. sunt inepti.

Iam circa vnionis generationem, variatum est sententiis. Et quanquam perinde est cui quis adhæreat quoad præsentem, quia omnes sententiæ æquè commodant adumbrando Incarnationis mysterio per *vnionem*, vt dictum est sect. illa 3. cap. 4. Tamen vera sententia fert margaritam procreari congelatione crassi humoris intra concham, vt rectè concluditur in Annalibus Malabaricis editis anno 1645. *pag.* 65. reiecta vulgari narratione, ex Plinio hausta libro nono, capite trigesimo tertio, quod vnio formetur ex illapsu roris aërij in conchylium, aut vt aliqui apud Tetzen Chiliad. 11 &c. asseruerunt, ex coniunctione fulgetræ cum aqua à quorum neutrum congruit veritati: quandoquidem conchylis quibus vnio innascitur, admodū profundè in mari delitescunt, aut saxis aut sabulo affixa, ita vt summus sit vrinatorum labor, vt ad ea perueniant; nec raro intercluso halitu in illis latebris

suffocentur, cum per quandrantem, nec raro per semi horam compressetint respirationem. Tantum quippè temporis est illis necessarium, ad emetiendam illam capedinem, vt Iosephus à costa notauit 4. histor. Ind. cap. 15. Quomodò ergo conchylia in ea profunditate semper hærentia, finguntur sursum ferri ad excipiendum rorem defluentem, vel ad subeũdum fulgetræ contactum? Fortassis autem popularis illa imaginatio, de vnionis generatione per affluxum humoris è cœlo demissi, inde manauit quod cauitas conchylij in qua procreatur vnio, sit cærulei coloris & quodammodo cœlum referat; Vnde apud nonnullos Isidorum allegantes nomen *vnionis* est *Eccaole*. Non est ergo quod ambigatur de vera procreatione vnionis intra concham; ad modum quo Bezaar lapis in capris Indicis, & in humani corporis vesica, ahbique intra corpus humanum generantur lapides, vt benè philosophantur Anselmus Boodts lib. 1. de gemmis cap. 37. & Aldrouandus lib. de testaceis cap. 48. nec video opus esse cum Ruæo lib. 1. de gemmis cap. 13. variam pro cœli constitutione margaritam originem admittere. Tametsi autem exteriùs pro qualitate materiæ candicat margarita, tamen interiùs rubescere cernitur, si lumen ei admotum penitiùs peruadat, quod à materiæ affectione prouenire non est dubium. A materiæ item copia oritur vnionis magnitudo. Petrus Martyr. dec. 1. lib. 8. in Solon Insula, repertum ait vnionem Magnitudine oui gallinacei. At consaluus Ouiedus lib. 19. histor. Indic. cap. 8. vniones quosdam Regiæ coronæ insertos, fuisse ait magnitudinis oui anserini. Apud Ouetensem lib. 19. histor. cap. 8. memoratur vnio pyri magnitudine. Sed & Anselmus Boodts cap. illo 37. visum abs se ait in Rodulphi Secundi corona vnionem omni decoris specie absolutissimum, qui mole æquaret pyrum muscatellinum.

Et hîc quoque apodosis est perspicua. Nam Christus intra concham Virgineam absque suppeditata per virum materia coaluit sine absque manibus, vt Daniel verecundè dixit. Sola Deipara omnem materiam subministrauit, & inde formatus est Christus in mystico cœlo. Nam frequens est Patribus, *cœli* nomine decorare intemeratum illud conceptaculum de cuius laudibus dicta sunt omninò multa lib. 5. de Christo sect. 1. cap. 5. *Concham veri margariti* denominat S. Athanasius quæst. 19. ex vltimis. Et eodem recidunt quæ ad hanc nitentissimam vnitarum naturarum officinam, Proclus homil. de Christi Natiuit. omni elogio cumulandam protulit.

Rubedo medullium ac intimum margariti vnde eius efformatio incipit grata varietate afficiens, commodè referetur ad ardens patiendi pro nobis desiderium, quo Christus sanguinem suum, tam à primo momento sui esse, nobis addixit, iuxta illud, *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam* de fundendo pro mortalibus sanguine *in medio cordis mei*: quod ad primam illam voluntatem in qua sanctificati sumus primordialiter, retulit Apostolus Hebr. 10. Hæc tamen purpurascentis intus margariti dispositio nihil officit exquisito eius albori, quo nitor Christi sanctus, & inexplicabilis puritas ab omni illuuie libidinis quàm remotissima insinuatur. Quid si verò hac ex causa, huic suo typo, & symbolo contulit Christus, vt frustra ac non absque vitæ discrimine, qui luxuria sordet ad opus piscationis margaritarum se accingat? Ita enim disertè scribitur in Annalibus Prouinciæ Peruanæ anni 1607. cum de sede Panamæ. Verba illius Annalis repræsento, ne quid supra fidem effari videar. [Hic margaritis piscandis operam suam Hispanis locant sexaginta ferè Æthiopes qui eas conchyliis inclusas, subtus aquas solertissimè rimantur. Noctè omnes ergastulis attinentur. Si enim rem cum aliqua habuerint, aut caput limarint, aut iterum in mare iactum faciunt, aut si in pelagus se vt vrinentur, librent, magnam è naribus auribúsque vim sanguinis profundentes, vitam desinunt propagare; miram inde castitatis dignitatem, haud obscurè licet odorari, vt si illam exueris, pretiosam quæ in Christi campo margarita delitescit, assequaris minimè.] *Limare caput* fœdum commercium sonat, vt multis veterum locis astruit Nonius V. *Limare* itaque docet hæc narratio quàm abhorreat à carnea illuuie piscatio margaritarum.

Et apud Chrysostomum legere memini, loco qui nunc me fugit per Librarij mei incuriam. Sanè si iuxta Origenem, lib. 2. in Iobum ad illud *exiuit à facie Domini*, adamas quod esset typus Christi certis prærogatiuis Christo congruentibus donatus est, & ex quo functus est munere Christum exhibendi, hoc est post aduentum Christi, esse desiit; (verè an falsò hæc dicat Origenes non laboro, contentus referre quod dicit;) quidni similiter liceat, vnioni tanquam Christi imagini eam vim censere attributam, vt à sordibus animam per corpus dehonestantibus abhorreat? Castitatis regnum post Christi aduentum Method. l. de castitate, contractus à Photio Cod. 237. egregiè describit, eo accommodans Rhami in Regem assumpti parabolam.

Affectio margariti, læuorem eius ac rotunditatem consequens est, quod ex omni parte pertundi ac forari potest. Hoc ad Scripturam sacram accommodauit antiquorum non nemo, quia scriptura in tam multos sensus potest accipi, quanquam non eum eadem semper efficacitate, tamen semper cum fructu, vt benè præter cæteros prosequitur Iosephus à Costa lib. 3. de Christo reuelato ferè toto. Sed non minùs commodè, potest ea vnionis affectio accommodari Christo, quatenus factus est vt esset omnibus omnia. Insigniter hoc versat S. Chrysostomus homil. 14. in Epistol. ad Rom. Tractans enim quod Apostolus, Christum nobis esse pro indumento debere præscribebat, ait; [Vult animam nostram illi domum esse, illóque nos veluti vestimento circumdari, vt is omnia nobis, sit siue interna, siue externa respicias. Est enim plenitudo, omnia in omnibus, adimplentis; Est via, est vir, est sponsus, est radix, potus, cibus & vita est Apostolus summus Sacerdos, præceptor, pater, frater, cohæres, & sepultura nobiscum, & cruce communicans. Est etiam supplex pro nobis factus, & ad Patrem aduocatus noster est: Dominus etiam simul, & hospes & amicus: Et fundamentum est, & lapis angularis, & nos ipsius sumus, & membra, & agricultura, & ædificatio, & palmites & cooperarij. Quid enim nobis esse non vult omnibus modis nos sibi conglutinans, & coniungens? Id quod vehementer amantis est.] Non minùs scitè Cyrillus Hierosol. catech. 10. [Vnicuique (inquit) varius fit Saluator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione, & lætitia illis fit vinea; qui opus habent vt ingrediantur, his constituitur ostium, & qui caperent offerre orationes, illis fit Mediator Summúsque Sacerdos. Rursus habentibus pec-

cata,

cata, fit ouis vt pro ipsis mactetur; & omnibus fit omnia, ipse idem naturâ permanens qui est.] Eadem Ambrosio meus lib. 3. de Virgin. cap. 17. omni animæ in quocumque demum statu, & quomodocunque affectæ, Christum omnia esse sic demonstrant. [Omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si grauaris iniquitate, iustitia est; si auxilio indiges, virtus est, si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est.] Eadem apud S. Paulinum frequenter occurrunt, & nominatim Epistola 29. nec non apud Bernardum, qui in hoc de Christo omnibus omnia facto obseruationi adeò frequens est, vt frustra vnus aliquis ex eo locus sit singulatim signandus. Ista igitur proportionem seruant, cum margarita forabilitate vndecumque.

Non possunt prætermitti insignes margariti effectus, in quibus præclara eius cum Christo correspondentia cernitur. Margariti effectus recenset ad hunc modum Anselmus Boodts, lib. 2. de gemmis cap. 38. [Margaritæ, cor, spiritúsque vitales roborant: proinde venenis omnibus, pesti & putredini resistunt, animum exhilarant, cordiacos, & melancholicos affectus ac syncopem tollunt, cordísque substantiam, ne extabescat, legitimè præparatæ conseruant. Phtisi, marasmo, febréque ardente, aut pestilentia correptis, ob id vtilissimæ sunt. Valent præterea contra sanguinis fluxum, omniáque alia alui profluuia. Cerebrum, neruósque roborant, & oculorum lachrymas butyro recenti commixtæ, palpebris superioribus inunctis, aut collyriis additæ, exsiccant. Lac muliebre emendant, augéntque.] Hæc ille, solitus à gemmarum effectibus recidere quæ inaniter iactantur, vel ex superstitione anili, qualia apud eruditum Albertum, Encelium, Marbodæum, & non paucos alios, varia & multa. Non est quod in his effectibus anxiè Christo erga nos accommodandis laborem: sunt enim per se manifesti. Ipse, cor hominis confirmat; ipse ne deficiat in nobis spiritus vitæ, abundè prouidet. Ab eo hilaritas animi, & contra quoduis spirituale venenum præsentissima & efficacissima vis alexicaca. Aduersùs pestem mysticam factus est nobis peripsema, qualis ille apud Massilienses quondam homo piacularis, de quo Seruius ad illud tertij Æneidos. *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?* Peripsema dixit Apostolus. 1. Corinth. 4. *Hominem sacrum* veteres, vt est apud Macrobium lib. 3. Satur. cap. 7. Καθάρμα Suidas, & ex aliis Græcis Budæus, in Pand. ad cap. 5. de pœnis, *pag. mihi* 233. Sicut ergo hic homo piacularis, Neptuno hostia factus, & deiectus in mare, propulsabat pestem cuius vniuersum virus in se attrahebat, ita Christus victima nostra in abyssum cruciatuum deiectus, (viuus tamen semper, id est purus ac innocens, vt S. Augustinus 18. Ciuit. cap. 23. de Christo in huius mortalitatis abyssum demisso philosophatur;) depulit luem grassantem, ac exterminantem genus humanum. Ipse cordis rabem propulsat, factus cordium salus, & *cordificans* nos, vt Nissenus homil. 8. in Cant. legit; quod editio vulgata habet, *vulnerasti cor meum*. A Christo fluxus sanguinis nostri; & hæmorragia spiritualis de qua dictum est, *sanguis sanguinem tetigit*, potenter cohibita, cerebri firmitas id est sanitas iudicij de caducarum rerum statu inducta, ardor febrilis concupiscentiæ temperatus; siccatæ lachrymæ, & mœroris perpetui vestetia sublata, lac ad crescendum in salutem partum & benè digestum suppeditatum. In summa omne genus mali ab eo depulsum, omne boni genus conciliatum, ita vt nihil desiderari possit ad vndecumque absolutam margariti & Christi penes vtriusque effectus consensionem. Sed in re obuia non est quòd diligentiam probem.

VIII. Ouum.

XVI. MVlta omninò in hanc rem adduci possunt ex Georgio Stengelio lib. cui titulus. *Oua Paschalia*, Emblemate 12. 13. & 14. vbi etiam de Christi virtutibus ouo expressis multa addensat, Emblemate 15. 16. 17. 18. 19. Ego quæ mihi ante visum opus Stengelij de hac rē annotaueram, repræsento.

Oui imagine, Incarnati Verbi mysterium, exponit Rupertus lib. 9. de process. Spiritus sancti cap. 6. negans id sibi primùm in mentem venisse. Expendens igitur factam in Deipara Christi conceptionem exclamat. [Quomodò factum est istud? quomodo ædificata est ista domus? *Malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domō cum ædificaretur*; Sed in secreto silentio, nulla interstrepente humani operis inquietudine, Spiritus sanctus qui in principio ferebatur super aquas, in Beatam Virginem superuenit, eiusque vtero ineffabiliter obumbrauit; in modum volucris ouum subiectum desideratissima incessione calefacientis. Qua tamen similitudine, nisi ante nos præsumpta fuisset, fortè nostra infirmitas in tanto mysterio vti non auderet. Tunc itaque factum est illud quod Psalmista canens prædixerat, *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculata sunt. Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.* Denique misericordia Spiritus sanctus est, veritas Verbum Dei, Filius Dei est. Iustitia, Christus Dei Filius est; pax, id est remissio peccatorum, Spiritus est. Quò vel ad quid talis iustitia, & talis pax osculatæ sunt? Quis me hoc interrogabit? vel quis idoneus, vt ad hoc respondere possit? Interrogarem & ego aliquid, quod longè minus est, & tamen neque verbis explicari, neque sensu hominis comprehendi potest. In nido volucris, ouo subiacente, quomodo & ipsum corpus volucris, & concretus ex ouo fœtus, obuiant sibi? Neque enim subsidentis corpus volucris in semen conuertitur, aut à natura sua diminuitur, vt similis illi fœtus nascatur; sed calore corporis subsedentis ouum animatur, & succus eius in volucrem similem formatur: sicque obuiant sibi, & inuicem osculantur, id est inseparabili amore consociantur. Quis de huiusmodi disputare sufficiat?]

Scitè idem Rupertus lib. 7. in Matth. excurrens in illud Lucæ 11. *si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem?* ità ratiocinatur. [De hoc dicere delectat, quia Sancti omnes antiqui, sicut panem Verbi Dei, & sicut piscem, id est, Christum petebant & quærebant, ita & ouum à Patre misericordiarum desideratissimè postulabant, & prophetica oracula sine dubio dandum esse confirmabant. Quod, vel quale ouum? Illud nimirum, cui Spiritus sanctus obumbrare dignaretur, superueniens in illud, in modum volucris ouo suo supersedentis, donec pullus in eo formetur. Sic enim futurum erat, & sic factum est *Spiritus sanctus* ô B. Virgo Maria, *superueniet in te & virtus altissimi obumbrauit tibi*; & ita concepisti, & peperisti Filium volucrem, id est non terrenum, sed cœlestem; non carnalem, sed spiritualem,

 quamuis

quamuis veram carnem, & terrenum corpus habentem. Huiusmodi ouum petebant sine dubio priores Filij, maximè qui non solùm fidem, verùm etiam prophetiam habebant tanti Sacramenti, exempli gratia, qui luctabatur cum viro vsque mane, *nec dimittam te* (ait,) *nisi benedixeris mihi*, sine dubio benedictione illa, vt de stirpe mea fiat illud nouum; vt obumbrante S. Spiritu, fœmina circumdet virum.]

XVII. Minùs mira videbitur hæc Incarnationis per ouum adumbratio, si cogitemus, quàm multis grauidum mysteriis habitum sit ouum apud antiquos; & meritò, quod Puteanus integra dissertatione de oui encomio, est executus. Est enim ouum substantia laudatissima, vt Dyonisius Richelius in sui Ordinis præconio articulo 3. post Arnoldum Villanouanum, rectè statuit. Fremant licet Catharinij, quos Prateolus lib. 3. Catalogi tanto odio flagrasse in ouorum esum refert, vt cum ea frangerentur, expirarent. Hoc Catholici anathematizamus, & & oua cùm vtilitate ad vitam, tùm mysteriis ad eruditionem, abundare agnoscimus. S. quidem Basilius hom. 2. Hexaëmeri Spiritum Dei, mundo velut ouo incubantem describit, monstratque eum esse sensum loci illius, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Laudat porrò eius expositionis autorem Sanctum Ephrem Syrum, cuius testimonio confirmat, proprietatem vocis Syriacæ ad Hæbraicam valdè accedentis, ferre sensum propositum: cui perbellè item astipulatur, quod apud Pisidam legimus in Cosmop. ouum esse paruulum typum mundi; quippè in quo membrana tenuis, sit velut aër, vitellum vt ignis; albus liquor veluti aqua; vt terra quod durum est; cœli verò speciem habeat testa, quod ex Varrone in Logistorico qui inscribitur, *Tubero de origine humana*, paulo aliter sic retulit Probus Grammaticus. Cœlum est testa, vitellum vt terra, inter illa duo humor, quasi in sinum clusus aër, in quo calor.] Nec dissimiliter Proclus in Timæum, agens de ouo Orphico. Confirmarunt idipsum Ægyptij apud Eusebium, qui sic refert scribentem de eis Porphyrium. [Creatorem, *Eneph* Ægyptij appellant, cuius imaginem in forma hominis faciunt, colore cœruleo, zonam tenentem & sceptrum; cuius in capite pennam ponunt, significantes difficilem inuentu esse Creatorem, & nemini conspicuum; viuificum etiam, & Regem, & intelligibili motu circumlatum. Hic Deus (inquit) ab ore ouum producit, à quo nascitur Deus, quem Ægyptij *Phta* Græci *Vulcanum* vocant. Significatur autem huiusmodi ouo, mundus.]

XVIII. Apud Poëtas, mundus ex Chao, admodum oui progerminans, iuxta antiquorum fabulamenta describitur. Ea ipsa ex causa in Bacchi Orgiis, vt Plutarchum in Symposiacis expilans Macrobius annotauit lib. 7. Saturn. cap. 16. ouum sacratum exhibebatur, velut simulachrum mundi, è quo cuncta nata sunt, cuiúsque complexu vniuersa tenentur. Spectauit denique eodem Sanchoniatus Berytius, quem refert Philo Byblius pronunciasse, mundum hunc vniuersum, esse instar oui, ὠοειδεῖ τῷ σχήματι. Quod apud Plutarchum 2. de placitis, & apud Galenum lib. eiusdem argumenti, aliter expresserunt, qui mundum dixerunt specie ὠοειδῆ, quod valere potest non tam ob oualem figuram, (eam enim non habet mundus,) quàm ob illam quam protuli, orbis ac oui analogiam. Habemus imaginem procreationis mundi, in ouo. Quin etiam æternæ generationis adombratio, est oui exclusio. Nam quod Prouerb. 8. dicitur de Sapientia increata, eam ex ore altissimi prodiisse, S. Epiphanius hær. 69. attento Hebraico contextu, monstrat perinde esse, ac si dictum fuisset, Sapientiam Dei, (quæ est Filius, prodiuisse vt ex ouo.

XIX Hæc cum ita sint, meritò negabam, videri posse incongruum quod Incarnati Verbi mysterium, per oui imaginem adumbratum dicatur, vt ab antiquis factum esse retuli ex Ruperto An quia S. Basilius homil. 8. Hexaëm. per procreationem pulli ex ouo, exposuit Virginitatis & fœcunditatis concordiam in Christi conceptione? [Cum pluribus (inquit,) auium generibus, ad conceptum non opus est copula maium, sed in aliis quidem generibus sterilia sunt oua, quæ subuentanea dicuntur. Vultures autem magna ex parte parere sine coitu subuentanea fœcunda ferunt, & esse longissimæ vitæ, quippe quibus ad centenos vsque annos plerumque vita protenditur. Id ex alium ipse historiis, notatum habeas animaduersumque velim, vt si quando nonnullos irridere conspexeris arcanum fidei nostræ mysterium, quasi fines naturæ cancellóque transgrediatur, fierique non potuerit, vt Virgo pareret, virginitate ipsius integra intemeratáque persistente, veniat in mentem tibi, Deum cui libuit per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, ad fidem istiusmodi mirabilibus ac præter omnium opinionem stupendis conciliandam & astruendam, argumenta occasionésve sexcentas, ex ipsa rerum natura præuenientem, proposuisse.]

XX. Cadit verò perbellè in Christum, veritas fabulæ quam Ægyptij commenti sunt, vt Helladius apud Photium Cod. 279. retulit: nimirum fuisse anteriorem Adamo hominem, cui nomen, *Oe* seu *ouum*, è quo omnis posteritas prodierit. Omnes enim genimina Christi sumus, è quo tanquam è primo capite, antequam Adam fieret existente, prodiimus. Quidni verò eodem, per aliqualem accommodationem aptari posse dixerim, quod apud Clementem Romanum 10. Recog. legitur in hæc verba. [Aiunt qui sapientiores sunt, inter Gentiles, primò omnium Chaos fuisse, hoc per multum tempus exteriores sui solidans partes, finem sibi & fundum quodam fecisse, tanquam in oui immanis modum formámque collectum; intra quod multo nihilominus tempore, quasi intra oui testam, fotum, viuificatumque esse animal quoddam; disruptoque post hæc immani illo globo, processisse speciem quandam hominis duplicis formæ, quam illi *masculo-fœminam* vocant. Hunc etiam *Phanetam* nominarunt, ab *apparendo*, quia apparuisset, (loquuntur,) tunc etiam lux effulsit.] Pleniùs hanc fabulam legere est apud Lucianum in Pseudomante, vbi Alexander Vates ex ouo anserino Deum biformem, (& humana scilicet, & anguina specie) educit; Nomen ei *Glycon*, cognomentum *lux mortalium*; primùm statura pusilla, sed mox grandem admodùm, insuper veneni expertem, imo tractabilem ac mitem, cuius exhibitione fortunati omnes ac felices euasuri. Hæc omnia oui illius mystici adiuncta, nullo negotio accommodari in rem præsentem possunt. Sed maximè Dei illius Luciferi ac bono mortalium appariturí, compactio ex humana & anguina specie.

At duplicis formæ, quis verè, nisi Christus, qui cum in forma Dei esset, ea forma non abiecta; serui, hoc est hominis formam accepit? Prior forma rectè dicitur humana id est rationalis ac intellectualis, posterior verò anguina, id est natura nostras, vt fusiùs est expositum agendo de Christo gigante: Item prior forma dici potest masculina, posterior

verò

verò fœminea, iuxta doctrinam S. Cyrilli hom. 10. Pasch. & Philonis lib. 1. de profugis, qui masculina diuinarum perfectionum imaginem esse dicunt, fœminea verò imperfectionum nostrarum. Nec abs re eodem trahi potest, ouum Augustodunense plane mirabile, cuius effigiem exhibet Ambroi. Paræus, lib. 25. c. 4. atque Carol. IX. exhibitum fuisse, anno 1569. Disrupto namque ouo ab ancilla prandium apparante, emicuit humana facies intra testam abdita, capillitium habens è variis anguibus contextum, quorum etiam tres è mento prosilientes, pro barba erant. Hæc dico, ad fabulam ex Clemente Romano relatam trahi posse, eodémque aptari. Nam etiam illum *Phaneta*, Deorum primogenitum, sanguina specie ex ouo profusum fuisse, refert ex Mythologiis Athenagoras in legatione pro Christianis. Quem verò rectiùs Phaneta, & Luciferum dixerimus, quàm Verbum corporatum, cuius aduentus in orbem, intulit lucem mundo, discussis tenebris, quibus à tanto tempore opprimebatur? Intulit autem Christus lucem perpetuam; nam nec ei lux est cum tenebris alternans, vt fabulæ ferunt de Dioscuris ex ouo prognatis; figmenti occasione accepta, ex eo quòd in editiore ædium parte, quam antiqui *ῳὰ* appellabant, ortum accepissent, vt ex Clearcho scribit Iunius lib. 1. animaduers. cap. 14. *ad finem*. Quid verò prætetea vetet, transferri ad veritatem circa Christum, quod fabulosè apud Plinium lib 29. cap. 3. de ouo Druidarum anguino, ad victorias litium, & Regum aditus mirè laudato? Christus enim aduocatus præcellens, postulauit pro nobis, prout Dauidem accepit Petrus Damiani ser. 2. & litem euicit, mollésque aditus nobis ad Patrem parauit. Etiam illud, ad Verbi Incarnati mysterium oui imagine adumbratum pertinere potest, quod olim vsus erat ouorum ad expiationem, iuxta illud Iuuenalis Satyr. 6 de Gallo Sacerdote.

Grande sonat, metuique iubet Septembris & Austri
Aduentum, nisi se centum lustrauerit ouis.

Naso quoque horum lustralium ouorum meminit in Arte, cum ait,

Et veniat quæ lustret anus, lectumque locumque;

Apulejus lib. 11. Miles. agens de naui expiata, sic habet. [Summus Sacerdos tæda lucida, & ouo, & sulphure, solemnissimas preces de casto præfatus ore, quàm purissimè purificatam, Deæ nuncupauit. [Luciano in Dialogis Mortuorum, mentio est *oui* ex catharsio meminit *catharsij*, contra Timarchum Æschines. Spectabat verò ad expiationem & purificationem. Athenienses enim quemlibet populi conuentum, minutis expiabant porcellis quos catharsia nominabant, & qui munus lustrandi obibant, *Peristarchi* denominabantur; ouum ergo ex catharsio illud erat quod ad expiandum & purificandum adhibebatur. Facile est accommodare ista ouo nostro mystico quod Christus est, expiationi ac lustrationi nostræ addictus.

XXII. Liquet quàm non absurdè mysterium Incarnationis per ouum adumbrari pronuntiarit Rupertus. Quod si Apostoli vt S. Gregorius annotauit lib. 5. Mor. cap 16. ouis comparati sunt, quia ouum est symbolum spei iuxta doctrinam S. Augustini serm. 29. de temp. Sancti autem Apostoli in hoc mundo despecti atque humiles, speramque gloriam post hanc vitam docuerunt; iacueréque in terris, vt oua sine vita, cum tamen lateret in eis vnde viuerent & subleuati spei pennis ad cælestia volarent; si inquam ouis eam ob causam comparati sunt Apostoli, multò potiori iure ea analogia in Christum cadit, qui est pignus spei nostræ, & hic inglorius iacuit quasi absque vita, cum tamen fuerit semen vitæ æternæ, omnibus sperantibus in ipsum. Nec deficiet analogia, si ouum vt mortalitatis symbolum spectare placeat, quia rotundum est, & huc illúcque voluitur: quæ causa est, cur Iudæi referente Buxtorfio in Synagoga Iudaica cap. 35. ad cognatos demortuos, oua militarent, eo munere commonentes mortem, non secus ac ouum facilè conuolui, & ab vno ad alium transire. Hæc analogia, in Verbum carne vestitum, & morti in carne nostra factum obnoxium, apertè cadit. Et quod eiusdem operis cap. 36. legitur ex Elia Leuita in Dictionario suo *Tubi*, de ouo eiecto è nido, cuius lapsu cedri trecentæ amplissimæ confractæ, pagi item sexaginta ad oui confractionem sint submersi, haud ægrè ad stragem Satanæ rebus, Christi morte illatam accommodem.

XXIII. Illud denique circa Christum valet, quod circa oua ex vso veteri obseruatum est à Ciaconio lib. de triclinio, *pag.* 30. ex Athenæo lib. 2. & 14. solitos nimirùm antiquos, principium & finem dapum in ouo facere. Nam tametsi alicubi initium duntaxat ab ouo fiebat, & desinebatur in malis: vnde illud Tullij Epistola ad Pætum, [Integram famem ad ouum affero:] Et illud item Flacci l. 1. Saty. 3. [Si collibuisset, ab ouo vsque ad mala citaret Io Bacche:] Eóque etiam pertinebat, quod in pompa Cereris, sacerdotes inter Cerealia dona; primùm ferebant ouum: Tamen alibi vterque cibationis limes, ouum habebat, vt ex Athenæo tetigi, & ex Varronia obscuriore loco lib. 1: de re Rustica cap. 2. eruit Ciaconius. Christus item in animæ cibatione, est primum & vltimum. Hic suos reficit, vt panis viuus per gratiam obiectus; in cœlo per totam æternitatem auertet famem ab electis, eosque hæreditate Iacob, diuina inquam visione & fruitione cibabit; efficieturque Dei corona ouata quo nomine dicta est Imperatricis Irenes corona apud Nicephorum Gregoram lib. 1. Histor. quod confecta esset ex ouorum pretio. Similiter enim Corona iustorum, ex pretio oui Mariani; Verbi inquam diuini intra matris vterum carne amicti, conficietur.

Non est quod alicui execrare videar, ouum memorans, cum de æterna beatitate agitur: videtur enim ouum esse quid alienum ab felici statu; quandoquidem ouum est symbolum spei, quæ in felicitate æterna locum non habet. Esse autem ouum symbolum spei, disertè tradit Beda, homil. in illud Ioannis 16. *Vado ad eum qui misit me.* Et Rupertus iam suprà laudatus; vterque autem profecit ex B. Augustino, cum alibi, tum Epistola 121. ad Probam; de orando Deo. Ibi enim conferens tria bona data; piscem, ouum, & panem, à Christo memorata, cum tribus virtutibus Theologicis ab Apostolo recensitis; Fide inquam, Spe, & Charitate: Fidem ait pisce adumbratam in illis Christi verbis, quibus negat, Patrem bonum filio piscem petenti porrecturum serpentem: Charitatem autem quæ cæteris maior est, significatam esse per panem, de quo ibidem subdebat Christus, bonum Patrem Filio sibi panem poscenti non subministraturum lapidem. Spem denique adumbratam esse oui imagine, cùm dixit petenti ouum filio, nequaquam porrecturum scorpionem. Hoc typo significatam spem ait D. Augustinus, quia Spes belle correspondet ouo, in quo vita pulli nondum est, sed existet suo tempore. Cum igitur ouum si symbolum spei, & Spes à cœlo exulet;

(oam

(nam quod videt quisquis sperat? vt Apostolus animaduertit;) videtur incongruè fieri oui mentio cum igitur de corona vitæ & felicitate æterna, vbi non est captatio summi boni, sed tentio atque possessio. Hinc quidem rectè concluditur, ouum non posse accommodari æternæ beatitati, prout Deum prehendenti: Quoad aliqua tamen beatitatis adiuncta optimè ouum congruit cum æterna beatitate, v.g. quoad eam analogiam (vt cæteras taceam) quod æterna felicitas, sit cœna cuius clausula olim fiebat per ouum. Felicitatem namque bellissimè exhiberi cœnæ imagine, perpulchrè tradunt Gulielmus Parisiensis, lib. de retrib. Sanctorum, *sub finem*: & Richardus à S. Laurentio lib. 2. de B. Virgine, rubr. 7. Quandoquidem ergo olim in conuiuiis clausula cibationis erat in ouo, & felicitas æterna bellè respondet conuiuio serotino siue cœnæ, post quam quiescitur, nec est vltra labor; haud incongruè oui mentio facta est, cum de nunquam finienda Sanctorum gloria in cœlesti mensa, agitur. Sed quando ad ouum ventum est, quo (vt præmisi) explebatur olim fames epulis, mensam remoueo.



INDEX



INDEX
MATERIARVM OMNIVM IN hoc volumine, ordine Alphabetico contentarum.

A

concilium

G

H

I

Panni

Q

R

T

V

FINIS.







